UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Emanvelis De Naxera Toletani, E Societate Iesv, Sacrarvm Litterarvm Interpretis, Regiiqve Concionatoris. Excvrsvs Morales In Librum primum Regum

Nájera, Manuel de

Lvgdvni, MDCLXXII

urn:nbn:de:hbz:466:1-80101

Visual Library



N. 858a.
A X
7.

MAXERA
Lib. I.
Regum.
C. IV
15

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MAXERA
In Lib. I.
Regum.
C. IV
15

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. EMANVELIS

DE NAXERA TOLETANI,

E SOCIETATE IESV,

SACRARVM LITTERARVM INTERPRETIS, REGIIQVE CONCIONATORIS.

EXCVRSVS MORALES

In Librum primum Regum.

PARS SECVNDA.

Opus non solùm Theologis; sed etiam verbi Divini Præconibus perutile.

Cum quatuor Indicibus, Primo Paragraphorum, Secundo ad Conciones construendas, Tertio Locorum Sacræ Scripturæ, Quarto Rerum & Verborum.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,

Sumptibus PETRI CHEVALIER.

M. DC. LXXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





NOBILISS. HEROI, CLARISS. VIRO

D. D. PETRO

FERNANDEZ DEL CAMPO,

ANGVLO ET VELASCO, ANTIQVISSIMÆ Domus vulgò del Campo Domino, Iacobæo Equiti, Catholicæ Majeſtati pro Bello Maris, Terræque in Supremo Status Senatu à Secretis deputato : pro Indiis etiam in Conſilio, & Camera meritiſſimo Conſiliario, ac tandem pro negotiis totius Monarchiæ Primicerio digniſſimo, &c.

QVOS nuper in ſacram Regum hiſtoriam, etſi ſeneſcente iam ſtilo, edidi Commentarios, Fratri Tuo Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo D. D. Antonio Fernandez del Campo, Angulo & Velaſco, Sanctæ Gienenſis Eccleſiæ digniſſimo Præſuli debita officioſitate dicaui. Tibi Familiæ Principi, mihique multis nominibus venerando exiguum illud debebatur obſequium, ſed poſtponi Tibi gratum, & quia Fratrem tenerè diligis, & quia Eccleſiaſticas Infulas religioſa pietate præferri gaudes. Pars hæc poſterior Tuo nomine prodit nobilitata, nec opus fuit clariſſimam

Tuæ originis referre seriem, quando ipsa cognomina, excusato laboris censu, & defæcatissimam, antiquissimamque originis claritatem publicant, & virtutem. Nuncuparis de Velasco, vt potè à Velascos de Vngo celebratissima sæculis stirpe prognatus. Stirpi accessit Cerassæ Augustinæ sanguis, è quo præstantissima Castellæ Comestabilium domus effluxit. Nec materna vena degenerauit, vt potè trophæis, & stemmatibus nobilissimis ditata. Hæc te inseruit propagini Turris, Aulæque de Velasco Ceilæ, quam decantandus ille Lupus Lopez de Salcedo tertius vallis Ayalæ Dominus memorandis factis recuperauit. Vna, eademque vena Te, ac nobilissimos Porres protulit, vt de Te ego, quod de Constantino Orator: *Mihi deorum immortalium munus & primum videtur, & maximum in lucem statim felicem venire.* Felix venisti in lucem tantis majoribus satus. Cognomen del Campo, quàm responderint præclaræ origini gesta declarauit. E Tuis decessoribus vnus viriliter adeò in aduersarios irruit, vt debellato exercitu Regem subegerit, &, quam cæca barbaro fortuna coronam dederat, sui Principis coronis adauxit. Quàm sine adulatione Tuis maioribus congruit illud Hesiodi.

Virtutem voluere dij sudore parari.

Sudore partum cognomen generis gloriam vel litterarum rudibus, & rusticis hominibus patefecit, vt opportunè Ennodius repetat: *Campus est vulgator natalium.* Tot, tantisque triumphis, & stemmatibus expolita ad Te, Fratresque Tuos natura deuenit: magna videbatur fortuna, si firma consisteret, nec aliqua deturpata sorde degeneraret. Verùm Tu non solùm, quam acceperas ab Atauis, illæsam claritudinem conseruasti, sed nouis virtutum incrementis adauxisti. Illud Tecum Horatij vel in iuuentutis flore maturè tractabas.

Nam genus, & proauos; & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Nobili præsumptione, ambitione laudabili maluisti à Te partis gloriari, etsi poteras accepta à maioribus laude sine fastidio aliorum clarere. Linguarum dexteritate polles, nec laboriosum recusasti studium, vt Reipublicæ, & Principi vtilissimum exhiberes obsequium. Vigilans solertia, incorrupta fides, solicitudo indefessa Principis sic beneuolentiam promeruit, & gratiam, vt se æquitatem violare crederet, ni Te debitis incrementis, & præmiis competentibus prouocaret. Talem Te dignitatem adeptus exhibuisti, quales nonnulli videri volunt, dum ambiunt. Non Tibi, vt plerisque fortuna vultum mutauit,

uit, non mores corrupit. Plinii vsurpo verba nulla assentatione applicata : *Vires optimus, & inter præcipua sæculi ornamenta numerandus.* Plurimis Te actionibus approbatum ad Primicerij culmen Regina nostra euexit, & Reipublicæ, Regnoque electione consuluit. Non ignorabat celebre illud Athalarici dictum. *Hos intrare in nostram curiam decet, qui ad primos honores non expendunt meritum suum, sed cùm magna susceperint, iterum maiora promerentur : ornant quoque tales & nostra iudicia, quoniam benè priùs electus creditur, qui sæpius approbatur.* Certo semper vestigio procedens, & ab omni ambitu distans, meritis obtinuisse non dubitaris, quod post tot laudatæ virtutis experimenta sortiris. A Magno nostro Philippo IV. Status in Secretarium electus, à Regina luces ad Primiceriatum promotus: & fortè ab vno Principe prouehi, censeri potuit gratiosum, à multis verò efferri testimonium est meritorum indubium. Primicerius nec electionem odiosam, nec dignitatem reddis ingratam. Auara fugis, æqua sectaris, criminis hostis, amator æquitatis. Idem intus, ac foris es. De quo aptiùs Romanus Consul : *Egregium in primis videatur, vt foris, ita domi ; vt magnis, ita in paruis ; vt in alienis, ita in suis agitare iustitiam.* Non solùm illibatam es sortitus conscientiam, sed apud proprios, & exteros talem famam, vt nullus præsumpserit à Te æquitatem vllis artibus corrumpendam, aut gratiam ventitandam. Non eges intercessore, vt, quod gratiosum est facias ; nulla intercessio prodest, vt æquitatem corrumpas. Iam quàm facilis ad Te aditus, quàm omnibus pateant fores nulli ignotum, & sub admiratione ab omnibus celebratum. Non adhibuit conscientia Tua seras, aut custodes : omnibus vel interiora patent pellucida, & vitrea Nunquam refugis spectari, quia vereris nunquam deprehendi. Te, vt sæpiùs vidi, concursantium turba domi expectat, & licèt negotiorum mole defatigatus, & prolixis horis Palatio detentus, ea vultus placiditate aduentas, ea comitate vel fastidiosissimos, importunosque tractas, vt etiam qui vota non assequuti, de Te nec audeant, nec possint queri. *Hæret lateri Tuo* (repetat Trajani Principis Panegyrista) *quisquis accessit, finemque sermoni suus cuique pudor, non Tua superbia facit.* Adeò placidas, expromptasque aures quouis tempore præbes, vt non Tibi, sed cæteris viuere videaris. Eo vultu, blandis adeò verbis de fortuna querulos, alienæque felicitatis inuidos solaris, vt deferueat indignatio, & sopiatur dolor. Hæc est rara, vt certissima gloria; hæc indubitata laus, dignitate culminis non superbire, & cunctos

8. Epist. 12.

8. var. 22.

Plin. 8. epist. 22.

ctos humanitate tractare. Quid mirum Te eximiis laudibus efferant comitatem experti, quando coguntur plurimis famæ testimoniis compulsi dilaudare remoti? Tuum merentur patrocinium debiles: à iustitia exorbitare nunquam impetrauere magnates. Te nunquam auaritiæ vitia fœdarunt. Mauis integritatis elogia, quàm exundare pecunia. Actus tuus innocentiæ professio est; nec violentiæ locus datur, nec ostentatio potentiæ arguitur. Quod nimis arduum est, ea æquitate Te geris, ea modestia reluces, vt nequeas prudentibus displicere, immò nec inuidus calumniæ solatium quiuerit inuenire Verentur, qui prauis etiam affectionibus exuruntur, malè de Te loqui, quia reformidant prodere inuidiam, cùm liqueat omnibus nullam in Te reperiri veram detractionis, aut murmurationis materiam. Prolixum esset omnes à Numine inditas Tibi dotes referre, laborioſum per latissimos virtutum campos excurrere. Apelles, Polycletusque (teste Plinio in Præfatione ad Vespasianum) cùm Heroum facta depingerent, apponebant illud, *Faciebat*, tanquam inchoata semper arte, & imperfecta, artifici regressus ad veniam pateret, & deesse plurima, quæ adderentur, exprimeret. Plurima hic addenda erant, & ideò pendenti stilo hanc Commentariorum Præfationem Tibi dicaui. Apion tumidus Grammaticus immortalitate à se donari putabat, ad quos aliqua dirigebat. Mihi eueniſse testor contrarium, hosque Commentarios immortalitate spero donandos, Tuo nomine nobilitatos, & insignitos. Fateor iure multa adiici posse, sed Tuæ modestiæ consului. Vale.

Tuæ dominationi addictissimus Capellanus

EMANVEL DE NAXERA.

INDEX

INDEX PARAGRAPHORVM.

CAPVT XV. p. 1.

1. QVI specialia à Deo accepit beneficia, speciali alacritate exhibere tenetur obsequia. pag. 2.
2. Dignitas ab onere nunquam est soluta, nec inerti otio dicata. 3
3 Labor à benuolo impositus lubentius impletur, & veritas minus grauanter auditur. ibid.
4 Oneri Dei misericordiæ est, qui iterat culpam, & incrementat offensam. ibid.
5 Seuera punitur pœna, qui contendenti ad virtutem opponit impedimenta, & molitur scandala. 4
6 Qui primam ad delictum aperuerunt viam grauissimam frequenter tulerunt pœnam. ibid.
7 Malefici, & magi grauissimis pœnis mulctandi, immò prorsus atterendi. 5
8 Si voluptatis aliqua permittatur scintilla, flabellatur in incendia, & affert ingentissima incommoda. ibid.
9. Eucharisticus agnus contra voluptates armat, & ad victoriam vires inspirat. 6
10 Vitiorum metropoli euersa, facilè de reliquis obtinetur victoria. ibid.
11 Duræ contra voluptates insidiæ sitis, & fames. 7
12 Parum iuuat voluptates oppugnare in aperto, si suppetias tuleris in occulto. ibid.
13 Grande Reipublicæ beneficium confertur, si causarum sit prompta expeditio, & dilationis expuncta occasio. 8
14 Sanctissimæ virginis de originali victoria omnibus attulit vitæ, ac salutis auxilia. ibid.
15 Opus est tibi longè ab improbis recedere, si velis anxia pericula declinare. 9
16 Alimenta, quæ pauperum leuant inopiam, filiorum conseruant vitam. ibid.
17 Humanæ gloriæ ambitiosi diuinis præceptionibus opponuntur aduersi. 10
18 Oris venustas, dum ad se rapit animum, suadet facile nominis contemni præceptum. ibid.
19 Auri cupiditas sibi ipsi aduersatur, & diuinas leges transgreditur. 11
20 Qui longaabutitur Numinis patientia, ardentiori punitur ira. ibid.
21 Nil peccatori conducibilius, quam in hac vita puniri, nec in futurum sæculum supplicia differri. ibid.
22 Arduum est occasione proritante non labi, & exemplum superioris non sequi. 12
23 Deus, dum punit, dolore quodammodo adurgetur, & impedita beneficentia afflictatur. ibid.
24 Vehementer diuinæ indignationis ardor incanduit, si eum copiosus sanctorum sopire fletus nequiuit. ibid.
25 Ægriùs quàm pro pia clientum, ac proselytorum aliquando feruntur damna. ibid.
26 Omni sollicitudine properandum est, vt peccatorem reuocaueris, & ad veram pœnitentiam reduxeris. 14
27 Detorqueri solent ad inanissimum plausum, quæ religiosius exhibere suadebant Numini obsequium. ibid.
28 Apud homines pluris habentur euanida, quàm solida, & vera. 15
29 Exhibita à magnatibus obsequia, prolataque elogia iudices quodammodò fascinant, sibique conciliant. ibid.
30 Quantumuis sagax dissimularit cautela, peccatorem prodit criminis lingua. 16
31 Plures, dum culpas suas in alios satagunt retorquere, solitant incrementare. 17
32 Magnates reprehendere est sibi pericula procreare. ibid.
33 Corrigenda est delinquentis culpa, sed dignitati exhibenda reuerentia. 18
34 Prospera fortuna esse solet humilitatis naufragium, humilitas prosperæ fortunæ illicium. ibid.
35 Iudices non dedignentur decreti supplicii, si nimis videatur rigidum rationem reddere, & rigoris causam vulgare. 19
36 Iudex, aut superior acquirendi auidus, sæpè inuenitur legem transgressus. ibid.
37 Non adeò diuinam iram exulcerat scelera perpetrare, ac exasperat admissam culpam defendere. 20
38 Superbi, si in aliqua actione quid virtutis resplendeat, sibi applicant, si quid dehonestatis, aliis adsignant. ibid.
39 Plures, quibus constat se irrogare aliis iniuriam, volunt lucrari eorum beneuolentiam. 21
40 Adeò infelix est mendax, vt ipse sibi non constare ostendat, cum haberi verax desiderat. ibid.
41 Cùm exterior excusari nequit actio, affertur in patrocinium intentio. 22
42 Parum iuuat Deo dicari, si contingat mandatis cælestibus contraire. ibid.
43 Dæmonum fallaciis exponitur, qui superioris legibus non obsequitur. 23
44 Qui superioris iussis obluctatur, propriæ voluntati in corde aram struxisse cognoscitur. ibid.
45 Non potest benè cæteris imperare, qui detrectat mandatis cælestibus inseruire. 24
46 Principis solùm vmbram videtur gerere corde timidus, & alterius voluntati subjectus. ibid.
47 Parentes, dum sibi indebitum sitiunt honorem inhonoram relinquunt posteritatem

tem. ibid.
48 Parum iuuat culpam ore proferre, ni vero cordis dolore adnitaris expungere. 25
49 Nonnulli exterius affectant virtutem, vt assequantur vtilitatem. ibid.
50 Peccator ipsis artibus, quibus adnititur vitare periculum, incrementat sibi sæpissimè damnum. 26
51 Superior, dum dissimulat delicta, magna suis humeris imponit onera. ibid.
52 Magnates prædicatorem solent honoribus sibi deuincere, vt sic quodammodò cogant peccata dissimulare. 27
53 Proceres criminibus volunt infici, & debitas peccatis pœnas à viris sanctis, & religiosis persolui. ibid.
54 Graue adeò onus relinquit peccatum, vt vel fortium atterat humerum. 28
55 Fugiant Dei serui sua auctoritate magnatum inaurare delicta, & sua præsentia publica cohonestare spectacula. ibid.
56 Peccatoris consortium omnibus diffugiendum, sed spectabilibus viris accuratius detrectandum. 29
57 Dum Principes ad consentiendum suis decretis Ecclesiasticos cogunt, sibi calamitates adsciscunt. ibid.
58 Ad Ecclesiastica manum extendere est à se felicitatem præcidere. 30
59 Qui pias spernit minas, timeat irreuocabiles pœnas. ibid.
60 Ægrè fert Deus, si homo adnitatur sibi adscribere, quod numini tenebatur referre. 31
61 Toti sunt peccatores in auertenda pœna, non in abolenda culpa. ibid.
62 Nonnulli, vt honores expiscentur, pœnitentium assumunt faciem, & se dolere vitiis inseruisse attestantur. ibid.
63 Plus verentur homines habere magnatem sibi offensum, quàm Deum iratum. 32
64 Dum dignitatem gerit, licèt non mereatur persona, dignitati exhibenda est reuerentia. 33
65 Expectandum est tempus opportunum, vt culpis applicetur remedium. ibid.
66 Quot in vita delectauere deliciæ, tot in morte illigauere catenæ. 34
67 In morte iustis vitæ angor transit in tranquillitatem, iniustis splendor in amaram transit solicitudinem. ibid.
68 Superior benè politicus ea non tentabit, quæ se non assecuturum cognouit. 35
69 Diuitiæ, etsi injusto titulo possideantur, difficulter restituuntur. ibid.
70 Magnates sua potentia tuti impunè delinquunt, sed in morte durissimas pœnas soluunt. ibid.
71 Frequenter in alios furunt per otium sæui, qui nimiis voluptatibus circumfusi. 36
72 Adinstar sacrificii Deo oblati est peruersis moribus imbutum auferre, & suppliciis dignis puniri. ibid.
73 Dei ministrum solùm animarum fructus aulicis immiscet, si spes deficiat, recedit. 37
74 Quantumuis florenti vtatur fortuna, copiosis lachrymis est lugendus, qui Dei gratia, & virtutibus nudus. 38
75 Si peccatoris non concurrat pœnitentiæ gemitus, pii intercessionis parum iuuabit copiosus luctus. ibid.
76 Bonus superior nunquam suo muneri parcit, sed implet, vel cùm de fructus lucro diffidit. ibid.

CAPVT XVI.

1 Lachrymæ ob temporalia emissæ, & fructu vacuæ, & reprehensione videntur dignæ. 40
2 Bonus superior pia seueritate in culpam invehitur, & eodem tempore vigilanti solicitudine subiectorum commodis prouidere conatur. ibid.
3 Bonus princeps absentium intuetur officia vt sine ambitus molestiis reddiderit præmia. 41
4 Ritè facta ad dignitatem electio cælesti prouidentiæ adscribenda, sed ad regnum, specialiter applicanda. ibid.
5 Ad electi prodest elogium, si in electione nec vtilitatis, nec adfectionis apparuerit indicium. 42
6 Speciali virtutum laude videtur ornatus, qui post improbum decessorem inuenitur electus. ibid.
7 Exordia, futuræ vitæ fausta, aut infausta haberi solent auspicia. 43
8 Lachrymæ, etsi non assequantur votum, assequuntur tamen solatium. ibid.
9 Laborum runcinis, & persecutionum scobinis Deus præparat, quem ad perenne regnum designat. ibid.
10 Non est contra perfectam obedientiam difficultates superiori representare, & pericula præcauere. 44
11 Non licet vnquam mentiri, sed licet animum honesto colore tegere. ibid.
12 Fausto homine inauguratur, qui nullius detrimento resplendet electus, sed cunctorum vtilitatibus designatus. 45
13 Religiosus amat recessum, nec sine magna causa prodit in publicum. ibid.
14 In publicum virum religiosum prodire, ni rationabilis appareat causa, esse solet suspicionis materia. 46
15 Liuori adulationique quoduis notitiæ præcludi debet indicium, vt sortiatur effectum arcana consultatione dispositum. ibid.
16 Si semel aliqua suspicio animum contingat intrare, difficillimum est depellere. 47
17 Eucharistia lucem impertitur, qua agenda videas, & feliciter visa absoluas. ibid.
18 Deo sacratus degat à populi tumultu prorsus semotus. 48
19 Magnatibus inuisum omnes fugiunt, vt pestifero morbo infectum. ibid.
20 Qui dignitatum culmine elati, frequenti etiam casus timore perculsi. idid.
21 Laudabilitas actionis apud sæculum potius videtur ab auctore promanare, quàm auctori ab actione prouenire. 49
22 Qui ad sacram mensam accedunt, omni debent candore puritatis micare, & externæ etiam modestiæ laude florere. ibid.
23 Vt electio à suspicione sit libera, elector indifferenti animo debet accedere, & Deum quid è re vtilius consulere. 50
24 Quæ humanis oculis speciosa, reprobis etiam inueniuntur à Domino dilargita. ibid.
25 Non est regimini aptus iracundia percitus, vt nec etiam superbia elatus. 51

Index Paragraphorum.

26 Qui libera fronte vult eligere, nouerit ambientibus nil debere. ibid.
27 Qui præ alijs dignus, frequenter aut reijcitur, aut loco vltimo collocatur. 52
28 Sunt, qui ne aliqua vtilitate priuentur, sedulè sibi inseruientiũ incrementis obnitantur. ibid.
29 Non semel quos tibi existimabas speciali iure obstrictos, inuenies tui obliuiosos. ibid.
30 Exiguis, paruulisque, quibus maior commiseratio debetur, grauius frequenter onus iniungitur. 53
31 Sæpè apud suos parui æstimatur, qui apud exteros magni habetur. ibid.
32 Priùs, & potiùs satisfaciendum muneris obligationi, quàm fami. 54
33 Ferè semper laudabilius munus peragunt quæsiti, quàm qui se ingerunt ambitiosi. 55
34 Superior tristi vultu, aut minaci aspectu non terreat, sed hilari serenitate, & grato vultũ aspicientes alliciat. ibid.
35 In rebus magni momenti vel quæ apparent prorsus indubia, sunt perspicacibus oculis examinanda, & cum Domino consulenda. 56
36 Naturæ lex non attenditur, vbi Dauid in Christi patrem deligitur. ibid.
37 Nullus inuidet donis cœlestibus præcellenti, sed humanis splendoribus emicanti. 57
38 Consanguinitatis vinculum ignorat, quem inuidentia, aut ambitio inflammat. ibid.
39 Inuidiam non sustinet, qui dignitatem adit compulsus, sustinet, qui supra cæteros eminere discupit ambitiosus. 58
40 Si iugum sustinendum sit, prudentia consulit malle proprijs parere, quàm extraneis obedire. ibid.
41 Quem Deus ad culmen dignitatis euehit, specialibus etiam auxilijs communit. ibid.
42 Infelix est, si, quem dignitatis fulgor fascinat, spiritus Dei desertat. 59
43 Qui videntur culminibus eminere, internis solent morsibus dilaniari. ibid.
44 Difficulter diù celatur, quod animo interius geritur. ibid.
45 Deus ob dignitatem superioribus specialem lucem ministrat, & prouidentia singulari gubernat. 60
46 Dum infirmitas subiecti grauior, oportet aliquando, vt medicina sit lenior. ibid.
47 Parum externa iuuat medicina, si in animo ægritudinis insederit causa. 61
48 Miraculi adinstar erit, si magnatibus adstantes animi ægritudines non studuerint adaugere, sed releuare. ibid.
49 Spem magnam salutis sortitur, qui se honesta admonentibus non irascitur. 62
50 Inuidus sæpè laudat, vt securius feriat, & grauius noceat. ibid.
51 Magnis discriminibus exponitur, qui internis Principum mederi morbis adnititur. 63
52 Salus corporis sine dilatione aliqua procuratur, animæ salus sæpesæpius in futurum differtur. ibid.
53 Princeps, quod potest comitate impetrare; violenter non tentauerit obtinere. 64
54 In curia parum iuuant merita, ni accesserint donorum suffragia. ibid.
55 In Regum palatijs aditus difficilis meritis, facilis donis. 65
56 Opera sunt adfectionis pulsus, & amoris index est manus. ibid.
57 Amor benè politicus attendit conditionẽ accipientis, non solùm potentiam dantis. ibid.
58 Eadem facta pro affectus varietate aut laudibus efferuntur, aut sugillatione damnantur. 66
59 Medela non solùm moribus est applicanda, sed pro personarum etiam varietate adhibenda. 67
60 Vel crucis Dominicæ vmbra est dæmonibus dura flamma. ibid.
61 Sacer chorus, & Ecclesiasticus cantus hominibus affert salutem, & dæmonibus exitialem infert stragem. 68

CAPVT XVII.

1 DÆmones castra sua contra nos figunt in confessionis silentio, & euanido sæculi gaudio. 70
2 Ab spirituali bello aliquando abstinendum est, vt robur tibi ædifices, & vires prudenter compares. ibid.
3 Facilè prænalent arma, vbi destruuntur idola. 71
4 Qui humilia, ac terrena sectatur, ab hostibus facillimè vincitur. ibid.
5 Quos accepta de hostibus coronat victoria, bellum inferre solet superbia. 72
6 Aliquando tunc solùm alicuius viri magnitudo cognoscitur, cùm deperditur. ibid.
7 Qui præ cæteris eminent altitudine, præ cæteris etiam grauantur onere, & anxia premuntur solicitudine. 73
8 Aliis plures in præsentia plaudunt, & laqueos in absentia disponunt. ibid.
9 Qui in Sacerdotes, Deoque sacrata audet, quantumuis armatus, facilè perit. 74
10 Validæ adeò sunt vnitatis, charitatisque vires, vt dæmon singulare certamen exambiat, & vnitatis vinculum perhorrescat. ibid.
11 Vt vnius victoria suorum congregationem nobilitat, sic ruina, & casus dehonestat. 75
12 Audax pro vitio insolentia asseclarum virtutis timidam confundit inertiam, & inertem damnat ignauiam. ibid.
13 Specie sæpè rerum deterremur, & inerti metu frangimur. ibid.
14 Indecorum est sine grandi causa sectari otium, dum Rempublicam adurget grauissimum bellum. 76
15 Virtutis alumnus ad alta ascendit compulsus, humilia tractat expromptus. ibid.
16 Virtutis alumnus curat obedire, occupationũ gradus, aut qualitatem nescit attendere. 77
17 Dæmon non audet impetere, quos dignis intuetur actionibus occupatos, delicijs & otio exagitat deditos. ibid.
18 Dei viri si necessitas exigat, adire non recusant palatia, si cesset, fugiunt, nulla interposita mora. 78
19 De aliorum modestia aliorum crescit audacia, & vires accipit insolentia. ibid.
20 Euanida mundi gloria duris laboribus emitur, & possessa magnis oneribus prægrauatur. 79
21 Omne tempus fouendæ vanitati inuenitur expeditum, virtuti sæpè difficultatibus implicatum. ibid.
22 Bono patri curæ est filijs alimenta præbere; & si quod contraxerint, debitum solnere. 80
23 Prudentia est muneribus honestè magnatum beneuolentiam elucrari, & pericula prouidenter abigere. ibid.

Index Paragraphorum.

24 Plus aliquando nocet improbus socius, quàm validus aduersarius. ibid.
25 Longa viri absentia sæpè insidiatur honori, & objcit vxorem discrimini. 81
26 Dei serui aliquid de somno præcidere non detrectant, vt fratrum vrgenti necessitati succurrant. ibid.
27 Obedientiæ splendor minuitur, si morosè, & cunctanter impletur. 82
28 Religiosè obsequens, vt exactè expleat mandata, laudabili obrutescit inscitia. ibid.
29 Nonnulli tardè cum vitijs bellum aggrediuntur, & citissimè perculsi terroribus reuocantur. 83
30 Validiùs persuadet inire certamina, deuorare discrimina gloria volatica, quàm diuina. ibid.
31 Ea est diuina patientia, vt sibi videatur detrahere, dum diù homines permittit delinquere. 84
32 Bona politica consulit speciali priuilegio donare, quem præ alijs constat facinoribus efflorere. ibidem
33 Parens studiosius debet filiæ sponsum quærere virtutibns exornatum, quàm nataliuin luminibus expolitum. ibid.
34 Prudentiæ congruit in rebus magnis fidem vni, aut alteri faciliter non adhibere, sed plurium consensu firmare. 85
35 Nonnulli ea industria vtuntur, vt censeas obtemperare, etiam in his, quæ ardentissimè constat ambire. ibid.
36 Quantumuis à Deo interius motus, tutiùs procedes à superiore etiam iussus. ibid.
37 Prudens, etsi Principi ardenter desideret inseruire, solicitè curat omnem ambitionis suspicionem vitare. 86
38 Inuidus non expectat veritatem examinare, sed vmbratilem culpam anhelat, verbis asperrimis referire. ibid.
39 Nonnulli tenaciter adeò adhærent euanidæ suspicioni, vt possent indubiæ fidei. ibid.
40 Bonus frater fratrem studet à periculo eripere, & audaciam refrænare. 87
41 Nonnulli, vt suo liuori blandiantur, si externam nequeant actionem sugillare, satagunt intentionem abrodere. ibid.
42 Probus exhibet maioribus reuerentiam, etiam cùm asperis verbis prouocant iram. 88
43 Si cognati à Dei obsequijs conentur auertere, prudens studebit aufugere. ibid.
44 Prudentes nec ostentant iactantiam, nec alijs impingunt notam. 89
45 Rarum est aulicos apud Regem alicuius strenuitatem deprædicare, vt frequens defectus prodere. ibid.
46 Qui magna aggreditur inexpertus, periculis inuenitur obnoxius. 90
47 Bonus superior non permittet subiectum vltra vires audere, & se maiora tentare. ibid.
48 Vbi necessitas exigit magnalia sua referre, non est vanitati dandum, sed prudentiæ, ac rationi adscribendum. 91
49 Quisquis efficaciter ininncta peregit, maiora sibi commendari suasit. ibid.
50 Mirum est, si quis custodierit in se laudando modestiã, nec excesserit veritatis mensurã. 92
51 Quodammodò diuinitatem videtur attingere, qui pro inualidis non detrectauit cum magnatibus decertare. ibid.
52 Ne eximias virtutes silentio tumularit modestia, Deus prouidenter euulgari facit cogente causa. ibid.
53 Quæ pro reculis pericula subeunt sæculares, confundunt virtutibus inseruientes. 93
54 Plures, ne paterentur leuia, inciderunt in grauissima. ibid.
55 Ea parte inardescere solet pœna, qua perpetratur & culpa. 94
56 Sæpè, quæ supra vires ad speciem videntur, facillimè superantur. ibid.
57 Non debet acceptus triumphus otio nos tradere, sed viuidiùs ad nobiliores reportandos accendere. 95
58 Iam victricem sibi auguratur palmam, qui non humanæ laudis studio, sed diuini honoris zelo inire discupit pugnam. ibid.
59 Prudentia consulit miranda tacere, ne vanitatis suspicionem contingat ingenerare. 96
60 Non attendendum quid turba faciat, sed quid facere ratio iubeat. ibid.
61 Qui in Deum execranda iacit dicteria, breui, & miseranda corruit ruina. ibid.
62 Quæ humanæ prudentiæ videntur deliria, aliquando cœlesti pulsu probantur superioribus inspirata. 97
63 Dilargita à Deo beneficia sunt vlteriorum præsagia, & ni ponas obicem, pignora. 98
64 Prudentia consulit ea non omittere, ex quibus nulla accrescit incommoditas, & oriri potest vtilitas. ibid.
65 Aliquãdo non sine magno miraculo adaptantur exiguo, quæ disposita fuerunt magno 99
66 Principes, dum militibus conferunt honorem, Reipublicæ solicitant sospitatem. ibid.
67 Non valet pugnare acriter contra vitia, qui vltra conditionem suam induit pretiosa ornamenta. 100
68 Deus nimis cultum, & expolitum in certamine ignorat, intra status sui limites se continentem ad victoriam suppetijs adiuuat. ibid.
69 Ad triumphos de vitijs reportandos plus iuuant arma propria, quàm aliena. 101
70 Qui alius, quã status postulat, desiderat apparere, nequibit virtutis causã solerter agere. ibid.
71 Sic alienæ est consulendum saluti, vt nil detraxeris muneris obligationi. 102
72 Qui ducitur obedientia, ad reportandos de dæmone triumphos opportuna experitur auxilia. ibid.
73 Crux Christi contra dæmonem validum telum, pro homine opportunum subsidium. 103
74 Quod frequenter assuetum non facilè relinquitur, etsi ad certamina sit obstaculum. ibidem.
75 Quod indigenti pauperi oblatum, contra dæmonem opportunum est telum. 104
76 Quidquid terrenũ, studiosè oportet abijcere, si cupis triumphum de hostibus reportare. ibid.
77 Etsi aliqua speciali virtute cum hoste sit congrediendum, à cæteris auxilium est implorandum. 105
78 Periculosum est temporis angustia necessaria perquirere, tutum prouidenti anteà sagicitate disponere. ibid.
79 Peccatores suis passibus infaustam maturare solent sibi fortunam, & infortunij præbent materiam. 106
80 Sæpè qui hostis vires superbo depretiat contemptu, corruit inopino casu. ibid.
81 Sæpè manu inuenitur imbecillus, qui verborum fastu superbus. 107
82 Maledicta, & execrationes absque ratione iactæ non solùm indecoræ, sed proferenti nociuæ. ibid.

Index Paragraphorum.

83 Qui humanis fidit, citissimè corruit, qui diuinis auxilijs, vincit. 108
84 Iesu nomen est dæmonis incantamentum, & ineluctabile excidium. ibid.
85 Perfecti solùm Dei susurant honorem, sed lucrantur sibi laudem. 109
86 Diuino amore inflammatus ad extrema terræ eius discupit notitiam extendere, & gloriam diuini nominis propagare. ibidem
87 Qui solùm Dei causam aggreditur agere, indubiam sibi potest victoriam promittere. 110
88 Ea contra vitium distantia pugnandum est, vt possis euertere, non feriri. ibid.
89 Plures Christi crucem fugiunt, vt saluti consulant, & amittunt, quia fugiunt crucem. 111
90 Crucis Dominicæ signum tutum Christianis propugnaculum, & fatale dæmoni excidium. ibid.
91 Quæ peccatores perpetrauere delicta, videntur contra ipsos operari miracula. 112
92 Vitia prædicatione, & opere debellantur, aliter rarò abscinduntur. ibid
93 Si aliquam partem nudã præsidio relinquas, laborem in tuendis cæteris labefactas. 113
94 Custodes Angeli nobis sua præsentia vires inspirant, & dæmonum versutias enerùant. ibidem.
95 Adeò exoculata est inuidia, ea est ambitionis audacia, vt etiam veritati euidentissimæ refragentur, & denegare adnitantur. 114
96 Non exigua gloria triumpho adaugetur, si hostis ipsius armis oppugnatur. ibid.
97 Prudentia est fugam arripere, si fortissimos etiam miserabiliter videas cadere. 115
98 Strenuo satis non est hostem fugare, sed conatur prorsus atterere. ibid.
99 Dum periculum vrget, nulla fugæ interponenda est mora, & abijcienda prorsus rerum terrenarum sarcina. ibid.
100 Sæpè victoria non consummatur, quia in colligendis spolijs milites detinentur. 116
101 In curijs, Palatijsque necessaria est mortis memoria, quia ibi frequentior fallax vitiorum illecebra. 117
102 Prudens, & benè politicus ad honorem Principis consecrat, quidquid aliter inuidiam sibi conciliat. ibid.
103 Plurima ei, & necessaria sunt arma, qui præ cæteris resplendet fortuna. ibid.
104 Ab aulicis, palatinisque ornatu splendido fulgens agnoscitur, solloce indutus despicitur, aut ignoratur. 118
105 Facilè Princeps per se assequitur, tardè, aut nunquam, quod ministris committitur. ibidem.
106 Si strenuorum virtutibusque excellentium apud ministros, & Principes fuerit ignorantia, in occasum verget Respublica. 119
107 Vel vmbra offensæ tenaciter memoriæ infigitur, obsequium è memoria Principum facillimè labitur. ibid.
108 Magnates solicitiores sunt de prosapiæ, & familiæ augmentis, quàm de Reipublicæ sint periculis. 120
109 Ni apud Principes intercesserint patrocinia, aditum non inuenient facilè merita. ibidem.
110 Inuidus egregijs actionibus præluentis nomen recusat audiri, nec sustinet plausu debito celebrari. 121
111 Prudentia est silentio tegere, quæ rubores magnatibus possunt incutere, aut animos irritare. ibid.

CAPVT XVIII.

1 QVisquis dotibus relucet eximius, virtutem adnititur honorare ab inuidentia prorsus alienus. 123
2 Mirè sibi alliciunt animos egregiè facta si humili decorentur modestia. ibid.
3 Firma est amicitia à vera charitate exorta, infirma ab vtilitate, aut voluptate prognata. ibidem.
4 Bonus Princeps studiosius Reipublicæ solicitabit augmenta, quàm propria commoda. 124
5 Non adeò solicitè procuramus spiritualibus incursionibus occurrere, quàm externorum hostium vires atterere. ibid.
6 Amor aut inuenit, aut facit æquales. 125
7 Genus martyrij est cultioris ornatus pompæ renuntiare, & lætiori cultu carere. ibid.
8 Nescit verus amor quid sibi retinere, sed omnia dilecto discupit dilargiri. 126
9 Miris laudibus eius extollenda prudentia, qui magna prosperitate euectus aulicorum vitanit odia. ibid.
10 Qui excelsa dignitate exornatus, omnium sibi deuincit animos, si humanitate, comitateque resplenduerit excultus. 127
11 Fauor populi acquiritur dignitatem gerentis prudentia, & gestorum fortuna. ibid.
12 Prudentia est prosperæ fortunæ mater. 128
13 Strenuis militibus sine dilatione conferenda sunt præmia, & honoris insignia. ibid.
14 In benè constituta Republica plus quàm consanguinitatis suffragium, obtinet eximium meritum. 129
15 Vbi ambitio quærit sitienter plausum, inuenire solet despectum. ibid.
16 Plures, cum nolint æmulari ab alijs gloriosè facta, ardenter inuidere solent elogia. 130
17 Laus rarò exæquat meritum, sugillatio excedere solet erratum. ibid.
18 Omnis comparatio est odiosa, & litium fæcunda vena. 131
19 Culminibus elati ferè semper timoris anxietate concussi. ibid.
20 Si degeneri affectu exagitetur animus, deprauatur etiam oculus. 132
21 Vnum vitium alterum parit, & partum nutrit. ibid.
22 Quo passu augescit vitium, crescit etiam peccatoris tormentum. 133
23 Criminis est effectus prudentiam de mentis arce deturbare, & deteriorem amentia insaniam secum adducere. ibid.
24 Mali spiritus est indicium occulta aliorum publicare, & quasi prophetico præuisa spiritu asserere. ibid.
25 Insolentia inuidentium verba honestis factis sunt refrænanda, & vota prudentibus actionibus eludenda. 134
26 Facilius est dæmonem pellere, quàm liuorem mitigare. 135
27 Qui mulierum, præcipuè pulchellarum, etsi præter opinionem laudibus præponitur celebratus, periculis inuenitur obnoxius. ibid.
28 Sæpè qui totum negotium feliciter absoluerunt, non recusant laudis participem, qui exiguas, aut nullas attulerunt operas, plausus

auersentur consortem. 136
29 A dignitate à Deo solet detrudi, qui dignos præmio, liuido persequitur odio. ibid.
30 Quos videt diabolus eximijs virtutibus efflorere, persecutione aggreditur à virtutibus deuiare. ibid.
31 Sæpè vt pranitatem nostram excusemus instigatori diabolo adscribimus. 137
32 Ita alterius saluti est prouidendum, vt proprium periculum sit vitandum. ibid.
33 Detestabilis adeò est ingratitudo, vt quem non pudet dæmonibus inseruire, fugiat ingratus videri. 138
34 Totum peccatorum studium est delicta committere, & conuinci posse vitare. ibid.
35 Peccatores ita cæcutiunt, vt animæ detrimenta contemnant, & incommoda temporalia totis nisibus effugiant. 139
36 Peccatores in ipsa felicitate timidis solicitudinibus adurgentur, iusti ipsis in periculis interna tranquillitate fruuntur. ibid.
37 Si inuidia, ambitioque inuaserint præcordia, quantumuis sibi vtilia, alterius auersabuntur augmenta. 140
38 Sæculi honores sunt intertexti periculis, & quæ videntur commoda, insidiarum sunt retia. ibid.
39 Politica sæpè solicitat honoris specie amouere, quæ non sine vtilitate Reipublicæ nouit radiare. 141
40 Mala conscientia, etsi iniuriam passus nil meditetur, continuis suspicionibus discruciatur. ibid.
41 Plus obtinet à subiectis Princeps dilectus, quàm potestate obarmatus. 142
42 Amor amorem parit, & qui se experitur amari, conatur totis viribus respondere. ibid.
43 Peccatores dæmonis consilia non solùm non respuunt, sed quid de suo, vt perfecerint, addunt. 143
44 Matrimonium non solum est coniugum honestum vinculum, sed pacis inter olim æmulos seminarium. 144
45 Quo tempore promittit nuptias, dolosus socer prætexere solet fallacias. ibid.
46 Nuptiæ inter inæquales parere solent dissidia, & ingentissima incommoda. 145
47 Graue onus sibi imponit, qui censu exiguus ducit vxorem delicatè innutritam, & ornamentis pompaticis assuetam. ibid.
48 Dedecet virum ingenuum obsequia accipere, & promissis non stare. 146
49 Discruciandi ingenium est promissis præmijs dignum fraudare, & non merenti conferre. ibid.
50 Muta patientia saluti auxiliatur, & honestè de iniuria vlciscitur. 147
51 Sæpè quod diaboli nequitia non potuit perfici, fæminarum artibus solet absolui. ibid.
52 Fraus, dolusque in homine priuato odiosa, in Principibus, & magnatibus execranda. 148.
53 Sæpè qui non cessit hostilibus telis, fæminarum est subiugatus blanditijs. ibid.
54 Qui cum magnatibus affinitatem exambiunt, magnis se tricis inuoluunt 149
55 Aulici pro veris falsa testantur, & minorum detrimento Principi adulari adnituntur. ibidem.
56 Qui se maiora appetit, sibi calamitatem adsciscit. 150
57 Non tam est filiæ eligendus sponsus facultatibus opulentus, quàm detriumphatis, & expunctis vitijs glorioſus. ibid.
58 Cæca ambitio exuit naturam, & dediscit parentelam. 151
59 Quod improbitas iustis machinatur scandalum, in virtutis Deus vertit elogium, & felicitatis augmentum. 152
60 Eximia probatur virtus, quam nequit æmulus dissimulatione ignorare, aut conscientiam corrumpendo minuere. ibid
61 Vxoris conciliatur affectus, si se agnouerit diligi, magnique haberi. 153
62 Coniugium mutua charitate obarmatum, & concordia mutua munitum, durum dæmoni probatur tormentum. ibid.
63 Quò quis virtutibus eximijs excultus, tantò acriùs diabolicis machinis impetitur dinexatus. 154
64 In tentationum exordio oportet cautiori se solicitudine gerere, & viriliter decertare. ibidem.
65 Glorioſum est nobilitatem à parentibus accipere, sed glorioſius laudandis actionibus ampliare. 155
66 Præclara probantur merita, quæ diuersarum gentium approbauere iudicia. ibid.

CAPVT XIX.

1 AVlicis quæ Principi placita, legum iura. 157
2 Mirum est, si filius non aggrediatur legum edicta calcare, vt possit quidquid delirat parens implere. ibid.
3 Optimum consilium est maturè recedere, & captioſas technas eludere. 158
4 Bonum consilium est salutis tutamentum, & sæpè securius armis profugium. ibid.
5 Aliquando gestit commissum sibi secretum prodere, qui debuisset cautiùs seruare. 159
6 Facilè patris sopietur ira, si filius pro tua allegauerit causa. ibid.
7 Qui mediatoris munus peragit, ostendat se æquitate solùm moueri, affectione peculiari non duci. 160
8 Homines non tam abstinent à malè excogitatis rationis efficacia, quàm vtilitatis rhetorica. ibid.
9 Optimus Princeps obliuionis nescit defectum, sed seruientis merita memoria retinet fixa. 161
10 Vltra insaniam est in eum peccare, qui, vt adquireret tibi regnum, vitæ subiuit periculum. ibid.
11 Peccatores leuissimè pœnitentiæ incubant, obstinatissimè in sceleribus perseuerant. 162
12 Facilius sæpè est obtinere à læso veniam, quàm à lædente concordiam. ibid.
13 Iustorum verba pro Sacramento sunt, Sacramenta iniquorum sunt verba. 163
14 Sanctorum verbis ea inest efficacia, vt cedat obstinata etiam duritia. ibid.
15 Sæpè licita iuramenta violantur, illicita studioſiùs adimplentur. 164
16 Periurij scelus vt in Numen est audax irreuerentia, sic puniri solet grauissima mulcta. ibidem.
17 Iustus iniurijs ad amicitiam redit impetitus, ac si nunquam fuerit iniuria affectus. 165
18 Qui se à licitis etiam delicijs continet, optimo auspicio contra aduersarios certa-
men

men init. ibid.
19 Miserum est indè detrimenta exoriri, vndè debuissent incrementa manare. 166
20 Mirabilius est, quàm diabolica eludere tela, humilitatemcolere feliciſſima adſpirante fortuna. 167
21 Domum ſuam præter opinionem labefactat, qui innocentem, ac iuſtum lædere tentat. ibidem.
22 Prudens mavult vitam diſcrimini, quàm iniquis ſuſpicionibus honorem exponere. 168
23 Ni defædauerit famam, parum videtur æmulationi abſtuliſſe vitam. ibid.
24 Aliquando ipſe ſatelles præmonet reum, vt eluſerit prouidenti fuga periculum. 169
25 Nonnulli, cùm non refugiant magnis criminibus infici, detrectant indecoris circunſtantijs criminis denigrari. 170
26 Verus amor delectabili dilecti caret præſentia, vt ei ſolicitauerit commoda. ibid.
27 Amor in teneri dilecti memoria requieſcit, dum eius præſentia caret. 171
28 Si fœmina alicuius viri amore corripitur, miris artibus adſpicientium oculos illuſiſſe conatur. ibid
29 Aliquando qui putantur placida frui quiete, anxia adurgeri inueniuntur ſolicitudine. 172
30 Non videtur credibile magnis diſcriminibus impetitum ignauo ſomno indulgere, & ſaluti ſuæ conſulere. ibid.
31 Qui odij, amoriſue patiuntur phrænesim, famæ, honoriſque non attendunt opinionem. 173
32 In ſequentem diem dilatum propoſitum non ſemel euanuit irritum. ibid.
33 Nonnulli contenti non ſunt peccatis infici ſed omni immodeſtia oculos ſatagunt oblectari. 174
34 Sæpè confugitur ad mendacium, quia obligationi ſatisfacere apud improbos putatur delictum. ibid.
35 Sagacitate opus eſt ad concinnanda mendacia, alioquin fraus apparebit manifeſta. 175.
36 Ad ſanctorum patrocinia, & ſacra loca confugiat, qui ſæculi contra ſe potentiam ſentit armatam. ibid.
37 Ea eſt diuina miſericordia, vt quos impietas auxiliares ſibi delegerat, inopinè rapiat, & cœleſti ſpiritu imbuat. 176
38 Sæpè non bona intentione adeuntes templa cœleſti luce illuſtrantur, & ibi auditis concionibus ad virtutem erudiuntur. ibid.
39 Quem Dei ſpiritus poſſedit, non repetere antiqua, ſed obliuiſci penitus docuit. 177
40 Deus non ſolùm ſuos à diſcrimine eripere, ſed ſe eorum patronum affectat clariſſimè oſtendere. ibid.
41 Deus miſericors adeò eſt, vt quam iuſtis miram præbet tutelam, iniuſtis etiam exhibuerit medicinam. 178
42 Qui præ alijs cœleſtibus prærogatiuis ornatur, delinquens grauiori etiam præ alijs mulcta punitur. 179
43 Dei ſpiritu afflatus generosè contemnit, quæ ſtudioſiſſimè cæcus ambiuit. ibid.
44 Opus eſt ornatus nimietatem præcidere, ſi orationi, Deique laudibus ambias vacare. 179
45 Non videtur idem dignitatibus ornatus, & nudus. ibid.

CAPVT XX.

1 Ambitioſus, inuiduſque à virtute facillimè reſilit, ſceleribus tenaciſſimè incumbit. 182
2 Non eſt omittenda ſalutis ſolicita cura, quantumuis cœleſtis adſit tutela. 183
3 Si in ſolo Deo religioſè collocaris fiduciam, faciliùs eludes inimicorum audaciam. ibid.
4 Felix eſt, quantumuis calamitatum voluminibus iactetur, qui conſcientiæ morſu non vritur, infelix, qui in ridenti fortuna carnifice conſcientia torquetur. 184
5 Nonnulli, vt vanitati adulentur, contra ipſam experientiam venditant apud Principes gratiam. ibid.
6 Politici eis, quos ſuſpiciunt, detrectant à ſe decreta operire, ne eorum cogantur auctoritate mutare. 185
7 Non quæuis amicorum conſilia amplectenda, ſed prudentiæ trutina examinanda. ibid.
8 Mortis memoria morum magiſtra, & ipſius vitæ eſt tutela. 186
9 Grauius aliquando à conuiuijs periculum, quàm à bellis detrimentum. ibid.
10 In conuiuijs, quod corde abſtruſum, faciliùs proditur, aut eruitur. 187
11 Benè politicus in ridenti fortuna lares non obliuiſcitur, ſed cum cognatis, & olim familiaribus conuerſatur. ibid.
12 Odium honeſtiſſimas etiam actiones neſcit approbare, nec æmuli ſuſtinet defenſores audire. 188
13 Durius ipſa morte eſt indecorum ludibrium, aut hoſti reſultans ex cæde gaudium. ibid.
14 Humilis ſibi debitum liberale exiſtimat beneficium, ſuperbus liberale beneficium arbitratur ſibi debitum. 189
15 Tunc perfectè incanduit amor, cùm impoſſibile eſt quodammodò deficere, & ab inceptis recedere. ibid.
16 Amori nil eſt arduum, etſi ad ſpeciem videatur inglorium. 190
17 In curijs nil ſecretum, quia neſcias quibus modis indaget, & publicet adulationis ſtudium. 191
18 Adeò iuramenti fides à viris iuſtis ſeruatur illæſa, vt nulla infirmetur occaſione violata. ibidem.
19 Feliciſſimum eſt Principem naſci, ſed in Principem glorioſius eſt communi conſenſu deligi. 192
20 In perſecutionum tolerantia jam regia præuidetur corona. ibid.
21 Prudens non ſolùm attendit præſentia, ſed prudenter mittit oculos ad futura. 193
22 Opportunum ſubſidium tranſmittit ad poſteros, qui probos honeſtis obſequijs acquiſiuit amicos. ibid.
23 Cœleſti manu prorſus eradicantur, qui Dei amicos iniquis, & odijs pertinacibus perſequuntur. 194
24 Amor non quieſcit, ſi quid ſuſpicionis in corde amati remanere præſumit. ibid.
25 Qui mundi diſcupit fruſtrare pericula, Chriſti Domini ſequatur exempla. 195
26 Ipſo, quo quis Dei tuetur honorem, acquirit ſibi ſalutem. ibid.
27 Qui ſe ſæculi voluptatibus interdicunt, placidiorem quietem inueniunt. 196

28 Ita aliorum est consulendum æquitati, vt tuæ non afferat detrimentum virtuti. ibid.
29 Bonus Princeps, etiam dum se oblectatione recreat, suorum commodis prouidenter inuigilat. 197
30 Periti superioris est blandis subiectos persanare, & cassis ictibus præmonere. ibid.
31 Prudens contra futura impedimenta se obarmat, & perficere prudenter sancita anhelat. 198.
32 Vera amicitia ob propria commoda non degenerat, nec ob aduersitates imminentes inconstans nutat. ibid.
33 Regi proximitas non tam exhibenda fortunatæ originis titulo, quàm bellicæ virtutis merito. 199
34 Sacrum, ac regale epulum, solùm admittit expunctis sordibus purificatos, & virtutum, gratiæque candoribus expolitos. ibid.
35 Deus, etsi aliquando dissimulet, nostrarum actionum rationem exigit. 200
36 Maleuolentia, si nequeat externam actionem liuido dente mordere, intentionem, aut originem adnititur obscurare. 201
37 Principes eos debent interrogare, qui præ aliis ad quæsita quiuerint respondere. ibid.
38 Plures pietati vertunt, vt vitarint iurgia, texere officiosa mendacia. 202
39 Mendacium obscuri hominis est indicium, & ab ingenuo ore prorsus alienum. ibid.
40 Imprudentia est inurere tibi notam, vt alterius prodas infamiam. 203
41 Morte censetur dignus, quisquis magnatum studijs inuenitur oppositus, & contrarius. ibid.
42 Verus amor nec commodis allicitur, nec incommodis deterretur. 204
43 Miraculi adinstar erit, si æquitas Principi odiosa sortiatur patrocinium, & amata iniustitia non inuenerit suffragium. ibid.
44 Ira est rationis naufragium, & honoris detrimentum. 205
45 Verus, legitimusque zelus suas facilè deglutit, sed Dei offensas vehementer dolet. ibidem.
46 Laudabilis est ira, quæ aduersatur impietati, & patrocinatur virtuti. 206
47 Amor nescit dormitare, quia dilecto obsequia discupit exhibere. ibid.
48 Mirum non est, si studeas ob virtutem subire, quod non adeò nobili causa plures inueniuntur amplecti. 207
49 Principis, superiorisque efficacius admonent facta, quàm verba. ibid.
50 Aliquando cum alio loquimur, & verba ad alium dirigimus. 208
51 Verus obediens obtemperat laudabiliter cæcus, obedientiæ causam non perscrutatur curiosus. ibid.
52 Deus vehementer dolet ab eis recedere, quos sibi summis, repetitisque beneficijs solicitarat obstriugere. 209
53 Accepta dona pro lingua esse solent ad promulganda secreta. ibid.
54 Deus aliquando sagittas jactat, vt homo se à tenebris, & periculis expediat. 210
55 Maiori dignus est reuerentia, qui te docet pericula fugere, quàm qui studet pretiosis muneribus exornare. ibid.
56 Vera compassio est doloris delinimentum, & grande in afflictione solatium. 211
57 Vehementer timendum est in eius manus incidere, quem non dubitas irritatum plurimis offensionibus excandescere. ibid.
58 Vehemens dolor aut intertumpit verba, aut prorsus occludit labia. ibid.

CAPVT XXI.

1 COrda solent præsagire imminentia sibi pericula, & nescias quo interno pulsu præsentire jam damna. 213
2 Florentes turba circunstat; circa calamitosos ingens solitudo est. ibid.
3 Dei Sacerdos tenetur esse famescentium auxilium, & afflictorum solatium. 214
4 Non semper expectanda miracula, sed res tractandæ sunt prouidentia. ibid.
5 Non est amicorum ciuilitate, & vrbanitate abutendum, nec fastidium benefactoribus generandum. 215
6 Prudentia est ridenti in fortuna amicos sibi vrbanitate parare, & beneficijs obstringere. ibidem.
7 Facilè viri probi falluntur, quia alios mentiri nullatenus suspicantur. 216
8 Sæpè obtinetur mendacijs, quod impetrare tur nullatenus meritis. ibid.
9 Plus impetrat apud magnates gratia, quàm vera, & egregia merita. 217
10 Præconialiter se sacerdos gerit, si respuit sumptuosam mensam, & diuitiarum spernit copiam. ibid.
11 Nonnulli suam paupertatem adaugent, quia gestiunt palato adulari, non solùm necessitatibus subuenire. 218
12 Sacerdos debitos dignitati redditus non tam percipiat sibi, quàm indigenti. ibid.
13 Eximio puritatis candore resplendere studeat, qui innutriri pane Eucharistico exoptat. 219
14 Qui cœlesti epulo cupit nutriri, per aliquod temporis spatium à licitis etiam conuenit voluptatibus abstinere. ibid.
15 Eucharistia auidè expetenti exhibenda, & cum fame mensuranda. 220
16 Calamitosa est Respublica, si strenui milites pane indigeant, & otiosè, aut reculis occupati, exundantibus diuitijs superbiant. ibidem.
17 Nonnulli minus nocent à diabolo exagitati, quàm sibi ipsis derelicti. 221
18 Sæpè vt peccatum coloretur admissum, aduocatur aliud peccatum. ibid.
19 Semper homini profecit, quod Domino conseerauit. 222
20 Nulla re melius tuæ prouidebis incolumitati, quàm si Dei consulas honori, & proximorum saluti. ibid.
21 Pro virtute decertanti affert plausum, quod videbatur allaturum periculum. 223
22 Perfectè ab hoste non fugit, qui eius in ditione remansit. ibid.
23 Obedientia quò cæcior, & homini tutior. 224
24 Homines aduersa in fortuna à nullo agnoscuntur, quia in alios quodammodò transformantur. ibid.
25 Nonnulli ad speciem impossibilia aggrediuntur, & se non aggressos ob ipsam impossibilitatem persuadere conantur. 225
26 Aliquando homines multiplices sibi miserias incrementarunt, dum aliquam effugere decreue

decreuerunt. ibidem
27 Quò quis in curia cæteris eminentior, eò periculis inuenitur proximior. 226
28 Vbi delirium frequens, aliquomodò etiam delirabit sapiens. ibid.
29 In curijs tutior est aliquando sapiens stultitia, quàm arguta sapientia. 227
30 Crimen est aulici hominis non sanæ mentis introducere, & laudibus commendare. ibid.

CAPVT XXII.

1 SÆpè, qui mundum quærit, despicitur, qui mundum despicit, quæritur. 229
2 Quæ ob euanidam gloriam, & producendam vitam ambitio sustinet, virtutis studiosos & edocet, & confundit. ibid.
3 Tribulatio, & ob virtutem persecutio sunt futuri regni præsagia, & non dubia solidæ felicitatis auspicia. 230
4 Solitudinis desertum contra mundi insidias munitissimum castrum. ibid.
5 Qui Christo coniunctus, à sæculo sæpè afflictatus. 231
6 Qui vult cordis amaritudine liberari, virtuti conetur accedere. ibid.
7 Quisquis sæculo inseruit, intoleranda tributa soluit. 232
8 Si labores virtutis, & vitiorum contuleris, longè graniores ex vitijs ortos inuenies. ibidem.
9 Cordis ob peccata amaritudo Dei sortitur patrocinium, & verum mutatur in gaudium. 233
10 Imprudenter ambitur splendens pompa, cùm esse soleat grauissima ambientis sarcina. ibid.
11 Militum Princeps eos in officio contineat, nec iniustas prædas permittat agere, aut morum mensuram transilire. 234
12 Qui in Deum commisit delicta, pro Deo contra aduersarios apprehendet arma. ibid.
13 Parentibus, præcipuè longæuis, satagat prouidere, qui cupit vitam producere, & pericula frustrare. 235
14 Dignum maiestate est nobilibus senibus prouidere, & alimenta præstare. ibid.
15 Prudentia est inualidis misericordiam impendere, ob quam possis magna lucra rationabiliter sperare. 236
16 Ex Deo est, si eligas periculis, & incommodis afflictari, vt à peccatis proximos possis eruere. ibid.
17 Tutius aliquando est in saltibus inter feras degere, quàm cùm fraudulentis aulicis conuersari. 237
18 Persecutio ob virtutem magni æstimanda, & commodis præferenda. 238
19 Periculosior aliquando est incauta tranquillitas, quàm cauta aduersitas. ibid.
20 Securior inter pericula viues obedientia tectus, quàm in tranquillitate tuo arbitrio ductus. 239
21 In Regum curijs rarò inuenitur, qui à periculis arceat, frequentissimè qui impellat. ibid.
22 Aliundè afferendus est, qui magnatibus veritatem ostendat, & ad salutem vtilia edoceat. ibidem.
23 Ferè semper quisque cæcutit erga propria, licèt perspicacibus oculis videat aliena. 240
24 Qui specialia à Deo accipit beneficia, religiosa præ alijs exhibere tenetur obsequia. ibidem.
25 Etsi magnates, Principesque viridarijs, & nemoribus videantur recreari, internis solent solicitudinibus adurgeri.. 241
26 Superior à probrosis verbis debet abstinere, cum peccantes adnititur castigare. ibid.
27 A politicis, aulicisque plus attendi solet, quàm rationis pondus, generis decus. 242
28 Apud politicos, & aulicos causa melior, à qua eis fructus prouenire potest copiosior. ibidem.
29 Magnatum seruis opus est aut iustitiam violare, aut querelam inuidiosam subire. 243
30 Vera charitate flagrans iniuriam sibi factam sustinet patienter, ne inferatur alteri, se opponit audacter. 244
31 Plus aliquando à magnatibus grata obtinetur adulatione, quàm eximijs meritis, & virtute. ibid.
32 Aliquando malè collocatum præmium fuit militaris virtutis fascinum, & attulit largienti periculum. 245
33 Si iudex degeneri præoccupetur affectu, innocentia grauì obscuratur reatu. ibid.
34 Fidem vni delatori præbere, est se melius erroribus implicare. 246
35 Improbitate constat laborare, qui in alio vera non punit delicta, & in alio punit solummodò colorata. ibid.
36 Eadem actio pro aspicientis affectu nunc videtur laudabilis, nunc reprehensibilis. 247
37 Iudex, quam factam sibi suspicatur iniuriam, non solùm punit rigidus, sed ferus. ibidem.
38 Manus in Dei Sacerdotem extendere est in se ardentissimam iram Numinis concitare. 248
39 Principibus in iussis rationabiliter est promptissimè obtemperandum, in inique decretis nullatenus est parendum. 249
40 Quæ ob virtutem pericula despiciuntur, ipsa virtute frustrantur. ibid.
41 Quod pluribus sub generalitate præcipitur, aut lentè, aut nunquam impletur. 250
42 Implacabili dæmon persequitur odio Eucharistia hominem obarmantes, & ab voluptatis insidijs eripientes. ibid.
43 Ille præ alijs habetur amicus, qui ad perpetranda scelera est socius. ibid.
44 Sæpè apud sæculi Principes excellit præmijs qui eorum annuit iniquissimis votis. 251
45 Frequenter mors est vitæ legitima consequentia, & morum lingua. ibid.
46 Apud Principes innocentia rarò inuenit tutelares, potentia, & nobilitas plurimos obtinet defensores. 252
47 Ambitiosus desæuit truculentissimus, & præ feris extimescendus. ibid.
48 Qui humana sitienter exambit, nullum apud se virtutis vestigium remanere permittit. 253
49 Deo adhærere est vitam producere, & periculum salutis repellere, ibid.
50 Si honesta alterius facta referantur, quid frequenter præciditur; si inhonesta, aliquid semper augetur. 254
51 Iusti culpis suis solent adscribere, quæ infausta Rempublicam solent premere. ibidem.

CAPVT

Index Paragraphorum.

CAPVT XXIII.

1 PRæcipua dæmonis cura est homines cœlesti pane priuare, quo facilius possit subruere. 256

2 Dei auxilium semper est promptum, auxilium creaturarum frequenter est tardum. ibidem.

3 Oratione debet præmuniri, qui adsultus dæmonum cupit repellere. 257

4 Ita proximis est exh bendum auxilium, vt virtutis non patiaris detrimentum. ibid.

5 Animus vera in Deum confidentia obarmatus nec periculis deterretur, nec humanis persuasionibus reuocatur. 258

6 Multorum in contrarium iudicia te non debent ab honestate auertere, sed prudentia suadet rem maturiùs præmeditari, & attentiori solicitudine expendere. ibid.

7 Iterata erga arduum negotium consultatio clariorem lucem solet afferre, & animum confirmare. 259

8 Parum iuuat veritatem agnoscere, ni adnitaris implere. ibid.

9 Magnum tibi proueniet lucrum, si benignè exceperis miserum. 260

10 Peccatores, quod à Deo est, dæmoni solent applicare, & quod à diabolo, Deo adscribere. 261.

11 Ad perpetranda mala plures inueniuntur exprompti, ad virtutem non sic inuolant aliqua difficultate implicati. ibid.

12 Frustrantur vota, quia consiliorum participes prodiderunt sæpè secreta. 262

13 Sæpè magnis beneficijs obligati metu, aut spebus inueniuntur corrupti. ibid.

14 Prosunt præstita Numini obsequia, vt imminentia eludere valeas pericula. 263

15 De alienis defectibus non est loquendum, præcipuè si occulti, & silentio pressi. ibid.

16 Nulla interponenda est mora, vbi imminent saluti pericula. 264

17 In terrenis radices non figat, qui pericula eludere anhelat. ibid.

18 Deserta delicijs nuda contra fraudes dæmonis sunt validissima castra. 265

19 Ambitio nullo labore frangitur, virtus aliquando difficultatibus deterretur. 266

20 Cœlestis dispositio nullis queit artibus impediri, aut machinamentis labefactari. ibidem.

21 Nulli labori parcendum est, vt hostis maturè deprehendas consilia, & frustraueris desideria. 267

22 Qui ob virtutem persecutionibus afflictatur, supernis, dum afflictatur, consolationibus fruitur. ibid.

23 Certa futuri regni spes durissimos etiam labores emollit, & asperitates mellit. 268

24 Magni amoris indicium est, si gaudeas tibi alium præferri, teque postponi. ibidem.

25 Qui Christo Domino adiungitur, dum à plurimis deseritur, facilè assequitur vota, & impetrat postulata. 269

26 Apud sæculum florentes Christi proximitatem auersantur, & vitijs inseruire totis viribus adnituntur. ibid.

27 Nonnulli gratis operas suas offerunt, quo alij insana expleuerint desideria, & detestanda perpetrarint peccata. 270

28 Nunquam existimant Principes satis remuneratum, quem explendis suis insanis appetitionibus inuenerunt idoneum. ibidem.

29 Nunquam otiandum, si hostem sustineas potentia instructum, & multiplici fraude armatum. 271

30 Peccatores omni solertia curant, ne vitiorum occasiones labantur, virtutis assectæ non adeò adlaborant, vt exercendæ virtutis occasiones elucrentur. ibid.

31 Subditi, si agnouerint superiorem inerti marcere ignauia, diligenti non obtemperabunt solertia. 272

32 Non facilè dæmonis cedunt studia, si ab eo impetitus omnia mundi deponat impedimenta. 273

33 Qui vult prætensos à dæmone laqueos effugere, ad superna semper conetur ascendere. ibid.

34 Imprudenter præsumit periculum euadere proximitate vicinus, cùm prudenter timeat longa distantia potectus. 274

35 De proprijs viribus desperare, est sibi auxilia cœlestia adscisc ere. ibid.

36 Qui pro virtute alacriter subiuit periculum, desperatis in periculis Deum sortietur sibi patronum. 275

37 Sæpè Principes Rempublicam præsidio nudant, vt affectionibus insanis deseruiant. ibidem.

38 Ipsum, quod exhibuisti Domino obsequium, salutare inuenies tibi profugium, 276

CAPVT XXIV.

1 EOrum solerter est fugiendum consortium, à quibus expertus es promanasse tibi periculum. 278

2 Salus miraculosè à Deo accepta vigilanti solicitudine est asseruanda. ibid.

3 Odium, inuidentiaque sic obcæcantur, vt sua contemnant pericula, & inuidiosis procurauerint detrimenta. 279

4 Quisquis iniustè alteri insidias molitur obtendere, eisdem solet miserabiliter implicari. ibidem.

5 Infelicitatis præsagium est, si pars dignitatis præciditur, & à Principe non aduertitur, 280

6 Prodigiosum est intra rationis limites se continere, si in contrarium inuitent commoda, & vrgeant amicorum consilia. ibidem.

7 Viri perfecti vel dum heroicas operantur virtutes, aliquid inueniunt, quod arguant, & dolore acerrimo deleant. 281

8 Regia dignitas vel in peruerso debet suspici, & debita veneratione tractari. 282

9 Pluris est æstimandum à criminis aliquem liberasse contagio, quàm dignitatis splendescere throno. ibid.

10 Prudens superior blandis, sed efficacibus persuasionibus subiectos rationi restituit, & à malè cogitatis auertit. 283

11 Comitas, & humilitas animos sibi conciliat, & furores inimicorum honestè incantat. ibid.

Index Paragraphorum.

12 Quoduis est periculum deuorandum, vt contra Principem tentasse te nihil, dilucidè ostendas, ac linguas, & suspicionem maleuolorum occludas. 284

13 Susurrones sunt tranquillitatis pestes, & Principum grata lues, 285

14 Prudens industria est Principum errores eo modo carpere, vt eis non videantur adscribi. ibidem.

15 Iusti aliquando virtutes suas referunt, non vt arrogauerint gloriam, sed vt alijs profecerint ad doctrinam. 286

16 Magna Dei misericordia est tibi aliquid de bonis temporalibus præcidi, quo possis ad saniorem mentem reuerti. ibid.

17 Vtilior nobis est iustus offensionibus etiam exasperatus, quàm iniquus beneficijs, & cognationis titulo obstrictus. 287

18 Aliquando Deus laudabili quodammodò pertinacia cum peccatore contendit, & reportare palmam honori ducit. ibid.

19 Sæpè Deus per alium deteriorem peruersum punit. 288

20 Dei iudicium acerrimum timorem debet incutere, & impia desideria frænare. ibidem.

21 Humilitas, & honesta deiectio superbos persequentis animos frangit, & cor etiam saxeum emollit. 289

22 Nequibis tranquillitate frui, si ex alienis quid concupiscas, aut si, quod alij concupierint, habeas. ibid.

23 Satis non est ad obtinendam pacem contra potentiorem bellum non instruere, sed est opus linguam frænare. 290

24 Humani iudices solent magnatibus morem gerere, & iniustam contra inualidos sententiam promere. ibid.

25 Mirabilius videtur inuidi, pertinaciſque animum flectere, quàm dæmonem effugare. 291

26 Sumptuosius est innocentiæ testimonium, quod hostis reddidit ipsa veritate compulsus, & virtutis euidentia coactus. ibidem.

27 Publicè tenetur honorem restituere, qui falsis credendo rumoribus aggressus est publicè denigrare. 292

28 Inimico benefacere est perfectionis elogium, & futuræ felicitatis auspicium. ibidem.

29 Indubium est felicitatis auspicium, non quod studiosè possides, sed quod generosè relinquis. 293

30 Nonnulli parentes iura despiciunt, & solùm filiorum vtilitates attendunt 294

31 Plus sitit ambitio nomina sibi æternare, quàm animum virtutibus expolire. ibidem.

32 Sæpè inimicus recedit, vt facilius incautum subiuget. 295

CAPVT XXV.

1 DEus sanctos demortuos sumptuosa nobilitat funeris pompa, & latentem virtutem publicat confluente sponte frequentia. 297

2 Superbia supulchrorum affectat insaniam, virtus in sanctorum consortio deligit sepulturam. ibid.

3 Apud sæculum magnus habetur, qui exundat diuitiarum facultate, etsi caruerit virtute. 298.

4 Felicissimus debet deprædicari, cui prudentem, moratamque contigit vxorem sortiri. ibidem.

5 Stulti frequenter sunt malitiosi. 299

6 Filicitas non semel est prudentiæ fascinum, & ciuilitatis exilium. 300

7 Stultitia cum ingenij duritie solet coniungi, & aliorum consilia spernere. ibid.

8 Sæpè, à quo magna sperabamus, nulla, aut exigua recipimus. 301

9 Aliqui petendi modo largitorem offendunt, & negare petita cogunt. ibid.

10 Melius est emendicatò viuere, quàm æquitatem violare. 302

11 Quam miles obedientiam ducibus præstat, nostram erga Deum inobedientiam exaggerat. ibidem

12 Superbus diues, quam Deus ei offert occasionem salutis, in causam vertit discriminis. 303

13 Stultus est, qui cùm possit vrbanis verbis, quod petitur denegare, mault rusticis, iniuriosisque petentis indignationem accendere. 304

14 Nobilis, ingenuusque, etsi sibi iniuria facilè parcat, parentum iniurias ægrè dissimulat. ibid.

15 Nonnulli non reddunt iure debitum, & profusis quærunt donis liberalitatis elogium. 305

16 Nunquam auaritiæ deest color honestus, nec tenacitati titulus ad speciem decorus. ibidem.

17 Nullus adeò contra auarum obarmatus, vt pauper abactus, & fame oppressus. 306

18 Superiorum error non est obmurmuratione infamandus, sed ei solùm, qui mederi quiuerit, aperiendus. 307

19 Pauper, cùm vitæ subsidium accipit, grandi benedictione persoluit. ibid.

20 Qui cum iustis conuersatur, contra irruentia pericula veluti muro defenditur. 308

21 Vt accipientis merita imminuunt donantis munificentiam, sic denegantis exaggerant auaritiam. ibid.

22 Christi Domini, sanctorumque imagines nobis sunt secura profugia, & salubria munimenta. 309

23 Heroicum est virtutis elogium stimulante fame continuisse ab illicitis manum. 310

24 Qui improbis inseruit dominis, magnis se exposuit periculis. ibid.

25 Qui aliorum mores abrosit, qui abroderet suos inuenit. 311

26 Vt plurimum iustorum fugillant famam, qui morum nesciunt custodire mensuram. ibid.

27 Peccatores, dum proximiores periculis, salubribus obsurdescunt plus monitis. 312

28 Peccatores sic euanidis rebus addicuntur occupati, vt animæ salutis videantur prorsus obliti. 313

29 Distare nequit ruina, quando homo inuenitur in euanidis prodigus, & indigenti solùm auarus. ibid.

30 Seruus prudens, & benè moratus magnum Domino lucrum, malè moratus luctuosum semper naufragium. 314

31 Qui

Index Paragraphorum.

31 Qui diſcupit Deum placare, munera de pretioſioribus tenetur offerre. 315
32 Etiam anguſto tempore neſciunt fœminæ ſe non expingere, & ſpeculum conſultare. ibidem.
33 Qui Deum ſibi præſumit iratum, non tardet arripere dignæ pœnitentiæ remedium. 316
34 Eleemoſyna eſt diuitias conſeruandi ingenium, immò adaugendi artificium. ibid.
35 Fœmina domum egrediens honeſto debet ſatellitio communiri, & contra iniquas ſuſpiciones armari. 317
36 Aliquorum vtilitas pſis neſcientibus eſt procuranda, quia aliter inſipienter apponet impedimenta. ibid.
37 Magna Dei miſeratione occurrunt nobis impedimenta, ne expleamus malè conſulta. 318
38 Auari nec apud ſæculum honorati, nec apud Deum ſpectabile nomen ſortiti. ibid.
39 Qui pro acceptis beneficijs iniurias rependit, contra ſe indignationis flammas extorquet. 319
40 Princeps, ſi delicta non puniat, hoſtiles vires contra ſe armabit. 320
41 Humilitas commendat preces, & indignationis emollit vires. 321
42 Prudentia eſt laudabiliter deijci, ne contingat ignobiliter conculcari. ibid.
43 Vera charitas, vt à proximo auertat imminentem ruinam, non recuſat ſubire pœnam. 322
44 Iuramenta inconſideratè emiſſa retractanda ſunt, non implenda. ibid.
45 Ira, quia ad vltionem cæcè feſtinat, aures monitis ſalubribus denegat. 323
46 Culpam ingenuè fateri, eſt iraſcentis furorem ſalubriter refrænare. 324
47 Prudens inſipientis ineptias debet contemnere, non acriter vindicare. ibid.
48 Mirum eſt ſi nomina veritati adaptentur nec diſcordare inueniantur. 325
49 Religioſa fiducia facilè impetrat, diffidentia vim orationis euacuat. ibid.
49 Iuſti nihil glotiæ ſibi arrogant, ſed omnem Numini adſcribi exoptant. ibidem
50 Qui ob Deum à vindicta abſtinet, Deum quodammodò ad ampliorem deſumendam vindictam cogit. 327
51 Quod Dei ſeruis præſtatur, ipſi iure præſtitum dicitur. ibid.
52 Munera ab offerentis affectu lucent adaucta, aut probantur imminuta. 328
53 Parum tibi prodeſt acquirere, ſi benè non noueris diſpenſare. ibid.
54 Iam Deus ad miſericordiam maturauit, cum à nobis munera accepit. 329
55 Non decet propriam vindicare offenſam, qui adminiſtrat publicam diſciplinam. ibid.
56 Dum quis virtutibus expolitior, omnem culpæ occaſionem euitat cautior. 330
57 Culpa in cauſa eſſe ſolet, ne magna ſortiaris augmenta. ibid.
58 Magna imprudentia eſt continuum virtutis filum abrumpere, & ſe criminibus ſordidare. 331
59 Arctiùs debet virtutibus illigari, qui multiplicibus inimicorum experitur perſecutionibus adurgeri. 332
60 Qui dignitate, & potentia abutitur, contra ſe ipſum calamitatem architectatur. ibid.
61 Ex hac ad aliam vitam ſe transferendum agnouerit, qui ſibi de poteſtate, dignitateque plaudit. 333
62 Etſi nullum aliud ſequeretur incommodum, euitanda eſt culpa ob conſcientiæ durum tormentum. 334
63 Principi curanda clementiæ fama, fugienda ſæuitiæ nota. ibid.
64 Grandius conferre nequis beneficium, quàm ſi culpæ impedias reatum. 335
65 Sibi acquiſiuit coronam, qui à proximo amouit culpam. ibid.
66 Magnis erroribus exponitur, qui cæco iracundiæ impetu rapitur. 336
67 Diſerta, & eloquens lingua ab hoſtium manibus extorquere ſolet arma. ibid.
68 Apud aliquos, ni in actum prodeant malè cogitata, non exiſtimantur delicta. 337
69 Sanctiſſima Virgo ſuis precibus hominem à decretis ſupplicijs eripit, & grata violentia quodammodò Deum retractare ſententiam cogit. ibid.
70 Feliciſſima ſunt cum ſanctis cognationis, familiaritatiſque vincula, vt impendentia tibi elnſeris detrimenta. 338
71 Breuis in pœnitudine morula aliquando attulit grauiſſima detrimenta. ibid.
72 Coninges vna debent reputari perſona, & vna in duobus viuere corporibus anima. 339
73 Bonus Reipublicæ adminiſter accedentis pro aliquo negotio fœminæ non priùs pulchritudini attenderit, quàm rationi. 340
74 Non licet ſeruis, quæ Domini ſunt, dilargiri, etſi nouerint ei nulli vſui futura, & ſine dubio perdenda. ibid.
75 Non eſt beneficium à quolibet accipiendum, ſed, cui debitores ſimus, penſandum. 341
76 Vnica Maria pro multis ſanctorum magnatibus valet ad auertendam Dei iram, & impetrandam nobis miſericordiam. ibid.
77 Infelix iucunditas, quæ à vitio exorta, & hilaritas ab ingluuie innata. 342
78 Graue imminet ſupplicium, ſi pauper diſpoliatur, vt vanitas adipetur. ibid.
79 Stultus eſt, qui ſuos diſpoliat, vt diſpoliantibus largitate profuſa impendat. 343
80 Non ſunt admonendi aliqua adfectione ebrij, quouſque ſuſcipiendæ doctrinæ apti. ibidem.
81 Sunt, qui ægrè ferant quid ab vxoribus pietati, & commiſerationi impertiri, cùm ab ipſis conſtet plurima dilapidari. 344
82 Iuſtis illatum ob aliqualem culpam ſupplicium eſſe ſolet felicitatis præſagium, improbis vlterioris calamitatis eſt argumentum. ibidem.
83 Qui in vita Deum non didicerunt timere, in morte ſolent timore nimio perire. 345
84 Tenaciſſimi caſus non lugetur, quia naturæ inimicus eſſe putatur. ibid.
85 Infelicem ſibi mortem maturat, qui in Dei amicos linguam obarmat. ibid.
86 Cordis duritia grauiſſimum Dei ſupplicium, & infelicis mortis præſagium. 346
87 Aliquando viduæ inter funeris etiam lachrymas diſponunt futuras nuptias. ibidem.
88 Inflicta inſolita pœna, ſolet Deus ſuis reſtituere honorem ablatum iniqua lingua. 347

Index Paragraphorum.

89 Nullum Dei seruus laborem debet recusare, si possit animas verò Dauidi coniungere. ibidem.

90 Sæpè acerbus casus disponit animos, vt faciliùs Deo pareant, & gratas aures inspirationibus præbeant. 348

91 Prudens inopinis fortunæ successibus non inflatur, sed demissiore humilitate munitur. ibidem.

92 Nullo magis anima dilectam se à Deo sponsam testatur, quàm si alienas maculas abstergere studiosè conetur 349

93 Mirum est, si non minori solertia virtutis tractentur negotia, ac temporalia tractantur lucra. 350

94 Qui Dei inspirationibus expromptè obtemperat, sibi felicitatem maturat. ibid.

95 Virtutibus excultus non solùm Deo curat accedere, sed & alios secum trahere. ibid.

96 Olim dignitas ornabatur pompæ modestia, nunc affectatur superflua pompa. 351

97 Timendum est, ne vxores se honoris iniuria de maritis vlciscantur, si aliarum teneri amore experiuntur. ibid.

98 Qui legis iniuria honorem exambit, culpa inficitur, & honore etiam priuatur. 352

99 Aliquando quod miles multis sudoribus, discriminibusque meruit, prætexta, aut fauor sine labore acquisiuit. ibid.

CAPVT XXVI.

1 PEccatores nouis culpis periculum conantur redimere, & timorem cordis depellere. 354

2 Magnatum infortunata est fortuna, quia occasiones offert perpetrandi peccata. ibidem.

3 Dæmoni spem tuæ ruinæ facies, si repetas locum, vbi es expertus periculum. 355

4 Non nocet solicita cura iterum indagare, quæ oculis constant videri. ibid.

5 Quæ esset dementia tentare, speciali Dei pulsu sancti non timent adire. 356

6 Qui timori, vt virtutem sequatur, non cedit, æternum sibi nomen procudit. 357

7 Magna debet confusione perfundi, qui à quo vitam accepit, lædere ambiuit. ibidem.

8 Profundiori peccator indulget somno, cum plus constat approximare periculo. 358

9 Ni in Principe luceat solicita vigilantia, facilè eius ministros periculosa occupabit inertia. ibid.

10 Sæpè, qui alium iniustè persequitur, in eius manibus traditur. 359

11 Meditatio mortis, dum omnia ostendit citò peritura, ob peritura edocet non perpetrare peccata. ibid.

12 Non est eadem indulgentia homuncionis crimen dissimulandum, & magnatum ferendum. 360

13 Oportet constantiam contra aduersitates studiosiùs munire, & ne inuitante occasione vacillarit, cautè firmare. ibid.

14 Aliquando talia solent contingere, quæ à Deo immissum Reipublicæ administris somnum videantur ostendere. 361

15 Dum plus delicijs incumbitur, minus salus publica procuratur. ibid.

16 Eisdem artibus, quibus adnisa est obscurare malitia, splendidior solitat lucere innocentia. 362,

17 Ita adhibenda est medela, vt medendus nulla feriatur iniuria. ibid.

18 Qui alienos defectus corrigit, sibi persecutionem adsciscit. 963

19 In moralibus melius vox admonentis percipitur, si distare à prauitate cognoscitur. 364

20 Minus seduli sunt ministri in obligatione adimplenda, quàm in notitia erroris vitanda. ibidem.

21 In communi etiam omnium culpa reprehensibilior est, qui maiori dignitatis emicat excellentia. 365

22 Qui improbitatis suæ vult auxiliatores sortiri, eorum errata tenetur dissimulare. ibidem.

23 Nil patientiæ acerbius, quàm si te alloquatur blandissimis verbis, qui manifestè durissimis vrget factis. 366

24 Fas est iustis suam ostentare publicitus innocentiam, & iniquam suspicionis repellere à se calumniam. 367

25 Sanctorum in laboribus patientia grata Numini semper hostia. ibid.

26 Expromptum in Dei honorem moriendi votum jam reputatur martyrium. 368

27 Mali consiliarij, & ad scelera irritatores Deo odiosi, & duris pœnis addicti. ibid.

28 Pessima plurimorum exempla vel sæua ingenia ad se rapiunt, & ad imitationem efficaci persuasione compellunt. 369

29 Honori ducunt magnates à malè etiam decretis non resilire, sed pertinaciter absoluere. ibidem.

30 Quantò augustiori iusti resplendent virtute, tantò distant ab inani præsumptione. 370

31 Qui semel violauit, sibi exinceps fidem ademit. ibid.

32 Melius corrigit, qui errorem facit agnosci, quàm qui gemitum supplicijs emit. 371

33 Priuari, quibus malè vteris est felicitas, habere ad manum, calamitas. ibid.

34 Peruersitas peccandi occasiones sibi procudit, virtus ab occasione prorsus distare exambit. 372

35 Apud homines nil sæpè anima vilius, & despicacius. ibid.

36 Ipsa securitas noua est securitate munienda, & vigili cautela seruanda. 373

CAPVT XXVII.

1 IVsti etiam Dei reuelatione securi se ipsos verentur honestè pauidi. ibid.

2 Boni Principes, vt inseruientibus vitarint discrimina, non recusant subire incommoda. 375

3 Non sunt expectanda miracula, cùm potest saluti consulere prouidentia, ibid.

4 Qui humane hospitio exceptus, ni ingratus velit audiri, omnem contra se tenetur suspicionem vitare. 376

4 Vir eximijs dotibus præditus, vel apud aduersarios suspicitur honoratus. 377

6 Vrbani hospites refugiunt oneri esse, & hospitalitatis tempus protrahere. ibid.
7 In curia facilius est culpis inici, quàm heroicis virtutibus coronari. ibid.
8 Aliquando Principes, vt erga extraneos generositatem ostendant, suos dispoliant. 378
9 Eximijs agnoscitur prærogatiuis lucere, quem inopia, paupertasque non potuerunt obscurare. ibidem
10 Miser est populus Martiali manui vicinus, quia lugebit paupertatibus dispoliatus. 379
11 Nonnullis peccatoribus est vita mulctari, à voluptatibus diuidi. ibid.
12 Nonnulli, vt liberius possint prædari, cum magnatibus solent prædas partiri. 380
13 Sæpèsæpius Principibus veritas tegitur, & notitia varijs artificijs eluditur. ibid.
14 Iustæ querelæ timor edocet aliquando sæuitiam, & perpetratis cædibus emit cautelam. 381
15 Multiplicata flagitia veniæ spem solent auferre, & jam desperatus decernit vitio inseruire. ibid.

CAPVT XXVIII.

1 VT Deus puniat peccata, contra peccatores Martia sæpè adducit bella. 383
2 Qui pacta, fœderaque violat ambitiosus, ingemiscere solet agminibus aduersariorum oppressus. ibid.
3 Dei beneficia durissima contra abutentes sunt arma. 384
4 Melioris fortunæ splendor quamlibet notam aut inaurat, aut obscurat. ibid.
5 Sic Deus suos protegit, vt gordianis nodis constrictos eruat, & cæcas difficultates dissoluat. 385
6 Post obitum ostendunt infortunia quantum prodesset prudentis, ac iusti viri præsentia. ibidem.
7 Qui vera dicunt, sæpè magnatibus inuisi, qui adulantur, pergrati. 386
8 Grauissimum Reipublicæ detrimentum est, si habeantur vt diuina oracula, quæ reuera falsissima sunt responsa. ibid.
9 Nihil sic Reges apud suos commendat vt religionis studium, & diuini cultus solicitum desiderium. 387
10 Dæmones inuictum robur ostentant, vt vel ante congressum pauido perturbatos timore vincant. ibid.
11 Anxius, & solicitus semper timor est mors gemina, vita morte multiplici discruciata. 388
12 Bona conscientia inter solicitudinis causas degit tranquilla, mala semper timoribus agitata. ibid.
13 Virtutum exambiuntur lucra sed pendenda excusantur pretia. 389
14 Aliquando politici non se attemperant religioni, sed religionem accommodant tempori. ibid.
15 Sunt, qui veritatem quærant, quando nequeat audiri, & vbi non possit inuestigari. 390
16 Fœminæ vt plurimum veneficijs concinnandis addictæ, superstitionibus inclinatæ. 391
17 Dignitate, aut nobilitate clarus affectatè à iudice præteritur, cùm in alijs idem crimen pœnis seueriſſimis castigatur. ibid.
18 Veluti procerum fatum est adulationibus demulceri, & vera aut nunquam, aut rarò audire. 392
19 Vel breuis superioris absentia multa afferre solet incommoda. ibid.
20 Contra se opinionem gignit, qui vestem demutat, & noctis patrocinium expectat. 293
21 Magia veritati inuenitur aduersa, & magnis supplicijs digna. ibid.
22 Politici, prout illis expedire videtur, religione aliquando vtuntur. 394
23 Plures accedunt animo insidiandi, & externa specie colendi. ibid
24 Quem delicta fructum afferant, oportet expendere, nec cæcis oculis falsis spebus illudi. 395
25 Plures, vt præsentaneis medeantur angoribus, magnis non refugiunt sordidari criminibus. ibid.
26 Non rarò magnates, dum priuatorum domos adeunt, facultati, aut honori insidias disponunt. 396
27 Pro magnatum arbitrio quis aut præmio censetur dignus aut supplicio inuenitur obnoxius. ibid.
28 Iuramentum apud antiquos summa obseruantia cultum, & magna fuit religione obseruatum. 397
29 Imprudentis est legem violare, & subire periculum, vt alienæ attuleris anxietati remedium. ibid.
30 Lex facillimè contemnitur, si statuta à lege pœna vitatur. 398
31 Qui se Principum prorsus attemperant voluntati, non tam virtuti deseruiunt, quàm ambitioni. ibid.
32 A Principe in consiliarios debent eligi sapientia præditi, & experientia approbati. 399
33 Qui cœlestia inspicit, facilè qualia sint humana velut in speculo deprehendit. ibid.
34 Ab his plus timendum, quibus contra legem obsequutus, & officijs obsequiosis dignatus. 400
35 Eximia virtus proprio se splendore publicat, & vel cæcis oculis manifestat ibid.
36 Qualis quis extremo vitæ tempore excedit, talis post mortem apparet. ibid.
37 Ex hac vita transitur ad aliam, viuet iterum instauratus, qui morte existimabatur prorsus dispunctus. 401
38 Magnates alios dispiciunt florenti fortuna vsi, solùmque reuerentur calamitatibus pressi. ibidem.
39 Ob vanas sæpè ceremonias seria negotia impediuntur, & periculosa iurgia excitantur. 402
40 A religione deficere est calamitatem calamitatibus addere. ibid.
41 Reprehensione est dignus, qui addendo doloris causam, doloris quærit medelam. 403
42 Animæ incommodis non adeò affligimur, vt temporalium decrementis arctamur. ibid.
43 Deum inuenire solet surdum, qui audire detrectauit propitium. 404
44 Summa miseriarum miseria est à Deo deseri, & aduersarium sortiri. ibid.
45 Dum peccator iniquis artibus solicitat, quod exambit, inuenire solet, quod horret. 405

46 Inuidi, ambitioſique non tam ſe dolent deiectos, quam æmulos, dignitatum culminibus eleuatos. ibid.
47 Qua Deus erga te vſus fuerit miſericordia, declarant inflicta alijs ob leuiorem culpam ſupplicia. 406
48 Indulgentia ſceleratis impenſa, Reipublicæ, & indulgenti ingentiſſima aliquando attulit damna. 407
49 Non debet alto premi ſilentio cauſa, dum inſolita, ac grauiſſima mulctatur aliquis pœna. ibid.
50 Eandem ſubire ſolitat pœnam, qui fauit, & qui perpetrauerat culpam. 408
51 Sæpè diabolus, vt ſalubrem impediuetit pœnitentiam, ſtultam ſaluationis ingerit peccatori fiduciam. ibid.
52 Qui iniquè filios anhelarunt extollere, eis contingit immaturè priuari. 409
53 Peccatores morti proximi ſolent acri timore percelli, & ſalubri virtutis robore denudari. ibid.
54 Dura aliquantò tolerantur ieiunia, vt perpetrentur ſcelera. 410
55 Principi pro ſuis decertanti fas eſt ſubſidia exhiberi, alimentaque miniſtrari. ibid.
56 Efficacia ſunt apud eum vota, pro quo petens conſtat grauia ſubijſſe pericula. 411
57 Priuata mulier non bonis artibus videtur vti, ſi pretioſis dapibus, & ſupellectilibus videatur ornari. 412
58 Bonus Princeps maulit ſibi deeſſe, quàm ſuos, & Rempublicam deſertare. ibid.
59 Milites non tam curant conſcientiæ prouidere, quàm fortitudinis gloriam aperta etiam ſe in pericula conijciendo acquirere. 413

CAPVT XXIX.

1 IMprudentia eſt ea loca frequentare, in quibus expertus es inimicum prævalere 414
2 Prudentia eſt collectis omnibus viribus contra hoſtem pugnare, ne aliter contingat imminui. ibid.
3 In benè conſtituta Republica preceres non ſectantur otia, ſed tractant arma. 415
4 Nobilior in acie locus non eſt extraneis deſignandus, ſed proprijs militibus exhibendus. ibidem
5 Quos ſpecialis Principum amplectitur gratia, dura inſectatur inuidia. 416
6 Non erubeſcet ad dignitates euectum, quem non alienis relationibus, ſed per ſe ipſum expertus eſt Princeps virtutum dotibus inſignitum. ibid.
7 Diuina prouidentia in ſuorum vertit commoda, quæ parabantur ab æmulis detrimenta. 417
8 Aliquando prætextati tantam ſibi auctoritatem vendicant, vt quod decernunt, velit nolit Princeps, haberi ſanctum præſumant. ibid.
9 Magiſtratus ſtudioſè Reipublicæ debent conſulere, & periculis ſuſpectis rationabiliter obuiare. 418
10 Politici, aulicique, quem laudibus efferre videntur, obſcurare artificioſè conantur. 419
11 Prudentis eſt proprio iudicio non fidere, ſed ſi plures cordati contrarium ſentiant, deponere. ibid.
12 Superior, dum præcipit aſpera, modo debet mellire, & comitate leuare. 420
13 Prudentia eſt, ſi malè animatos magnates ſenſeris, declinare, nec præſentiæ irritamentis offendere. ibid.
14 Opus eſt aliquando dare querelas, ne taciturnitas admiſſas videatur teſtari culpas. 421
15 Plures datis de induſtria querelis ſatagunt culpam tegere, & innocentiam mentiri. ibidem.
16 Singulare elogium eſt in curia Angelicis moribus exornari, & ad leges olympi viuere. 422
17 Mariæ cœleſtis auroræ lux noſtros greſſus dirigit, & inimicorum inſidias arcet. ibid.
18 Prudens ad profectionem neceſſaria maturè comparat, nec temporis vrgentiam expectat. 423

CAPVT XXX.

1 DÆmones acerbius contra eos inflammantur, à quibus ſæpius vincuntur. 424
2 Si præſules, ſuperioreſque regali aſſiſtant in aula, magna eorum abſentia ſubiectis afferet detrimenta. 425
3 Sunt, qui blandis lambant, vt ardentibus flammis adurant, ibid.
4 Inhoneſtum. exiguumque lucrum maximum afferre ſolet diſpendium. 426
5 Qui Dei religioſè non adimplet mandata, honoris, & facultatis patitur detrimenta. ibidem.
6 Pro acceptæ ab hoſte cladis menſura eſſe debet pœnitudinis, lachrymarumque copia. 427
7 Citò fortuna vertitur, & à throno ad captiuitatem tranſitur. ibid.
8 Inopina damna grauiori dolore exulcerant, & diuexant. 428
9 Populus inſanit in ſuperiorem etiam innocuum, ſi incommodis gemat preſſus, & calamitate diſcrucietur vexatus. ibid.
10 Iuſtus, cum grauioribus calamitatibus adrgetur, maiori etiam conſolatione, ac ope cœleſti fruitur. 429
11 Qui plagam ab inimico accepit, animo non cadat, ſed notam depellere nobiliori triumpho præſumat. ibid.
12 Non eſt internis motibus audax fiducia adhibenda, ſed ſententia Domini prudenti conſultatione exploranda. 430
13 Prudens per otium conſultat, ſed decreta conſultò accelerat. 431
14 Non adeò eſt mirum optimis exemplis non excitari, ac prauis non detineri. ibid.
15 Subſidio eſt virtuti mundi aſſecla deſpectus, & plurimis laboribus diuexatus. 432
16 Miniſtrorum Chriſti eſt proprium egentes alere, & ad virtutis iter adducere. 433
17 Grande ad euertendos dæmones ſubſidium eſt pauper generosè altus, & æger miſericorditer fotus. ibid.
18 Quæ putabantur infauſta, inueniuntur non ſemel commoda. 434
19 Mundus ſibi inſeruientes aliquali mercede munerat, ſi nequiuerint inſeruire, deſertat. ibidem.
20 Apud Principes ingenua æſtimanda eſt

veritatis confessio, vt abominanda astuta dissimulatio. 435
21 Diabolus, vt assequatur magna, priùs tentat exigua. ibid.
22 Qui tempus trinit sæculo addictus, recolligat eximiè virtutibus consecratus. 436
23 Auersari animitus ad peccati redire iugum, veræ est pœnitudinis argumentum. ibid.
24 Peccator tunc degit securior, & lætior, cum discrimini inuenitur proximior. 437
25 Diuitiæ iniquis artibus acquisitæ possessori insidiantur, & miseram stragem moliuntur. 438
26 Si desit vnio, hostis sine laboriosa pugna opulenta potietur præda. ibid.
27 Sibi consulit, qui salubri pœnitentia inuminentia elusit pericula. 439
28 Non est tardandum recuperari, quod malè agnoscebatur amitti. 440
29 Gloriosior Principis plausus est suos à miserijs releuare, & diuitijs adaugere. ibid.
30 Vt integer resplendeat triumphus, non sunt sensus sequendi, sed prudenti ratione minandi. 441
31 In Republica benè constituta nullus otiosus permittitur, sed cuiusque viribus labor attemperatus imponitur. ibid.
32 Sine rubore Domino possunt occurrere, qui studuerunt sibi commissa fideliter asseruare. 442
33 Cupiditas peruersè est prouida, & prouidenter auara. ibid.
34 Semper inuenit, quo dehonestet competitorem auarus, & ambitiosus; semper quo nobilitet ingenuus, & largus. 443
35 Durum tormentum est alendi vxorem, filiosque obligatione adurgeri, & facultatibus denudari. ibid.
36 Prudentia est aliquali dispendio redimere iurgia, & iurgiorum euadere incommoda. 444
37 Christus Dominus præ diuitijs hominem æstimat, home præ homine diuitias amat. 445
38 Humanus, & ciuilis Princeps facilè in suam trahit sententiam, & iniquorum etiam flectit malitiam. ibid.
39 Bonæ politicæ congruit stabili lege vitare, vndè iurgia possunt oriri. 446
40 Magistratibus, Reibublicæque senioribus omnes gestiunt munera dilargiri, quibus eorum possint beneuolentiam mereri. ibid.
41 Non ita cognationis vinculo fidas, vt fouere muneribus, & officijs spernas. 447
42 Ingenuus, quàm primum potest, benefactoribus suis respondet, & gtatiam reddit. ibidem.
43 Nequit à Deo largiter non munerari, qui eius seruulos benignè nouit excipere. 448

CAPVT XXXI.

1 Misera Respublica, si militiam professi, ambiant solummodò annonam, & subire detrectent pugnam. 449
2 Semper diabolus adnititur nos virtutum fructibus viduare, vt faciliùs possit euertere. 450
3 Dum parentes iniquis artibus studentprolem felicitare, inueniuntur radicitus interimere. ibid.
4 Optabilius est honesta morte vitam finire, quàm indignis factis seruare. 451
5 Princeps, superiorque plus debet generalitati consulere, quàm proprijs filijs attendere. ibidem.
6 Imprudentia est calamitatem timore præmaturare, & inani metu adaugere. ibid.
7 Satius est acerrimis pœnis aduri, quàm piaculis defædari. 452
8 Qui culpæ agnouerit fæditatem, acerrimæ etiam pœnæ non excusabit dolorem. 453
9 Superiori, Principique solicitior esse debet cautela, quia acrior contra ipsum dæmonem insurgit pugna. ibid.
10 Principes instante morte solent sortiri, qui adulationibus foueant amentiam, & solicitent ruinam. 454
11 De infligentis manu crescit calamitatis miseria, & apparet luctuosior ruina. ibid.
12 Pluris apud pessimos rerum æstimatores euanidus honor habetur, minimi animæ salus æstimatur. 455
13. Potestas contra abutentem vertitur, & abusus durissimis pœnis soluitur. ibid.
14 Sunt, qui vt fugerint, mortem sibi stultissimè maturarint. 456
15 Non semel ab insolenti vitæ audacia in morte procreatur nimia tristitia. ibid.
16 Certa animæ clade, famæ exambitur celebrari opinione. 457
17 Calamitatis est cumulus, si filius iners viuat & benè moratus, ac eximius è vita excedat. ibid.
18 Nobilis, ingenuusque potius eliget honestè cadere, quàm non bono rubore suffundi. 458
19 Magnatum strages consulit delicijs sæculi renuntiare, & tutiora saluti petere. 459
20 Periculosa vitat certamina, qui migrat omnibus relictis ad tuta. ibid.
21 Non sic lucem anteuertere edocuit virtutis studium, vt diuitiarum edocet desiderium. 460
22 Præhabiti honores, & facultates solùm deseruiunt peccatoribus post mortem ad probra incrementanda, & ad tormenta adangenda. 461
23 De Victoris imbecillitate crescit denicti ignominia, & adaugetur infamia. ibid.
24 Diabolus Dei mimus quidquid intuetur, inuida peruersitate æmulatur. 462
25 Eximium dæmonibus gaudium est, si adspiciant subiugatum, quem eximijs triumphis conspexerant redimitum. ibid.
26 Generosè gratus, si à Deo specialia acceperit beneficia, templis suspendit clarissima testimonia. 463
27 Post mortem etiam inuenit gratitudinis obsequium, qui superstes bene collocat beneficium. ibid.
28 Studiosiùs curandum est, animæ refrigerium, quàm superbum corpori humando sepulchrum. 464

INDEX
SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Prior Numerus Caput : Alter Paragraphum : Postremus Paginam indicat.

Ex Geneſi.

GAP. I. v. 22. *Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem. c.* 15. §. 56. *p.* 29

V. 26. *Faciamus hominem, &c. c.* 17. §. 63. 98

Cap. II. v. 18. *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. c.* 25. §. 22. 309

Adduxit eam ad Adam. c. 17. §. 25. 81

V. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c. c.* 25. §. 49. 326

Cap. III. v. 1. *Dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, &c. c.* 20. §. 51. 208. *& c.* 25. §. 4. 298. *& c.* 18. §. 24. 133

V. 4. *ſuper pectus tuum gradieris, &c. c.* 15. §. 8. 5 *& c.* 25. §. 5. 299

V. 5. *Eritis ſicut dij. c.* 15. §. 44. 23. *c.* 25. §. 98. 352. *c.* 18. §. 46. 145. *& c.* 25. §. 38. 318

V. 6. *Tulit de fructu illius, & comedit, &c. c.* 27. §. 12. 380. *& c.* 30. §. 29. 440

V. 7. *Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. c.* 21. §. 18. 221. *& c.* 28. §. 57. 412

V. 8. *Abſcondit ſe Adam. c.* 25. §. 33. 316

V. 10. *Vbi es? &c. Vocem tuam audiui, &c. c.* 15. §. 23. 12. *c.* 25. §. 45. 323. *& c.* 29. §. 13. 420

V. 13. *Serpens decepit me, & comedi. c.* 20. §. 39. 202

V. 14. *Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, &c. c.* 18. §. 52. 148. *& c.* 26. §. 22. 365

V. 15. *Ipſa conteret caput tuum. c.* 28. §. 34. 400

V. 24. *Ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. c.* 30. §. 15. 432

Cap. IV. v. 4. *Obtulit de primogenitis gregis ſui. c.* 22. §. 5. 231

V. 5. *Ad Cain, & ad munera illius non reſpexit, &c. c.* 15. §. 37. 20. *& c.* 25. §. 45. 323. *& §.* 52. 328

V. 7. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua, &c. c.* 26. §. 32. 371

V. 8. *Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel. c.* 30. §. 1. 424

V. 9. *Interfecit eum, &c. Vbi eſt Abel frater tuus? c.* 27. §. 14. 381. *& c.* 29. §. 13. 420

V. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. c.* 22. §. 45. 251

V. 12. *Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos, &c. c.* 28. §. 11. 388. *& c.* 31. §. 2. 403

V. 14. *A facie tua abſcondar. c.* 28. §. 42 403

V. 15. *Poſuit Dominus Cain ſignum, &c. c.* 15. §. 6. 4

V. 24. *Occidi virum in vulnus meum. c.* 24. §. 19. 288

Cap. VI. v. 2. *Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, &c. c.* 18. §. 53. 148

Cap. VII. v. 13. *In articulo diei illius ingreſſus eſt Noë, & Sem, & Cham, & Iaphet filij eius, &c. c.* 31. §. 5. 451

Cap. VIII. v. 8. *Portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo. c.* 24. *v.* 23. 290

Cap. IX. v. 11. *Nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuij, &c. c.* 30. §. 23.

V. 23. *Sem, & Iaphet pallium impoſuerunt humeris ſuis, &c. c.* 22. §. 13. 235. *& c.* 23. §. 15. 263

V. 25. *Seruus ſeruorum erit fratribus ſuis. c.* 21. §. 11. 218

Cap. XI. v. 4. *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, &c. c.* 17. §. 43. 88

Cap. XII. v. 7. *Apparuit Dominus Abram, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. c.* 28. §. 33. 399

Cap. XIII. v. 8. *Ne, quæſo, ſit iurgium inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos. c.* 30. §. 36.

Cap. XIV. v. 18. *Melchiſedech. Rex Salem proferens panem, & vinum, &c. c.* 21. §. 3. 214. *& c.* 22. §. 13. 235

V. 15. *Percuſſit eos, & perſecutus eſt eos uſque Hobà c.* 30. §. 25. 432

Cap. XV. v. 2. *Ego vadam abſque liberis, &c. c.* 30. §. 43. 448

V. 10. *Habebit filium Sara vxor tua. c.* 30. §. 43. 447

V. 11. *Deſcenderunt volucres ſuper cadauera. c.* 24. §. 5. 280

Cap. XVII. v. 17. *Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit. c.* 23. §. 23. 268

V. 24. *Abraham nonaginta erat annorum, &c. c.* 25. §. 38. 318

Cap. XVIII. v. 2. *Apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum. c.* 20. §. 34. 199

V. 7. *Ad armentum cucurrit, & tulit indè vitulum, &c. c.* 28. §. 57. 412

V. 9. *Extendit manum, & apprehenſam intulit in Arcam. c.* 21. §. 5. 215

V. 16. *Cùm ſurrexiſſent indè viri illi, direxerunt oculos contra Sodomam, &c. c.* 27. §. 6. 377

Cap. XIX. v. 3. *Coxit azyma, & comederunt. c.* 20. §. 34. 199
V. 9. *Vim faciebant Loth vehementissimè. c.* 28. §. 56. 411
V. 12. *Habes hic quemquam tuorum? generum aut filios, &c. c.* 25. §. 70. 338
V. 15. *Cùm esset mane, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge c.* 23. §. 18. 265
V. 26. *Versa est in statuam Salis. c.* 25. §. 81. 344
V. 30. *Mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cum eo. c.* 31. §. 19. 459
Cap. XX. v. 3. *De nocte consurgens strauit asinum suum. c.* 20. §. 47. 206
Cap. XXI. v. 9. *Cùm vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac, & c.* 31. §. 17. 457
V. 10. *Eice ancillam hanc, & filium eius. c.* 26. §. 27. 368
Cap. XXII. v. 2. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, &c. c.* 25. §. 31. 315. *& c.* 31. §. 7. 452. *&* §. 17. 458
V. 3. *De nocte consurgens strauit asinum suum, &c. c.* 16. §. 10. 44. *& c.* 28. §. 57. 412.
V. 9. *Posuit eum in altare super struem lignorum. c.* 26. §. 25. 367
V. 17. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli c.* 15. §. 16. 9
V. 25. *Expectate hic cum asino. c.* 23. §. 30. 271
Cap. XXIII. v. 3. *Cùm surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth.*
V. 6. *Princeps Dei es apud nos, &c. c.* 25. §. 2. 297
Cap. XXIV. v. 59. *Dimiserunt ergo eam, & nutricem illius. c.* 25. §. 96. 351
Cap. XXV. v. 23. *Maior seruiet minori. c.* 27. §. 1. 374.
V. 25. *Qui prior egressus est, rufus erat, &c. c.* 16. §. 24. 55
V. 27. *Habitabat in tabernaculis. c.* 18. §. 18. 131
V. 31. *Vende mihi primogenita tua. c.* 22. §. 7. 232
Cap. XXVI. v. 20. *Foderunt in torrente, & repererunt aquam viuam, &c. c.* 31. §. 20. 459
Cap. XXVII. v. 12. *Timeo, ne putet me sibi voluisse illudere c.* 21. §. 11. 218
V. 22. *Manus sunt Esau, & non cognouit eum, &c. c.* 16. §. 35. 56
V. 28. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. c.* 29. §. 18. 423
V. 30. *Vix Isaac sermonem impleuerat, &c. c.* 25. §. 71. 338
V. 40. *Vives in gladio, & fratri tuo seruies, c.* 22. §. 7. 232
V. 41. *Oderat ergo semper Esaü Iacob pro benedictione, &c. c.* 19. *v.* 5. 159
V. 43. *Fuge ad Laban fratrem meum in Haram. c.* 18. §. 18. 131. *c.* 19. §. 3. 158. *c.* 27. §. 1. 374. *& c.* 29. §. 9. 418
Cap. XXVIII. v. 17. *Verè Dominus est in loco isto. c.* 19. §. 38. 176
Cap. XXIX. v. 10. *Amouit lapidem, quo puteus claudebatur, &c. c.* 30. §. 41.
V. 18. *seruiam tibi pro Rachele filia tua minore septem annis. c.* 18. §. 45. 144
Cap. XXX. v. 3. *Posuit spatium trium dierum inter se, & generum, &c. c.* 17. §. 21. 79
V. 27. *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te. cap.* 25. §. 30. 314
Cap. XXXI. v. 1. *Tulit Iacob omnia, quæ fuerant patris sui, &c. c.* 26. §. 24. 367. *& c.* 30. §. 40.
V. 10. *Vidi in somnis ascendentes mares super fœminas. c.* 25. §. 93. 350
V. 11. *Sedit in binio itineris, quod ducit Tamnam. c.* 26. §. 34. 372
V. 24. *Vidit in somnis dicentem sibi Deum, &c c.* 27. §. 10. 379
V. 38. *Viginti annis fui tecum, &c. c.* 30. §. 32. 442
V. 40. *Die, noctuque æstu vrebar, & gelu, &c. c.* 26. §. 9. 358. *& c.* 31. §. 21. 460
Cap. XXXII. v. 12. *Gradiamur simul, eroque socius itineris tui. c.* 18. §. 40. 141
V. 18. *Quia fecisti hanc rem, &c. c.* 28. §. 52. 409
V. 28. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, &c. c.* 18. §. 65. 155. *c.* 25. §. 93. 350. *& c.* 31. §. 21.
V. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, &c. c.* 27. *v.* 2. 375
Cap. XXXIV. v. 16. *Hemor, & Sichem pariter necauerunt, &c. c.* 26. §. 27. 368
Cap. XXXV. v. 4. *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, &c. c.* 17. §. 3. 71
V. 3. *Surgite ascendamus in Bethel, &c. c.* 17. §. 67. 100
Cap. XXXV. v. 8. *Mortua est Debbora nutrix Rebecæ. c.* 26. §. 25. 367
Cap. XXXVII. v. 2. *Accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo. c.* 26. §. 20. 364
V. 5. *Inuenit eum errantem in agro, &c. c.* 28. §. 41. 403
V. 8. *Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum. &c. c.* 16. §. 39. 58. *Numquid Rex noster eris? c.* 20. §. 44. 205
V. 33. *Fera pessima comedit eum. c.* 25. §. 49. 326
V. 34. *Indutus est cilicio lugens filium suum multo tempore. c.* 30. §. 6. 427
Cap. XXXVIII. v. 11. *Esto vidua in domo patris tui c.* 16. §. 14. 46
V. 15. *Suspicatus esse meretricem. c.* 25. §. 35. 317
V. 17. *Patiar, quod vis, si dederis mihi arrhabonem. c.* 20. §. 11. 193
V. 25. *Cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus. c.* 20. §. 53. 209
V. 29. *Illo verò retrahente manum, egressus est alter. c.* 16. §. 7. 43. *& cap.* 23. §. 24. 268
Cap. XXXIX. v. 1. *Emit eum Puthiphar Eunuchus Pharaonis. c.* 17. §. 37. 86 *& c.* 20. §. 15. 189
V. 9. *Quomodo ergo possum hoc malum facere & peccare in Deum meum. cap.* 20. §. 15. *ibid.*
Cap. XL. v. 14. *Tantum memento mei, cùm benè tibi fuerit, &c. c.* 17. §. 45. 89
V. 19. *Lacerabunt volucres carnes tuas. c.* 28. §. 3. 384
Cap. XLI. v. 38. *Num inuenire poterimus talem virum, &c. c.* 27. §. 5. 377
V. 42. *Vestiuit eum stola byssina, &c. cap.* 23. paragr. 33. 273. *& c.* 20. parag. 20. 192
Cap. XLIII. v. 11. *Deferte viro munera. c.* 30. paragr. 40.

Cap. XLIV. v. 9. *Apud quemcumque fuerit inuentum seruorum tuorum, quod quæris,* &c. *c.* 24. §. 4. 376
Cap. XLVIII. v. 19. *Qui renuens ait: scio, fili mi, scio. c.* 29. §. 6. 416
Cap. XLIX. v. 5. *Simeon, & Leui fratres: vasa iniquitatis bellantia,* &c. *cap.* 31. §. 12.
V. 9. *Catulus leonis Iuda. c.* 28. §. 58. 412
V. 17. *Fiat Dan coluber in via,* &c. *c.* 15. §. 5. 4. *& c.* 25. §. 26. 311. *&* §. 37. 318
V. 25. *Benjamin lupus rapax: mane comedet prædam. c.* 20. §. 50. 208
Cap. L. v. 7. *Ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis,* &c. *c.* 25. §. 1. 297

Ex Exodo.

Cap. I. v. 18. *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres,* &c. *c.* 20. §. 38. 202
Cap. II. v. 10. *Vocauit nomen eius Moyses,* &c. *c.* 15. §. 1. 2
V. 11. *Vidit virum Ægyptium persequentem quendam de Hebræis,* &c. *cap.* 18. §. 41. 142
V. 12. *Percussum Ægyptium abscondit sabulo. c.* 18. §. 17. 130
V. 13. *Dixit ei, qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum tuum? c.* 22. §. 30. 244
V. 15. *Fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian. c.* 29. §. 7. 417
V. 15. *Audiuit Pharao sermonem hunc,* &c. *c.* 25. §. 63. 334
V. 23. *Mortuus est Rex Ægypti,* &c. *c.* 30. §. 23. 436
Cap. III. v. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi,* &c. *c.* 18. §. 13. 128. *c.* 25. §. 22. 309. *& c.* 26. §. 4. 355. *& c.* 16. §. 12. 45
V. Moyses, Moyses, veni, & mittam te ad Pharaonem. c. 15. §. 1. 2
V. 11. *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem. c.* 26. §. 30. 370
V. 2. *Hoc habebis signum, quod miserim te. c.* 19. §. 21. 167
V. 15. *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, & c.* 19. *v.* 9. 161
V. 18. *Audient vocem tuam: ingredieris tu,* &c. *cap.* 15. §. 76. 38. *& c.* 28. §. 43. 404
V. 32. *Ingrauatum est cor Pharaonis. c.* 25. §. 86. 346
Cap. IV. v. 3. *Versa est in colubrum,* &c. *c.* 18. §. 32. 137. *& c.* 25. §. 56. 330
V. 4. *Extendit, & tenuit. cap.* 24. paragr. 1. 278
V. 6. *Protulit leprosam instar niuis. c.* 25. §. 90. 348
V. 10. *Obsecro, Domine, non sum eloquens,* &c. *c.* 25. §. 90. *ibid.*
V. 14. *Ecce ipse egredietur in occursum tuum, & c. c.* 23. §. 22. 267
Virgam quoque hanc sume in manu tua, &c. *c.* 17. §. 15. 77. *&* §. 95. 114
V. 19. *Reuertere in Ægyptum,* &c. *c.* 24. §. 1. 278
Cap. V. v. 2. *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius,* &c. *c.* 25. §. 1. 297. *& c.* 22. §. 48. 253. *& c.* 28. §. 53. 409
V. 4. *Quare Moyses, & Aaron solicitatis populum ab operibus suis? c.* 25. §. 55. 329
V. 16. *Et famuli tui flagellis cædimur,* &c. *c.* 24. §. 14. 285
Cap. VII. v. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis,* &c. *c.* 15. §. 27. 14. *c.* 17. *v.* 10. 74. *c.* 21. §. 21. 223. *c.* 29. §. 8. 417
V. 10. *Ingressi itaque Moyses, & Aaron ad Aaron,* &c. *c.* 23. §. 37. 275
V. 11. *Vocauit Pharao sapientes, & maleficos,* &c. *c.* 28. §. 21. 393
V. 12. *Deuorauit virga Aaron virgas eorum,* &c. *c.* 17. §. 73. 103. *c.* 23. §. 39. 276 *c.* 28. §. 10. 387. *c.* 30. §. 19.
V. 15. *Ecce egredietur ad aquas, & stabis in occursum eius. c.* 29. §. 1. 414
V. 17. *In hoc scies, quod sim Dominus,* &c. *c.* 19. §. 41. 178
V. 22. *Fecerunt similiter malefici Ægyptiorum,* &c. *c.* 17. §. 91. 112. *c.* 30. *v.* 19.
Cap. X. v. 28. *Recede à me, & cane, ne vltrà videas faciem meam. c.* 25. §. 27. 312
Cap. XII. v. 10. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos. c.* 17. §. 108. 120
V. 29. *Percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti,* &c. *c.* 31. §. 3.
Cap. XIV. v. 24. *Ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum,* &c. *c.* 15. §. 9. 6
V. 25. *Dixerunt Ægyptij: Fugiamus Israelem,* &c. *c.* 17. §. 81. 107. *c.* 25. §. 13. 304. *& c.* 28. §. 53. 409
V. 27. *Inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus. c.* 29. §. 1. 414
Cap. XV. v. IX. *Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam,* &c. *c.* 17. §. 81. 107
V. 10. *Submersi sunt quasi plumbum in aquis,* &c. *c.* 25. §. 86. 346
Cap. XVI. v. 16. *Colligat vnusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum,* &c. *c.* 25. §. 74. 340
Cap. XVII. v. 15. *Ædificauit altare, & vocauit nomen eius Dominus, exaltatio mea. c.* 15. §. 27. 14
Cap. XVIII. v. 13. *Sedit Moyses, vt iudicaret populum,* &c. *c.* 15. §. 13. 8. *& c.* 16. §. 32. 54
Cap. XXIII. v. 8. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes,* &c. *c.* 22. §. 28. 242.
Cap. XXXII. v. 14. *Ego dixi: Quis vestrum habet aurum,* &c. *c.* 15. §. 38. 20
V. 20. *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit,* &c. *c.* 15. §. 25. 13. *& c.* 26. §. 5. 356. *& c.* 28. §. 3. 384
V. 22. *Ne indignetur Dominus meus: tu enim nosti populum istum. c.* 15. §. 63. 32
V. 25. *Videns Moyses populum, quòd esset nudatus,* &c. *c.* 25. §. 40. 320
Cap. XXXIII. v. 2. *Mittam præcursorem tui Angelum,* &c. *c.* 28. §. 44. 404
Cap. XXXV. v. 3. *Non succendatis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem Sabbathi. c.* 25. §. 56. 330
V. 5. *Ædificauit altare coram eo. c.* 15. §. 17. 10

Ex Leuitico.

Cap. VIII. v. 7. *Induens eum tunica hyacinthina, c.* 7. §. 13.
Cap. XXVI. §. 3. *Dabo vobis pluuias temporibus suis,* &c. *c.* 25. §. 94. 350

Index Locorum

Ex Numeris.

Cap. X. v. 32. *Eris dux noster. Cumque nobiscum veneris*, &c. c. 29. paragr. 5. 416
Cap. XII. v. 1. *Locuta est Maria, & Aaron contra Moysem*, &c. c. 19. paragr. 17. 165. & c. 24. paragr. 17. 287
V. 2. *Num per solum Moysem locutus est Dominus*, &c. c. 25. paragr. 25. 311
Cap. XIII. v. 33. *Devorat habitatores.* c. 22. paragr. 49. 253.
Cap. XIV. v. 4. *Constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.* c. 22. paragr. 49. ibid.
V. 9. *Neque timeas populum terræ huius*, &c. c. 23. paragr. 11. 261
V. 10. *Apparuit gloria Domini*, &c. *cùm clamaret omnis multitudo.* c. 30. paragr. 10. 429. & 14. 431
Cap. XV. v. 32. *Cùm essent filij Israel in solitudine*, &c. c. 25. paragr. 56. 330. & 57. ibid.
Cap. XVI. v. 3. *Cur eleuamini super populum Domini?* &c. c. 25. paragr. 88. 347
V. 43. *Moyses, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis*, &c. c. 23. paragr. 37. 275
Cap. XVII. v. 8. *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui.* c. 23. paragr. 39. 276. c. 28. paragr. 9. 387. paragr. 36. 400. paragr. 46. 405
Cap. 20. v. 8. *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* c. 19. paragr. 14. 163
V. 17. *Obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam.* c. 30. paragr. 7. 427
Cap. XXI. v. 7. *Ora vt tollat à nobis serpentes.* c. 17. paragr. 73. 103
V. 9. *Fecit Moyses serpentem æneum*, &c. c. 17. paragr. 62. 97. & c. 31. paragr. 24. 462
Cap. XXII. v. 5. *Misit nuntios ad Balaam filium Beor ariolum.* c. 28. paragr. 8. 386
V. 8. *Manete hic nocte.* c. 28. paragr. 57. 412
V. 16. *Ne cunctaris venire ad me, paratus sum honorare te.* c. 17. paragr. 83. 108
V. 25. *Attriuit sedentis pedem.* c. 30. paragr. 18.
V. 29. *Vtinam haberem gladium, vt te percuterem.* c. 26. paragr. 33. 371
V. 31. *Vidit Angelum stantem in via euaginato gladio.* c. 26. paragr. 35. 372
Cap. XXIII. v. 3. *Sta paulisper iuxta holocaustum tuum*, &c. c. 15. paragr. 56. 29
V. 5. *Dominus posuit verbum in ore eius.* c. 15. paragr. 36. 19
V. 10. *Moriatur anima mea morte iustorum*, &c. c. 19. paragr. 37. 176
V. 11. *Vt maledíceres inimicis meis vocaui te*, &c. c. 15. paragr. 35. 19
Cap. XXIV. v. 10. *Complosis manibus ait: Ad maledicendum*, &c. c. 17. paragr. 83. 108
V. 14. *Dabo consilium.* c. 18. paragr. 53. 148
V. 17. *Orietur stella ex Iacob*, &c. c. 15. §. 35. 19
Cap. XXXI. v. 50. *Offerimus in denarijs Domini singuli*, &c. c. 31. paragr. 26.

Ex Deuteronomio.

Cap. XXXII. v. 2. *Concrescat vt pluuia doctrina mea*, &c. c. 19. paragr. 14. 163
V. 11. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos*, c. 20. paragr. 52. 209
V. 13. *De benedictione Domini terra eius*, &c. c. 24. paragr. 28. 292

Ex Iosue.

Cap. II. v. 4. *Tollens mulier viros, abscondit.* c. 22. paragr. 15. 236
V. 18. *Signũ fuerit funiculus iste coccineus* c. 21. paragr. 20. 222. & c. 23. paragr. 14. 263
Cap. III. v. 16. *Steterunt aquæ descendentes in loco vno*, &c. c. 25. paragr. 37. 318
Cap. V. v. 13. *Cùm esset Iosue in agro vrbis Iericho*, &c. c. 22. paragr. 4. 230
Cap. VII. v. 3. 3. *Quare omnis populus frustrà vexabitur contra hostes paucissimos.* c. 17. paragr. 80. 106
V. 10. *Surge, cur iaces pronus in terra.* c. 30. paragr. 11. 429
V. 25. *Lapidauit eum omnis Israel.* c. 15. paragr. 21. 11. & c. 26. paragr. 12. 360
Cap. VIII. v. 1. *Ne timeas, neque formides, tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum.* c. 30. paragr. 11. 429
V. 16. *Cùm recessissent à ciuitate, & ne vnus quidem in vrbe Hai*, &c. c. 24. paragr. 32. 315.
V. 18. *Leua clypeum, qui in manu tua est contra vrbem Hai.* c. 16. paragr. 60. 67 & c. 24. paragr. 2. 278
Cap. IX. v. 8. *Quinam estis vos, & vndè venistis*, &c. c. ..... paragr. 7. & c. 25. paragr. 42. 321
V. 14. *Susceperunt de cibarijs eorum*, &c. c. 29. paragr. 9. 418
Cap. X. v. 24. *Ponite pedes vestros super colla Regum istorum.* c. 25. paragr. 42. 321
Cap. XI. v. 2. *Equos eorum subneruabis.* c. 17. §. 75. 104

Ex Iudicibus.

Cap. IV. v. 21. *Tulit Iael vxor Haber clauum.* c. 15. paragr. 14. 8
Cap. V. v. 9. *Cor meum diligit Principes Israel*, &c. c. 29. paragr. 3. 415
Cap. VI. v. 14. *Liberabis Israel de manu Madian.* c. 30. paragr. 13. 431
Cap. VII. v. 1. *De nocte consurgens, & omnis populus cum eo.* c. 28. paragr. 2. 385
V. 3. *Qui formidolosus, & timidus est, reuertatur*, &c. c. 31. paragr. 1. 449
V. 20. *Gladius Domini, & Gedeonis.* c. 30. paragr. 13. 431
Cap. VIII. v. 16. *Tulit Seniores ciuitatis, & spinas deserti*, &c. c. 28. paragr. 55. 410
V. 20. *Non eduxit gladium, timebat enim, quod adhuc puer erat.* c. 28. paragr. 17. 391
V. 21. *Tu surge, & irrue in nos, quia iuxta ætatem robur est hominis.* c. 31. parag. 11. 454
Cap. IX. v. 7. *Stetit in vertice montis Garisim*, &c. c. 15. paragr. 32. 17
V. 11. *Declinemus ad vrbem Iebusæorum.* c. 18. paragr. 15. 129
V. 15. *Si verò me regem vobis constituistis, venite, & sub vmbra mea requiescite.* c. 22. paragr. 44. 251
Cap. XIV. v. 5. *Apparuit catulus leonis saeuus, & rugiens, & occurrit ei.* c. 26. paragr. 10. 71 359. & c. 17. paragr. 4.
V. 6. *Irruit spiritus Domini in Samson*, &c. c. 17. paragr. 17. 77
Cap. XVI. v. 2. *Eruerũt oculos eius.* c. 30. §. 5. 426

V. 30.

V. 30. *Moriatur anima mea cum Philisthiim.* c. 31. paragr. 4.
Cap. XV. v. 14. *Dixerunt quinque viri, qui priùs missi fuerant ad considerandam terram Lais, &c.* c. 27. paragr. 4. 376
V. 18. *Tulerunt igitur, qui intrauerunt sculptile, &c.* c. 27. paragr. 10. 379

Ex Ruth.

Cap. I. v. 12. *Reuertimini filiæ meæ, & abite. Iam enim senectute confecta sum.* c. 22. paragr. 14. 235

Ex Lib. 1. Regum.

Cap. IV. v. 2. *Philisthiim venerunt in Aphec, & instruxerunt aciem contra Israel.* c. 29. paragr. 1. 414
V. 29. *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade.* c. 29. paragr. 12. 420
Cap. V. v. 9. *Inierunt Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.* c. 31. paragr. 8. 483
Cap. VIII. v. 6. *Orauit Samuel ad Dominum.* c. 15. paragr. 25. 13
Cap. IX. v. 8. *Ecce inuenta est in manu quarta pars stateris argẽtei.* c. 16. paragr. 10. 44
Cap. X. v. 1. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, &c.* c. 16. paragr. 7. 43
V. 4. *Dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.* c. 16. paragr. 12. 45
V. 10. *Vnxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem.* c. 17. paragr. 37.
Cap. XII. v. 17. *Nunc state, vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino.* c. 24. paragr. 18. 287
Cap. XIII. v. 15. *Dixit Samuel ad Saul: stultè egisti, nec custodisti mandata Dei tui.* c. 15. paragr. 4. 3
Cap. XIV. v. 31. *Percusserunt in die illa Philisthæos.* c. 17. paragr. 5. 72
Cap. XV. v. 9. *Pepercit Saul, & populus Agag, &c.* c. 22. paragr. 48. 253
V. 12. *Nuntiatum est Samueli, eò quòd venisset Saul in Carmelũ.* c. 17. paragr. 86. 109
V. 28. *Apprehendit summitatem pallij eius, quæ scissa est, &c.* c. 22. paragr. 38. 248
Cap. XVI. v. 1. *vsquequo tu luges, Saul, &c.* c. 18. paragr. 29. 136
V. 11. *Mitte, & adduc eum.* c. 15. paragr. 45. 24
V. 19. *Mitte ad me Dauid filium tuum qui est in pascuis.* c. 17. paragr. 15. 76
V. 23. *Tollebat cytharam, & percutiebat manu sua.* c. 24. paragr. 25. 291
Cap. XVII. v. 17. *Accipe fratribus tuis ephipolentæ, & decem panes istos.* c. 16. paragr. 12. 45
V. 32. *Non concidat cor cuiusquam eo, &c. Vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum,* c. 23. paragr. 36. 275. & c. 25. paragr. 65. 335
V. 34. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem.* c. 30. paragr. 28.
V. 35. *Illi consurgebant aduersum me.* c. 16. paragr. 6. 42
V. 49. *Tulit vnum lapidem, & funda iecit.* c. 20. paragr. 26. 195 & c. 23. parag. 39. 276
V. 57. *Tulit eum Abner, & introduxit coram Saule, &c.* c. 16. paragr. 55. 65

Cap. XVIII. v. 4. *Expoliauit se Ionathas tunicæ, quæ erat indutus.* c. 20. paragr. 53. 209. & c. 22. paragr. 36. 247
V. 7. *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* c. 17. parag. 86. & c. 29. parag. 10. 419
V. 8. *Quid ei superest nisi solum regnum, &c.* c. 17. paragr. 107. 119
V. 11. *Tenebat Saul lanceam, &c.* c. 15. §. 4. 3
V. 13. *Amouit ergo eum Saul à se.* c. 16. paragr. 58. 66
V. 22. *Omnes serui eius diligunt te.* c. 16. paragr. 58. 66
V. 22. *Omnes serui eius diligunt te.* c. 16. paragr. 58. *ibid.*
Cap. XIX. v. 10. *Nisus est Saul configere Dauid lancea, &c.* c. 15. paragr. 4. 3
V. 12. *Deposuit eum per fenestram.* c. 25. paragr. 4. 298
V. 18. *Venit ad Samuel in Ramatha.* c. 21. paragr. 4. 257. & paragr. 5. 258
V. 24. *Cecidit nudus tota die illa, ac nocte.* c. 20. paragr. 1. 182
Cap. XX. v. 31. *Omnibus diebus, quibus filius Isai vixerit super terram.* c. 28. §. 52. 409
V. 32. *Quare morietur? Quid fecit.* c. 22. paragr. 30. 244
V. 40. *Dedit Ionathas arma sua puero.* c. 21. paragr. 36.
Cap. XXI. v. 8. *arma mea non tuli mecum.* c. 20. paragr. 53. 209
V. 15. *Hiccine ingredietur domum tuam.* c. 22. paragr. 1. 229
Cap. XXII. v. 9. *Vidi filium Isai in Nobe apud Achimelech &c.* c. 21. paragr. 23. 224
V. 10. *Cibaria dedit ei sed & gladium Goliath Philisthæi dedit illi.* c. 17. paragr. 45. 89
V. 22. *Et ait Rex ad Doeg: Conuertere, & irrue in sacerdotes, &c.* c. 21. paragr. 1. 213 & paragr. 17. 221. & c. 31. paragr. 14.
V. 23. *Mane mecum, ne timeas.* c. 23. §. 9. 260
Cap. XXIII. v. 19. *In colle Achila, quæ est ad dexteram deserti.* c. 26. paragr. 3. 355
Cap. XXIV. *Præcidit oram chlamydis Saul furtiuè, c.* 22. paragr. 27. 242
Cap. XXV. paragr. 10. *Quis est Dauid, & quis est filius Isai?* c. 16. paragr. 19. 48
V. 13. *Accingatur vnusquisque gladio suo.* c. 26. paragr. 12. 362
V. 18. *Vidi filium Isai Behtlehemitæ.* c. 16. paragr. 19. 48
Cap. XXVII. v. 7. *Inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio, &c.* c. 22. paragr. 32. 245. & c. 23. paragr. 31. 272
V. 10. *Dicebat autem ei Achis: in quem irruisti hodie?* c. 16. paragr. 11. 44
Cap. XXVIII. v. 9. *Ecce tu nosti quanta fecerit Saul, & quomodo eraserit Magos, &c.* c. 15. paragr. 7. 5
V. 19. *Cras tu, & filij tui mecum eritis.* c. 31. paragr. 4. & c. 28. paragr. 52. 409
Cap. XXIX. v. 4. *Reuertatur vir iste, & sedeat in loco suo.* c. 28. paragr. 15. 390

Ex Lib. 2. Regum.

Cap. I. v. 6. *Saul incumbebat super hastam suam,* c. 19. paragr. 16. 164. & c. 26. §. 33. 371
V. 10. *Tuli diadema, quod erat in capite eius,* c. 30. paragr. 4. 426
Cap. III. v. 15 *Tulit eam à viro suo Phaltiel filio Lais,* c. 25. paragr. 98. 352
Cap. IV. v. 2. *Duo autem viri Principes latronum, &c.* c. 23. paragr. 13. 262

Cap. XII. v. 11. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum. c.* 15. §. 13. 8
V. 13. *Peccaui Domino c.* 13. §. 48. 25
Cap. XV. v. 14. *Fugiamus, nec enim erit nobis effugium à facie Abſalon. c.* 22. §. 47. 252 *& c.* 28. §. 12. 388
Cap. XVI. v. 6. *Maledicebat, mittebatque lapides contra c.* 22. §. 26. 241
V. 7. *Egredere, egredere vir ſanguinum, &c. c.* 24. §. 27. 292
Cap. XVII. v. 23. *Achitophel videns, quòd non fuiſſet factum conſilium ſuum, &c. c.* 28. §. 50. 408
Cap. XVIII. v. 2. *Egrediar & ego vobiſcum. c.* 29. §. 11. 419
V. 9. *Illo ſuſpenſo inter cœlum, & terram, &c. c.* 28. §. 50. 408
V. 18. *Hoc erit monimentum nominis mei. c.* 24. §. 31. 294
Cap. XIX. v. 16. *Deſcendit cum viris Iuda in occurſum Regis Dauid. c.* 24. §. 27. 292
Cap. XXI. v. 8. *Tulit itaque Rex duos filios Reſpha. c.* 22. §. 38. 248
Cap. XXIII. v. 1. *Dixit vir cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob. c.* 29. §. 17. 422
V. 18. *Abiſai frater Ioab, filius Saruiæ Princeps erat de tribus. c.* 26. §. 6. 357
V. 20. *Percuſſit duos leones. c.* 17. §. 96. 114
V. 21. *Percuſſit leonem in media ciſterna. c.* 17. §. 21. 79
Cap. XXIV. v. 17. *Ego ſum qui peccaui: ego iniquè egi, vertatur, obſecro, manus tua ôctra me. c.* 25. §. 43. 322 *&* §. 46. 324

Ex Libro 3. Regum.

Cap. II. v. 8. *Habes quoque apud te Semei filium Gera, &c. c.* 22. §. 26. 241
V. 43. *Quare ergo non cuſtodiſti iuſurandum Domini, &c. c.* 19. §. 13. 163
Cap. 9. v. 14. *Miſit quoque Hiram ad Regem Salomonem centum viginti talenta auri. c.* 25. §. 8. 301
Cap. XII. v. 28. *Fecit duos vitulos aureos. c.* 28. §. 14. 389 *&* §. 22. 394
Cap. XIII. v. 4. *Exaruit manus eius, quam extenderat contra eum. c.* 15. §. 53. 27 *& c.* 22. §. 21. 239
V. 18. *Fefellit eum, & reduxit ſecum. c.* 21. §. 7. 216
V. 18. *Fefellit eum, & reduxit ſecum. c.* 21. §. 7. 216
V. 22. *Non inferetur cadauer tuum in ſepulchrum patrum tuorum. c.* 22. §. 49. 253 *& c.* 25. §. 2. 297
V. 24. *Aſinus ſtabat iuxta illum, &c. c.* 22. §. 47. 252
Cap. XIV. v. 3. *Tolle in manu tua decem panes, &c. c.* 28. §. 22. 394
Cap. XVII. v. 1. *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, &c. c.* 20. §. 46. 206
V. 9. *Vade in Sareptæ Sidoniorum. c.* 26. §. 15. 361 *&* §. 17. 362
V. 12. *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem. c.* 27. §. 9. 378
V. 14. *Hydria farinæ non deficiet. c.* 25. §. 34. 316. 51. 327 *&* 54. 329
Cap. XVIII. v. 10. *Non eſt genss aut regnum, quo non miſerit Deus meus. c.* 15. §. 3. 3
V. 28. *Clamabant voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum, & c.* 28, §. 54. 410
V. 44. *Iunge currum tuum, & deſcende, ne occupet te pluuia. c.* 16. §. 2. 40
Cap. XIX. v. 5. *Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi ſurge, & comede, &c. c.* 15. §. 9. 6 *&* 11. 7 *& c.* 18. §. 30. 136 *& c.* 27. §. 3. 375
V. 7. *Grandis tibi reſtat via. cap.* 22. §. 19. 238
V. 12. *Poſt ignem ſibilus aura tenius, &c. c.* 25. §. 28. 318
V. 13. *Quid hic agis, Elia? c.* 20. §. 45. 205
V. 16. *Eliſæum filium Saphat, &c. c.* 16. §. 3. 41
Cap. XXI. v. 20. *Num inueniſti me inimicum tibi? c.* 15, §. 3. 3
V. 22. *Dabo domum tuam ſicut domum Ieroboam filij Nabat, &c. c.* 28. §. 40. 407
Cap. XXII. v. 17. *Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus, &c. c.* 31. §. 9. 453
V. 27. *Mittite virum iſtum in carcerem. c.* 22. §. 29. 243
V. 30. *Sume arma, & ingredere prælium, &c. c.* 28. §. 45. 405
V. 31. *Rex Syriæ præceperat Principibus currum triginta duobus. c.* 31. §. 9. 453

Ex libro 4. Regum.

Cap. I. v. 2. *Conſulite Beelzebub deum Accaron, &c. c.* 20. §. 37. 201 *& c.* 28. §. 16. 391 *&* 25. 395
V. 9. *Homo Dei, Rex præcepit vt deſcendas. c.* 19. *v.* 1. 157
V. 12. *Deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit illum, &c. c.* 27. §. 3. 375
Cap. II. v. 24. *Maledixit eis in nomine Domini. c.* 25. §. 39. 319
Cap. III. v. 15. *Adducite mihi pſaltem. c.* 24. §. 8. 282
Cap. IV. v. 34. *Aſcendit, & incubuit ſuper puerum. c.* 18. §. 6. 125 *& c.* 20. §. 34. 329
Cap. V. v. 14. *Si non vultum Ioſaphat Regis Iudæ erubeſcerem, &c. c.* 25. §. 21. 308
V. 24. *Cùm veniſſet iam veſperi, tulit de manu eorum, & poſuit in domo. c.* 22. §. 23. 240
V. 26. *Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, &c. c.* 24. §. 30. 294
V. 17. *Lepra Naamã adharebit tibi, &c. Egreſſus eſt ab eo leproſus. c.* 22. §. 24. 240. *& c.* 25. §. 57. 330
Cap. VI. v. 11. *Conturbatum eſt cor Regis Syriæ pro hac re, &c. c.* 20. §. 17. 191
V. 12. *Indicat Regi Iſrael omnia verba, quæ locutus fueris in conclaui ſuo. c.* 22. §. 23. 240
V. 15. *Heu, heu, heu, Domine mi, quid faciemus? c.* 28. §. 10. 387
V. 17. *Ecce mons plenus equorum, & c.* 21. §. 4. 214
V. 18. *Percute, obſecro, gentem hanc cæcitate. c.* 24. §. 16. 286
V. 23. *Comederunt, & biberunt, & dimiſit eos, &c. c.* 22. §. 24. 240 *& c.* 25. §. 39. 319
Cap. VII. v. 4. *Siuè ingredi voluerimus ciuitatem, fame moriemur, &c. c.* 17. §. 64. 98
Cap. IX. v. 30. *Depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum. c.* 25. §. 32. 315
Cap. XIII. v. 15. *Affer arcum, & ſagittas. c.* 21. §. 4. 214

Cap. XX. v. 3. *Fleuit Ezechias fletu magno. c. 16. §. 1.* 40
V. 11. Reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat, &c. c. 17. §. 16. 77
Cap. XXIII. v. 20. *Occidit vniuersos sacerdotes excelsorum, &c. c. 23. §. 1.* 256
Cap. XXIV. v. 20. *Recessit Sedecias à Rege Babylonis. c. 28. §. 2.* 383
Cap. XXV. v. 7. *Oculos eos effodit, vinxitque eum catenis. c. 28. §. 2.* ibid.

Ex lib. 1. Paralipomenon.

Cap. X. v. 13. *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, &c. c. 28. §. 25.* 395 & 40. 402
Cap. XX. v. 2. *Tulit Dauid coronam Melchon de capite eius, &c. c. 16. §. 24.* 50

Ex Tobia.

Cap. I. v. 5. *Cùm irent omnes ad vitulos aureos, &c. c. 17. §. 60.* 96
Cap. II. v. 21. *Videte, ne fortè furtiuus sit, &c. ne fortè furtiuus sit, &c. c. 25. §. 23.* 310
Cap. VI. v. 1. *Mansit prima mansione iuxta fluuium Tigris, &c. c. 26. §. 3.* 355
Cap. VIII. v. 3. *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, &c. c. 18. §. 62.* 153 *& c. 30. §. 1.* 424

Ex Iudith.

Cap. I. v. 1. *Iurauit per thronum, & regnum suum, &c. c. 25. §. 44.* 322
Cap. X. v. 2. *Vocauit Abram suam. c. 25. §. 35.* 317
Cap. XII. v. 1. *Constituit quid daretur illi de conuiuio suo, c. 20. §. 27.* 196
Cap. XIII. v. 4. *Holofernes iacebat in lecto nimia ebrietate sopitus. c. 26. §. 8.* 358
V. 10. Euoluit corpus eius truncum. c. 25. §. 81. 344

Ex Esther.

Cap. III. v. 2. *Cuncti serui Regis, qui in foribus palatij versabantur, &c. c. 30. §. 39.*
V. 8. Optimè nosti, quòd non expediat regno tuo, &c. c. 16. §. 9. 43
Cap. VII. v. 7. *Rex autem iratus surrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum, &c. c. 22. §. 25.* 241
Cap. IX. v. 13. *Decem filij Aman in patibulo suspendatur. c. 20. §. 23.* 194

Ex Libro Iob.

Cap. I. v. 3. *Fuit possessio eius septem millia ouium, &c. c. 25. §. 4.* 298
V. 19. Frequenter ventus vehemens irruit à regione deserti. c. 30. §. 35. 443
Cap. II. v. 3. *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra. c. 29. §. 16.* 422
V. 9. Dixit illi vxor sua: Adhuc tu permanes, &c. Benedic Deo, & morere. c. 18. §. 51. 147 & c. 26. §. 11. 359
V. 10. Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. c. 25. §. 4. 298 & 47. 324
Cap. III. v. 6. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat. c. 27. §. 15.* 381
Cap. V. v. 2. *Verè stultum interficit iracundia, &c. c. 18. §. 1.* 123
V. 26. Ingredieris in abundantia sepulchrum, &c. c. 31. §. 28. 464
Cap. X. v. 6. *Quasi leænam capies me. c. 30. §. 24. & 25.* 437. & 438
Cap. 17. v. 3. *Pone me iuxta te, &c. c. 28. §. 44.* 404
Cap. XVIII. v. 5. *Nonne lux impij extinguetur, &c. c. 31. §. 13.*
V. 7. Præcipitauit eum consilium suum. c. 29. §. 11. 419
V. 10. Abscondita est in terra pedica eius, &c. c. 31. §. 15.
Cap. XIX. v. 25. *In nouissimo die de terra surrecturus sum. c. 28. §. 37.* 401
Cap. XXVII. v. 2. *Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum, &c. c. 26. §. 13.* 360
Cap. XXX. v. 1. *Nunc autem deridebant me iuniores tempore. c. 18. §. 50.* 147
V. 29. Frater fui draconum, & socius struthionum. c. 29. §. 16. 422
Cap. XXXVIII. v. 10. *Circumdedi mare terminis meis, & posui vectem, & ostia. c. 24. §. 10.* 283
Cap. XLI. v. 6. *Corpus illius scuta fusilia, &c. c. 31. §. 10.*
V. 16. Cùm sublatus fuerit, timebunt Angeli, &c. c. 30. §. 27. 439

Ex Psalmis.

Psal. 4. v. 3. *Filij hominum vsquequo graui corde, &c. c. 15. paragr. 38.* 20
V. 5. Irascimini, & nolite peccare. c. 20. paragr. 46. 206
Psal. 9. *v.* 17. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens, &c. c. 24. paragr. 4.* 279
Psal. 10. v. 1. *In domino confido: quomodò dicitis animæ meæ. c. 23. paragr. 5.* 258
Psal. 22. v. 4. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. c. 29. paragr. 12.* 420
Psal. 26. v. 3. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, &c. c. 18. paragr. 46. 139 & c. 28. paragr. 12.* 388
Psal. 35. v. 2. *Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso; Non est timor Dei, &c. c. 18. paragr. 52.* 148
V. 12. Non veniat mihi pes superbiæ. c. 17. paragr. 79. 106
Psal. 36. v. 35. *Vidi impium superexaltatum super cedros Libani, &c. c. 18. paragr. 38.* 140
Psal. 44. v. 13. *Comparatus est iumentis insipientibus, &c. c. 23. paragr. 33.* 273
Psal. 48. v. 12. *Vocauerunt nomina sua in terris suis. c. 24. paragr. 31.* 294
V. 13. Homo, cùm in honore esset, non intellexit, &c. c. 16. paragr. 52. 63
Psal. 54. v. 5. *Cor meum conturbatum est in me, &c. c. 28. paragr. 11. & 12.* 388
V. 7. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, &c. c. 24. paragr. 22. 189
V. 22. Molliti sunt sermones eius super oleum, &c. c. 26. paragr. 23. 366
Psal. 57. v. 5. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, &c. c. 24. paragr. 11.* 283
Psal. 68. v. 1. *Zelus domus tuæ comedit me. c. 20. paragr. 45.* 205

V. 8. *Quoniam propter te sustinui opprobrium, &c.* c. 21. paragr. 24. 224
Psal. 72. v. 7. & 9. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, &c.* c. 25. paragr. 26. 311
Psal. 75. v. 7. *Ab interpretatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui ascenderunt equos.* c. 25. paragr. 7. 300. & c. 26. paragr. 14. 361
Psal. 77. v. 66. *Excitatus est tanquam dormiens Dominus &c.* c. 24. paragr. 25. 291
Psal. 88. v. 16. *Beatus populus, qui scit iubilationem.* c. 19. paragr. 30. 172
Psal. 95. v. 10. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.* c. 23. paragr. 20. 266
Psal. 103. v. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* c. 31. paragr. 24.
V. 20. *Posuisti tenebras, & facta est nox, &c.* c. 28. paragr. 6. 385. & c. 30. paragr. 2. 425
Psal. 113. v. 4. *Os habent, & non loquentur, &c.* c. 21. paragr. 29. 227
Psal. 138. v. 139. *Tabescere me fecit Zelus meus, &c.* c. 20. paragr. 45. 205
Psal. 146. v. 9. *Qui dat iumentis escam ipsorum, &c.* c. 25. paragr. 51. 327

Ex Prouerbiis.

Cap. IX. v. 4. *Miscuit vinum, & proposuit mensam.* c. 21. paragr. 15. 220
Cap. XXI. v. 1. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, &c.* c. 17. paragr. 62. 97
V. 28. *Vir obediens loquetur victoriam.* c. 17. paragr. 72. 102
Cap. XXII. v. 13. *Dicit piger: Leo est fortis, in medio platearum occidendus sum.* c. 17. paragr. 13. 75
Cap. XXIII. v. 21. *Vestietur pannis dormitatio.* c. 17. paragr. 27. 82
Cap. XXVIII. v. 8. *Qui coacernat diuitias vsuris, & fœnore, &c.* c. 30. paragr. 25.
Cap. XXX. v. 30. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum*, c. 30. paragr. 24.

Ex Ecclesiaste.

Cap. I. v. 7. *Dedi cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, &c.* c. 21. paragr. 29. 227
Cap. II. v. 1. *Quid necesse est homini maiora se quærere, &c.* c. 18. paragr. 56. 150
V. 6. *Extruxi mihi piscinas aquarum, &c.* c. 25. paragr. 53. 328

Ex Canticis Canticorum.

Cap. I. v. 2. *Trahe me: post te curremus*, c. 25. paragr. 89. 347
V. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea.* c. 25. paragr. 92. 349
V. 7. *Egredere, & vade post vestigia gregum, &c.* c. 25. paragr. 4. 257
V. 9. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* c. 25. paragr. 87. 346
Cap. II. v. 1. & 2. *Ego flos campi, &c. Sicut malus inter ligna syluarum.* c. 19. paragr. 27. 171
V. 5. *Fulcite me floribus, &c.* c. 16. paragr 17. & c. 19. paragr. 27. 171
V. 12. *Tempus putationis aduenit.* c. 15. paragr. 65. 33
V. 14. *Columba mea in foraminibus petræ, &c.* c. 18. paragr. 63. 154
Cap. III. v. 7. *En lectulum Salomonis, &c.* c. 20. paragr. 26. 195
Cap. IV. v. 1. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* c. 20. paragr. 25. *ibid.* c. 22. paragr. 8. 232 & c. 24. paragr. 29. 293
V. 2. *Dentes tui sicut greges tonsarum.* c. 16. paragr. 22. 49
V. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua, &c.* c. 17. paragr. 92. 112
V. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum.* c. 21. paragr. 27. 226. & c. 26. paragr. 18. 363
V. 12. *Fons signatus.* c. 25. paragr. 34. 316
V. 15. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, &c.* c. 20. paragr. 28. 196. & c. 25. paragr. 53. 328
Cap. V. v. 2. *Ego dormio, &c. Columba mea, immaculata mea.* c. 24. paragr. 7. 281 & 29. 293
V. 3. *Expoliaui me tunica mea, &c.* c. 17. paragr. 21. 79
V. 5. *Manus tuæ stillauerunt myrrham.* c. 22. paragr. 9. 233
V. 7. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem.* c. 21. paragr. 10. 217
V. 11. *Comæ eius sicut elatæ palmarum.* c. 23. paragr. 9. 260
Cap. VI. v. 2. *Ego dilecto meo, &c. Pascitur inter lilia.* c. 16. paragr. 22. 49. & c. 22. paragr. 9. 233
V. 4. *Capilli tui sicut grex caprarum, &c.* c. 25. paragr. 91. 348
V. 7. *Sexaginta sunt reginæ, &c. Adolescentularum non est numerus, &c.* c. 18. paragr. 63. 154. & c. 25. paragr. 87. 346
Cap. VII. v. 1. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis* c. 24. paragr. 7. 281
V. 4. *Nasus tuus sicut turris Libani, &c.* c. 23. paragr. 21. 267
V. 5. *Comæ capitis tui sicut purpura Regis, &c.* c. 20. paragr. 25. 195
V. 13. *In pomis nostris omnia poma noua, & vetera, &c.* c. 18. paragr. 8. 126. c. 21. paragr. 19. 222
Cap. VIII. v. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, &c.* c. 2. paragr. 59
V. 6. *Pone me vt signaculum super cor tuum*, c. 25. paragr. 22. 309
V. 9. *Si murus est, ædificemus super eum, &c.* c. 25. paragr. 43. 322
V. 14. *Fuge, dilecte mi, assimilare caprea, &c.* c. 19. paragr. 26. 170

Ex Sapientia.

Cap. VI. v. 4. *Data est à Domino potestas vobis, &c.* c. 15. paragr. 70. 35
Cap. VII. v. 26. *Candor est lucis æternæ.* c. 16. paragr. 17. & c. 21. paragr. 13. 219
Cap. XIV. v. 30. *Iurauerunt iniustè in dolo, contemnentes iustitiam.* c. 25. paragr. 44. 322

Sacræ Scripturæ.

Ex Ecclesiastico.

Cap. VII. v. 6. *Noli quærere fieri iudex*, &c. c. 15. paragr. 51. 26
Cap. XV. v. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* c. 29. paragr. 10. 419
Cap. XXI. paragr. 31. *Susurro coinquinabit animam suam*, &c. c. 24. paragr. 13. 285
Cap. XLVII. *Cùm leonibus lusit quasi cum agnis.* c. 17. paragr. 50. 92. & c. 22. paragr. 4. 252

Ex Isaia.

Cap. I. v. 6. *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas*, &c. c. 28. paragr. 48. 407
Cap. II. v. 10. *Ingredere in petram, &c.* c. 25. paragr. 41. 321
Cap. V. v. 12. *Cythara, & Lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris.* c. 28. paragr. 1. 383
Cap. VI. v. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, &c. c. 26 § 36. 373
V. 5. *Sed nunc porta, quæso, peccatum meum*, &c. c. 15. paragr. 51. 26
Cap. VII. v. 18. *Et erit in die illâ: Sibilabit Dominus musca*, &c. c. 25. paragr. 20. 308 & 28. 313
Cap. VIII. v. 4. *Auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ*, &c. c. 23. paragr. 26. 269
Cap. XIV. v. 12. *Cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris*, &c. c. 17. paragr. 20. 79. & c. 19. paragr. 11. 162. & c. 22. paragr. 47 252. & c. 31. paragr. 22.
V. 13. *In cœlum conscendam*, &c. c. 25. §. 42. 321
V. 14. *Ascendam super altitudinem nubium.* c. 31. paragr. 24. 462
V. 28. *Factum est onus istud, ne lætetis Philisthæa.* c. 17. paragr. 20. 79
V. 29. *De radice colubri egredietur regulus*, &c. c. 18. paragr. 21. 132
Cap. XV. v. 6. *Aquæ Nemrim desertæ erunt*, &c. c. 16. paragr. 1. 40
Cap. XXI. v. 5. *Pone mensam, & contemplare in specula comedentes*, &c. c. 28. §. 59. 413
Cap. XXII. v. 15. *Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo*, &c. c. 15. §. 2. 3
Cap. XXIV. v. 15. *Oculus adulteri obseruat caliginem*, &c. c. 27. paragr. 11. 379
Cap. XXXII. v. 11. *Exuite vos, & induimini, accingite lumbos vestros.* c. 18. §. 7. 125
Cap. LII. v. 2. *Excutere de puluere, consurge, sede Hierusalem.* c. 15. paragr. 66. 34
Cap. LIII. v. 7. *Tanquam agnus coram tondente se obmutescet. Sicut ouis ad occisionem ducetur.* c. 15. paragr. 23. 12. c. 21. parag. 13 219. c. 24. paragr. 12. 284

Ex Hieremia.

Cap. I. v. 9. *Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum.* c. 15. paragr. 51. 26
Cap. VIII. v. 17. *Ecce ego mittam serpentes regulos.* c. 18. paragr. 26. 135

Ex Threnis.

Cap. IV. v. 7. *Candidiores Nazarai eius niue, nitidiores lacte*, &c. c. 31. paragr. 25.

Ex Baruch.

Cap. VI. v. 19. *Corda eorum dicunt elingere serpentes.* c. 22. paragr. 25. 241

Ex Ezechiele.

Cap. I. v. 3. *Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Bazi*, &c. c. 30. §. 16. 433
V. 6. & 24. *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni*, &c. c. 17. paragr. 27. 82
Cap. XIV. v. 14. *Immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & iumentum.* c. 25. paragr. 76. 341
Cap. XVI. v. 45. *Mater vestra Cethæa, & pater vester Amorrhæus.* cap. 30. paragr. 42. 442
Cap. XX. *Aquila grandis magnarum alarum*, &c. c. 17. parag. 5. 72. & c. 18. parag. 38. 140
XXI. v. 9. *Gladius gladius exacutus est, & limatus*, &c. c. 15. paragr. 72. 36
Cap. XXVIII. v. 8. *Rex Tyri Dei nomine gloriabatur*, &c. c. 25. paragr. 47. 324
V. 26. *Repleta sunt interiora sua iniquitate*, &c. c. 25. paragr. 61. 333

Ex Daniele.

Cap. II. v. 34. *Abscissus est lapis de monte sine manibus*, &c. c. 30. paragr. 26.
V. 39. *Post te consurget regnum aliud minus te argenteum.* c. 24. paragr. 19. 288
V. 48. *Rex Danielem ad sublime extulit*, &c. c. 28. paragr. 5. 385
V. 49. *Daniel erat in foribus Regis.* c. 22. paragr. 40. 249
Cap. III. v. 5. *Adorate statuam auream.* c. 28. paragr. 5. 385
V. 12. *Viri Iudæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis.* c. 17. paragr. 45. 89
V. 24. *Ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.* c. 23. paragr. 18. 265
V. 28. *Iudicia tua vera fecisti.* c. 22. parag. 51 254
V. 48. *Intendit, quos reperit iuxta fornacem*, &c. c. 19. parag. 33. 174. & c. 22. paragr. 39. 249
V. 92. *Ecce ego video quatuor viros solutos*, &c. c. 28. paragr. 35 400
V. 93. *Serui Dei excelsi egredimini, & venite*, c. 19. paragr. 38. 176
Cap. IV. v. 1. *Florens in palatio meo somnium vidi*, &c. c. 21. paragr. 1. 213.
V. 2. *Visiones capitis mei conturbauerunt me.* c. 30. paragr. 8. 428
V. 9. *Subter eam habitabant*, &c. *Fructus eius nimius.* c. 20. paragr. 9. 186. c. 22. paragr. 31. 244
V. 11. *Fugiant bestiæ, quæ subter ea sunt*, &c. c. 20. parag. 32. 198
V. 22. *Eicient te ab hominibus.* c. 26. paragr. 12. 360. & c. 30. paragr. 9. 428
V. 29. *Fœnum quasi bos comedes.* c. 24. paragr. 5. 280
V. 30. *Ex hominibus abiectus est*, &c. *Fœnum vt bos comedit.* cap. 22. paragr. 1. 229. & cap. 23. paragr. 19. 266. & c. 30. paragr. 30. 441
V. 31. *Sensus meus redditus est mihi*, &c. c. 25. paragr. 64. 335

Index Locorum

Cap. V. v. 4. *Bibebant vinum, & laudabant deos suos. c.* 23. §. 38. 276. *c.* 26. §. 21. 365
V. 14. *Audiui de te, quoniam spiritum deorum habes. c.* 28. §. 38. 401
V. 29. *Tunc iubente Rege indutus est Daniel purpura. c.* 26. §. 31. 370
V. 21. *Deus meus misit Angelum suum*, &c. *c.* 27. §. 10. 379
V. 22. *Deus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum. c.* 22. §. 40. 249
V. 24. *Iubente Rege adducti sunt viri illi*, &c. *c.* 25. §. 60. 332. &c. *c.* 19. §. 21. 167
Cap. VII. v. 2. *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno. c.* 25. §. 62. 334
Cap. XIII. v. 6. *Isti frequentabant domum Ioakim. c.* 28. §. 26. 396
V. 22. *Si hoc egero, mors mihi est*, &c. *c.* 28. §. 24. 395. & 30. 398
V. 32. *Erat cooperta. c.* 25. §. 73. 340
V. 41. *Condemnauerunt eam ad mortem. c.* 26. §. 1. 354
V. 56. & 59. *Semen Chanaan, & non Iuda. c.* 28. §. 27. & *c.* 20. §. 39. 202
V. 62. *Interfecerunt eos. c.* 25. §. 85. 345
Cap. XIV. v. 1. & 35. *Cum primum crepuerit catena, discedet. c.* 21. §. 2. 215

Ex Osea.

Cap. VII. v. 6. *Applicuerunt quasi clibanum cor suum*, &c. *c.* 24. §. 3. 279
V. 9. *Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit. c.* 24. §. 5. 280
Cap. X. v. 1. *Efraim vitula docta diligere triturare*, &c. *c.* 30. §. 31.
Cap. XII. v. 3. *In vtero supplantauit fratrem suum*, &c. *c.* 18. §. 64. 154. & *c.* 17. §. 46. 90
V. 4. *Sicut fumus de fumario. c.* 17. §. 79. 106
V. 7. *Chanan in manu eius statera dolosa. c.* 28. §. 27. 396

Ex Amos.

Cap. I. v. 1. *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Edom. c.* 15. §. 37. 20
Cap. III. v. 12. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ. c.* 30. §. 28.
Cap. VI. v. 13. *Nunquid currere queunt in petris equi? c.* 17. §. 4. 71

Ex Iona.

Cap. I. v. 3. *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis*, &c. *c.* 20. §. 51. 208. & *c.* 27. §. 7. 377
Cap. III. v. 4. *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur. c.* 20. §. 51. 208

Ex Habacuc.

Cap. II. v. 2. *Cogitasti confusionem domui tuæ*, &c. *c.* 15. §. 30. 16

Ex 1. Machabæorum.

Cap. IX. v. 10. *Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis*, &c. *cap.* 31. paragr. 18.

Ex 2. Machabæorum.

Cap. III. v. 27. *Cùm retulisset ad Regem Apollonius de pecuniis, quæ delatæ erant*, &c. *c.* 26. §. 2. 354
Cap. VI. v. 23. *Cogitare cœpit ætatis, ac senectutis suæ eminentiam dignam*, &c. *c.* 25. §. 58. 331

Ex Matthæo.

Cap. II. v. 2. *Vidimus stellam eius in oriente c.* 24. §. 9. 282
V. 2. *Interrogate diligenter de puero*, &c. *c.* 20. §. 41. 203
V. 11. *Intrantes domum*, &c. *Obtulerunt ei munera aurum*, &c. *c.* 23. §. 8. 259. & *c.* 31. §. 27.
Cap. III. v. 2. *Pœnitentiam agite: Appropinquauit enim regnum cœlorum. c.* 20. §. 30. 197
V. 6. *Exeunte Pharisæi statim cum Herodianis*, &c. *c.* 23. §. 27. 270
V. 10. *Iam securis ad radicem arboris posita est. c.* 20. §. 30. 197
V. 16. *Vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam. c.* 22. §. 6. 231
Cap. IV. v. 11. *Reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt*, &c. *c.* 16. §. 51. 63
V. 18. *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ*, &c. *c.* 20. §. 29. 197
Cap. V. v. 14. *Vos estis lux mundi. c.* 23. §. 4. 257. & *c.* 30. §. 2. 425
V. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, &c. *c.* 30. §. 21.
Cap. VI. v. 3. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. c.* 25. §. 36. 317
Cap. VII. v. 15. *Veniunt ad vos in vestimentis ouium*, &c. *c.* 15. §. 49. 25
V. 28. *Admirabantur turbæ super doctrina eius*, &c. *c.* 15. paragr. 52. 27
Cap. VIII. v. 26. *Imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. c.* 17. paragr. 81. 107
V. 28. *Sæui nimis. c.* 25. paragr. 80. 343
V. 29. *Venisti huc ante tempus torquere nos c.* 22. paragr. 50. 254. *c.* 24. paragr. 16. 286. & paragr. 23. 299. & *c.* 29. parag. 15. 421
Cap. IX. v. 4. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? c.* 24. paragr. 15. 286
Cap. XII. v. 28. *Ego in spiritu Dei eicio dæmones*, &c. *c.* 16. paragr. 56. 65
V. 38. *Tunc responderunt ei*, &c. *Volumus à te signum videre*, &c. *c.* 25. paragr. 9. 301. & 99. 352
Cap. XIII. v. 25. *cùm dormirent homines, venit inimicus homo*, &c. *c.* 28. paragr. 20. 393
V. 44. *Abscondit, & præ gaudio illius vadit. c.* 25. paragr. 6. 300
Cap. XIV. v. 8. *Illa præmonita à matre sua. Da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistæ. c.* 15. paragr. 71. 36
V. 11. *Allatum est caput eius in disco. c.* 16. paragr. 51. 63
V. 22. *Statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam. c.* 18. paragr. 19. 131
V. 28. *Si tu es iube me ad te venire super aquas*, &c. *c.* 17. paragr. 53. 93
V. 29. *Videns ventum validum, timuit, & cùm cœpisset mergi, clamauit. c.* 31. paragr. 6.
V. 31. *Iesus extendens manum apprehendit eum. c.* 22. paragr. 20. 239

Cap. XV.

Cap. XV. v. 14. *Cæci sunt. c.* 18. §. 20. 132
V. 19. *De corde exeunt cogitationes malæ, &c. c.* 25. §. 68. 337
V. 22. *Miserere mei Domine fili David, &c. c.* 28. § 29. 397
V. 24. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. c.* 25. §. 48. 325
V. 28. *Fiat tibi sicut vis. c.* 25. §. 3. 257
V. 29. *Malitia non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. c.* 25. §. 68. 337
Cap. XVI. v. 21. *Cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportebat eum ire Hierosolymam, &c. c.* 23. §. 6. 258
Cap. XVII. v. 3. *Ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cũ eo loquẽtes. c.* 8. §. 32. 399
V. 4. *Bonum est nos hic esse. Faciamus hic tria tabernacula, &c. c.* 18. §. 39. 141. *c.* 21. §. 2. 213. *c.* 22. §. 4. 230. *& c.* 23. §. 34. 274
V. 17. *Nemini dixeritis visionem, &c. c.* 23. §. 12. 262
V. 18. *Quare nos non potuimus eiicere illum. c.* 17. §. 76. 104
V. 26. *Aperto ore eius inuenies staterem, &c. c.* 15. §. 68. 35. *& cap.* 21. §. 19. 222
Cap. XVIII. v. 26. *Procidens conseruus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, &c. c.* 22. §. 12. 234
Cap. XIX. v. 3. *Si licet homini dimittere vxorem quacumque ex causa. c.* 30. §. 15. 432
V. 19. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. c.* 18. §. 3. 123
V. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, &c. c.* 19. §. 4. 158
Cap. XX. v. 1. *Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. c.* 10. §. 48. 207
V. 21. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, &c. c.* 19. §. 4. 158. *& c.* 23. §. 25. 269
Cap. XXI. v. 19. *Nihil inuenit in ea, &c. Arefacta est continò ficulnea. c.* 25. §. 34. 316. *& c.* 28. §. 47. 406
V. 28. *Fili, vade, hodiè, operare in vinea mea, &c. c.* 20. §. 48. 207
Cap. XXII. v. 25. *Illi neglexerunt. c.* 30. §. 38.
V. 7. *Ciuitatem illorum succendit. c.* 18. §. 10. 127
V. 12. *Amice, quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem. c.* 21. §. 13. 219
V. 16. *Magister, scimus, quia verax es. c.* 15. §. 30. *& c.* 28. §. 23. 394
V. 20. *Cuius est imago hæc, & subscriptio. c.* 15. §. 64. 33
V. 25. *Reliquit vxorem suam fratri suo, &c. c.* 25. §. 87.
Cap. XXIV. v. 16. *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, &c. c.* 22. §. 3. 230. *& c.* 17. §. 99. 115
Cap. XXV. v. 10. *Dum autem irent emere, venit sponsus. c.* 30. §. 30.
V. 12. *Amen dico vobis: Nescio vos. c.* 17. §. 68. 100
Cap. XXVI. v. 8. *Vt quid perditio hæc? c.* 25. §. 18. 307
V. 35. *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. c.* 23. §. 35. 274
V. 72. *Iterum negauit cum iuramento. c.* 22. §. 20. 239
Cap. XXVII. v. 3. *Laqueo se suspendit. c.* 18. §. 33. 138
V. 4. *Peccaui tradens sanguinem iustum. c.* 15. §. 48. 25. *& c.* 24. §. 26. 291
V. 6. *Non licet eos mittere in corbonam. c.* 21. §. 12. 218
V. 24. *Lauit manus coram populo dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius. c.* 22. §. 38. 248
V. 41. *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, &c. c.* 20. §. 42. 204
V. 51. *Petræ scissæ sunt, &c. Ecce velum templi scissum est in duas partes, &c. c.* 18. §. 66. 155. *& c.* 26. §. 26. 362
Cap. XXVIII. v. 13. *Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, &c. cap.* 19. §. 35. 175

Ex Marco.

Cap. II. v. 18. *O generatio incredula, &c. c.* 15. §. 39. 21
Cap. V. v. 3. *Domicilium habebat in monumentis. c.* 18. §. 33. 138
V. 6. *Cucurrit, & adorauit eum. c.* 15. §. 42. 22. *& 62.* 31
V. 8. *Exi spiritus immunde ab homine. c.* 23. §. 3. 257
V. 9. *Quod tibi nomen est? Et dicit: Legio c.* 27. §. 15. 381
Cap. VI. v. 19. *Herodias insidiabatur ei, & volebat eum occidere. c.* 18. §. 21. 132
V. 20. *Audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. c.* 15. §. 52. 27
Cap. VII. v. 32. *Exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilææ. cap.* 26. §. 28. 368
Cap. VIII. v. 23. *Expuens in oculos eius. c.* 25. §. 67. 336
V. 24. *Video homines velut arbores ambulantes. c.* 16. §. 55. 65
Cap. IX. v. 5. *Non sciebat quid diceret. c.* 28. §. 32. 399
V. 20. *Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit. c.* 15. §. 50. *& c.* 23. §. 16. 264
Cap. XIV. v. 5. *Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. c.* 21. §. 2. 213
V. 51. *Adolescens quidam sequebatur eum amictus Sindone. c.* 22. §. 11. 234. *& c.* 23. §. 32. 273

Ex Luca.

Cap. I. v. 3. *Regnabit in domo Iacob in æternum. c.* 26. §. 9. 358
V. 18. *Vnde hoc sciam? ego sum senex, &c. c.* 25. §. 81. 344
Cap. II. v. 25. *Homo iste iustus, & timoratus. c.* 25. §. 83. 345
Cap. IV. v. 29. *Duxerunt illum vsque ad supercilium montis. c.* 30. §. 21.
Cap. V. v. 20. *Remittuntur tibi peccata tua. c.* 16. §. 52. 63
Cap. VII. v. 12. *Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. c.* 28. §. 51. 408
V. 14. *Noli flere. c.* 16. §. 1. 40
V. 37. *Stans verò secus pedes eius. c.* 16. §. 8. 43
V. 44. *Lachrymis rigauit pedes meos. c.* 16. §. 1. 40
Cap. VIII. v. 28. *Obsecro te, ne me torqueas. c.* 30. §. 20.
V. 35. *Inuenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierant, &c. cap.* 24. §. 25. 291

Index Locorum

Cap. IX. v. 2. *Misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.* c. 30. parag. 17. 433
V. 34. *Discebant ex cessum eius.* c. 23. paragr. §. 3. 257
V. 36. *Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt* &c. c. 23. paragr. 12. 262
V. 54. *Vis dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos.* c. 24. paragr. 6. 280
Cap. X. v. 8. *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* c. 22. paragr. 10. 233
V. 17. *Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.* c. 17. paragr. 76. 104
V. 18. *Videbam Sathan* .. *sicut fulgur de cœlo cadentem.* c. 15. parag. 12. 7
V. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes,* &c. c. 25. paragr. 42. 321
V. 34. *Alligauit vulnera eius,* &c. c. 24. paragr. 25. 291. & c. 28. paragr. 48. 407
V. 35. *Protulit duos denarios, & dedit stabulario,* &c. c. 30. paragr. 37.
Cap. XI. v. 14. *Erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.* c. 31. paragr. 23.
V. 15. *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* c. 23. paragr. 10. 261
V. 16. *Signum de cœlo quærebant ab eo.* c. 25. paragr. 99. 352
Cap. XII. v. 18. *Habes multa bona.* c. 25. paragr. 19. 307
V. 20. *Hac nocte animam tuam repetunt à te.* c. 25. paragr. 17. 306. & 84. 345
V. 45. *Cœpit percutere seruos, & ancillas,* &c. c. 25. paragr. 12. 303
Cap. XIII. v. 7. *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac* c. 28. paragr. 47. 406
V. 32. *Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eiicio dæmonia.* c. 22. paragr. 17. 137. & 18. 238
Cap. XV. v. 15. *Misit illum in villam suam,* c. 15. paragr. 43. & 44. 23. & c. 21. paragr. 26. 225. & c. 25. paragr. 24. 310
V. 17. *Nemo illi dabat* c. 25. paragr. 16. 305
V. 18. *Peccaui in cœlum,* &c. c. 15. paragr. 64. 33. & c. 23. paragr. 14. 263
V. 20. *Vidit illum pater ipsius, & accurrens cecidit super collum eius.* c. 15. paragr. 26. 14. & c. 26. paragr. 7. 357
V. 22. *Proferte stolam primam,* &c. c. 28. paragr. 4. 384
V. 29. *Nunquam mandatum tuum præterii,* &c. c. 22. paragr. 43. 250. & c. 25. paragr. 15. 305. & 68. 337
V. 30. *Deuorauit substantiam suam cum meretricibus.* c. 30. peragr. 34. 443
V. 31. *Fili tu semper mecum es: omnia mea tua sunt.* c. 16. paragr. 46. 60. & c. 30. paragr. 33.
Cap. XVI. v. 3. *Fodere non valeo, mendicare erubesco.* c. 25. paragr. 10. 302
V. 6. *Accipe cautionem tuam.* c. 25. paragr. 30. 314
V. 19. *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura,* &c. c. 25. paragr. 29. 313. & 38. 318
V. 22. *Factum est vt moreretur mendicus,* &c. *sepultus est in inferno* c. 25. paragr. 77. 342. & 84. 345
V. 24. *Mitte Lazarum,* &c. c. 17. paragr. 55. 94. & 69. 101. & c. 18. paragr. 22. 132 25. 133. & 37. 140. & c. 26. paragr. 23. 366
V. 29. *Habent Moysen, & Prophetas: audiant illos,* c. 28. paragr. 18. 392
Cap. XIX. v. 4. *Ascendit in arborem Sicomorum,* &c. c. 23. paragr. 31. 272
V. 42. *Si cognouisses & tu,* &c. c. 20. paragr. 58. 211
Cap. XXII. v. 56. *Cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen,* &c. c. 23. paragr. 34. 274
Cap. XXIII. v. 42. *Domine, memento mei,* &c. c. 23. paragr. 25. 269. & c. 26. paragr. 26. 368

Ex Ioanne.

Cap. I. v. 5. *Lux in tenebris lucet.* c. 21. paragr. 13. 219
Cap. II. v. 23. *Vinum non habent.* c. 25. paragr. 69. 337
Cap. III. v. 1. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ.* c. 25. paragr. 72. 339
V. 26. *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem,* &c. c. 22. paragr. 34. 246
Cap. IV. v. 6. *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* c. 20. paragr. 52. 209
V. 7. *Da mihi bibere.* c. 25. paragr. 10. 302
Cap. VI. v. 9. *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos,* &c. c. 25. paragr. 19. 307
V. 14. *Illi ergo homines cùm vidissent, quòd Iesus fecerat signum.* c. 18. paragr. 60. 152
V. 25. *Dixit ad Philippum: Vnde ememus panes?* c. 19. paragr. 4. 158
V. 26. *Quæritis me, non quia vidistis signa,* &c. c. 16. paragr. 54. 64
Cap. IX. v. 33. *Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.* c. 20. paragr. 36. 201
Cap. X. v. 3. *Oues vocem eius audiunt,* &c. c. 18. paragr. 42. 142
V. 10. *Fur non venit, nisi vt furetur,* &c. c. 28. parag. 20. 393
V. 33. *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia,* &c. c. 26. paragr. 16. 362
Cap. XI. v. 7. *Eamus in Iudæam iterum.* c. 22. paragr. 16. 236
V. 41. *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* c. 19. paragr. 6. 159
Cap. XII. v. 31. *Num Princeps huius mundi eiicietur foras?* c. 22. paragr. 42. 250
Cap. XIII. v. 5. *Cœpit lauare pedes discipulorum,* &c. c. 28. paragr. 39. 402
Cap. XIV. v. 8. *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* c. 19. parag. 4. 158
Cap. XVII. v. 12. *Quos dedisti mihi, custodiui,* &c. c. 30. paragr. 32.
Cap. XVIII. v. 1. *Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron,* &c. c. 23. Paragr. 33. 273
V. 4. *Sciens omnia, quæ ventura erant super eum,* &c. c. 28. paragr. 58. 412
V. 16. *Petrus stabat ad ostium foris.* c. 22. paragr. 203. 239
V. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* c. 24. paragr. 12. 284
Cap. XIX. v. 21. *Noli scribere: Rex Iudæorum.* c. 19. paragr. 23. 168. & c. 23. paragr. 20. 266
V. 22. *Quod scripsi, scripsi.* c. 26. paragr. 29. 369
Cap. XX. v. 13. *Mulier, quid ploras?* c. 30. paragr. 6. 427
Cap. XXI. v. 10. *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.* c. 22. paragr. 41. 250. & c. 25. paragr. 53. 328

V. 11. *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram. c.* 22. §. 12. 234. *& c.* 25. §. 95. 350
V. 16. *Pasce oues meas, pasce agnos meos. c.* 16. §. 56. 65. *& c.* 16. §. 19. 48
V. 18. §. 7. 125. *& c.* 29. §. 12. 420

Ex Actibus Apostolorum.

Cap. I. v. 16. *Fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum,* &c. *c.* 22. §. 11. 234
V. 26. *Cecidit sors super Matthiam,* &c. *c.* 16. §. 6. 42
Cap. III. v. 6. & cap. 4. v 18. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. c.* 17. §. 84. 108. *& c.* 20. §. 49. 207
Cap. VIII. v. 2. *Curauerunt autem Stephanum viri timorati,* &c. *c.* 25. §. 1. 297
V. 25. *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis,* &c. *c.* 22. §. 6. 231
Cap. XVI. v. 16. *Quæstum magnum præstabat Dominis suis diuinando. c.* 28. §. 16. 391

Ex Epistola ad Romanos.

Cap. I. v. 25. *Commutauerunt veritatem Dei in mendacium,* &c. *c.* 22. §. 33. 245
Cap. VI. v. 23. *Stipendia peccati mors. c.* 25. §. 57. 330
Cap. XII. v. 21. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. c.* 18. §. 25. 134

Ex Epistola 1. ad Corinthios.

Cap. V. v. 5. *Iam iudicaui vt præsens eum, qui sic operatus est in nomine Domini,* &c. *c.* 21. §. 17. 221
Cap. XIII. v. 4. *Charitas patiens est. c.* 17. §. 26. 81. *& c.* 22. §. 30. 244
Cap. XVI. v. 13. *Vigilate, state in fide, viriliter agite. c.* 28. §. 51. 408

Ex Epistola 2. ad Corinthios.

Cap. I. v. 5. *Sicut abundant passiones Christi in nobis c.* 30. §. 1. 424
Cap. XI. v. 3. *Timeo, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua. c.* 30. §. 12. 430
V. 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor. c.* 20. §. 56.
Cap. XII. v. 3. *Scio huiusmodi hominem (siue in corpore, &c. c.* 17. §. 59. 96

Ex Epistola ad Ephesios.

Cap. III. v. 2. *In quo habemus fiduciam, & & accessum,* &c. *c.* 25. §. 48. 325
Cap. V. v. 14. *Surge, qui dormis. c.* 26. §. 8. 358

Ex Epistola ad Philippenses.

Cap. 1. v. 21. *Mihi enim viuere Christus est. c.* 15. §. 67. 34

Ex Epistola 1. ad Timotheum.

Cap. III. v. 7. *Oportet illum & testimonium habere,* &c. *c.* 24. §. 26. 291
Cap. VI. v. 9. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem. c.* 17. §. 4. 71

Ex Epistola ad Hebræos.

Cap. XI. v. 38. *In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, &c. c.* 22. §. 2. 229

Ex Epistola Beati Iacobi Apostoli.

Cap. I. v. 4. *Patientia opus perfectum habet,* &c. *c.* 22. §. 18. 238
V. 6. *Postulet in fide nihil hæsitans. c.* 25. §. 48. 325
V. 20. *Sit omnis velox ad audiendum,* &c. *c.* 25. §. 66. 336
Cap. II. v. 2. *Si introierit in conuentum vestrum,* &c. *c.* 25. §. 3. 298
Cap. IV. v. 3. *Petitis, & non accipitis,* &c. *c.* 25. §. 9. 301

Ex Epist. 1. Beati Petri Apostoli.

Cap. V. v. 8. *Sobrij estote, & vigilate. c.* 25. § 29. 313

Ex Epistola Beati Iudæ.

V. 11. *Cùm Michaël Archangelus cum diabolo disputans,* &c. *c.* 17. §. 6. 72
V. 13. *Fluctus feri maris. c.* 25. §. 62. 334

Ex Apocalypsi.

Cap. V. v. 6. *Ecce in medio throni, & quatuor animalium,* &c. *c.* 20. §. 33. 199. *& c.* 23. §. 31. 272
V. 8. *Cùm aperuisset librum, &c.* 21. §. 13. 219.
Cap. VI. v. 2. *Ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum. c.* 17. §. 57. 95
Cap. VIII. v. 10. *Cecidit de cœlo stella magna ardens &c. c.* 17. §. 6. 72
Cap. XII. v. 1. *Luna sub pedibus eius. c.* 23. §. 17. 264
V. 9. *Proiectus est draco ille magnus. c.* 17. §. 20. 79. *& c.* 19. §. 11. 162. *& c.* 26. §. 36. 373. *& c.* 30. §. 12. 430. *& c.* 31. §. 24.
V. 10. *Nunc facta est salus,* &c. *Proiectus est accusator fratrum nostrorum. c.* 16. §. 33. 55 *& c.* 25. §. 85. 345
V. 14. *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ,* &c. *c.* 17. §. 75. 104
Cap. XV. v. 7. *Michael, & Angeli eius prœliabantur cum dracone, c.* 15. §. 10. 6
Cap. XVIII. v. 10. *Longe stantes propter timorem tormentorum eius. c.* 23. §. 34. 274

INDEX
AD SACRAS CONCIONES
DE TEMPORE, ET SANCTIS.

Prior Numerus Caput; Posterior Paragraphum; Postremus Paginam indicant.

DOMINICA I. ADVENTVS.

LVCÆ XXI.

ERVNT *signa in sole, &c.* Sol ab hominibus pro Deo cultus, sine culpa grauissima modò punitur pœna, tenebris deturpatus, & caligine sordidus, vt qui suo splendore homines obcæcarit, & errandi occasionem quodammodo dederit: vt hoc exemplo noueris seuera mulctari pœna, qui contendenti ad virtutem præbet scandalum, aut molitur impedimentum. c.15.§.5. p.4.

Erunt signa in sole. Sol quasi futura cœlestis vltionis detrimenta præsentiat, lucem contrahit, & ab hominum vicinitate recedit: est namque opus tibi longè ab improbis recedere, si velis anxia pericula declinare. c.15.§.15.p.9

Leuate capita vestra. Inter eluctantes cordis angustias caput leuare iubentur, vt quales, Sol angustias subierit, intueantur: modò premitur, qui septempliciter splendere promittitur, vt in sole nouerint conducere hac in vita puniri, nec in futurum sæculum supplicia differri. c.15.§.21. p.11.

Erunt signa in sole &c. Sol mæret, luna sanguineis maculis sordet, & dolorem cœlum ostendit; nam cùm durissima sint hominibus infligenda supplicia, præcedunt tristitiæ infligentis argumenta. Deus namque, dum punit, dolore quodammodo vrgetur, & afflictatur. c.15.§.23. p.12.

Erunt signa in sole, &c. Dum Sol quem splendenti iubare circumfusum dementer homines adorarunt, tenebris decumbit oppressus, manifestè ostendit homines à veritate deerrasse, cum apud eos pluris habita fuerint splendida, & vanida, quàm virtus solida, & vera. c.15.§.28. p.15.

Erunt signa in sole, &c. Adeò vel inter ipsas iræ flammas diuina elucet misericordia, vt terreat, ne puniat. Ecce sol tenebris oppressus futura prænuntiat supplicia, vt ipsa prænuntiatione irrita reddiderit prænuntiata. Amens profectò videtur, qui cœlestes spernit minas, & irrevocabiles spernendo maturauerit sibi pœnas. c.15.§.59. p.30.

DOMINICA II. ADVENTVS.

MATTHÆI XI.

CVM *audisset Ioannes in vinculis, &c.* Ioannes compedibus pressus, & catenis oneratus totus est in discipulos cum Christo reconciliando, nec pœnam satagit minuere propriam, cùm satagat impedire culpam vel alienam. Delegat discipulos, ne post eius mortem fiant à Christo alieni, & aliquo errore turpati. Quàm alius est peccatorum mos: toti sunt in auertenda pœna, non in abolenda. c.15.§.51. p.31.

In vinculis. Dulcissima erant Ioanni vincula, quæ virtutis patiebatur acerrimus propugnator. Dum Herodem laudabili libertate carpit, offendit, sed conducibilius putat sustinere offensum Principem, quàm offendere veritatem. Profectò plures magis verentur sustinere magnatem offensum, quàm Deum iratum. cap. 15.§.63. p.32

Ioannes in vinculis. Herodes contra ius falsque Baptistam vinculis pressit, & carcere squalenti detinuit: impunè deliquit Herodes sua potentia tectus, sed in morte ingemuit pœna irreuocabili diuexatus. Magnates sua potentia tuti impune delinquunt, sed in morte durissimas pœnas soluunt. c.15.§.70.p.35

Ioannes in vinculis. Quis tibi videtur miserior, Ioannes ferreo compede oppressus, an Herodes collucentis purpuræ flore vestitus. Pro Herode stabit lippiens oculus, sed pro Ioanne rationis luce illustratus. Certè quantumuis florenti vtatur fortuna, copiosis est lachrymis deplorandus, qui Dei gratia, & virtute nudus. c.15.§.74.p.38.

Ioannes in vinculis. Quem ad eximiam gloriam destinarat, afflictionum runcinis Deus Baptistam expoliebat: carceris patitur squallorem, tenebricoso, ac angusto loco inclusus, & sine culpa reus: indè tamen euolauit eximia gloria munerandus, & plurimis præferendus. Num Deus laborum scobinis expolit, quem ad perennem gloriam delegit. c.16.§.9.p.43.

Caci vident, &c. Coram Ioannis discipulis plura Christus miracula edidit, nec otiosa fuerunt miracula, cum Ioannis discipuli erga Christum laborarent, nescio qua suspicione non bona: & quidem si semel aliqua suspicio animum contingat intrare, difficillimum est depellere. c.16.§.16.p.47.

DOMI

Index ad Sacras Conciones.

DOMINICA III. ADVENTVS.

IOANNES I.

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, &c. Cùm res magni momenti ageretur, Sacerdos, & Leuita, vt rem examinet, delegatur: suo in errore hoc nobis Hierosolymitæ documentum præstiterunt, scilicèt res magni momenti perspicacibus debere oculis examinari, & vigilanti perscrutatione disquiri. cap. 16. §. 35. p. 56.

Ego vox clamantis in deserto. Stricto sanguinis vinculo cum Christo Domino erat Baptista illigatus, sed se vocem non diceret, sed Messiam, ni ab omni esset prorsus ambitione remotus; ignoraret consanguinitatis iura, si inani turgeret superbia: nam quem superbia, aut ambitio inflammat, vinculum consanguinitatis ignorat. c. 16. §. 38. p. 57.

Ego vox clamantis in deserto. Quia Baptistam Deus in vocem, Præcursoremque delegerat, eximijs adeò prærogatiuis ornauit, vt steterit firmus, etsi tanto ariete dignitatis pulsatus: nam quem ad dignitatis culmen euehit, specialibus auxilijs etiam communit. c. 16. §. 41. p. 58.

Tu quis es? Dignitatem arbitrio Ioannis committunt, etsi vti Messias adorari voluerit, offerunt; Ioannes verò, quem euanidus fulgor non obcæcabat, & veritas instruebat, elegit interna pace frui, non externo lumine prælucere. Mihi crede: Qui videtur culminibus eminere, internis solet morsibus dilaniari. cap. 16. §. 43. p. 59.

Sacerdotes, & Leuitas. Non detrectarunt itineris labores subire, vt magnatibus obedirent, nec temporis attenderunt qualitatem, vt pergerent. Certè vitiorum sectatores cultores confundunt virtutis: hi pro virtute vel leuia non amplectuntur illi pro vanitate amplectunturetiam dura. Audax pro vitio tolerantia virtutis assecla confundit inertiam, & inertem damnat ignauiam. c. 17. §. 12. 75. & 21. p. 79.

Tu quies es? Legationem instituunt, vt Ioannem, quem miris exornatum virtutibus nouerant, dignitate nobilitarent; & quidem si alius esset animus, benè apparuisset politicus; sed cùm inuidia erga Christum Hierosolymitæ vrgerentur, erroribus inficiebantur, eliquatis tamen erroribus hæc legatio exhibet politicum documentum, scilicet dignos quærendos, & dignitatibus munerandos. Speciali honore debet gaudere, qui alios constat virtutibus anteire. c. 17. §. 32. p. 84.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

LVCÆ III.

Anno quinto decimo: Vt Reipublicæ tunc Principes veritatem quirent audire, & errores agnoscere, opus fuit Ioannem è deserto aduenire, & quàm caduca sequerentur, ostendere. Plures adstabant Principibus, nullus tamen ægritudini medebatur; nam magnatum circumstantia plus solet eorum internas ægritudines adaugere, quàm consilijs optimis releuare. cap. 16. §. 48. p. 61.

Prædicans baptismum pœnitentiæ. Iam carceri, & martyrio proximabat, qui mores peruersos Principum corrigere non fugiebat. Magnis certè discriminibus exponitur, qui internis Principum mederi morbis adnititur. c. 16. §. 51. p. 63.

Prædicans baptismum pœnitentiæ. Desertis innutritus, jam curiæ proximus satagebat animarum medelam, & desertorum pacem reliquit tranquillam Dei viri, si necessitas exigat, adire non recusant palatia, & subire detrimenta. c. 17. §. 28. p. 78.

Procurante Pontio Pilato, &c. Procurabat Pilatus Principi adulari: ergo & Ioannes procurauit Principum Principi deseruire. Pilatus nitebatur censum Cæsaris adaugere, Ioannes mores hominum expolire. Profectò Ioannes fuit demirandus, nam validius persuadet labores gloria volatica, quàm diuina. c. 17. §. 30. p. 83.

Venit in omnem regionem, &c. Pro virtute aduentat Ioannes cum magnatibus conflicturus; vtque tyrannidem reprimat, prædicationis arma prehendit, & humanam ad speciem naturam vincit. Diuinitatem certè videtur attingere, qui pro virtute audet cum magnatibus decertare. c. 17. §. 51. p. 92.

Baptismum pœnitentiæ. Vt pœnitentiam suaderet, vtque victoriam contra sæculi vitia reportaret, venit ieiunio luridus, pellibus contectus, diuino auxilio potenter munitus. Mihi crede: nequit pugnare acriter contra vitia, qui induit pretiosa ornamenta. c. 17. §. 67. p. 100.

IN DIE NATIVITATIS DOMINI.

IOANNIS I.

IN principio erat Verbum. Dei filius humanam induit carnem, vt Patris contra homines sopierit indignationem: nam facilè patris sopitur ira, si filius pro tua allegauerit causa. c. 19. §. 6. p. 159.

Et Verbum caro factum est. Magnis nascitur Dei filius obnoxius incommodis, vt in se tenerum hominis prouocarit affectum, quodammodò cogat auersari delictum. Et quidem vltra insaniam est in eum peccare qui, vt acquireret tibi regnum, vitæ subiuit incommodum. c. 19. §. 10. p. 161.

Et Verbum caro factum est. Vt certamen contra vitia iniret, recens natus delicijs omnibus renuntiauit. Præsepis angustijs includitur, & pannis vilissimis tegitur; suis te actionibus edocens, à licitis etiam delicijs abstinere, si laudabili victoria contra appetitum discupis redimiri. c. 19. §. 18. p. 165.

Et Verbum caro factum est. Dei Verbum carnem induit, vt te carnis reprimere insaniam doceat, & renuntiare voluptatibus suis factis eruditat: verùm eò processit insania, vt festitijs his diebus plus luxui, & voluptati indulgeatur, & præsepi reclinati exemplum obliuioni donetur: ipsa medela crescit insania, est enim miserum, si contingat indè virtutis detrimenta oriri, vndè debuissent incrementa promanare. c. 19. §. 19. p. 166.

Et Verbum caro factum est. Dei filius carnem indutus requiescit fæno vilissimo placidus, nulla fulget externa maiestate, & tamen exam-

bienda fruitur quiete. E contrario altis solet contingere; putantur degere iucundi, & interius inueniuntur aduri solicitudinibus prægranati. c.19.v.29.p.172

Et Verbum caro factum est. Christus Dominus recens natus ab hominibus exambita contemnit, & fæno contegi sustinet: & quidem qui Dei spiritu præditus, generosè contemnit, quæ cæcissimè discupit ambitiosus. cap.19.§43. p.179.

IN FESTO S. IOANNIS Euangelistæ.

IOANNIS XXI.

Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem. Ioannes à Christo dilectus, & eximijs præ alijs prærogatiuis ornatus Christum sequitur, eademque premere vestigia conatur. Non est omittenda salutis solicita cura, etsi cœlestis adsit tutela. c.20.§.2.p.183.

Sequentem. Ad crucem tendebat Christus, & dum Ioannes sequitur generosis amoris flammis vri probatur. Amori nihil est arduum, etsi ad speciem videatur inglorium. cap.20.§.16. p.190.

Hic autem quid. Petrus vt tenero in Ioannem tenebatur amore, scisciatur futura, & præmatura adurgetur vigilantia. Prudens non solùm attendit præsentia, sed mittit prouidenter oculos ad futura. c.20.§.21.p.193

Sequentem. Dum Ioannes sequitur Magistri vestigia, nos edocet, quomodò sint frustranda sæculi detrimenta: audit, donec Christus veniat, sic mansurum & tamen eius adhæret exemplis imitandis deuotus. Si vis frustrare salutis pericula, Christi Domini imitari oportet exempla. c.20.§.25.p.195.

Sequentem. Ioannes generoso amore flagrans sequitur Magistri vestigia, & mira præbet sequuturis exempla: non deterretur periculis, non allicitur commodis: nam verus, legitimusque amor nec commodis allicitur, nec incommodis deterretur. c.20.§.42. p.204.

Qui & recubuit, &c. Christus Dominus in cæna Ioannem speciali fauore nobilitauit, & Ioannes speciali posteà amore patienti adhæsit. Prudentia est ridenti in fortuna amicos tibi parare, si velis tibi fideles habere. cap.21.§.6. p.215.

IN CIRCVMCISIONE DOMINI.

LVCÆ II.

Postquam consummati sunt dies octo. Dolores Circumcisione subit paruulus, & dum videtur salutis detrimentum subire, probatur detrimenta repellere. Cultri subiuit iniuriam, vt Dei attenderet honori, & hominum etiam saluti: ergo glorioſum nomen promeruit, & viguit. Nulla re melius tuæ prouidebis incolumitati, quàm si consulas Dei honori, & proximorum saluti. c.21.§.20.p.222.

Postquam consummati sunt dies octo. Circumcisionis Christus non recusauit notam, vt legis impleuerit obedientiam, clariori nomine resplenduit, cùm obediuit; nam obedientia, quò cæcior, probatur homini tutior. cap.21.§.23. p.224.

Postquam consummati sunt: Nomen vulganit, quàm fuerit Christo glorioſum Circumcisionis doloribus afflictari, vt quiret hominibus prouidere: scito esse glorioſum incommodis afflictari, vt proximis possis consulere. cap.22. §.16.p.236.

Dies octo. Circumciditur, vt obediat, & pro nobis legem adimpleat, & qui proprio arbitrio poterat regi, maluit præscriptis legis obtemperare. Securior inter pericula viues obedientia tectus, quàm extra pericula tuo arbitrio ductus. c.22.§.20.p.239.

Vocatum est nomen eius Iesus. Religioſissima exhibuit Circumcisionis obsequia, dum veneranda nominis sortitur elogia, vt qui à Deo accepit specialia beneficia, teneri nouerit ad officia præ cæteris exhibenda. c.22.§.24.p.240

Vocatum est nomen eius Iesus. Egregium Circumcisionis meritum à Deo statim sortitum est nominis elogium, & honoris præmium. Apud magnates non adeò breuiter meritis obtinet: nam frequenter apud sæculi altos plus obtinetur sapida adulatione, quàm eximia, & heroica virtute. c.22.§.31.p.244

IN FESTO EPIPHANIÆ.

MATTHÆI II.

Ecce Magi, &c. Vbi Magi fulgido sidere Christi agnouerunt regnum, adoraturi acceleranere volatum. Parum profuisset cœlesti luce pulsari, si oculos conarentur reprimere; nam iuuat parum veritatem agnoscere, ni adnitaris implere. c.23.§.8.p.259.

Vidimus, & venimus. Euangelista illo, *Ecce*, nostram excitat attentionem, & Magorum itineris effert raritatem: Nam vt obtemperarent Deo, rupere moras. Ad perpetranda mala plures inueniuntur exprompti, non innolant ad virtutem aliqua semper difficultate impediti. c.23.§.11.p.261.

Tunc Herodes turbatus est. Vbi præsumpsit regnum imminui, non solùm cæpit varijs perturbationibus concuti, sed in recens natum disposuit callidè desæuire. Nam ambitioſus desæuit truculentissimus, & præ feris extimescendus. c.22.§.47.p.252.

Et congregans omnes Principes Sacerdotum. Principes Sacerdotum decoris muneris infulis exornati congregantur, vt oracula proferant Scripturæ, sed Herodis metu obturbati, aut spebus vanis illecti Textum præciderunt, & prophetiam adulterarunt. Sæpè namque magnis beneficijs obligati metu, aut spebus inueniuntur corrupti. c.23.§.13.p.262.

Responso accepto. Herodes subdolus renuntiari sibi de pueri ortu comiter Magos rogarat, sed eis pericula vrbanitate obtegebat. Illi recens nato obtulerunt munera, & vtilissima receperunt responsa, quibus & Herodis fraudes vitarunt, & ad sua incolumes redierunt. Prosunt namque præstita Numini obsequia, vt imminentia eludere valeas pericula. c.23.§.14. p.363.

Inuenerunt puerum, &c. Mater virginea modestia, puer fidereo, gratoque vultu venientes

Magos

Magos excepit, & quibus opus fuit, vt venirent sideris miraculo, obedierunt accepto vel in somnis responso. Comitas namque, & humilitas animos sibi conciliat, & affectus quodammodò incantat. c.24.§.22.p. 283.

DOMINICA INFRA OCTAVAM Epiphaniæ.

LVCÆ II.

CVm factus esset Iesus annorum duodecim. Christus Dominus, à parentibus sustinet abesse; occasionem tamen patiendi, & edocendi non vult elabi: vt suis factis adolescentes confundat, & virtutibus ætate florenti inseruire doceat. Profectò peccatores solerter curant, ne vitiorum occasiones labantur, non adeò, præcipuè iuuenes, vt exercendæ virtutis occasiones eluerentur. c.24.§.2.p 278.

Dolentes quærebamus te. Sanctissima Virgo, & Ioseph omni solicitudine obedire legi curarunt: se Christus substraxit, parentum incuria non dereliquit; & tamen ingemunt acri dolore perculsi, & quasi deliquerint, obturbati. Perfecti heroicas exercent virtutes, & tamen semper inueniunt, quod in se arguant, & dolore puniant. c.24.§.7.p. 281

In medio Doctorum. Humilis interrogabat, & comiter Doctoribus respondebat. Vndè contigit, vt eorum animos allexerit, & admirationem sibi acquisierit. Num comitas, & humilitas animos sibi conciliat, & inimicos etiam honestè incantat. c.24.§.11.p. 283

Ascendentibus illis. Non erat Christo opus à parentibus instrui, aut ad templum deferri: parentes tamen ad templum Christum ducentes munus impleuerunt. O quot ab obligatione distant, & solùm curant vtilitates filijs adaugere, non mores accuratè expolire. cap. 24. §. 30. p.294.

In his, quæ Patris mei sunt, &c. Ad Dei Patris gloriam retulit, quidquid triduo passus, & quidquid gloriæ, & admirationis adeptus; vt te doceat, nihil gloriæ tibi arrogare, sed omnem Numini adscribere. c.25.§.49.p. 326.

Dolentes quærebamus te. Idem Iosepho, ac Mariæ sanctissimæ studium, idem intentum, Deum scilicet quærere, & virtutibus emicare. Coniuges vnica debent reputari persona, & vna debet in duobus viuere corporibus anima. c.25.§.72.p.339.

DOMINICA SECVNDA POST Epiphaniam.

IOANNIS II.

NVptiæ factæ sunt. Felices nuptiæ, quas sanctissimæ Virginis nobilitabat præsentia, & Christi Domini honorauere miracula. Matrimonium magnum Sacramentum; sed tales coniuges debent esse, vt vnica reputentur persona, & eadem duobus in corporibus anima. c.25.§.72.p.339.

Vocatus est autem Iesus. Obsequium acceptando tales esse coniuges declarauit, vt digni essent ab eis accipere, eisque officium deberi. Non est à quolibet accipiendum, sed cui debeamus, pensandum. c.25.§.75.p.341.

Vinum non habent. Quàm efficax Mariæ sanctissimæ fuit deprecatio. Aderant Apostoli, sed conducibilius fuit Mariam indigentium suscipere causam, quàm si omnes Apostoli releuari deprecarentur inopiam. Vnica valet Maria præ multis sanctis ad impetrandam citò misericordiam, & Dei auertendam iram. cap. 25. §. 76. ibidem.

Nuptiæ factæ sunt. Prudenter Christum adesse solicitarunt, vt genialis celebritatis decens esset hilaritas, & honesta iucunditas. Profectò iucunditas est infelix ab ingluuie innata, & pœnitenda hilaritas à vitio exorta. c. 25. §. 77. p. 342.

Vinum non habent. Si tot cum Christo pauperes non adessent, non deficeret vinum: at prudentes coniuges pati maluerunt inopiam, quàm Christi Domini absentiam. O quàm erassent, si vt conuiuij vanitas excresceret, dispoliatus pauper exularet. c.25.§.78.ibid.

Et erat ibi Mater Iesu. Fors ab vxore aderat Maria vocata, fors à viro Christus, sed siuè ab vno, aut altero fuerint vocati, nullus ægrè tulit illud Domino officium fieri. Sunt qui ægrè ferant quid ab vxore Christo impertiri, cùm ab eis constent plurima dilapidari. cap 25,§.81. p. 344.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

MATTHÆI XX.

EXijt primo mane conducere operarios. Non sine ingenti pretio virtutibus inseruitur, dum exulceratæ culpa conscientiæ morsus vitatur. Certè etsi nullum aliud sequeretur commodum, inseruiendum erat virtutibus, vt conscientiæ durum euitaretur tormentum. cap. 25. §. 62. p. 334.

Exijt primo manè. Lucem antenertit, & vt homines vineæ, hoc est propriæ animæ culturæ studeant, ad forum vsque contendit: manicandi non recusauit incommodum, vt operarij perciperent fructum. Vera charitas, vt à proximo auertat culpam, non recusat amplecti pœnam. c.25.§.43.p. 322

Exijt primo mane. Hac similitudine vineæ Dominus in elucrandis animabus commendauit solertiam, & solertissimam prodidit vigilantiam. Est enim rarum, si non minus ambiantur virtutum lucra, ac sæcularia tractantur commoda. c.25.§.93.p.350.

Misit eos in vineam suam. Iam operarijs promissus denarius, dum parent vocanti, & culturæ percipiunt fructus. Si vocanti renuissent, aut moras texerent, nec fructum perciperent, nec denarium. Felicitatem sibi maturat, qui exprompte inspirationi cœlesti obtemperat c. 25. §. 94. ibid.

Quid hic statis tota die otiosi? Seuera obiurgatione carpuntur, qui sole jam ad occasum vergente otiantur: mirum non erat primo mane operarios otiari, sed mirandum imminente jam nocte otiosæ inertiæ indulgere: verùm peccator profundiori solet indulgere somno, dum plus mortis approximare solet periculo. c. 26. §. 8. p. 358.

Quid hic statis, &c. Otium ab operarijs ex-

cussit

cussit solicita Domini cura, & honestis incumbere laboribus persuasit indefessa vigilantia: Si vineæ Dominus sectaretur inertiam, & operarius prosequeretur ignauiam. Facilè inferiores deturpabit inertia, ni in superiora floreat solicita vigilantia. c. 26.§.9.ibid.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Lvcæ VIII.

Exijt, qui seminat seminare. Vt maturos fructus opportuno tempore possit demetere, siligineum granum procurat agricola profundis sulcis commendare: demens esset, si semina non spargeret, & messium copiam sibi promitteret. Periculosum est tempotis angustia non seminata expectare, tutum prouidenti anteà labore ac maturitate disponere. c.26.§.78.

Conculcatum est. Cœli volucres, hoc est, dæmones, grana diripiunt, quæ tellus sulco non fouit, sed conculcanda à transeuntibus dereliquit. Vnum detrimentum alterum peperit, & produxit. Profectò vna culpa alteram parit, & partam nutrit. c.18.§.21.p.132

Conculcatum est ab hominibus. Dum tellus granum despicit, auium morsus, & lacerationes subit: non solùm passa est tellus grani detrimentum, sed auium rostrum; nam quo passu fouetur vitium, adaugetur etiam tormentum. c.18.§.22.p.133.

Et simul exortæ spinæ Granum tellurem adnititur deuitare, & honesto detrimento viridantium copia messium augere, & tellus duros producit sentes quibus granum dilacerarit ingrata, & fructum sibi abstulerit inimica. O quàm est noxia, & detestabilis ingratitudo! Aliquando qui non veretur dæmonibus inseruire, refugit ingratus videri. c.18.§.33. p.138.

Et simul exortæ spinæ. Pluris æstimauit testes spinas producere, quàm siligineum granum fouere; contempsit granum, à quo eximius fructus: fouit sentem à quo solo sperare potuit cruciatum. En apud terrena hominum corda æstimantur pluris nociua, & euanida, quàm solida, & vera. c.15.§.18.p.15.

Et simul exortæ spinæ. In spinis adumbrantur diuitiæ, quibus studet tellus augendis; verùm quo passu adlaborat incrementare euanidas facultates, inuenitur producere durissimos sibi sentes. Et quidem ipsis artibus, quibus peccator adnititur effugere incommodum incrementat sibi damnum. c.15.§.50. p.26.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA in festo XL. Horarum.

Lvcæ XVIII.

Assumpsit Iesus duodecim. Celeri pede ad Hierosolymam Christus contendit, vt quæ cæcum ad se adduxerint sanandum Apostolis jubet. Quàm erat ingens Apostolorum gloria cæcum reluminandum afferre, & Christo Domino præsentare: vt è contrà, quàm dura pœna manet opponentem impedimenta, & molientem his diebus, ne templum adeatur, scandala. c.15.§.5. p.4.

Iussit eum adduci. Non permisit, vbi anteà insederat, remanere, sed à Iericho rosarum vrbe edocuit aufugere: nam si voluptatis aliqua permittatur viuere scintilla, transit in incendium, & ingens affert periculum. cap. 15.§.8. p. 5.

Ecce ascendimus. Hierosolymam ascendit, vt crucis ariete vitiorum muros subruat, & cœlesti epulo noxias voluptates depellat; nam Eucharistia voluptates exarmat, & ad victoriam vires inspirat. c.15.§ 9.p.6.

Iussit illum adduci ad se. Interrogatus, quid vellet, cæcus videre occiduæ lucis florem respondit, non reluminari animæ oculos expetiuit: Nam apud cæcos pluris habentur ad sensus pertinentia, & euanida, quàm solida, & vera. c.15.§.28 p.15

Cæcus quidam. In cæco Adamum agnoscit adumbratum Gregorius in Caten. D. Thom. ergo Adamus cæcus remanet, & mendicus, dum discupit saporatis contra præceptum pomis vesci, & luculenta mensa potiri. Vt noueris peccatorem, dum sitit voluptatem, adaugere sibi perniciem. c.15.§.50. p. 26.

Cæcus quidam: Cæcitatem sustinebat, qui ad pulchrum, & prædiuitem micantibus fructibus arborem, Adamus in cæco adumbratus oculos extendit; videndo incurrit cæcitatem, voluptati indulgendo pauperiem. Euanida namque mundi gloria duris laboribus emitur, & magnis doloribus compensatur. c 15.§.20.p.11

FERIA IV. CINERVM.

Matthæi VI.

Cvm ieiunatis. Vt nos Christus contra dæmones obarmet, arripere ieiunium docet. Sunt namque dura contra dæmones voluptatesque arma honesta sitis, & fames. cap. 15. §.11. p.7.

Sicut hypocritæ. Hypocritæ in aperto austera sectantur ieiunia, interius euanida gaudia; ieiunando infelicitatem sibi emunt, nec sciunt parum prodesse voluptates oppugnare in aperto, si suppetias tuleris in occulto. cap. 15.§.12. ibidem.

Nolite thesaurizare. Dum potenter sitit aurum, facilè proculcatur legis præceptum, nec facilè queit diuinis quis præceptionibus obedire, ni cupiditates nouerit denudare. Æruginem, tineamque sibi procreat, qui diuitias impotenter anhelat. Nam auri cupiditas sibi ipsi aduersatur, & diuinas leges transgreditur. c.15. §.19.p.11.

Thesaurizate autem vobis &c. Qui pauperum vitam fouet, sibi & posteritati copiosam felicitatis venam acquirit: nam alimenta, quæ pauperum leuant inopiam, filiorum conseruant vitam. c.15.§.16 p.9.

Cùm ieiunatis. Ieiunium animabus, corporibusque curandis Salubriter institutum auersamur vti saluti aduersum, & corporibus inimicum. O nos miseros, qui externa rerum specie deterremur, & inani metu frangimur. cap. 15.§.13. p. 8.

Pater tuus, qui videt in abscondito. Qui ieiunijs, eleemosynis, orationibusque impenditur, Deum tutelarem, & parentem sortitur: qui indulget vitijs, dæmonis tyrannidem patitur: non

non audet dæmon impetere, quos honestis videt actionibus occupatos, delicijs, & otio exagitat deditos. c.15.§.17.p.10.

FERIA VI. POST CINERES.

MATTHÆI V.

Audistis quia dictum est, &c. Toti sunt homines in atterendis externorum hostium viribus, non attendunt occurrere spiritualibus incursionibus, vltione sæuiorem sibi, dæmonem scilicet, solicitant inimicum, vitassent venia duriorem sibi aduersarium; verum non adeò studiosè curamus dæmonis incursionibus obuiare, quàm hostium vires atterere. cap. 18. §. 5. p. 124.

Diligite inimicos vestros. Vindicta inanem sitit plausum, & frequenter sibi incrementat despectum, venia non patitur verum despectum, & acquirit sibi immortalem plausum. Pro comperto habe, maturare sæpe sibi despectum ipso, quo quærebat ambitio plausum. cap. 18. §.15. p. 129.

Vt sitis filij patris vestris. Qui non remittit iniuriam, venerandum Dei filij amittit elogium, Estò vltione honoris propulsauerit detrimentum. Verum sic cæcutiunt peccatores, vt veri honoris æterna detrimenta contemnant, vt temporalem dehonorationis obscuritatem effugiant. c.18.§.35.p.139.

Diligite inimicos vestros. Melius amando inimicos, tibi subijcies, quàm si vltionem suspiraueris; vltione sæpè periculosa multiplicabis tibi odia, parcendo coges aduersarium ad obsequia. Amor amorem parit, & qui se experitur amari, totis conatur viribus respondere. c. 18. §. 42. p.142.

Diligite inimicos vestros. Honestum vltionis artificium est patientia: saluti vitæque Christiana proficit tolerantia. Pluribus contigit miserabiliter interire, dum vindictam adnitebantur expetere. Muta patientia saluti auxiliatur, & honestè de iniuria vlciscitur. c.18.§.50.p.147.

Diligite inimicos vestros. Qui filij Dei sitit elogium, facilè vltionis reprimit insanientem appetitum, mauult iustitiam colere, quàm vltionem de inimico expetere. Itaque ad amicitiam redit iniurijs læsus acsi nunquam fuerit ad vltionem prouocatus. c.19.§.17.p.165.

DOMINICA PRIMA Quadragesimæ.

MATTHÆI IV.

Vltus est Iesus. Christus Dominus, vt diaboli euertere machinamenta nos suis actionibus erudiret, in desertorum etiam recessibus ieiunauit. Accessit veterator ad mensam prouocans, verùm contra, quas offerebat, voluptatum delicias, victoriam tulit sitis, & fames: sunt namque duræ contra voluptates insidiæ sitis, & fames. c.15.§.11. p.7.

Dic vt lapides isti. Reuerà dolosè satagebat deijcere, & nihilominus veterator, acsi obsequiosus inseruiret, beneuolentiam adnitebatur lucrari. Plures dæmon discipulos dereliquit, dum irrogare adnituntur iniuriam, tentant promereri sibi beneuolentiam. c.15.§.39.p.2.

Dic vt lapides isti. Profectò lapidei panes vitam non alerent, sed dentes infringerent; eiusmodi sunt tentatoris artes, & tamen inuenit plurimos sibi obsequentes. O quoties incrementat sibi damnum ipsis rebus, quibus peccator sperabat necessitatis subsidium. c.15.§.50.p.26.

Dic vt lapides isti. Delicias offert, sed in amaritudines conuerti exambit: verum sic cæcutiunt homines ad præsentia vt non extendant oculos ad futura, cùm tot in morte soleant premere catenæ, quot in vita delectauere deliciæ. c.15.§.66.

Mitte te deorsum. Ad culmen extulit, quia præcipitio vicinum nouit. Plures misere non fuissent prolapsi, ni culmina exambissent superbi. Certè dignitatum culmine elati frequenti casus periculo inueniuntur expositi. cap. 16. §. 20.p.48.

Si cadens adoraueris me. Euanidam mundi promisit gloriam, sed pretij etiam declarauit mensuram, infamem scilicet adorationem, & deiectionem indignam. Euanida namque mundi gloria indignis laboribus emitur, & magnis emptor oneribus prægrauatur. c.17.§.20.p.79

FERIA IV. POST DOMINICAM primam.

MATTHÆI XII.

Magister volumus à te signum videre. Cum toties Pharisæos diuina tolerantia, & patientia sustinuerit, de ipsa patientia procudunt arma, & fucata accedunt beneuolentia. Christus verò duro eos referit supercilio: *Generatio mala* & quidem iustè; nam qui longa Dei abutitur tolerantia, ardentiori punitur ira. cap. 15. §.20. p 11.

Signum videre. Viderant expelli dæmonia, & expetebant, vt Hieronymo in Caten. placet, fugitiua micare fulgura; vt hinc noueris, pluris apud homines haberi euanida, quàm solida, & vera. c.15.§.28.p.15.

Volumus à te. Quibus reuerà Christo irrogabant iniuriam, elucrari etiam volebant gratiam. namque frequens politicis mos obtegere beneuolentiæ colore iniuriam, & dolosò fuco ambire beneuolentiam. c.15.§.39. p.21.

Volumus. Pharisæi, Scribæque sua potentia tuti in Christi diuinitatis argumentum exhiberi miracula volunt, sed Christus, dum postulata denegat, dum severo vultu castigat, non infirmius exhibuit maiestatis indicium. Magnates namque sua potentia tuti impune apud sæculum delinquunt, sed apud Deum durissimas pœnas soluunt. c.15.§.70. p.35.

Nisi signum Ionæ, &c. Eodem tempore seueritate errantes corripit, & humanitate Ionæ se fortunam subiturum promittit: optimi impleuit superioris in se normam, & exhibuit ideam. Nam bonus superior eodem tempore in culpam inuehitur, & subiectis prouidere conatur. c.16. §.2.p.40.

Volumus à te signum videre. Iniqua suspicione Christi miracula aliqui denigrarant, & diabolicis artibus in ipsum dæmonem præualuisse asseruerant: ergo modò insolita reposcunt Pharisæi prodigia, vt integra seruetur fama, &

deteratur falsa suspicionis nota. Nam si semel aliqua suspicio animum contingat intrare, difficillimum est depellere. c. 16.§.16.p.47.

FERIA VI. POST DOMINICAM primam.

IOANNIS V.

ERat dies festus Iudæorum. Multis temporibus iacuit paralyticus à Domino sanitati restituendus, & agili membrorum vsu donandus. Nam sæpè quos Deus vult sanitati restituere, solet laboribus diuexare. c. 16.§.9.p.43.

Hominem non habeo. Plures fortasse homines sortitus est, cum prospera vtebatur fortuna, nec paralysis premebatur vrgentia: verùm amici tunc recesserunt obliti, cùm misero opitulari debuissent grati. Inuenies non semel tui obliuiosos, quos speciali iure existimabas obstrictos. c.16.§.29.p.52.

Vis sanus fieri. Veluti hominis arbitrio sanitatem relinquit, vt nos erudiat, & quàm expromptum Dei auxilium ad animæ sanitatem adesse doceat. Creaturarum auxilium semper est tardum, sed Dei probatur semper expromptum. c.23.§.2.p.256.

Hominem non habeo. Fors plures operas suas gratis obtulerant, vt incideret in paralysim, & nec pretio fortè obtulerunt opem, vt resurgeret ad virtutem. Pro certo habe, plures operas suas gratis offerre, vt alij insana expleuerint desideria, & detestanda assequantur vota. c.23. §.27. p. 270.

Qui me sanum fecit. Cùm plures paralytico obijcerent, non posse sabbato humeros lectulo prægrauare, ille ad obedientiam recurrit, & vtili cæcitate parere Domino procurauit. Et quidem eius saluti erat tutior, quò honesta obedientia cæcior. c.21.§.23.224.

Tolle grabatum tuum, & ambula. Etsi cœlesti indulgentia paralyticum sanarit, surgere, ambulareque iussit: vt homo suas etiam operas ad salutis conseruationem afferret, nec sola Dei indulgentia, & benignitate confideret. Non est tibi omittenda salutis cura, etsi cœlestis adsit tutela. c.20.§.2.p.183.

DOMINICA SECVNDA Quadragesimæ.

MATTHÆI XVII.

ASsumpsit Iesus Petrum, &c. Petrus non viso retro spectaculo oblectatus, & Hierosolymæ procerum insidias veritus, totus est in construendis tabernaculis ad vitandas insidias, & passionem auertatur, cum opus esset ad Numinis depellendas offensas. In se Petrus peccatorum expressit mores: soliciti sunt ad auertendam pœnam, non ad abolendam culpam c.15.§.61.p.31

Assumpsit Iesus Petrum. Petrus culmine elatus tabernacula, profugiaque construere aditur anxio timore perculsus. Profectò dignitatum culmine elati anxio timore frequenter exagitantur perculsi. c.16.§.20.p.48.

Resplenduit facies eius sicut Sol. Etsi digni gloriæ spectatores cœlesti lumine fruerentur, securos se ibi fore arbitrantur: *Bonum est nos hic esse.* In Hierosolyma multiplices insidias sustinebant, quia etsi debito, celebrabantur plausu; itaque alibi ab insidia tuti, & alibi machinamentis expositi: nullus namque inuidet donis cœlestibus præcellenti, cum inuideant ferè omnes caducis splendoribus emicanti. c.16.§.37.p.57.

Loquebantur de excessu. Dum mores reformare Christus discupit, & magnatum criminibus obuiare non refugit, de imminenti loquitur morte: magnis namque discriminibus inuenitur obnoxius, qui animæ mederi morbis adnisus. c.16.§.51.p.63.

Faciamus hic tria tabernacula. Sine dilatione tabernacula erigere Petrus molitur, vt ab omni corporis periculo protegatur: Christi verò passionem, qua culpa expungitur, differt: vt noueris corporis salutem sine dilatione aliqua procurari, animæ verò aut obliuisci, aut differri. c.16.§.52. ibid.

Faciamus hic tria tabernacula. Vbi Petrus vidit Christum culmina possidere, & solari luce micare, de construendis profugijs cogitauit: sed cur cum anteà non venerit, modò in mentem venit construere tabernacula? Quia Petrus non ignorabat plurima, & necessaria ei esse arma, qui præ cæteris resplendet fortuna. c.17.§.103.p.117

FERIA IV. POST DOMINICAM secundam.

MATTHÆI XX.

ACcessit ad eum mater filiorũ Zebedæi. Mater cognationis vinculo innixa Christo accedit, & pro filiorum salute, & vtilitate libellum supplicem offert. Christus verò muneri attendit obligationem, non sanguinem. Vtnoueris, nihil detrahendum muneri, vt indulseris cognationi. c.17.§.71.102.

Nescitis quid petatis. Desiderabant triumphum, & terrrenum afferebant desiderium. Christus verò eorum detexit errorem, vt nosceres, oportere quidquid terrenum abijcere, & de internis discupis hostibus triumphum reportare. c.17.§.76.p.104.

Calicem quidem meum bibetis. Quam appetere audierant, crucem recusabant, sed dum recusant crucem eos manere jam non ignorant. Certè plures, dum Christi crucem refugiunt, sibi fugiendo stabiliunt. c.17.§.89.p.111

Mater filiorum, &c. Solicitior erat hæc fœmina de prolis augmento, quàm de Reipublicæ commodo: in se plurimorum adumbrauit studia: plures namque solicitiores sunt de prosapiæ, & familiæ incrementis, quàm de generalitatis incommodis. c.17.§.108.p.120.

Nescitis. Quàm erat Rex cœlestis Christus, apud quem proderant sine intercessione merita, nec sine meritis quid obtinebant intercessionis suffragia. E contrario solet accidere, cum apud sæculi Principes plus quàm merita prodesse soleant intercessionum suffragia. cap. 17. §. 109. ibidem.

Calicem quidem meum bibetis. Dum præexcellentem exambiunt sedem, amarum inueniunt calicem: nam sæculi honores sunt solicitudinibus intertexti, & amaritudinibus mixti. c. 18. §.38.p.140.

FERIA

FERIA VI. POST DOMINICAM secundam.

MATTHÆI XXI.

Plantauit vineam. Vinea solicite plantata, studioseque culta Domino protulit discrimina, cùm exhibere teneretur obsequia. Profectò specialia debet exhibere obsequia, qui specialia accepit à Numine beneficia. c.15.§.1.p.2.

Et nostra erit hæreditas. Dum hæreditatem cupiunt, amittunt: *Dabitur genti*: nam cupiditas, dum cœlestia mandata transgreditur, sibi ipsi cæcissimè opponitur. c.15.§.19. p.11.

Locauit agricolis. Agricolæ accepta vinea nec debita penderunt tributa, nec graui abstinuerunt offensa; & cùm tantis scaterent culpis, non inuenies afflictos pœnis, donec lapis eos contriuit, & vinea se veritas digna priuauit. O quàm satiùs illis fuisset non reijci, sed hic inflictis pœnis mulctari. Nil peccatori vtilius, quàm in hac vita mulctari, nec in futurum pœnam differri. c.15.§ 21.ibid.

Locauit agricolis. Putares agricolas tantis diuitijs ornatos obsequijs gratissimis responsuros; illi verò accepta detorserunt ad euanidum plausum, & debitum Numini denegarunt obsequium. Non rarò quæ suadebant exhibere Numini obsequium, detorquentur ad euanidum plausum. c.15.§.27.p.14.

Misit seruos suos. Seruos misit, vt agricolas, hoc est, Reipublicæ Principes ad semitam virtutis reducerent, & salubri admonitione frænarent; præmium tamen fuit lapidari, & occidi. Magnates namque reprehendere, est sibi pericula procreare. c.15.§.32.p.17.

Locauit agricolis. Quàm erat misera vinea eis agricolis, & Principibus tradita. Omnem legem proculcarunt transgressi, quia sibi acquirendi cupidi; Profectò iudex, aut superior acquirendi auidus, æquitati sæpè inuenitur oppositus. c.15.§.36.p.19.

DOMINICA TERTIA Quadragesimæ.

LVCÆ XI.

Erat Iesus eijciens dæmonium. Mutus omni cautela pectore dæmonium celabat, nihilominus ipsum crimen se se linguacissimum prodebat: nam quantumuis sagax dissimularit cautela, peccatorem prodit criminis lingua. c. 15. §. 30. p.16.

Et illud erat mutum. Ipsum peccatoris silentium pro dæmone erat suffragium; prohibita erat linguæ medela, & confessionis efficax medicina. Christus Dominus non solùm restituit labium, sed de corde expunxit venenum: *Cùm ejecisset dæmonium, loquutus est mutus.* Duo coniunxit, & dæmonem depellere, & ora laxare; iuuaret namque parum ora in confessione laxare, si interius dæmonium contingeret refouere. c.15.§.48. p.25.

Et illud erat mutum. Vbi dæmonium admisit, linguæ iste miser vsum deperdidit, & quibus putabat voluptatibus indulgere, inuentus est calamitatem nutrire: graue adeò onus admissum affert secum peccatum, vt robustum etiam atterat humerum. c.15.§.54.p.28.

In Beelzebub, &c. Christi æmuli, vt miraculum infamarent, iniquas suspiciones sparserunt, & sic suspicio præualuit iniqua, vt ad deterendam eam opinionem à Pharisæis inuisa postularentur miracula: *Volumus à te signum videre.* Adeò arduum est depellere, si iniqua suspicione animus contigerit informari. c.16. §.16. p. 47.

Et illud erat mutum. Clausit vitium labra, ne confessionis apponeretur medela. Dæmones nàque castra sua contra nos figunt in confessionis silentio, & euanido sæculi gaudio. c.17 §.1.p.70

In Beelzebub. Non poterant Scribæ rarum adeò miraculum fugillare: ergo quid ibi latere, procurauerunt iniquis suspicionibus diuulgare: Sunt namque plures, qui vt suo liuori blandiantur, cum externam nequeant actionem fugillare, satagunt intentionem abrodere. c. 17.§.41. p. 87.

FERIA IV. POST DOMINICAM tertiam.

MATTHÆI XV.

Accesserunt ad Iesum ab Hierosolymis, &c. Sæpè Scribæ, & Pharisæi Domini tentarant patientiam, & summam ostenderat Dominus tolerantiam; modò verò seuerissima ira incanduit, & acriter accedentes reprehendit: vt noueris longa abutentem Numinis tolerantia puniendum seuerissima ira. c. 1.§.20.

Quare & vos. Quam Christus rogat transgressionis causam, alibi explicuit, & auaram esse cupiditatem edocuit. Et quidem acquirendi auidus facilè delinquit legem transgressus. c. 15.§.36. p.19.

Quare & vos transgredimini. Legem violabant & nisi à Domino fuissent correpti seuerissima indignatione, prosequerentur impunita libertate. Attendere debuissent alti, durissimas eos manere pœnas, etsi impunè modò perpetrauerint culpas. Magnates apud sæculum impunè deliquunt, sed apud Deum durissimas pœnas exoluunt. c.15.§.70. p.35.

Non lauant manus. Etsi Scribæ nouerint Apostolorum sanctitatem, tentant iniquam spargere modò opinionem, vt qui benè nouerant, si suspicione infamauerint semel, non facilè abolendam, aut sanctitatis famam instaurandam. Et quidem si semel animum contingat suspicio intrare, difficillimum est expungere. c. 16.§.16. p. 47.

Non lauant manus. Dum Scribæ factiosis calumnijs Apostolos tentant denigrare, præter intentionem docent eximia ad Christi panem puritate esse necessarium accedere. Nouerint, qui ad Eucharistiam accedunt, opus esse candore puritatis micare, & virtutibus efflorere. cap. 16. §.22. p. 49.

Scribæ, & Pharisæi. Scribæ, & Pharisæi, vt viderunt Christum, Apostolosque plausibus celebrari, liuoris stimulis nequiuerunt non adurgeri. Si externa adspiceres, censeres beatos, si interna, inuenires miseros. Qui videntur culminibus eminere, internis solent anxietatibus dilaniari. c.16.§.43.p.59.

FERIA VI. POST DOMINICAM

Ioannis IV.

Fatigatus ex itinere. Dum Ioannes Christum Dominum aliquali otio indulgere describit, itineris defatigatione compulsum prodit, vt notum omnibus fuerit, superiorem à solicitudine nunquam solatum, nec inerti otio indulgendum. c.15.§.2.p.3.

Fatigatus ex itinere. Celeri gressu Dominus properabat, quia zelus Samaritidis animam, & conuersionem sitiebat: suos nos exemplo edocens, nullam moram interponendam, si peccatorem quiueris reuocare, & ad veram pœnitentiam reducere. c.15.§.26.p.14

Propheta es tu. Demirata est mulier suæ vitæ notitiam, quia fortè solicitam ad occultandam culpam apposuerit cautelam; scire tamen debuerat, suam, peccatum, qua publicetur habere linguam. Pro comperto habe, quantumuis sagax dissimularit cautela, peccatorem prodi admissi criminis lingua. c.15.§.30.p.16.

Sedebat sic supra fontem. Poterat quidem Christus ad ciuitatem cum discipulis contendere; maluit tamen Samaritidem expectare, & opportunum tempus non differre. Peritus medicus suis factis edocuit, expectandum fore tempus opportunum, vt efficax culpis applicetur remedium. c.15.§.65.p.33.

Haurire aquam. Inaqua agnoscit Augustinus in Caten. sæculi voluptates: ergo non poterant sine anxia solicitudine, & duro labore hauriri, & haustæ nequibant humerum non grauare. Nam euanida mundi gloria duris emi laboribus constat, & acquisita oneribus magnis grauat. c.17.§.20.p.79.

Hora erat quasi sexta. Mulier venit candente sole, & meridie vrente, non retardata est caloris æstu, quia impellebatur voluptatis pruritu. Omne tempus voluptari, aut cupiditati est expeditum, virtuti sæpè difficultatibus implicatum c.17.§.21. ibid.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Ioannis VI.

Abiit Iesus trans mare. Christum multitudo sequebatur, quia videbant signa quæ faciebat, & quidem non erat exiguum signum tot homines vsque ad deserta contendere, nec difficultatibus retardari. Si voluptatibus studerent, non esset mirum, quando omne tempus ad sectandam vanitatem inuenitur expromptum, ad virtutem difficultatibus impeditum. cap. 17. §.21. ibid.

Sequebatur eum multitudo magna. Vt meliores essent, nulli labori parcebant, & ad Christum gressu celeri properabant, quod vti rarum notauit Euangelista; nec rarum esset, si sequerentur euanida. Nam mundi gloria duris constat laboribus emi, & magnis emptores difficultatibus prægrauare. c.17.§.20.ibid.

Quia videbant signa, quæ faciebat. Visa signa sequentibus promittebant alia, & maiora facienda, nec falsi sunt; nam dilargita à Deo beneficia sunt vlteriorum præsagia, & ni apponas obicem pignora. c.17.§.63.p.98.

Facite homines discumbere. Indigentes aluit, famelicis panem apposuit, & erat contra dæmonem durum telum exhibitum indigenti subsidium. Certè quidquid pauperi, & famelico exhibitum, est contra dæmonem durum telum. c.17.§.75. p.104.

Vndè ememus panem? Notanter aduertit Euangelista, Christum, quid facturus esset, scire; voluit tamen ad nostram eruditionem Apostolos sciscitari, vt dum vnus, & alter consilij inops proditur, quàm sit arduum vrgenti tempore opportunum consilium capere denotetur. Profectò periculosum est, temporis angustia necessaria perquirere, vt est tutum solicita anteà prouidentia disponere. cap. 17.§.78. p.105.

Vt facerent eum Regem, &c. Humanitate, liberalitateque sic Christus animos sibi deuinxit, vt etsi tot visis miraculis, in Regem non tentarint inaugurare, modò ad dignitatis culmen festinarint euehere. Vt discant Principes, superioresque subiectorum animos humanitate allici, & liberalitate deuinci. c.18.v.10.p.127

FERIA IV. POST DOMINICAM quartam.

Ioannis IX.

Vidit hominem cæcum, &c. Ab aduersarijs impetitus gradum sistit; & quia lux erat, cæcum illuminare contendit: vt doceat dignitatem nullo tempore ab obligatione solutam, nec à labore feriatam. c.15.§.2.p.3.

Vidit hominem cæcum. Vt vidit, manum ad opus admouit, & visum cæco restituit. O quàm grande Reipublicæ beneficium confertur, si negotia citò expediantur, & dilationis tormenta penitus amputentur. c.15.§.13.p.8.

Quis peccauit? Existimabant Apostoli cæcum ob peccatum aliquod puniri; fallebantur; verùm si ita esset, vel in pœna reluceret misericordia: nil enim peccatori conducibilius, quàm in hac vita puniri, nec ad futuram supplicia differri. c.15.§.21.p.11.

Quis peccauit? Cæcitatem peccati existimauerunt fructum, & quamuis ea cæcitas à culpa non promanarit, interrogatione docuerunt, graue onus afferre secum peccatum, & parere hominibus infortunium. c.15.§.54.p.28.

Fecit lutum. Exiguo luto, & blanda curatione restituit visum, cui diù inueteratum inhæserat cæcitatis infortunium. O cœlestis medici peritiam! Dum infirmitas subiecti grauior, oportet aliquando, vt medicina sit lenior. cap.16. §.46.p.60.

Et video. Restitutus visus varios excitauit affectus: alij adscribebant crimini, eximiæ alij applicabant sanctitati. Idem namque factum pro affectus varietate aut laudibus effertur, aut iniquis detractionibus sugillatur. c.16. §.58.p.66.

Index ad Sacras Conciones.

FERIA VI. POST DOMINICAM quartam.

IOANNIS XI.

ERrat quidam languens Lazarus. Lazarus, dum peccatoris imaginem gerit, languore oppressus immaturè decumbit, & in iuuentutis flore mortem oppetijt. Vt noueris, peccatores infaustam sæpè maturare sibi fortunam, & præbere infortuniorum materiam. c. 17. §. 29. p. 106.

Eamus, & moriamur cum illo. Audentes æmulorum manus lapidibus armatas euaserant incolumes, & dum Lazari herois altique mortem depulsurus Christus aduentat, jam Thomas indubiam imminere mortem existimat. Et quæ huius ratio? Quia nouerat magnis discriminibus exponi, qui internis Principum adnititur morbis mederi. c. 16. §. 51. p. 63.

Miserunt ergo sorores. Ante Resurrectionis miraculum, aliud videtur miraculum præcessisse, scilicet Lazaro Principi, & peccatoris imaginem gerenti adstantes curasse ægritudinem non augere, sed leuare. Est enim miraculi adinstar, si magnatibus adstantes non conentur augere, sed relenare. c. 16. §. 48. p. 61.

Miserunt ergo sorores. Cognationis leges honorarunt, & virtutem piè coluerunt. Bonus namque frater debet fratrem à periculo eripere, consilijs, orationibusque adiuuare. cap. 17. §. 40. p. 87.

Domine, si fuisses hic. Cùm Martha perfecta fide non fulgeret, querula occurrit, quia Christus ad vitandam Lazari mortem tempora non breuiarit. Corporis salus ardenter ambitur, animæ in futurum sæpè sæpius differtur. cap. 16. §. 52. p. 63.

Lazare, veni foras. Quasi cum viuo loquitur, ne fœtoris impingat notam, & ipso beneficio obscurauerit famam. Quasi cum viuo loquitur, vt colat modestiam, & omnem fugiat iactantiam. Est enim prudentis omnem fugere iactantiam, & alijs vitare notam. c. 17. §. 44. p. 89.

DOMINICA IN PASSIONE.

IOANNIS VIII.

QVis ex vobis. Christus Dominus se à nullo asserit de peccato conuincendum: id denotat verbum illud, *Arguet*, id est, conuincet. Non ignorabat iniquam de se æmulos opinionem fouere. *Samaritanus es tu* (aiebant) *& dæmonium habes:* ergo non posse, testatur eum rationem de peccato conuincere, etsi quiuerint iniquis suspicionibus denigrare. Adhærent namque homines vel infirmæ suspicionis qua indubiæ fidei adhærere possent, tenacitate. cap. 17. §. 39. p. 86.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Necessitas exigebat suam innocentiam propalare, & mores nulla culpa infectos ostendere: ergo inculpatè vixisse ostentauit, nosque edocuit, non esse adscribendum arrogantiæ, sed prudentiæ magnalia sua referre, si ratio cogat, & necessitas exigat. cap. 17. §. 48. p. 91.

Quis ex vobis arguet, &c. Cùm acerbam mortem esset Christus subiturus, & florenti ætate occidendus, omnis se peccati expertem voluit ostendere, ne eius æmuli stragem tentarent culpis adscribere. Et quidem peccatores non est dubium infaustam sibi mortem maturare, & stragis occasionem præbere. c. 17. §. 79. p. 106.

Ego non quæro gloriam meam. Iam contendebat ad palmam, & oculis intuebatur victoriam, cum Dei solùm gloriam quæreret, & causam ageret. Nam qui solùm Dei causam studet agere, indubiam potest sibi victoriam promittere. c. 17. §. 87. p. 110.

Nonne benedicimus nos. Euidens erat Christum Samaritanum non esse, nec dæmonio exagitari, & tamen æmuli cæca adeò exagitabantur inuidia, vt infami sugillauerint nota. Inuidia euidentiæ refragatur, & ambitio veritatem clarissimam denegare sæpiùs adnititur. cap. 17. §. 95. p. 114.

Tulerunt ergo lapides. A procaci lingua deuenerunt ad manus: priùs aiebant: *Samaritanus es tu, &c.* & modò vt Deum dilapidarint, prehensant lapides. Est enim peccati effectus de turbare prudentiam, & quandam afferre insaniam. c. 18. §. 23. p. 133.

FERIA IV. POST DOMINICAM in Passione.

IOANNIS X.

FActa sunt encænia. Celebrandis encænijs adest Christus: circumstant æmuli cupientes in dubium an Christus sit, reuocare: *Si tu es Christus, &c.* Quid tunc Christus? Indubium ab operibus profert testimonium: *Opera, quæ ego facio, &c.* & eorum veritate percellit animum. Sæpè namque splendidior radiat innocentia, quibus obscurare adnitebatur malitia. cap. 26. §. 16. p. 362.

Vos dicitis: quia blasphemas. Blasphemi tulit notam, quia culpis adnitebatur adhibere medelam: Nam qui alienos defectus corrigit, sibi persequutionem adscisit. c. 26. §. 18. p. 363.

Oues meæ, &c. Oues expromptè audiebant vocem, quia agnoscebant immaculatam vitæ puritatem. Nam in moralibus meliùs vox admonentis percipitur, si distare à culpa cognoscitur. c. 26. §. 19. p. 364.

Loquor vobis, & non creditis. A veritate aberrare inceperant, & sententiam demutare animitus detrectabant. Erant Reipublicæ magnates, & magnates non semel honori ducunt à malè cœptis non resilire, sed pertinaciter adhærere. c. 26. §. 29. p. 369.

Dic nobis palam. O quam fuit molestum Christi patientiæ blandis ad speciem verbis interrogari, cùm sciret maleuolis animis adhærere. Nil certè patientiæ acerbius, quàm si te alloquatur blandissimis verbis, qui durissimis promit factis. c. 26. §. 23. p. 366.

Loquor vobis, & non creditis. Manifestè Christus suam innocentiam, & diuinitatem ostenderat, vt audacis suspicionis repellere posset audaciam, & maleuolentiæ calumniam. Est enim iustis fas innocentiam suam publicitus ostentare, & contra se iniquam suspicionem repellere. c. 26. §. 24. p. 367.

FERIA VI. POST DOMINICAM in Passione.

Ioannis XI.

Collegerunt Pontifices. Toti erant Pontifices in mundiali gloria sibi conseruanda, & quanis arte fulcienda. Peccatores sic euanidis addicuntur occupati, vt animæ prorsus videantur obliti. c. 25 §. 28. p. 313.

Collegerunt Grauissima consulentium fuit pœna absoluere malè consulta, esset, si impedirentur, eximia misericordia. Mihi crede Misericordia Dei est, si tibi occurrant impedimenta, ne perfeceris malè consulta. cap. 25. §. 37. p. 318.

Quia hic homo multa signa facit. Dum in Christum machinantur, & multa beneficia miraculosè accepisse fatentur, sibi procudunt miseriam, & accelerant imprudenter ruinam. Nam qui pro acceptis beneficijs rependit iniurias, contra se indignationis adauget flammas. c. 25. §. 39. 319.

Venient Romani. Quia adurgebantur hostibus, debebant obarmari virtutibus; sic verò deerrabant, vt virtutem abijcerent, & iniustæ necis suffragium quærerent. Prudens, dum sentit hostibus adurgeri, studiosiùs curat virtutibus obarmari. c. 25. § 59 p. 332.

Expedit vt vnus homo. Pontifex dignitate abutitur, vt malè consulta foueat, & suo suffragio stabiliat: verùm dum dignitate abusus adnititur suffulcire, imprudenter dignitate se inuenitur dispoliare. Translatum est ad Romanos Imperium, vt notum fuerit, contra se ipsum calamitatem architectari, qui non veretur dignitate, & potentia abuti. c. 25. § 60. ibid.

Venient Romani. Humanam extimentes potentiam Deum non timuerunt, & omnem legem violarunt; durissimus tamen timor eos in morte manebat, & infelicissima vitæ clausula expectabat. Qui in vita Deum non didicerunt timere, in morte solent timore horrido exagitari. c. 25. § 83. p. 345.

DOMINICA IN PALMIS.

Matthæi XXI.

Cvm appropinquasset, &c. Christus celeberrima pompa excipitur, & faustis acclamationibus celebratur; ea tamen triumphali pompa non vtitur ad vanitatis fomentum, aut superbiæ delirium; cùm ferè nnnquam homines sine legis offensa felici vtantur fortuna. Profectò rari sunt, qui non detorqueant ad euanidum superbiæ fomentum, quæ suadebant deuotius exhibere Numini officium. c. 15. § 27. p. 14.

Venit tibi. Non venit, vt diuitias acquireret; non venit vt splendorem domus adaugeret: sibi non Reipublicæ aduentasset, si cupiditate sorduisset. Nam iudex, aut superior acquirendi auidus, sæpè inuenitur legem transgressus. c. 15. §. 26. ibid.

Venit tibi. Generalitatis vtilitati aduentat conclamatus, & solùm vitijs aduersus; nullius resplendet detrimento, & cunctorum resplendet lucro; in Reipublicæ commodum augnratur nullius detrimento euectus, & cunctorum vtilitatibus applicatus. c. 6 §. 12. p. 45.

Mansuetus. Clementia, mansuetudoque eximia potestatis sunt ornamenta, & omnium commoda Non est regimini aptus iracundia percitus, vt nec etiam superbia elatus. cap. 16. §. 25. p. 51.

Benedictus, qui venit. Regia proditur origine exortus, & meritis cæteris antelatus: ergo mirum fuit celebrari, & reliquis anteponi, nam frequenter qui præ alijs dignus aut reijcitur, aut loco vltimo collocatur. cap. 16. §. 27. p. 52.

Benedictus, qui venit. Etiam faustis, iteratisque acclamationibus celebratus resplendebat benèdictus, & virtutibus omnigenis exornatus: ergo felix, & fortunatus. Mihi crede Infelix est, etsi dignitatis splendoribus fulgeat, quem virtus desertat. c. 16. §. 42. p. 59.

DE MAGDALENÆ VNCTIONE.

Ioannis XII.

Vnxit pedes Iesu. Magdalena acceperat eximia à Domino beneficia: ergo specialia exhibere studuit obsequia; ad specialia namque tenetur obsequia, qui specialia accepit à Domino beneficia. c. 15 §. 1. p. 2.

Vnxit. Nihil sibi Maria voluptuosum permisit, sed Deo verè pœnitens alacriter consecranit; vt eius sequaris exemplum, nec permittas tibi voluptatis vestigium. Si aliqua voluptatis permittitur scintilla, flabellatur in incendium, & ingens affert periculum. c. 15. §. 8. p. 5.

Vnxit. Pretioso vnguento vestigia Domini perliniuit; noluit eis delicijs sibi adulari, sed Domino offerre, sciebat Domino oblatas profieere, & sibi applicatas angustias ingentissimas parituras. Quot in vita delectauere deliciæ, tot in morte illigauere Catenæ. cap. 15. § 6. p. 4.

Accepit libram vnguenti nardi, &c. Maria cum generosis intus arderet flammis, pretiosis, externisque studebat promereri Christum officijs. Amoris pulsus sunt facta, & manus largæ adfectionis testimonia. c 16. §. 56. p. 65.

Quare hoc vnguentum, &c. Vnctio à Iuda abroditur, à Christo laudatur, Christus operis attendebat honestatem, Iudas sequebatur cupiditatis rabidam sitim. Eadem actio pro varietate affectus apparet laudibus digna, aut sugillationi obnoxia. c. 16. §. 58. p. 66.

Quare hoc vnguentum non venit trecentis denarijs. Ingenti pretio asserebat Iudas posse vendi, & ab hominibus ad corporis delicias ambiri. Non deesset emptor qui ob delicioſam fragrantiam penderet trecentos denarios, & fortassis, ad pauperis leuamentum paucos non expenderet nummos. Euanida, & delicioſa magni emuntur, & emptis frequenter homines prægranantur. c. 17. §. 20. p. 79.

DE

DE CHRISTI ORATIONE.

Lvcæ XXII.

Factus in agonia. Christus ob peccatum, quod soluere proposuit, durissimas angustias sustinet, & appetente jam morte pauet. Graue adeò onus relinquit peccatum vt vel fortium atterat humerum. c.15.§.54 28.

Apparuit ei Angelus. Feruida oratione non est assequutus vitare mortis tormenta, sed ad nostram eruditionem apparuit Angelus ad exhibenda solatia vt suis nos Christus actionibus edoceret, lachrymas, orationesque cœlestia obtinere solatia, etsi non obtineant vota. c.16. §.8 p.43.

Quantum iactus est lapidis. A suis semotus orationi institit, quia etsi Christo opus non fuerit nouas ad certamina vires colligere, oportuit nos suis actionibus edocere. Recedendum ab hominibus est, vt robur tibi ad certamina ædifices, & vires prudenter compares. c.17.§.2.p.70.

Inuenit eos dormientes. Dum dormiunt, vt dæmon eos impetat, occasionem præbent testante Christi: *Sathanas expetiuit vos.* Timeret, si orationi, vigilantiæque deditos inueniret. Dæmon non audet impetere, quos dignis intuetur actionibus occupatos, impetit delicijs, ac otio deditos. c.17.§.17.p.77.

Orabat. Quo tempore orabat? Eo ipso, quo reliqui inerti tradebantur otio, somnoque ignauo; quia nox erat, orationi importunum tempus Petrus arbitratus est, & licet nox esset, non abstinuit à gladij operibus, & cum Malcho certaminibus. Omne tempus inuenitur mundi asseclis, ad vanitates fouendas expeditum, ad virtutem difficultatibus implicatum. c.17.§.21.p.79.

Dormientes. In proximo erat periculum, & tentatio, & indulgebant discipuli somno. Vt noueris omnes, dum proximiores periculis, obsurdescere plus salutaribus monitis. c.26.§.28. p.369.

DE PETRI NEGATIONE.

Lvcæ XXII.

Negauit eum, dicens, &c. Petrus negat, & Christus aspectu corrigere eum adlaborat: *Respexit Petrum.* Culpam correxit, Petro non inussit notam, vt noscamus superiorum lapsus esse modestè corrigendos, non obmurmutatione infamandos. c.25.§.18.p.307.

Fleuit amarè. Statim recurrit Petrus ad fletum, quia Dominum negatione sensit iratum. O si imitaremur Petrum Pœnitentem, qui sequuti sumus peccantem! Qui Deum sibi præsumit iratum, inuolare debet ad pœnitentiæ remedium. c.25 §.33.316.

Fleuit amarè. Non est ob culpam punitus, immò fortè, quia magistrum negauerat, palatinis acceptus, & tamen amarè deflet conscientia carnifice tortus, & dolore acerrimo exulceratus. Nam etsi temporale non vrgeat supplicium, durum est conscientiæ tormentum. c.25. §.62. p.334.

Fleuit amarè. Non distulit pœnitere, immò festinauit fletum arripere; & quidem prudenter, nam aliquando exigua in arripienda pœnitudine mora attulit grauissima detrimenta. cap. 25. §.71. p.338.

Respexit Dominus Petrum. O Domini benignitatem! Blando aspectu corrigit, & pœnitentiam arripere sine loquela suadet. Si amouisset aspectum, grauissimum intulisset supplicium; nam duraretur Petrus; profectò cordis durities grauissimum est supplicium, quia infelicis mortis præsagium. c.25.§.86.p.346.

Fleuit amarè. Amarè fleuit, secum expendens ei intulisse offensam, à quo tantam beneficiorum accepit copiam. Profectò magna debet confusione perfundi, qui lædere, & offendere ambiuit, à quo beneficia plurima accepit. cap.26. §.7.p.357.

IN CÆNA DOMINI.

Ioannis XIII.

Cæpit lauare. In seruorum se numerum retulit, & dignitati suæ quodammodò amans detraxit: nam amor inuenit, aut facit æquales. c.18.§.6.p.125.

Quia omnia dedit ei Pater in manus. Omnia sub dilectorum pedibus posuit, immò se ipsum in epulum dedit. Nam verus amor nescit quid sibi retinere sed omnia dilecto discupit dilargiri. c.18.§.8.126.

Sciens quia venit hora eius. Appetente etiam morte munus impleuit, & discipulos instruxit. Nam dignitas nunquam est ab obligatione soluta, nec vni sibi dicata. c.13.§.2.p.3.

Cæpit lauare. Nihil omisit vt proditoris duritiem emolliret, & ad veram pœnitudinem reuocaret. Vt noueris nihil tibi omittendum, vt peccatorem frænaueris, & ad pœnitentiam veram reduxeris. c.15.§.26.p.14.

Cæpit lauare. Non ignorabat Christus Iudam obstinatè admonitionibus restiturum; lauit tamen, vt quod ad se attinebat, perficeret. Nam superior munus debet implere, etiam cum de fructu potest diffidere. c.15.§.76.p.38.

Cæpit lauare. Se in epulum daturus Apostolorum pedes lauit, vt qua accedendum sit puritate, edoceret, & cœlesti pane contra adsultus dæmonum obarmauit. E contrà dæmon à cœlesti pane conatur auertere. Est enim solicita dæmonis cura, quò faciliùs possit virtutes subruere, à cœlesti hac mensa corda hominum separare. c.23.§.1.256.

FERIA II. IN RESVRRECTIONE Domini.

Lvcæ XXIV.

Duo ex illis ibant. Experiebantur discipuli magna ipsis imminere pericula, ni vitarent improborum consortia; ergo arripuerunt iter; nam qui vult anxia pericula declinare ab improborum consortio debet recedere. c.15.§.15.p.9.

Appropinquans ibat, &c. Ipsa die appropinquauit, vt fugientes ad saniorem mentem reduceret, & indubia fide obarmaret. Vt peccatorem reuocaueris, nulli est labori parcendum, sed indefessis gressibus properandum. cap. 15. §.26.p.14.

Et porrigebat illis. Quos anteà habebant obscuratos,

obscuratos, modò oculos aperiunt luce perfusos. Vt noueris Eucharisticum panem lucem impertiri, qua agenda videas, & feliciter visa absolnas. c.16 §.17. p.47.

Ibant ipsa die. Post tot accepta beneficia à crucifixo jam recedebant, & vestigijs celeribus properabant. Hic sæculi mos est. Quos tibi plus existimabas obstrictos, inuenies, si calamitas vrgeat, ingratos. c.16.§.29 p.52.

Qui fuit vir Propheta, &c. Discipuli inuidentia non tacti Christi extollebant opera, & signa, & ob patrata signa, iniqua Scribæ, & Sacerdotes condemnauere sententia: *Multa signa fecit.* Eadem opera pro affectus varietate sugillantur, aut laudibus efferuntur. cap. 16. §.58. p 66.

O stulti, &c Christus temporali morte emit gloriam; Apostoli emebant ingrato discessu vitam. Cœlestis gloria possessa felicitat, mundialis grauat. In gloriam suam intranit sanguinis pretio, nec minori mundialis gloria quæritur sumptu. Sic est: Volatica mundi gloria carè emitur, & nihilominus exambitur. c. 17.§.20. p.79.

DOMINICA IN ALBIS.

Ioannis XX.

CVm serò esset die illa. Latitabant Apostoli, ne in manus iudicum iniquorum inciderent; erant paupertate oppressi, licet miris virtutibus exornati: ergo latebant: nam in curijs parum, ne latites, iuuant merita, ni accesserint donorum suffragia. §.16.§.54 p.64.

Vbi erant discipuli congregati. Vt tot imminentes frustrarentur adsultus, charitate, amoreque armabantur vniti, & vniebantur armati. Sunt namque validæ adeò charitatis, vnionisque vires, vt vel ipse demon horreat vinculum, & timeat prodire in campum. c.17.§.10.74.

Ostendit eis manus, & latus. Horrorem eis vulnera incusserant: ergo modò vult manibus attrectarint, vt quanta ex illis promanarit gloria, cognouerint. Congruit externa specie non duci, sed altiùs plurima expendere: nam sæpè vana rerum specie deterremur, & inani metu concutimur. c.17.§.13.p.75.

Cum fores essent clausæ. Nec occlusæ fores, nec imminens occasus Christo Domino extiterunt impedimenta, quominus discipulos adiret, & eorum motum depelleret. Quàm aliter hominibus accidit. Quodcumque tempus ad fouendam vanitatem est expeditum, ad virtutem difficultatibus implicatum. c.17.§.21.p.79.

Gauisi sunt &c. Christi Domini gloriam intuiti, gauisi sunt, quia nec eos tenebat inuidia, nec inuidiæ obstinarat pertinacia. Aliter namque nec oculis crederent, nec manibus viderent. Adeò exoculata est inuidia, ea ambitionis est pertinacia, vt euidentiæ refragentur, & clarissima denegare adnitantur. c.17.§.45. p.89.

Pax vobis. Ecce Apostoli tranquilla pace fruuntur ab hostibus quæsiti, & varijs persequutionibus agitati. Si solùm respicias occlusas fores, existimabis Christi discipulos commiseratione dignos, si interiora inspexeris, inuenies fruitos plenissimo gaudio. Profectò peccatores in ipsa felicitate solicitudinibus adurgentur; iusti ipsis in laboribus læta tranquillitate fruuntur. c.18.§.36. p.139.

IN DIE ASCENSIONIS.

Matthæi XVI.

REcumbentibus, &c. Culpis est apponenda medela, sed temporis opportunitas expectanda. Recumbebant Apostoli, & quia tempus erat opportunius, Christus eò vsque increpationem distulit, & superiores edocuit. Expectandum est tempus opportunum, vt culpis applicetur remedium. c.15.§.65. p.33.

Assumptus est in cœlum. Omnem passionis ignominiam jam spectant non sine voluptate transisse in gloriam. Finitus est temporalis angor, & successit immortalis splendor. Iusti angores desinunt in tranquillitatem, iniusti splendor desinit in amaram solicitudinem. c.15.§.65. ibidem.

Assumptus est. In se ipso ostendit Dominus per crucem ad immensam gloriam deuenisse, vt qui discupit ad gloriam peruenire, non horreat per crucis itinera deambulare. Certè Deus, quos ad perenne gaudium designat, laboribus sibi parat. c.16.§.9.p.43.

Assumptus est in cœlum, & sedet. Quam erat mirum ad alta ascendere, & nullis jam anxietatibus concuti, sed tranquilla pace frui. Apud mundiales eiusmodi ascensiones non inueniuntur, immò qui ad dignitatum culmina assumpti, frequentissimis periculis perturbantur obnoxij. c.16.§.20.p.48.

Euntes in mundum. Quæsiuit Christus, quos Ecclesiæ præferret; non sunt illi, vt præ alijs eligerentur, conati. Electo recumbentibus apparuit. Non illi prandium omiserant, vt satagerent deligi: ergo prædicauerunt, & munus impleuerunt vbique: *Illi autem &c.* Ferè semper muneri satisfaciunt quæsiti, non ita, qui se ingerunt ambitiosi. c.16.§.33.p.55.

Et sedet. Duris laboribus emit Christus gloriam, sed jam possessa, illum extulit, non grauauit. Quando volatica sæculi gloria magnis laboribus emitur, & ipsa emptione, & possessione ambitiosus prægrauatur. c.17.§.20. p.79.

IN DIE PENTECOSTES.

Ioannis XIV.

SI quis diligit me. Cœlestis ignis Apostolos ad certamina obarmat, & multimodis linguis ditat; & quamuis durissimos non dubitarent Apostoli subeundos labores, statim loqui cæperunt, & adimplere munus curarunt. Nam labor à benuolo impositus lubentiùs impletur, vt admonitio etiam minus grauanter auditur. c.15. §.3.p.3.

Ad eum veniemus. Spiritus Sanctus in specie ignis aduentat vt Apostoli eius actiuitatem imitati inuolarint homines ad veram fidem, & virtutem transfaturi. Grande adeò malum peccatum est, vt ardenti actiuitate oporteat properare, si ab humanis cordibus possis expungere. c.15.§.26.p.14.

Veniemus. In Apostolorum corde amor latebat, sed lingua, quid lateret, publicabat. Habent merita, & peccata suas linguas, quibus prodant

prodantur, etiamsi sagaci dissimulatione celentur. c.15.§.30 p.16.

Ad eum veniemus. Venit cœlestis spiritus in Apostolorum corda, non in diuitijs exundantium pectora. O si noscceremus donorum differentiam! Quæ peccatores non ambiunt, sunt pretiosa, quæ sitiunt, exigua. Quæ humanis oculis speciosa, etiam reprobis inueniuntur à Domino dilargita. c.16.§.24.p.50.

Si quis diligit me. Merita, virtutesque cœlesti spiritus aduentu præmiantur, & Apostoli cœlestibus charismatibus citò adimplentur. O felicem cœlestem Rempublicam, vbi digni non reijciuntur, sed munerantur. Apud sæculum præ alijs dignus frequenter postponitur, aut reijcitur. c.16.§.27 p.52.

Ad eum veniemus. Diuina flamma super Apostolorum capita relucebat, & quamuis videntibus admirationem ingesserit, ad æmulationem plurimos non excitauit. Si humanus, & volaticus splendor redimiret tempora, durissima plures adurgerentur inuidia. Rarus inuidet donis cœlestibus præcellenti, plures splendoribus euanidis emicanti. c.16.§.37 p.57.

IN FESTO SANCTISSIMÆ Trinitatis.

MATTHÆI XXV.

Data est mihi omnis potestas. Omnis potestas Christo datur, vt meritum digna remuneratione præmietur. In sæculi curia parum inuarent merita, ni accederent donorum suffragia. c.16.§.54.p.64.

In nomine Patris, &c. O quam graue jam vitijs, ac dæmonibus indicitur bellum, quando vnitatis, charitatisque profertur elogium. Pater, Filius, & spiritus sanctus vna diuinitate renident, & inseparabili concordia resplendent: ergo satis erit aqua, vt de dæmonibus reportetur victoria. Vt noueris, adeò esse validas vnionis, charitatisque vires, vt eas dæmon perhorrescat, & fugiat. c.17.§.10.p.74.

Euntes ergo docete omnes gentes. Non omnibus Apostolis regio æqualis, alijs fera gens erudienda contigit, alijs mitior, & humanior; alijs regio saporatis fructibus plena; alijs sterilitate sordida; nullus tamen restitit, sed obedire exambiuit. Nam virtutis alumnus solum curat obedire, nec occupationis gradum, aut splendorem attendit. c.17.§.16.p.77.

In nomine Patris, &c. In nomine Patris, &c. iussit homines baptizari, non misterium Trinitatis discutere. Et quidem vtili, ac laudabili opus est obrutescere insicitia, vt exactè amplectaris mandata. c.17.§.28.p.82.

Docete omnes gentes. Subeant Apostoli pro eluerandis hominum animabus duros labores, vt non minus ad laborem ob virtutem cogat zelus, cum maria traijciat, & pericula despiciat ob reculas ambitus. Certè quæ pro reculis pericula subeunt vanitati inseruientes confundunt delicatè Christo Domino famulantes. cap.17. §.53. p.93.

Docete Omnes gentes. Iam mittebat ad martyria, dum magnatibus etiam iubebat prædicare Euangelia. Sæculi Principes adulationibus assuefacti, veritate nolunt instrui. Certè magnates reprehendere, eorumque moribus contraire; est tibi periculum procreare. cap.15.§.32. p.17.

IN FESTO CORPORIS Christi.

IOANNIS VI.

Caro mea vere est cibus, &c. In cibum se offert; antiqui mannà pro mensura comedebant: *Gomor per singula capita,* hic verò cibus cum fame est mensurandus, & famelicis exhibendus. c.21.§.15.p.220.

Caro mea verè est cibus. Ad Patris gloriam ascensurus, quos anteà lateri suo coniunxerat, se in epulum exhibuit, & diuinitatem suam factis probauit. Decus maiestatis est indigentibus prouidere, & alimenta præstare. cap. 22.§.14. p. 235.

Caro mea verè est cibus. Quanta hominibus Christum sequuti assequantur lucra, mensa cœlestis testatur, ergo & Christus proponit virtutis lucra, vt virtutis sequantur causam. Nam apud homines ea est causa melior, vndè emanat fructus copiosior: Ergo cum in hac mensa sit fructus copiosior, jam virtutis causa debet reputari melior. c.22.§.26.p.241.

Caro mea verè est cibus. In sacrum se epulum Christus offert, & solùm salutem, & vtilitatem attendit: ergo Eucharistia generosæ amicitiæ est testimonium, & charitatis indubium est argumentum. Vera amicitia à charitate exoritur, quæ ab vtilitate, aut voluptate, adulterata probatur. c.18.§.3.p.123.

In me manet, & ego in illo. Quamdam veluti æqualitatem hæc mensa efficit, in qua amor præsidet, & amor aut inuenit, aut facit æquales. c.18.§.6.p.125.

Sanguis meus verè est potus. Sic homines erga virtutem delicati, vt se Christus in potum dederit, ne manducandi molestia acceßuros fugarit, & quidquid habuit, lubenter exhibuit. Nam amor nescit quid retinere, quia omnia dilecto discupit dilargiri. c.18.§.8.p.126.

PRO DEIPARÆ FESTIVITATIBVS. Pro festo Conceptionis.

MATTHÆI I.

Liber generationis, &c. Dum Christus à Deipara assumpsisse carnem refertur, speciali immunitate reluxisse probatur; cum specialia exhibere debeat obsequia, qui accepit singuria beneficia. c.15.§.1.p.2.

De qua natus. Cum Dei sit incorrupta iustitia, & Eua fuerit mulctata, quia intulit prima peccatum, Maria coronari debuit in primo instanti, quia attulit prima remedium. Fas erat sortiri Mariam, gratiâ, cum Eua, quia prima delictum intulit, grauissimam tulerit pœnam. c.15.§.6.p.4.

De qua natus est Iesus. Christus, vt hominibus tueretur vitam, carnem indutus matri ab originali est victoriam in omnium vtilitatem largitus: nam Mariæ ab originali victoria omnibus attulit vitæ, ac salutis remedia. cap. 15. §. 14.p.8.

Filij Danid. Filia Dauid Maria proditur, & concepta

concepta ad imperandum refertur: ergo non adeò benè cæteris posset imperare, si aliquando probaretur præceptis cœlestibus contraire. c.15. §.45.p.24.

Filij Dauid. Dum concipitur Maria, regalem sortitur venam, & debitam sibi coronam; ast si originali sorderet macula, plena non vteretur fortuna: nam non est felix etsi vtatur fortuna, qui Dei denigratur offensa. c.15.§.74.p.38.

De qua natus est Iesus. Dum mater proditur, felicissima vitæ exordia habuisse probatur: nam faustæ, aut infaustæ vitæ præsagia esse solent exordia. c.16.§.7.43.

MARIA NATA.

MATTHÆI I.

Liber generationis. Nascitur Maria post primam matrem mater omnium futura: ergo post Euam electa omnigena virtute inuenitur ornata. c.16.§.6.p.42.

De qua natus est Iesu. Omnium virtutum prærogatiuis exculta nascitur, & jam ipso in vitæ exordio Domini mater refertur: nam exordia futuræ vitæ frequentissimè sunt præsagia. c.16.§.7.p.43.

De qua natus est Iesus. Fausto omine Maria nascitur ad regnum, non vt Eua, quæ omnium vestita floruit detrimento. Felix Maria nullius detrimento nata, & in matrem commodis omnium electa. c.16.§.12.p.45.

De qua natus. Huius natiuitatis felicitas non est à venæ claritate, aut splendore regio dimetienda sed à Christo filio taxanda. Nam quæ humanis oculis speciosa, reprobis etiam inueniuntur concessa. c.16.§.24.p.50.

De qua natus est Iesus. Mariæ nascentis felicitas est ad Christum edendum nasci, non sic à progenitoribus regijs oriri. Ea est tamen hominum stupiditas, vt plus demirentur caducis splendoribus emicantem, quàm donis cœlestibus præcellentem. c.16.§.37.p.57.

De qua natus est Iesus. Maria auorum claris stemmatis nascitur insignita, sed & Christo filio nobilitanda. Non esset felix, si à Deo deserta, etsi dignitatum fulgoribus præluceret ornata. c.16.§.42.p.59.

MARIA PRÆSENTATA.

LVCÆ II.

BEatus venter. Maria in Christi Matrem nata à teneris annis exhibere alacriter festinat obsequia: tenentur namque ad specialia obsequia qui specialia receperunt à Domino beneficia. c.15.§.1.p.2.

Beatus venter. Dum templo præsentata, interius Deum habere refertur, & eius felicitas explicatur: nam innaret parum, mundum oppugnare in aperto, si sequeretur in cordis abstruso. c.15.§.12.p.7.

Beatus venter. Recessit Maria à mundiali conuersatione, vt omni resplenderet virtute: vt noueris tibi longè ab improbis recedendum, si est periculum deuitandum. c.15.§.15. p.9.

Beatus venter. Dum trima templo dicatur, & eximia oris venustate fulget, omnium oculos in admirationem trahit, & ad Dei laudes modestia adducit: vt aliquando oris venustas deseruierit virtuti, cum frequenter probetur famulari prauitati. c.15.§.18.p.10.

Beatus venter. Beata deprædicatur Maria, dum oculos fugit, dum recessum exambit cœlestium meditationi dicata, & ab omni euanido splendore semota. Homines sic cæcutiunt, vt pluris habeant euanida; quàm solida, & vera. c.15.§.28.p.15.

Beatus venter. Maria Deo in templo dicatur, & simul Deo plena refertur. Vt nouerin fœminæ, esse vtrumque necessarium; parum namque prodest Deo dicari, si contingat euanidis appetitionibus inseruire. c.15.§.42.p.22.

MARIA AB ANGELO annuntiata.

LVCÆ I.

MIssus est Angelus. Angelus ad Mariam domus penetralibus latentem mittitur, & virginitatis candore ornata refertur. Vt nouerint virgines amare secessum, si cupiunt declinare periculum: nam opus est, si velint pericula declinare, studiosè recedere. c.15.§.15. p.9.

Ecce ancilla. Humilitas fuit Numinis illicium, & filia Regum non passa est humilitatis naufragium; cùm prærogatiuæ, dotesque esse soleant humilitatis impedimenta, felicitatis naufragia. c.15.§.34.p.18.

A Deo. Mariæ in Matrem, Reginamque electio Deo adscribitur, non paranimpho applicatur. Rita ad dignitatem electio Numini est adscribenda, non humanis conatibus applicanda. c.16.§.4.41.

Quomodò fiet istud, &c. Difficultates opponit, & integritatis pericula repræsentat. Non est contra perfectam obedientiam difficultates superiori repræsentare, & imminentia pericula præcauere. c.16.§.10 p.44.

Missus est Angelus. Maria in Matrem deligitur, & ad regalem dignitatem euehitur. O quam erat felix electio! Quandoquidem fausto omine inauguratur nullius detrimento electus, & cunctorum vtilitatibus applicatus. cap.16. §.12.p.45.

Ad virginem. Dei erat electio, quandoquidem Maria cæteris dignior, & virtutibus exornatior. Cùm apud sæculum frequenter dignior reijciatur, aut loco vltimo collocetur. cap.16. §.27.p.52.

ELISABETH VISITATA.

LVCÆ I.

EXurgens Maria. Elisabeth erat Maria cognata, & dum properat, vt felicitate cumulatiori resplendeat leges cognationis honorat. Profectò quem inuidentia, aut ambitio inflammat, iura consanguinitatis depretiat. c.16, §.38.p.57.

Cum festinatione. Cum nota non esset proeundi

dendi in publicum causa, festinauit, & oculos fugit: nam ni rationabilis appareat causa, virginem, aut religiosum prodire in publicum esse solet iniquæ suspicionis materia. cap. 16. §. 14. p.46.

Cum festinatione. Maria ab Angelo quæsita, & in reginam electa munus adimplere festinat. Laudabilius profectò muneri satisfaciunt quæsiti, quàm qui se ingerunt ambitiosi. c.16.§.33. p.55.

Beata, quæ credidisti. Beatam prædicat Elisabeth virtutibus exornatam non euanidis splendoribus cultam: cùm frequenter fœminæ non inuideant donis cœlestibus præcellenti sed euanidis splendoribus emicanti. c.16.§.37.p.57.

Cum festinatione. Festinat Maria à Ioanne culpam expungere, & donis cœlestibus exornare. Quàm aliter apud sæculum contingit: quæ ad corpus pertinent, celeriter procurantur, quæ ad animam differuntur. c.16.§.52.p.63.

In montana. Maria dum præ cæteris eminet dignitate, per abrupta conscendens laborat fatigatione, & vt Ioanni consulat, anxia fertur solicitudine. Vt nouerint, qui eminent dignitate, grauandos fore præ cæteris onere, & anxia vrgendos solicitudine. c.17.§.7.p.73.

MARIA PARTVM EXPECTANS.

LVCÆ I.

Fiat mihi secundum verbum tuum. Citò absolui desiderat quod honestissimè ambiebat; & Deus maturauit partum ne torqueret desiderium. Vt Reipublicæ ministri discant desideria non torquere, & causas celeriter expedire. c.15.§.13. p.8.

Fiat mihi secundum verbum tuum. Ardenter anhelabat cœlesti fructu emicare, non euanidis splendoribus prælucere. Cum sæpè apud fœminas plus habeantur euanida, quàm diuina. c. 15. §.25. p.15.

Fiat mihi secundum verbum tuum. Tempus conatur desiderijs anteuertere, & partum præmaturare: verùm pauci Mariæ sequuntur exemplum; nam cum lucem anteuertant humanæ vtilitatis studio, tempus virtutis non anticipant desiderio. c.31.§.21.p.460

Fiat mihi secundum verbum tuum. Statim discupit desiderium absolui, nec differri. Et quidem plures animæ Christum peperissent, ni bona proposita in posterum protelassent. Certè in sequentem diem dilatum desiderium tulit non semel abortum. c.19.§.32.p.173.

Fiat mihi secundum verbum tuum. Quam exprompta inueniebatur Maria ad obediendum, & quam ardentibus desiderijs æstuabat ad filium edendum, & procreandum: cum de more pluribus sit, ardenter euanida ambire, non sic virtutem appetere. c.23.§.11.p.261.

Fiat mihi secundum verbum tuum. Sanctissima Virgo ardentibus desiderijs tempus breuiauit, & Deum ad nascendum quodammodò impulit. Vt hinc noueris, quanta vis insit Deiparæ precibus. Profectò grata Numini violentia retractare contra peccatorem sententiam cogit, & à periculis eximit. c.25.§.69.p.337.

MARIA PVRIFICATA.

LVCÆ II.

Postquam impleti sunt dies. Ad templum Maria properat, vt mandata legis adimpleat: mundi, Angelorumque Regina, & filius Regum Rex, vt cæteris normam exhibeant, perfectè adimplere satagunt obedientiam. Non potest benè cæteris imperare, qui detrectat mandatis cœlestibus obedire. c.15.§.45.24.

Vt sisterent eum Domino. Deo reddidit, quod acceperat Maria à Deo. Certè oblatione placuit, si sibi, & non Numini, quod acceperat, applicaret, offenderet: Fert namque ægrè Deus, si adnitatur homo sibi applicare, quod Numini tenebatur adscribere. c.15.§.60.p.31.

Nunc dimittis, &c. Simeon laboribus fractus, & virtutis molestijs innutritus tranquille emoritur; nam in iusti morte virtutis labor transit in tranquillitatem. c.15.§.67.p.34.

In ruinam. Iam Simeon Christum à suis diuexandum prænuntiat, & à gentibus venerandum declarat; nam eadem facta pro affectus varietate à gentilibus non inuidis efferebantur, à Iudæis inuidis sugillabantur; certè opera frequenter pro varietate affectus sugillatione digna habentur, aut elogijs efferuntur. c.16.§.58. p.66.

Secundum legem Moysi. Sine mora legi parnit Maria, ne tarditas denigraret obsequium, aut morositas sordidaret officium. Obedientiæ splendor minuitur, si morosa tarditate adimpletur. c.17.§.27.p.82.

Lumen ad reuelationem, &c. Spiritu sancto refertur Simeon ornatus, dum Christi laudes promulgat, nec quid minuere adlaborat. Certè apud homines quid de elogijs præciditur, vt si obscura referantur aliquid semper augetur. c.22. §.50. p.254.

MARIA AD COELOS Assumpta.

LVCÆ X.

Intrauit Iesus in quoddam castellum. Quàm pacatè, tranquilleque sedet Maria, cum vitæ finitur clausula: Maria emoritur, sed Christo adstante, & suauiter alloquente. Vt noueris, virtutem afferre morienti tranquillitatem, volaticum splendorem amatissimam anxietudinem. c.15.§.67.p.34.

Secus pedes Domini. Præ cæteris creaturis Mariam Christus euexit, sibique adiunxit; nam Maria præ cæteris virtutibus eminuit, meritisque splenduit. Martha disponebat edulia; Maria adaugebat merita. Quàm aliter apud sæculum accidit. Præ alijs dignus solet reijci, aut loco vltimo collocari. cap.16.§.27.p.52.& 54. p.64.

Secus pedes Domini. Quàm felix fuit Maria ad supremam gloriam elata Deoque coniuncta! certè ni morigeras aures præberet, felix non esset etsi multis prærogatiuis, splendoribusque radiaret. Infelix est, quantumuis luminibus fulgeat, quem virtus desertat. c.16.§.42.p.59.

Secus pedes Domini. Maria Marthâ innenitur proximior, etsi Martha referatur muneribus obsequentior. Aliter in curijs accideret: nam ibi aditus difficilis meritis, facilis donis. c. 16. §. 56. p 55.

Audiebat. Dum Maria supra Angelorum choros effertur, autes loquenti Deo exhibuisse describitur, & dum in gloria adquirenda facilitas proditur, stultitia hominum sugillatur: cum euanidam mundi gloriam duris laboribus emant, & possidentes magnis anxietatibus ingemiscant. c. 17. §. 20. p. 79.

Optimam partem elegit. Maria Christo adhærens patronum sortitur, & à criminationibus Marthæ defenditur. Nam Deus non solùm à discrimine eripere, sed suorum affectat se patronum exhibere. c. 19. §. 40. p. 177.

IN FESTO OMNIVM Sanctorum.

MATTHÆI V.

Beati, qui persecutionem. Qui patienter labores sustinent, & saluti suæ auxiliantur, & gloriæ hæredes honestissimè de aduersarijs vlciscuntur. c. 18. §. 50. p. 147.

Beati pauperes. Cum terrena omnia à corde expunxerint, lucent triumphis redimiti, & æterna gloria munerati. Terrena oportet generosè despicere, si cupis triumphum de hostibus reportare. c. 17. §. 76. p. 104.

Beati pauperes spiritu. Etsi eximia paupertate fulgeant, non ob id alias virtutes amplectendas ignorant, cum à cæteris auxilium sit implorandum, etsi speciali aliqua virtute cum hoste sit congrediendum. c. 17. §. 77. p. 105.

Beati misericordes. Contra dæmonem à misericordia imploruere subsidium: nam quod indigenti pauperi dilargitum, est durum contra dæmonem telum. c. 17. §. 75. p. 104.

Beati, qui lugent. Lugentes pronuntiantur beati, quia admissa piacula prouida deleuere lamenta, fortè si differrent lugere, illis contingeret disperire. Tutum est prouidenter disponere, vt periculosum vrgenti tempore necessaria perquirere. c. 17. §. 78. p. 105.

Beati, qui lugent. Beati sunt, qui emittunt vtiles lachrymas, non qui volaticas sectantur delicias, immò qui sectantur delicias, sunt infelices, nam quot delectauere in vita deliciæ, tot in morte illigare solent catenæ. c. 15. §. 66. p. 34.

PRO SANCTO ANDRÆA Apostolo.

MATTHÆI IV.

Ambulans Iesus. Non otiabatur, sed ambulabat, vt Andream alliceret, & suo muneri satisfaceret, vt doceret, dignitatem nunquam à solicitudine solutam, nec inerti otio dicandam. c. 13. §. 2. p 3.

Venite post me. Blanda voce, & benenolo aspectu fratres vocati expromptissimè obtemperarunt. Nam labor à benenolo impositus lubentiùs impletur, vt etiam veritas expromptius auditur. c. 15. §. 3. ibid.

Sequuti sunt. Magnis præmijs dignus fuit Andreas, cùm ad sequendum Christum primus aperuerit cæteris viam; vt è contrà, qui ad delinquendum aperiunt viam, grauissimam merentur pœnam. c. 15. §. 6. p 4.

Relictis omnibus. Omni cupiditate nudantur ad dignitatem Apostolicam elati, & regendis alijs præpositi. Et quidem iudex aut superior acquirendi auidus, sæpè inuenitur legem transgressus. c. 15. §. 36. p. 19.

Piscatores hominum. Omni solicitudine properarunt ad homines conuertendos vocati, & à Domino electi: Nulla mora interponenda est, vt animas lelucreris, & ad veram pœnitentiam adducaris. c. 15. §. 26. p. 14.

Sequuti sunt. Omnia despexit Andreas, vt sequeretur Christum in vita, & imitaretur in morte. Alij Christum relinquunt, vt expiscentur: pluris namque habentur euanida, quàm solida, & vera. c. 15. § 28. p. 15.

PRO SANCTO THOMA Apostolo.

IOANNIS XX.

Affer manum tuam. Nescio quam cordè Thomas fouerat suspicionem: Ergo opus fuit contrectandas manus, pectusque offerre: nam si semel suspicio animum contingat intrare, difficillimum est depellere. c. 16. §. 16. p. 47.

Et mitte in latus meum. Pectus pandit, & posteà dubietatem reprehendit. Vt discant superiores & culpam carpere, & subditis prouidere. c. 16. §. 2. p. 40.

Dominus meus, & Deus meus Cæteri appellauerant Dominum, Thomas Dominum fatetur, & Deum; nec mirum, cùm vni Thomæ pectus obtulerit: debet namque specialia exhibere obsequia, qui singularia accepit à Domino beneficia. c. 15. §. 1. p. 2.

Noli esse incredulus, &c. Qui clementer indulsit, ne iterum dubitaret, admonuit. Est namque oneri diuinæ misericordiæ, qui iterat culpam & iterando incrementat offensam. cap. 15. §. 4. p. 3.

Ianuis clausis. Thomam Apostolum correxit, sed ianuis clausis ob dignitatem admonuit. Nam etsi corrigenda sit culpa, dignitati reuerenter exhibenda est medicina. c. 15. §. 33. p. 18.

Nisi videro. Sua dubitatione nobis Thomas profuit, dum in re tanti momenti se facilem non exhibuit. Vt nouerimus, in rebus magni momenti vel quæ indubia videntur, examinanda, & perspicacibus oculis inspicienda. cap. 16. §. 35. p. 56.

IN FESTO SANCTI MATTHIÆ Apostoli.

MATTHÆI XI.

Confiteor tibi pater. Quod absconditum est Iudæ superbo, reuelatum est Matthiæ parvulo. Vt notum sit, grandi virtutum censu ornari, qui ad deterendam decessoris notam probatur deligi. c. 16. §. 6. p 42

Reuelasti ea parvulis. Matthias sibi videbatur parvulus,

parvulus, sed erat virtutibus ornatissimus: nullius iniuria resplenduit electus, immò cunctorum commodis designatus. c.16.§.12.p.45.

Reuelasti ea parvulis. Apostolis reuelavit, Matthiam deligere; quàm electio fuit à suspicione libera, cùm electores indifferenti accesserint animo, nec aliqua passione corrupto. c.16. §.23.p.50.

Reuelasti ea parvulis. Dignus erat Matthias qui eligeretur ad culmen, dum se paruulum reputabat, & humilitate fulgebat. Non est regimini aptus iracundia percitus, aut superbia elatus. c.16.§.25.p.51.

Reuelasti ea parvulis. Apostolis reuelauit Matthiam eximijs cultum virtutibus cæteris anteferre. Electio electorem, & electum commendabat, & eligendi formam præscribebat. Sed proh dolor! Frequenter dignus reijcitur, aut loco vltimo collocatur. c.16.§.27.p.52.

Parvulis. Apostoli vocantur paruuli, nulla cupiditate infecti, & nulla affectione corrupti. Non potest libera fronte eligere, ni constet electori ambientibus nihil debere. cap.16.§.26. p.51.

IN FESTO SANCTI IOSEPHI.

MATTHÆI I.

HÆc autem eo cogitante. Cogitante Ioseph puriſſimam Virginem deſertare, quia neſciebat ſuſpicionem depellere; opus fuit, vt Angelus aduentaret, & Mariæ candorem aſſereret. Eſt enim depellere difficillimum, ſi ſuſpicio intraverit animum. c.16.§.16.p.47.

Eo cogitante. Per otium rem examinauit nec oculis citò credidit: ergo dignus fuit Angelica allocutione; factis nos edocuit, in rebus magni momenti vel quæ videntur indubia, perſpicacibus oculis exploranda. c.16.§.35.p.56.

Cum eſſet deſponſata. Apparuit Maria Ioſephi oculis grauida, etſi miſterium ſilentioſa diſſimularit cautela. Mihi crede: Difficulter diù celatur, quod animo interius geritur. c.16.§.44. p.59.

Cùm eſſet deſponſata. Ioſeph ad magnum dignitatis culmen euectus, & ad apicem felicitatis promotus internis ſolicitudinibus angitur: quod ſi ſolida felicitas aliquo angore miſcetur, quibus putas premi, qui fluxa, & volatica fruitur? Certè qui videntur culminibus eminere, internis ſolent ſolicitudinibus dilaniari. cap.16.§.43. ibidem.

Ecce Angelus Domini. Ne Ioſeph erraret, Angelico alloquio præuenitur, & cœleſti luce illuſtratur. Nam Deus ſpecialem ſuperioribus lucem miniſtrat, & ſpeciali prouidentia gubernat. c.16.§.45.p.60.

Cùm eſſet deſponſata. Magna pars felicitatis Mariæ fuit talem ſortiri ſponſum, alioquin honoris, & vitæ innocens ſubijſſet periculum: vt diſcant parentes ſponſos filiabus quærere virtutibus potius exornatos, quàm alijs dotibus expolitos. c.17.§.33.p.84.

IN FESTO INVENTIONIS. Sanctæ Crucis.

IOANNIS III.

VEnit ad eum nocte. Et cur noctem ſperet, & fugiat lucem? Quia etſi Chriſtus miris præluceret virtutibus, externis non micabat ſplendoribus: ergo cautela cenſuit Nicodemus adeundum, & alloquendum. Omnes concurrerent diù noctuque, ſi impertiretur dignitates aut euanidos potiretur ſplendores. Nullus inuidet donis cœleſtibus præcellenti, ſed poteſtate micanti. c.16.§.37.p.57.

Ad eum nocte. Quàm Helena laudibus æternis fuit digna, dum crucem quærere non diſtulit, ſed omni ſtudio, & impigra ſolicitudine procurauit. Ecce Nicodemus crucis auditurus miſteria, vſque ad noctem profert ſtudia. Quidquid ad corpus pertinet, ſine mora ambitur, quidquid ad animum, ſæpè in futurum differtur. cap. 16. §.52.p.63.

Sicut Moyſes, &c. Quia ſciebat diabolus vel vmbram crucis hominibus afferre medelam, vigilanti ſolicitudine crucis obtendit hominibus ignorantiam. Vt nouerisquantum Helenæ debuerint, cum inuentum ſacrum lignum culpas abegerit, & ſalutem repararit. Vel crucis Dominicæ vmbra eſt dæmonibus dura flamma. c.16.§.60. p.67.

Ad eum nocte. Nocte venit, & mirum fuit non fuiſſe difficultatibus implicatum, & mundialibus negotijs detentũ. Et Helena etiam ad eruendam crucem venit, quia difficultatibus deterreretur timida, aut moraretur vanitatibus implicata. Profectò omne tempus inuenitur fouendis vanitatibus expeditum, ad ſectandam virtutem difficultatibus implicatum. c.17.§.2.p.79.

Sicut Moyſes. Moyſes nulli labori pepercit, vt exprimeret crucis vmbram, qua ſuorum ſaluti prouidit, & obſequia Chriſto futuro præſtitit: at Helena non vmbram, ſed ipſam crucem inuenit, & ſi fas eſt dicere, omnibus ſalutem attulit. Aliæ fœminæ ſumptus faciunt ad plauſum elucrandum, fecit Helena prudentius ad lignum ſalutiferum inueniendum. Crux affert ſalutem; verum mundi gloria laboriosè quæritur, & ſitienter ambitur. c.17.§.20. ibid.

Sicut Moyſes. Serpentis externa ſpecies terrebat, ſed reapſe vulneribus ſaucios ſanabat. Vt etiam inuenta crux ſalutem refudit, ſi externa ſpecie plures exterruit. Pauci quærunt Domini Crucem externa ſpecie deterriti, & inerti metu fracti. c.17.§.13.p.75.

IN FESTO SANCTI IOANNIS Baptiſtæ.

LVCÆ I.

PEperit filium. Filium peperit Eliſabeth, & ipſo nomine à Deo eam accepiſſe ſilicitatem teſtata eſt: cum frequenter contingat poſſidere ad inanem plauſum, quæ ad Numinis cogebant obſequium. c.15.§.27.p.14.

Quis putas. Speciali Numinis fauore agnouerunt monticolæ Ioannem procreatum, & editum: *Manus Domini erat cum illo*: ergo prudenter coniecerunt Domini obſequio, & gloriæ præ

cæteris sanctis dicandum, quia tenebatur ad specialia obsequia, qui specialia acceperat beneficia. c.15.§.1.p.2.

Quis puer iste erit? Tantus nascitur Ioannes, vt à cognatis, vicinisque miris laudibus commendetur, & miraculo potuit quodammodò adscribi, cum frequenter apud suos parui æstimetur, qui apud exteros dilaudatur. c.16.§.31.p.53.

Manus Domini, &c. Putares, sumptuosa elogia Ioanni allatura pericula, cùm fauorem Principis pro se habere inflammare soleat inuidiam, & pati æmulantium copiam. Verùm monticolæ, dum cœlesti fauore laudant prælatum, non putant inuidentiæ expositum: cum frequenter nullus inuideat donis cœlestibus præcellenti, sed humanis splendoribus emicanti. c.16.§.37.p.57

Qui putas, &c. Ratum videri potuit prodigium Ioannem deprædicari magnum, dum nascitur, cum frequenter hominis eximijs etiam dotibus exornati tunc solùm deprædicetur magnitudo, cùm deperditur. c.17.§.6.p.72.

Etenim manus Domini erat cum illo. Ioannes nascitur nobili vena exortus, & cœlesti manu exornatus; & vel rudes monticolæ ob manum celebrant, ob progeniem non ita laudant. Glorioſum est nobilitatem à parentibus accipere, sed glorioſius mirandis virtutibus ampliare. cap. 18.§.65.p.155.

IN FESTO SS. APOSTOLORVM Petri, & Pauli.

MATTHÆI XVI.

QVem dicunt homines. Petrus est omnibus demirandus, vt qui varias de Christo opiniones prorsus expunxerit, & deleuerit, & diuinitatis veritatem fulciuerit. Nam si aliqua opinio, aut suspicio animum contigerit possidere, difficillimum est expungere. c.16.§.16.p.47.

Tu es Petrus. Christus Dominus, quem tot virtutibus vidit excultum statim ad dignitatis euexit altum, ne ambiendi molestia Petri esset nota, & remuneratoris iniuria. Bonus Princeps attendit merita, & sine ambitus molestijs effert ad munia. c.16.§.4.p.41.

Et super hanc petram. Dum Petrus effertur ad fastigium, nullis adsultibus ait Dominus concutiendum. O quàm ea dignitas probatur cœlestis! nam qui humanis dignitatibus exornatus, casibus inuenitur expositus. c.16.§.20.p.48

Beatus es Simon Bar-Iona. Petrus, qui se indignum à Domino lauari existimauit, & columbæ filius placida mansuetudine eluxit, ad dignitatem effertur. Et quidem non est regimini aptus iracundia percitus, aut superbia elatus. c.16.§.25.p.51.

Non præualebunt. Non ait, Petrum non impetendum, sed victurum. Vt noueris ad dignitatis culmen à Deo electum specialibus auxilijs, & viribus communitum. c.16.§.41.p.58.

Secessit in partes, &c. Secessit à curia, vt laudem inuenirent merita. Nam in curijs elogium lucrantur dona: parum frequenter iuuant apud politicos merita, ne accesserint donorum suffragia. c.16.§.54.p.64.

IN FESTO SANCTÆ MARIÆ Magdalenæ.

LVCÆ VII.

ECce mulier. Maria nobilitatem acceperat à parentibus, & oculis nihilominus notabatur, dum infici putabatur sordibus. Glorioſum est nobilitatem à parentibus accipere, sed opus honestis actionibus exornare. c.18.§.65.p.155.

Lachrymis cæpit. Cæpit, vt prosequeretur, non vt alij peccatores, leuiter pœnitentiæ incubuit, nec vanitati obstinatè adhæsit, quod est eximium Mariæ elogium. Nam homines leuissimè pœnitentiæ incubant, tenacissimè in sceleribus perseuerant. c.19.§.11.p.162.

Vnguento vngebat. Optimo auspicio Maria perfectionis viam aggressa est, & licitas vnguenti delicias Deo consecrans se contra hostes armauit & palmam tulit. Nam qui se à licitis etiam continet, optimo auspicio certamen init. c.19.§.18. p.165.

Et capillis suis tersit. Quia jam Christo prorsus dicabatur, & meditandis cœlestibus assignabatur, crinis curam contempsit, pompam exuit, ornatum nudauit. Dei namque spiritu afflatus generosè contemnit, quæ sæculo deditus ardenter exambit. c.19.§.43.p.179.

Deosculabatur pedes eius. Amore icta pretiosum vnguentum fundebat, pretioſioribus lachrymis pedes rigabat; & totam se holocaustum offerebat. Opera prodebant amorem, & erant adfectionis pulsus, & amoris planſus. c.16.§.56.p.65.

Vnde in pace. Saluberrimam pacem, tranquillam requiem sibi lachrymulis comparauit: quæ euanidam plausus gloriam, immò obmurmuratricem linguam magnis sumptibus emit, & periculis magnis quæsiuit. Certè volaticus plausus carè emitur, & periculo obnoxius probatur. c.17.§.20.p.79.

IN FESTO SANCTI IACOBI Apostoli.

MATTHÆI XX.

ACcessit ad eum. Mater filiorum amore saucia turbas Christum circunstantes fecat, vt thronos exambiat: Vel ipse ambitus magnis erat difficultatibus plenus, & quem discupiebat mundialem splendorem, erat volaticus. Apud homines pluris habentur euanida, quàm æterna. c.15.§.28.p.15.

Dic vt sedeant. Iam mulier errabat, quæ otium, & dignitatem iungebat, cum dignitatis munus teneatur otium ignorare, & solicitudinibus studere. c.15.§.2.p.3.

Calicem quidem meum. Iam Iacobo martyrij inter Apostolos prænuntiat primatum, & de ipso primatu cumulatissimum præmium. Nam qui calicem primus bibere exambit, magnis virtutibus lucet; vt è contrà, grauissimam meretur pœnam, qui primus ad delinquendum aperuit viam. c.15.§.6.p.4.

Nescitis. Qui Rex jam adorabatur, boni formam regiminis exhibuit, dum ambientes dilatione non torsit. Grande est beneficium negotia prompte

promptè expedire, nec ſuſpenſione cruciare. c.15.§.13.p.8.

Adorans, & petens. Affectabat adorationis obſequium, vt expiſcaretur lucrum. Sunt, qui affectent virtutem, vt aſſequantur vtilitatem. c.15.§.49.p.25.

Calicem quidem meum bibetis. Requirit merita, vt largiatur munera, & dilecto Iacobo non temporalem largitur gloriam, ſed æternam. Crux Iacobo promittitur, & temporalis thronus indignis etiam conceditur. Certè quæ humanis oculis ſpecioſa, inuenies ſceleſtis etiam conceſſa. c.16.§.24.p.50.

IN FESTO SANCTI PARENTIS noſtri Ignatij.

LVCÆ XII.

Sint lumbi veſtri. Stricto ſe cingulo Ignatius præcinxit, & implacabili diuinæ gloriæ ſiti laborauit. Si humanam ſitiret gloriam, inferret virtutibus ignominiam. Nam humanæ gloriæ ambitioſi, virtutibus inueniuntur aduerſi. c.15.§.17.p.10.

Sint lumbi veſtri præcincti. Iam ad martyrium præparat, dum lucernæ ſplendore peccatorum caliginem depellere mandat. O quot labores deuorauit Ignatius, dum procerum erroribus eſt obſiſtere adniſus. Certè magnates reprehendere, eſt pericula, & labores adire. c.15.§.32.p.17.

Sint lumbi veſtri præcincti. In ſpiritualis vitæ tyrocinio ſolloce induitur, pretioſis omnibus denudatur, emendicato viuit, & cruenta flagella ſæpè repetit: ipſo in exordio jam ſanctitas prænidebatur eximia: nam exordia ſunt futurorum auſpicia. c.16.§.7.p.43.

Et lucernæ ardentes. Iam ab exordio Ignatius Sancti Petri fauoribus recreatur, & Deiparæ aſpectu fruitur. Nam cum Deus ad tantæ Religionis caput deſtinauit, fauoribus mirandis fulciuit. c.16.§.41.p.58.

Et lucernæ ardentes. Sic Ignatius exarſit, vt ſupergreſſus fuerit in deuorandis pro Dei gloria, laboribus, & periculis, aliorum ambitionis ſitim, & febrim. Certè validius perſuadet inire certamina, deuorare diſcrimina gloria volatica, quàm diuina. c.17.§.30.p.83.

Sint lumbi veſtri præcincti Vbi ardenti lucerna Ignatius reſplenduit, opus illi fuit militari præcingi balteo, & in excubijs ſemper degere, vt dæmonum, hominumque obuiaret adſultui. Quæ tulit Ignatius certamina, eximiæ ſuæ virtutis extiterunt clariſſima teſtimonia: nam quò quis maiori virtute excultus, tantò acrius diabolicis machinis impetitur diuexatus .c.18.§.63. p.154.

IN FESTO SANCTI BARTHOLOMÆI Apoſtoli.

LVCÆ VI.

Exiit Ieſus in montem orare, &c. Dei ſuſpirat Chriſtus honorem, ſed Apoſtolos ſortitur ad laudem: & Bartholomæus magiſtrum imitatus, à Rege oblata recuſat munera, & recuſando, acquirit elogia: dum ſolùm Dei ſuſpirabat honorē, eximiam ſibi acquiſiuit laudem. c.17.§.85.p.109

Elegit, &c. O quàm vtilis fuit Chriſto Bartholomæi electio; nam diuino amore inflammatus ad extrema vſque terræ eius tulit notitiam & pelle exutus ambiuit diuini nominis gloriam. c.17.§.86. ibid.

Bartholomæum. Electus in Apoſtolum Bartholomæus vel pellem exuit, & amori conſecrauit. Neſcit verus amor quid ſibi retinere, ſed in dilecti obſequium omnibus diſcupit denudari. c.18.§.8.p.126.

Bartholomæum. Qua floruerit virtute in Apoſtolum electus, ipſe dæmon confeſſus eſt: quam heroica reſplenduit Bartholomæi ſanctitas, quam nec diabolus potuit diſſimulatione tegere, aut conſcientiam corrumpendo minuere! c.18. §.60.p.152.

Bartholomæum. Rex à Bartholomæo inſtructus ampliſſima munera ei obtulit; ille verò generosè contempſit: nam generosè contemnit eximia virtute ornatus, quæ ardenter diſcupit ambitioſus. c.19.§.43.p.179.

Bartholomæum. Non recuſauit pelle nudari, vt hominum ſaluti prouideret, & erroribus obuiaret. Nam ardens charitas nullam recuſat ſubire pœnam, vt à proximo auertat imminentem ruinam. c.27.§.43.

PRO SANCTO AVGVSTINO, ET præclaris Eccleſiæ Doctoribus.

MATTHÆI V.

VOs eſtis ſal terræ. Dum plus lucet, maiori Auguſtinus ſalis adinſtar humilitate, & veluti annihilatione ſe deſpicit. Nil gloriæ ſibi arrogauit, ſed omnia Numini adſcripſit. c.25. §.49.p.326.

Non poteſt ciuitas abſcondi, &c. Auguſtinus multiplicibus hæreticorum argumentationibus impetebatur, ſed eminenti virtutum culmine pro veritate depræliabatur. Vt ab eo diſcant virtutibus communiri, qui inimicorum adſultibus experiuntur vrgeri. c.25.§.59.p.332.

Vos eſtis lux mundi. Ea ſapientia, & dicendi facundia reſplendebat Auguſtinus, vt hæreticorum retunderet argumenta, immò ab eis extorqueret arma. Nam diſerta & eloquens lingua ab hoſtium manibus extorquet arma. cap.25. §.67.p.336.

Sal terræ Auguſtinus Eccleſiæ, vt hæreſum putores depelleret, nullum laborem, nulla certamina recuſauit. Vt nouerit Dei ſeruus nullum recuſare laborem, ſi animarum poſſit elucrari ſalutem. c.25.§.89.p.347.

Vos eſtis lux mundi. Lux omnibus lucet, & cœlo inſeruit. Ergo Auguſtinus, vbi mirandis excultus virtutibus non ſolùm Deo inſeruiuit, ſed inultorum tenebras depulit. cap.25. §.95. p.350.

Lux mundi. Eo Auguſtinus ſapientiæ, & ſanctitatis ſplendore reſplenduit vt, hæretici ab eo conuicti, & confuſi nec vitam poſſent arrodere, nec ſapientiam obſcurare. Eximia probatur virtus, quam nequit æmulus abrodere, & eximia ſapientia, quam non poteſt obſcurare. c.18. §.60.p.152.

PRO SANCTO MATTHÆO Apostolo.

MATTHÆI IX.

Vidit hominem. Vidit Matthæum, quem vocauit, & Matthæus omnem cupiditatem exuit, vocantique paruit: contempsit aurum, vt sequeretur Deum: nam auri cupiditas sibi ipsi aduersatur, & diuinas leges transgreditur. c.15.§.19 p.11.

Vidit hominem. Illac Christus, vt Matthæum vocaret, transiuit, immò gressum accelerauit: omni solicitudine est properandum, vt peccatorem reuocaueris, & ad pœnitentiam reduxeris. c.15.§.26.p.14.

Sedentem. Studiosè exambiebat lucra, & ex animo sequebatur euanida. Nam apud homines auidiùs procurantur volatica, quàm æterna. c.15. §. 28.p.15.

Vidit hominem. Non vidit, vt eligeret diuitem, non attendit nobilem; vidit Matthæum, Euangelico calamo hominum errores depulsurum, & lingua etiam conuersioni hominum addicendum. Ad electi prodest elogium, si in electione nec vtilitatis, nec adfectionis apparuerit indicium. c.16.§.5.p.42.

Vidit hominem. Quæsiuit Christus ad Apostolatum Matthæum, & quæsitus Euangelistæ, Apostolique perfectissimè munus absoluit. Laudabilius frequenter munus peragunt quæsiti, quàm qui se ingerunt ambitiosi. cap. 16. §. 33. p.55.

Sequutus est eum. Quàm mirandus fuit Matthæus, dum statim surrexit, & animæ salutem ambiuit. Cùm frequenter salus animæ in futurum differatur, cùm sine dilatione temporale commodum procuretur. c.16.§.52.p.63.

IN FESTO SANCTI MICHAELIS, & Angeli Custodis.

MATTHÆI XVIII.

Angeli eorum, &c. Felix fuit Michael, dum Christo obediuit, & salutem parvulorum curauit. Infelix Lucifer, dum maluit sedere, & de dotibus superbire. Infelix est, quantumuis dotibus fulgeat, quem virtus desertat. c.16.§.42.p.59.

Angeli eorum. Angeli elogium designat munus: ergo Michael cum dracone depræliatur, & paruulis opem fortitur. Vt nouerint ad munera electi non otio indulgendum, sed solicitè inuigilandum. c.15.§.2.p.3.

Semper vident. Angeli eximia gloria donantur & homines adducere ad virtutis semitam adnituntur: plures, dum paruulis scandala obijciunt, Angelorum studia impediunt; verum illos miserrimum illud manet: *Væ mundo à scandalis.* O quam seuera punietur pœna, qui molitur scandala, & impedit Angelorum ministeria! c.15.§.5.p.4.

Angeli eorum. Dei aspectu fruiti, & felicitate donati aliquid, si fas est dicere, est, quod dolorem illis ingerat, & ad lachrymas cogat, scilicet clientum peccata, & paruulorum deliria. Certè ægriùs, quàm propria clientum aliquando feruntur damna. c.15.§.25.p.13.

Angeli eorum. Non dormitant Angeli, vt homines custodiant, & à periculis, culpisque auertant. Suis nos factis admonentes, solicitè procurandum proximum à periculis auertere, & ad virtutem adducere. c.15.§.26.p.14.

Angeli eorum. In tanta naturæ, dignitatisque altitudine humilitatem colunt, & paruulis honesta ambitione assistunt. Vt nouerint homines humilitatem felicitatis esse tutamentum, & fulcrum. Sed proh dolor! Prospera fortuna est non raro humilitatis naufragium, cum humilitas sit prosperæ fortunæ auspicium. c.15.§.34.p.18.

PRO SANCTA CATHARINA, & Virginibus.

MATTHÆI XXV.

Simile est regnum cœlorum. Catharina mira apud Deum, & homines prudentia reluxit: nam licet peregrina oris venustas, & eximia scientia conciliarit plausum, & contempsit, & fugit. Apud fatuas virgines plus valuit somnus, plausus. Apud plures plutis habentur volatica, quàm æterna. c.15.§.28.p.15.

Quinque prudentes. Prudentissima Catharina sic lampade fulsit, vt philosophos veritatem edocuerit, & errores confuderit: ast dum Principis obsistit errori, rotæ obnoxia inuenitur discrimini. Profectò magnates reprehendere, est sibi periculum maturare. c.15.§.32.p.17.

Fatuæ. Fatuitatis iure arguuntur, quæ virginitati dicatæ, inanis plausus probantur cupidæ. Parum iuuat Deo dicari, si contingat mandatis cœlestibus contraire. c.15.§ 42.p.22.

Aperi nobis. Omnia coniungunt; plausibus studere, & intrantes delictorum pœnam effugere: hoc est humanæ fatuitatis studium, vitare scilicet pœnam, non fugere culpam. c.15. §.61.31.

Lampades nostræ extinguuntur. Anteà resplenduerant, sed auolans modò splendor amaram reliquit solicitudinem. In morte iustis vitæ angor desinit in tranquillitatem, iniustis splendor volaticus amaram affert solicitudinem. cap.15. §.67.p.34.

Dum autem irent emere. Quid emerunt? Euanidum plausum, & ob plausum durum tormentum: *Nescio vos.* Nesciuit virgines, quia jam humanus plausus, & visus integritatem corruperat, & candorem puritatis innubilarat. O infelicem hominum fatuitatem! Euanida mundi gloria pluris emitur, & emisse, magnis cruciatibus soluitur. c.17.§.20.p.79.

EXCVRSVS MORALES
IN
LIBRVM PRIMVM
REGVM.
SECVNDA PARS.

CAPVT XV.

1 ET dixit Samuel ad Saul : Me misit Dominus, vt vngerem te in Regem super populum eius Israel : nunc ergo audi vocem Domini : 2. Hæc dicit Dominus exercituum : Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto. 3. Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius : non parcas ei, & non concupiscas, ex rebus ipsius aliquid : sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum 4. Præcepit itaque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos : ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iudæ. 5. Cumque venisset Saul vsque ad ciuitatem Amalec, tetendit insidias in torrente. 6. Dixitque Saul Cinæo : Abite, recedite, atque descendite ab Amalec : ne fortè inuoluam te cum eo : tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec. 7. Percussitque Saul Amalec, ab Heuila, donec venias ad Sur, quæ est è regione Ægypti: 8. Et apprehendit Agag Regem Amalec viuum : omne autem vulgus interfecit in ore gladij: 9. Et pepercit Saul, & populus, Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & vestibus & arietibus, & vniuersis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea : quidquid verò vile fuit, & reprobum, hoc demoliti sunt: 10. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens : 11. Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem : quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Contristatusque est Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte. 12. Cumque de nocte surrexisset Samuel, vt iret ad Saul manè, nuntiatum est Samueli, eo quòd venisset Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem, & reuersus transisset, descendisset-que in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocaustum Domino de initiis prædarum, quæ attulerat ex Amalec. 13. Et cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul : Benedictus tu Domino, impleui verbum Domini. 14. Dixitque Samuel : & quæ est hæc vox gregum quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio ? 15. Et ait Saul : De Amalec adduxerunt ea : pepercit enim populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarentur Domino Deo tuo, reliqua verò occidimus. 16. Ait autem Samuel ad Saul : sine me, & indicabo tibi, quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei : Loquere : 17. Et ait Samuel : Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es, vnxitque te Dominus in Regem super Israel, 18. & misit te Dominus in viam, & ait : Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vsque ad internecionem eorum. 19. Quare ergo non audisti vocem Domini : sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini ? 20. Et ait Saul ad Samuelem : Immò audiui vocem

Domini, & ambulaui in via, per quam miſſit me Dominus, & adduxi Agag Regem Amalec, & Amalec interfeci 21. Tulit autem de præda populus oues, & boues, primitias eorum, quæ cæſa ſunt, vt immolet Domino Deo ſuo in Galgalis 22. Et ait Samuel: Nunquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia, quàm victimæ: & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum: 23. quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ non acquieſcere. Pro eo ergo quod abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus, ne ſis Rex. 24. Dixitque Saul ad Samuelem: Peccaui, quia præuaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua; timens populum, & obediens voci eorum: 25. Sed nunc porta, quæſo peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum: 26. Et ait Samuel ad Saul: Non reuertar tecum, quia proiecisti ſermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne ſis Rex ſuper Iſrael: 27. Et conuerſus eſt Samuel, vt abiret: ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt: 28. Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te: 29. Porrò triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam: 30. At ille ait: Peccaui: ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum: 31. Reuerſus ergo Samuel ſequutus eſt Saulem, & adorauit Saul Dominum 32. Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag Regem Amalec. Et oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus, & tremens. Et dixit Agag: Siccine ſeparat amara mors? Et ait Samuel: ſicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in fruſta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis: 34. Abiit autem Samuel in Ramatha: Saul verò aſcendit in domum ſuam in Gabaa: 35. Et non vidit Samuel vltra Saul vſque ad diem mortis ſuæ: verum tamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quòd conſtituiſſet eum Regem ſuper Iſrael.

TEXTVS.

VERS. I. Et dixit Samuel ad Saul: Me miſit Dominus, vt vngerem te in Regem ſuper populum eius Iſrael: nunc ergo audi vocem Domini.

§. I.

Qui ſpecialia à Deo accepit beneficia, ſpeciali alacritate exhibere tenetur obſequia.

Obſequium. *Beneficium.* TANTO *diuinitati plura debemus* (aiebat Atalaricus 8. *variar.* 24.) *quantò à cæteris mortalibus maiora ſuſcepimus. Nam quid ſimile rependat Deo, qui poſitur imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compenſari poſſit idonee, ipſi tamen gratia redditur, dum in ſeruientibus honoratur.* Princeps, qui præ aliis maiora à Numine beneficia ſuſcepit, alacrius debet obtemperare, & deuotiùs obedire. Gratia aliquomodò redditur dum Dei ſerui honoribus nobilitantur, & beneficiis augentur; ſed nec minus famulatur gratitudo, ſi Dei hoſtes dignis mulctentur ſuppliciis, atteranturque bellis. Ob id Samuel, vt Saulem contra Amalecitas incenderit, ſe Dei nomine in Regem vnxiſſe in memoriam reuocauit: *Me miſit Dominus, vt vngerem te in Regem ſuper populum eius Iſrael.* Principem decebat curare, quæ ad vtilitatem Reipublicæ noſcebantur pertinere; aſt quia non exiguæ difficultates Amalecitis inferre bellum impediebant, & Saulis animum retardabant, beneficiorum memoria exacuit, & ad certamina viuidius incendit, cùm fas eſſet ob Numen aggredi difficilia; à quo ſuſceperat populorum ſceptra. Ita Abulenſis *quæſt.* 1. *Samuel volens hic perſuadere Sauli, quòd iret contra Amalecitas, obediens præcepto Domini, denuntiauit ei beneficium, quod Deus egerat illi, ſcilicet, quòd conſtituerat eum in Regem, vt per hoc flecteret ipſum ad executionem diuini mandati.* Bellum Amalecitis inferendum res erat ardua, vtpotè contra homines copioſis aciebus inſtructos, & experientia armorum exercitatos: ergo beneficiorum recordatione animos indidit; nam qui maiora à Deo acceperat beneficia, tenebatur difficultates alacriter adire, & exprompte iuſſis parere. Moyſes, cùm iniqua lex recens natos vorticibus traderet, ſpeciali Dei prouidentia ſeruatus eſt. Fluuius puero parcebat, cuius virga percuſſum mare iter Iſraelitis aperuit, vt antea iam vitæ, regnique frueretur præmio, qui Dei populum ab infami erat exempturus iugo. Huic ergo oues agenti Deus flammeſcenti rubo conſpicuus obijcitur, & vt, bellum contra Ægyptios arripiat, repetito nomine demandatur. *Moyſes,* Exod. 3. *Moyſes, veni, & mittam te ad Pharaonem.* Inquires, cur nomen replicet, quando ſatis videbatur ſemel vocare, & profectionem iubere? Moyſis nomen acceptum beneficium in memoriam reuocabat, ſonat enim de aqua extractum: *Vocauit nomen eius Moyſes, dicens. Quia de aqua tuli eum.* Exod. 2. 10. Ergo quia res iubebatur magnis difficultatibus impedita, beneficiorum ſemel, & iterum renouatur memoria, vt dum agnoſcit ſe præ aliis eximia accepiſſe beneficia, ardua propter Deum non detrectarit ſubire bella. *Vox ferebatur* (inquit Baſilius Seleucienſis *orat.* 9.) *quæ Moyſem contra Ægyptios armabat, imperatoria pro populo data teſſera, quibus Moyſes rebus incitatus populum depoſcebat exolui.* Non potuit tantis beneficiis incitatus difficultates non vincere, & exprompte in campum contra Numinis aduerſarios non prodire: quandoquidem qui eximia à Deo accepit beneficia, eius debet alacriter explere mandata: ergo Samuel, vt Saul expeditionem contra Amalecitas arripiat, vnctionis memoriam renouat.

§. II.

§. II.

Dignitas ab onere nunquam est soluta, nec inerti otio dicata.

QVæuis dignitas officium est ; eam adulterat, qui iners sectatur otium, & eâ vtitur ad deliciarum crementum. *Nunc* (aiebat Epaminondas apud Plutarchum *lib. An seni) suspiciunt vos, inueniuntque in armis exercitantes corpora vestra, & luctantes. Qui si ad focum sedentes conspexerint, & fabas tundentes, non maiores vos semetipsis facient.* Despicitur quisquis dignitate abutitur ad delicias sibi conquirendas, aut diuitias comparandas. Nam dignitas est laborum stipendium, & ad labores illicium. Samuel, vt Saulem contra Amalecitas armaret, à Deo in Regem electum meminit. *Me misit Dominus, vt vngerem te in Regem super populum eius Israel. Nunc ergo vade, & percute Amalec.* Et quid opus erat, vt arriperet arma, in memoriam dignitatis reuocare fastigia, quando satis diuina esse videbantur præcepta ? *Decet Principem* (respondet Cassiodorus 1. *variar.* 6.) *curare, quæ ad Rempublicam spectant augendam.* Dignitatis meminit, vt sciret expeditionem illam non solùm à Numine iniunctam, sed ab ipsa dignitatis obligatione profectam : quandoquidem decet Principem arma tractare, & saluti Reipublicæ prouidere ; nec enim dignitas erat deliciarum fomentum, sed laborum, ac solicitudinum conceptaculum. Opportunè noster Sancius : *Honor regius, aut alius quicumque gloriosus, & inclytus gradus non est ab onere solutus, & vacuus, quod sanè eò grauius est, quò maior est potestas, & dignitas.* Adijcit : *Atque ideò Samuel in memoriam reuocat Sauli, quod ille secum meditari perpetuò debuit, à Deo habuisse regnum, neque aliud spectari oportere prius, quàm quid Deus in regni, ac rerum administratione percipiat, ac velit.* Non erat Saul ab onere ob dignitatem solutus, immò, quò maior erat, plus grauatus : ergo acies instruat, & quia Rex, contra Amalecitas in campum exeat. Sobna templi Præpositus dignitate abutebatur, vt otium sectaretur : ergo quem dignitati debita non vrgebat cura, lamentanda oppressit miseria. *Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam Præpositum templi, & dices ad eum : Quid tu hic ? aut quasi quis hic ?* Ferè nullus reputatur, quantumuis insulis dignitatis splendidus, quia muneri prorsus contrarius. Prodest Glossa : *Sobnas superbus, lupus rapax.* Consonat Lira : *Quid tu hic, scilicet agis in templo Dei indignè ministrando.* Dignitas otiositati inseruiebat, & rapacitati occasiones concinnabat:ergo dum Sobna ab omni se molestia liberum existimat, honorem dignitatis euacuat, & calamitatem sibi maturat. Quisquis dignitatis luminibus claret, se labori credat obnoxium, & suorum vtilitati dicatum. Aliter namque dignitas vertetur in probrum,& accelerabit supplicium.

Dignitas.

Otium.

Isai. 22. v. 15.

§. III.

Labor à beneuolo impositus lubentiùs impletur, & veritas minùs grauanter auditur.

LAbor secum adducit molestiam, & veritas parturire solet ingratiam : verum pro iungentis, aut proferentis, qualitate labor solet releuari, & veritas solet melliri. Quæ à beneuolo, amicóque iniunguntur, minus molestè adimplentur, & salubria monita à sincero animo nata grauanter minus audiuntur. *Graue videri non debet* (aiebat Theodericus 4. *variar.* 8.) *quod nostra ordinatione censetur : quia nouimus æstimare, quod vos oportet implere. A nobis quippè potestis rationabiliter custodiri, quibus prospicitis non grauari.* Graue non debet videri, quod vrbanè, & amicè agnoscitur imperari. Præcipientis affectus dulcorat, aut grauat. Samuel, dum salubria monita Sauli exhibet, & contra Amalecitas obarmat : *Nunc ergo vade, & percute Amalec,* à se inauguratum ait : *Me misit Dominus, vt vngerem te in Regem.* Et quid opus erat vnctionis meminisse, vt contra Amalecitas armaret ? Samuel vti prudenter politicus erga Saulem testatur affectum, cùm ad regnum inunxerit, & eius semper vtilitati, ac saluti prospexerit : *Me misit Dominus, vt vngerem te in Regem.* Se vnctionis ministrum, in memoriam Sauli reuocat, vt faciliùs Deo obtemperare, & contra Amalecitas exercitum cogere persuadeat. Plurimum námque conducit iubentis benenolentia ad exequenda mandata : Saul obtemperabit faciliùs, & arma capiet alacriùs, dum à beneuolo præceptum imponitur, & labor iniungitur. Ita Hugo : *Me misit Dominus, vt vngerem te, ideò libentiùs debes mihi obedire.* Itaque vt obediret libentiùs, Deus Samuelem misit, à quo in Regem inauguratus, & vnctus. Quæ à duro ingenio, & maleuolo animo existimantur profecta, etsi vtilia, semper parituro videntur aspera. Nathan Dauidem arguit : *Ecce ego suscitabo super te malum. Et dixit Dauid ad Nathan : Peccaui Domino.* Elias Achabum etiam interdicta pluuia corrigit, & Achabus in illum furit : *Non est gens aut regnum, quò non miserit Dominus meus te requirens.* Et cur Dauid humiliter acceptet pœnam, cùm Achabi pœna inflammauerit iram ? Duplex potest reddi causa. Altera, quia Achabus, & Dauid valdè moribus erant dissimiles. Altera, quia Dauid audiebat à Propheta in se benè animato, Achabus à Propheta, vt, ipse existimabat, sibi inimico : *Num inuenisti me inimicum tibi ?* Ergo dum Achab inimicum sibi Eliam credit, ab eo molestè veritatem audit, & correctionem grauanter suscipit. Dauid, dum erga se experitur beneuolum, molestè non amplectitur correctionem, nec audit ægrè veritatem. Prodest Lira : *est sensus : Nunquid inuenisti me talem, quòd deberes mihi inimicari.* Itaque putabat Achabus Eliam sibi inimicari, & animo maleuolo duci : ergo nec correctorem sustinet, nec arbitratur veracem. Dauid Nathanum humiliter audit, & correctionem non respuit, quia non dubitabat amicum. Tantum nocet, aut iuuat opinio, & existimatio,

Beneuolus.

V. ritas.

Labor.

2. Reg. 12. v. 11.

3. Reg. 18. v. 10.

3. Reg. 21. v. 20.

§. IV.

Oneri Dei misericordiæ est, qui iterat culpam, & incrementat offensam.

QVid ampliùs esse possit incongruum, quàm se ostendere cœlestibus præceptis aduersum : verùm ampliùs exasperat prauitas, si post primam culpam iterum repetere non detrectarit offensam.

Culpa.

Misericordia.

offenſam. Diſtrictionem approbat, qui patientiam lenem deſpexit, & ad amplius delinquendum detorſit. *Nos* (aiebat Theodericus 4. *variar.* 29.) *quibus cordi eſt poſt primam culpam non ſtatim deſiderare vindictam, ad monitionem potiùs iuſſa conuertimus, ne ſit noſtra diſtrictio nimia, quam lenis patientia non præcedat.* Qui impunè ſemel peccauit, iterum vereatur delinquere, ne contingat ſupplicia reduplicare, & abſque retractatione ſubire. Saul diuinum violauit præceptum intempeſtiuè offerens holocauſtum: *Dixit Samuel ad Saul: ſtultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui.* Et ne iterata culpa iram ſibi conflet, Deo admonet obtemperare, & iterum non delinquere: *Nunc ergo audi vocem Domini.* Ac ſi dicat: ſatis tibi ſit violaſſe ſemel diuina edicta, & temeraſſe præcepta, quæ ſi contemnas iterum, adaggerabis tibi dura repetitione ſupplicia: ergo inaura (dum occaſio inuitat) religioſo, ac prompto obſequio, quam admiſiſti culpam, inconſulto, & irreligioſo holocauſto. Sic interpretantur nonnulli verba Samuelis apud Abulenſem *quæſt.* 1. *Nunc audi vocem Domini, id eſt, quanquam ante hoc non audiuiſti vocem Domini, tamen ſaltem nunc audi.* Ac ſi dicat: Admiſſus error non ſit vlterioris præſagium, ſed cautum documentum, & virtuti auidiùs exercendæ quodammodò auxilium; ſic enim Dei effugies iram, & conciliabis tibi beneuolentiam; ſin aliter feceris, multiplicabis tibi ſupplicium, & exaſperata diuina patientia adaugebit etiam tormentum. Quod & accidit; nam dum abutitur patientia, inflammatur ira. Video Saulem à dæmone excitum in Dauidem telum contorquentem, & in medicinæ pretium mortem tentantem: *Tenebat Saul lanceam, & miſit eam putans, quòd configere poſſet Dauid cum pariete: & declinauit Dauid.* Dauid furenti pepercit, & fuga laudabili occaſionem præcidit. Iterum Saul dæmonem vocat, & iterum Dauidem lancea transfigere tentat: *Niſus eſt Saul configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saul.* Non lego Dauidem lyram iterum pulſaſſe, nec morbum cantu abegiſſe: poſt primum iactum cytharam iterum pulſat, & lenitatem oſtentat; repetito verò ictu iam nec pulſatur lyra, nec adhibetur medela, vt nouerimus, quàm ſit periculoſum culpam iterare, & errorem repetere. *Quo pacto* (rogat Seleucienſis Baſilius *orat.* 15.) *Saul audes talia, quid in te ipſum haſtam vocas.* Redintegrata inuidia, & in morbum tranſiens ægritudo Dauidem abegit, & ſalutis ſibi occaſionem præcidit.

Cap. 13. v. 13.

infr. cap. 18. v. 11.

Cap. 19. v. 10.

TEXTVS.

VERS. II. & III. Hæc dicit Dominus exercituum: Recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraeli, quomodò reſtitit ei in via, cùm aſcenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non pareas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem, bouem, & ouem, camelum, & aſinum.

§. V.

Seuerè punitur pœna, qui contendenti ad virtutem opponit impedimenta, & molitur ſcandala.

POEnis inuenitur obnoxius, qui ſordeſcit criminibus defædatus. Ambitio cæca cupientum, dum lucrum malo quærit, lucrum legibus iuſtis amittit. Qui honorem per vafricies deſiderat, amiſſa opinione turbatur, & præſumptio temeritatis retunditur. *Iniquis fraudibus* (aiebat Caſſiodorus 12. *variar.* 6.) *non patebit occaſio: perſequimur, non vendimus, excedentes. Vbi iam malè capientes ſpem habebitis, quando vobis, & verum Domini, & veſtri indices comminantur?* Nunquam delinquens tranquillitatis vtitur bono, nam etſi latendi aſſequatur fortunam, tortorem nequit effugiſſe conſcientiam; verùm licèt in omnia crimina diſtrictio iuſtè deſæuiat armata, ea tamen graniorem ſibi conflarunt iram, quæ aliorum virtutibus oppoſuerunt impedimenta. Cupiditatibus implicari eſt fragilitatis humanæ; tendentes verò ad virtutem impedire eſt malignitatis diabolicæ; nec poteſt grauiſſima ſibi non conciliare ſupplicia, qui virtutibus oppoſuit ſcandala. Iacob, vt Dan infelicitatem prædiceret, maledicto colubro comparauit, non quia lethalia foueat venena, ſed quia gradientium impedire conetur veſtigia: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas, equi, vt cadat aſcenſor eius retrò.* Alia crimina leuius mulctantur; vt quæ ſint hominum; aſt impedire ad virtutem tendentem, in colubris adumbratorum videntur dæmonum. *Erit Dan* (legit Oleaſter ad mores) *vt ſerpens. Cauenda eſt in homine aſtutia ſerpentina.* Serpens maledictione à Deo oneratus terram verrit, & miſerè corpus trahit: ergo Dan colubro comparatur, dum impedire gradientem obnititur. Et Amalec etiam grauiſſimam ſibi pœnam conflauit, dum, ne Iſraelita ad promiſſionis tellurem deueniret, armatus occurrit: *Reſtitit ei in via cùm aſcenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalec.* Vbi impediuit gradientium viam, grauiſſimam ſibi aggerauit pœnam, nec potuit penitùs non perire, qui aggreſſus eſt honeſtis itineribus obuiare. *Iubet Dominus* (inquit Hugo) *demoliri iumenta Amalec, vt nec in imenis eius memoria fiat.* Nec Amalecitarum permittit remanere memoriam, vt ſcandali puniuerit culpam. Caue ad virtutem tendentium tardare greſſum, aut deflectere aliorſum volatum, ni velis ſeueriſſimum tibi maturare ſupplicium.

Scandal. Pœna. Virtus. Gen. 49. v. 17.

§. VI.

Qui primam ad delictum aperuerunt viam, grauiſſimam frequenter tulerunt pœnam.

PRo vitiorum granitate pœnæ adhibendæ ſunt. Qui humana fragilitate aliquando corruit, lenius admonendus eſt: qui maiorem in vitiis proceſſum fecit, durius eſt & frænandus, & corrigendus. Sit pœna inflicta ſceleris argumentum, non malè corripientis indicium. Sed inter à ratione aberrantes illi grauioribus pœnis inueniuntur obnoxij, qui criminis auctores,

Vitium. Via. Pœna.

auctores, & primi. *Omne pœnæ genus remedij loco admoueo* (aiebat Seneca *lib. 1. de Ira cap. 16.*) *tu adhuc in prima parte versaris errorum.* Qui errorum artifex, qui aperuit viam, aut ostendit aliis semitam, seuera mulcta puniendus est, vt auertat supplicio, quos alliciebat exemplo. Cainus morti aperuit viam, & fraterno sanguine polluit terram. Ergo maledictus, & profugus seipsum fugit infelici vita
Gen. 4. v. 15. vsurus: *Posuit Dominus Cain signum, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum.* Signum incussit ad vitæ tutamentum, ne alius simile patraret delictum, cùm graue adeò ob homicidium inflictum spectaret tormentum. *Tremens obambula* (inquit Basilius Seleucienſis *orat. 4.*) *animata lex videntibus occurrens, spirans columna auertat à pari pœna* Cainus ab homicidio arcebat atramenti vice trepidationis nota sugillatus, & perturbata natura semper inquietus. Iam si quæras cur graue adeò supplicium tulerit? Respondebit idem Basilius viam ad mortem aperuisse, & humanum sanguinem degustasse: Ergo, quia mortis inuentor primus, graui supplicio mulctatus: *Cædis euasit perpetrator, qui nondum fuerat spectator.* Inferre mortem non doctus euasit aliis magister: ergo oportuit seuero mulctari supplicio, vt auerteret dura pœna, quos inflicta à fratre peruerterat plaga. Amalecitas prorsus extingui jubet oraculum: *Demolire vniuersa eius*, cùm aliis Israelitarum hostibus seuerum adeò non decreuerit supplicium. Quæ fuerit causa scrutantur Interpretes, existimantque Amalecitas fuisse primos, qui bellum contra Israëlitas adornauerint, viamque impediuerint: ergo oportuit in eo crimine primos seueriori pœna mulctari, prorsúsque deleri, vt horum districtio aliis fuerit pro adhortamento. *Aliquis respondebit* (inquit Abulensis *quæst. 2.*) *quod Deus iussit hic de Amalecitis, & non de Chananæis, quia magis peccauerunt Amalecitæ, eo quòd ipsi primi pugnauerunt contra Israël, quàm omnes aliæ gentes: & in hoc dederunt occasionem cæteris gentibus pugnandi contra Israël. Vnde Deus nimis comminatur eis, quia ipsi primò pugnauerunt, vt patet numer. 24. scilicèt: Principium gentium Amalec, cuius extrema perdentur, id est, prima de gentibus, quæ pugnauit contra Israël, fuit Amalec, ideò extrema eius perdentur.* Remanere vetuit Amalecitarum vestigium, quia primi suo exemplo aliis exhibuerunt scandalum; nam qui in aliquo crimine auctor, acriùs accendit diuinam iram, & grauiorem sollicitat sibi pœnam.

§. VII.

Malefici, & magi grauissimis pœnis mulctandi, immò prorsùs atterendi.

Venefici. GLadio, ignéque veneficia persequi pietas
Pœna. est; nam venefici, ac magi contra naturam pugnant, & mendacia specie veritatis colorant. Quod grauius malum, quàm si loco antidoti suspiretur venenum, & præstigiis delusus oculus tunc plus cæcutiat, cùm perspicacius prospectat. *Maleficos* (aiebat Athalaricus *9. variar. 18.*) *vel eos, qui ab eorum nefariis artibus aliquid crediderint expetendum, legum seueritas insequatur, quia impium est nos illis esse remissos, quos cælestis pietas non patitur impunitos.* Magiæ præstigiis homines infatuantur, licèt libertate non denudentur: ergo pietatis genus est radicitus euellere, quod tam contra pietatem, quàm contra veritatem acerrimo ariete bella cognoscitur semper conflare. Amalecitarum nec memoriam permittit Deus, sed pio jubet gladio omnia prorsus extinguere, & radicitùs abolere: *Non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid.* Cùm mitiùs se Deus cum aliis aduersariis gesserit, huius edicti causam venari conantur Interpretes, varias afferunt, verùm inter alias existimat Hugo Cardinalis magos, veneficósque fuisse, ob idque nec illorum permissum vestigium, sed cœlesti decreto penitus abolendos, & extirpandos: *Quidam dicunt Amalecitas fuisse maleficos, & in pecudes se vertendi habuisse peritiam, & ideò ne cum forma pecudum euaderent, pecudes etiam fecit interimi.* Cœlesti decreto deleri debuit maleficorum memoria, quia hoc scelus est Reipublicæ lues grauissima, cuius si relinquatur vel exigua scintilla, in magna flabellatur incendia, quibus & pietas extinguitur, & impietas adaugetur. Saül imperiale protulit edictum, vt magos, pythonesque de terra
1. Reg. 28. v. 9. eraderet, prorsúsque consumeret: *Ecce tu nosti quanta fecerit Saül, & quomodò eraserit magos, & ariolos de terra.* Expende illud, *eraserit*; est enim eradere nullum vestigium relinquere: ergo non solùm curauit Saül magos delere, sed eorum etiam vestigia prorsus extirpare. Huc voco Philonem de Temulentia: *Impietatem præferentes nec Deo grati, nec fidi sui similibus: atque ita oberrant per ciuitates pestes earum maximæ præ curiositate miscentes se tam publicis, quàm priuatis negotiis, vel potiùs, si vera dicenda sunt, subuertentes vtraque, quos oportebat tanquam diros, votis placato numine euertere: sunt enim pernicies omnium, in quos incidunt.* Dum præstigiæ pro miraculis habentur, tenaciùs eis homines adhærent delusi, & pietatem oppugnant mendacio armati: ergo Deus, vt nos edoceat, quanta ab his pestibus exoriantur mala, Amalecitarum penitus delere jubet vestigia.

§. VIII.

Si voluptatis aliqua permittatur scintilla flabellatur in incendia, & affert ingentissima incommoda.

TOllantur è cœtu mortalium (aiebat Seneca *1. de Ira cap. 15.*) *futuri pecora.* Alia vitia corrigi possunt & molliter, & asperè; verùm voluptas rarò melioris spei capax est: si semel *Voluptas.* hominem possederit, nil relinquit intactum, sed si quid stabat, corruit hac peste euersum; mens obscuratur, prudentia euertitur, dissipatur facultas, salus perit, & solum delirium viget. Deus Amalec prorsus jubet extingui: *Demolire vniuersa eius, non parcas ei.* Et cur in Amalecitas durius depromat edictum, qui contra gentes alias mitius dederat mandatum? Quia Amalec erat voluptatis ænigma, & deliciarum emblema. *Amalec* (inquit Philo *lib. 2. Allegor.*) *interpretatur populus elingens, reuerà enim absumit totam animam, & abligurit, ne semen quidem, aut scintillam virtutis reliquam in ea faciens, quamobrem scriptum est: Principium gentium Amalec, quoniam in miscellaneam gentium conuenarum colluuiem consilio carentem affectus exercet dominationem, atque imperium. Per hunc omne bellum excitatur in anima.* Adnectit Philo: *Ergo quibus mentibus Deus pacem largiri dignatur, in his pollicetur deleturum se sub cœlo memoriam Amalecitarum.*

citarum. Nequit anima tranquilla pace frui, si voluptatis vel memoria contigerit inquietari: ergo nullum relinquendum est vestigium, vndè cor trahatur humanum; nam si quid remaneat, teste Philone, nulla in anima virtutis permittit semina pullulare, sed blandis fallaciis tentat corrumpere. Et expende, tunc Saül corona mulctatum, cùm Amalec prorsùs non delerit, sed ex eo aliqua detestabili commiseratione reliquit, vt liqueat Amalec prorsùs extirpandum, si velis pace frui, & coronâ non priuari. Est quidem voluptas inquietum bellum, venenum dulce, grata pestis, pestifera rationis lues. Paradisus serpenti occluditur, dum Cherubin gladio ante fores obarmatur, super ventrem repere, terramque comedere pœna est: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Quæ Philo jam allegatus voluptati in serpente adumbratæ accommodat; nam vt à serpente omnia homini promanarunt detrimenta, sic à voluptate exoriuntur damna: qui anteà pace, & diuitiis circumfusus, jam pulsus, & exul duris addicitur agri laboribus, & cruentis pungitur sentibus: *Voluptas non est quiescentium, & stantium, sed commotorum, & perturbatione plenorum: & sicut flamma continuè movetur, ita cuiusdam flammæ more affectus hic in anima excitus non sinit eam quiescere.* Adnectit: *Illud autem: Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ, appositè dictum est; nam corporalis voluptatis alimenta terrena sunt.* Vel instante morte comedit terram, quia qui vitio huic assuetus, conseruare solet memoriam, vndè post mortem sustinet flammam: ergo meritò Deus Saülem admonet nullam Amalec memoriam permittere, si coronam velit seruare.

Gen. 3. v. 14.

TEXTVS.

VERS. IV. Præcepit itaque Saül populo, & recensuit eos quasi agnos ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda.

§. IX.

Eucharisticus agnus contra voluptates armat, & ad victoriam vires inspirat.

Eucharistia. EVcharistia vitiorum efficax est venenum, virtutum auxilium, & humanæ salutis fomentum. Veretur dæmon cum cœlesti epulo pastis confligere, quia expertus est superari. Pharao armat in Israëlitas; verùm nubes Pharaoni ejaculat tenebras, & ad Israëlitas persequendos impedit vias: nubem jam fugit, qui tot miracula proteruitate despexit: *Ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum.* In nube agnoscit Drogo Hostiensis Eucharistiam, eius *in lib. de Sacramento*, verba sunt: *Quæ est nubes, quæ præcedit viros Israëlitas, nisi verissimum, ac sanctissimum corpus tuum, quod in altari sumimus.* Pharao tot, tantisque plagis attritus induruit, & se Deo audaci temeritate per vorticum volumina opposuit; at, vt nubem sensit, terga vertere festinauit, & licèt festinus, periit. Via cum persequutore deleta est, & inermis populus vicit armatum, quia Eucharisticum opposuit scutum. Saül etiam de victoria contra Amalecitas non dubitauit, quia ab oblatis agnis exordium certamen cœpit: *Recensuit eos quasi agnos.* Chaldeus legit: *In agnis Phasc.* Noster Sancius addit: *Quasi tempus illud fuerit azymorum, vbi agni immolantur.* Itaque, vt placet aliquibus, recensuit agnos à militibus Deo oblatos, & numero agnorum comperto, militum compertus est numerus, & patuit quot militibus Martius constaret exercitus. Ita refert ex aliorum sententia Abulensis *quæst.* 13. *Israëlitæ computati sunt in agnis, id est, non computati sunt ipsi per se, sed quilibet afferebat vnum agnum, & computatis agnis scitus est numerus Israëlitarum.* Non fero de hac opinione sententiam, expendo tamen tunc Amalec memoriam etiam expungi, cùm miles candidissimo agno adlaborabat armari. In Amalec vidimus voluptatem adumbratam: Ergo Israëlitis erat agnus armamentarium, & Amalecitis excidium. Itaque vt Amalec deleatur prorsùs memoria, Phasc tempore initur pugna, aut agnus saltem offertur hostia; est enim hic innocens agnus aries contra voluptatem acerrimus. Hoc idem Eliæ suffulcitur exemplo: nam cùm in eum Achab fureret, edulio à coruis allato delitescentem Deus panit, & omnes Regis machinationes eluſit. Ast cùm Iesabel in Prophetam desæuiret, cælesti pane Angelicis manibus allato communiuit, & infractas vires inspiranit: *Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis.* Extemporariæ mensæ discrimen cogit ad inquirendum arcanum, cur scilicet persequente Achab satis sit coruus, & furente Iezabele panem attulerit Angelus? Nec Deo deerat vtrobique coruus, nec Angelus. Cur ergo alibi Angelorum pane reficit, & alibi non adeò nobili alit? Quia in Iezabel (inquit Glossa Moralis) carnis adumbratur concupiscentia: ergo opportuna exhibentur arma. *Fugere* (inquit Glossa Moralis) *debet concupiscentiam carnis, quæ significatur per Iezabel, eo quod interpretatur fluxus sanguinis, ex cuius abundantia excitatur carnis concupiscentia.* Contra carnis concupiscentiam Angelorum panis inuictas præstabat vires, quibus Elias & periculum euaderet, & coronatus triumpho ad celsa montis cacumina peruenire; nam cælestè epulum hostem exarmat, dum vigorem sumenti inspirat: ergo agnos offerunt, qui de Amalec reportare triumphos discupiunt.

Voluptas.

Exod. 14. v. 24.

3. Reg. 19. v. 5.

TEXTVS.

VERS. V. Cúmque venisset Saül vsque ad ciuitatem Amalec, tetendit insidias in torrente.

§. X.

Vitiorum metropoli euersa, facilè de reliquis obtinetur victoria.

QVodvis vitium laborem ingerit expugnáti, & negotium facit persequenti. Verũ, vt in exercitu dux est præstãtior, quo subacto triũphus de cæteris obtinetur; sic in vitiorum acie aliquod inueniri solet, quod ducis, & principis vires gerat, & plus cæteris emineat, quo attrito, deletóq; exercitus nerui resoluuntur, & vires debilitantur,

Vitium principium.

tur. In cœlo desudant certamina. Draco Apostatis Angelis armatus nititur Michaëlem subigere, Michaël bonis militibus stipatus draconem aggreditur superare: *Factum est prælium magnum in cœlo. Michaël, & Angeli eius prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius* Si draco non pugnat solus, sed pluribus Angelis stipatus, cur Michaël, totúsque eius exercitus in draconem mouerint arma, & in eum contorserint tela. Confligant Michaël, & draco, & Angeli Michaëlis decertent cum aciebus draconis, nec in draconem omnia militent castra, & collimentur spicula. *Michaël, & Angeli eius* (inquit) *prœliabantur cum dracone.* O vtilem nobis eruditionem! erat draco tenebrarum Princeps: ergo licèt Angelis pugnaret stipatus Michaël, & totus eius contra draconem deprœliabatur exercitus; nam si draconem vicerint, omnia eius castra facilè corruent, omniumque conatus marcescent: quod rei probauit euentus; nam vt draco abactus ingemuit, etiam militum vigor elanguit: *Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus; & Angeli eius cum illo missi sunt.* Non ait projecti, sed *missi*, quasi de victo dracone fractis viribus ipsi corruerint fugæ auxilium quærentes, & de certamine desperantes. Quod & iterùm Textus edocuit, nam cùm victoria plausibus celebratur, sic ait: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die, ac nocte, & ipsi vicerunt eum.* Et cur triumphus minuitur, cùm iteratis acclamationibus celebratur? Non solùm vicerunt draconem, sed eius Angelos: ergo resplendeat plena victoria, nec imminui existimetur inuidia. Verum est (inquit Hugo) vicisse draconem, eiusque Angelos, sed cùm draco dicitur victus, jam intelligitur totus exercitus subjugatus. *Hoc refert* (inquit Hugo) *ad Principem eorum, à quo alij mittuntur.* Vbi Princeps refertur projectus, & exercitus corruit sparsus. Ob id Saül primum certamen contra metropolim, eiusque Principem adornat, quem si vincat, jam facillimam de cæteris præsumit victoriam: *Cum venisset Saül vsque ad ciuitatem Amalec, tetendit insidias.* Ciuitatem hanc fuisse Amalecitarum metropolim, & fortissimam arcem putant Interpretes. Notauit noster Sancius: *Hanc credo ciuitatem esse præcipuam, & regni primam sedem, vbi tunc Agag Amalecitarum Princeps morabatur.* Principe, duceque in armis consistente non reportaretur victoria, etsi captiua gemeret Amalecitarum turba; eo deuicto jam bellum feliciter Saül confecit, & victoriam reportauit. Hinc instrueris, si vitiorum sustineas aciem, in Principem, ducemque animosè insurgere, & strenuè, quoad vsque depueris, laborare, abacto namque Principe, cum cæteris leuior pugna, & facilior erit victoria.

Apoc. 12 v. 7.

§. XI.

Duræ contra voluptates insidiæ sitis, & fames.

MVltos ostendam (aiebat Seneca *de vita beata cap.* 11. *voluptatibus obsessos, in quos fortuna omnia munera sua effudit, quos fateaeris necesse est malos. Aspice Nomentanum, & Apicium terrarum, ac maris* (vt isti vocant) *bona conquirentes, & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia. Vide hos eosdem electis suis spectantes propinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes.* Omnes isti quandam, si fas est dicere, sibi necessitatem imposuerunt vitiis inseruiendi; nam cùm adulenter palato, aures demulceant, molli amictu corpora foueant, dominatur impotenter voluptas, & oritur quædam veluti delinquendi necessitas. Ni fame, sitique expugnetur voluptas, desæuiet, & hominum animos captabit. Vbi, vt vidimus §. 9. Eliæ cum voluptate prælium, non adest coruus opulentam mensam apparans, sed Angelus exiguum panem, & ferè alendæ vitæ non sufficientem offerens: *Ecce ad caput suum subcinericius panis.* Quod aduertit opportunè satis Tertullianus lib. aduersus Physicos *cap. 6. Minantem Iesabel fugiens post vnicum pabulum, & potum, quem ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipse quadraginta diebus, & noctibus vacuo ventri, arido ore peruenit in montem Oreb.* Angustus victus, sitis, & fames Iezabelem exarmarunt, & adsultus eius prorsus retuderunt. Contra alia vitia pugnans lautiori cibo poterit vti, contra hoc decertans siti, & fame debet armari. Ob id Saül contra Amalec voluptatis imaginem pugnans in torrente tetendit insidias: *Tetendit insidias in torrente.* Dum vetat Amalecitæ torrentem, siti adurit, & sitiens, ac fameſcens perit. *Amalecitarum vrbes obsedit, alias quidem molitionibus, alias suffossionibus, alias fame, & siti,* inquit Iosephus *lib. 6.* Antiquit. & apud Abulensem. *quæst. 13.* In torrente disponuntur insidiæ, vt Amalecita sitiat, & pereat: nam voluptas deliciis obarmatur, jeiuniis, ac siti extinguitur.

3. Reg. 19. v. 5.

§. XII.

Parum juuat voluptatem oppugnare in aperto, si suppetias tuleris in occulto.

Voluptas.

NOn omnia, quæ oculis patent, intus sibi similia sunt; micat aliquando externè mentita oculorum modestia, cùm vera internè glisceat lasciuia. Quidquid objicitur oculis, inseruit ad speciem virtuti, quidquid internũ, cupiditati. *Videamus* (aiebat Seneca *epist. 5.*) *ne ista, per quæ admirationẽ parare volumus, ridicula, & odiosa sint.* Ridiculũ est exterius affectare auri odiũ, & fouere interius desideriũ. Ridiculũ est publicè colloquia cũ fœminis fugere, & eas secretò munerib⁹ incitare. Plures intus sunt castitatis hostes, exterius pro ipsa milites, sed hoc facere quid aliud est, quã mendacio gaudere, & cuanidũ plausum fallaci affectatione mercari. Saül, vt contra Amalec, hoc est, voluptatem pugnet, & in aperto producit copias, & in occulto disponit etiam insidias. *Tetendit insidias in torrente.* Irritum prorsus esset, si exterius videretur aduersarius, & reuerà Amalecitarum esset amicus: ast dum interius, exteriúsque studiosè tractat bellum, assequutus est triumphum. Notauit Abulensis *quæst. 13. Saül Amalecitarum regionem ingressus insidias occultas circa torrentem fecit, vt non solùm ab apertè pugnans eos affligeret.* Præbuit pugnandi contra voluptates normam, dum occultè disponit arma, & apertè etiam irruit in bella: satis non essent occultæ insidiæ absque apertis copiis, nec essent satis armata exterius castra, si interna Amalecitis præberentur auxilia. Internè, externéque pugnandum est, si mendax non quæritur fama, sed vera, & decantanda victoria. Christus Dominus, vt discipulos humilitatis viam non solùm edoceat monitis, sed confirmet exemplis

Hypochrisis.

exemplis, ait : *Videbam Sathanam ſicut fulgur de*
Luc. 10. v. 18. *cœlo cadentem.* Quem fulgur dixit, ſcorpionem etiam appellauit : *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones.* Mira res ! ſi Sathan nitore reſplendet fulgur, quomodo lethale ſcorpio fouet venenum, & aſtutus ſerpens clam cum Eua ſolicitauit colloquium ? Quia id eſt hypocritarum ingenium. Reſpondet Baſilius Seleucienſis *orat.* 35. Exterius omni deterſa macula mentiuntur pulcherrimum ſplendorem, interius fœdiſſimam diligunt prauitatem: *Naturæ fulgorem morum peruerſitas extinxit : faſtus caſum attulit infeliciſſimum.* Prorſùs ab externis diſcordarunt interiora, exteriùs nitor, interiùs fœtor, exteriùs Angelus, interiùs morum deprauator, & corruptor. Ergo infeliciſſimo caſu ruit, quia nequit ſtare, aut vincere coloratum mendacium, & mendax ſemper ingenium. Saül, vt de voluptate reportet triumphum, & occultè diſponit inſidias, & producit apertè copias: vt non ſolũ ab apertè pugnãs eos affligeret.

TEXTVS.

VERS. VI. Dixitq; Saül Cinæo : Abite, recedite, atque declinate ab Amalec, ne fortè inuoluã te cum eo. Tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſraël, cũ aſcenderẽt de Ægypto. Et receſſit Cinæus de medio Amalec.

§. XIII.

Grande Reipublicæ beneficium confertur, ſi cauſarum ſit prompta expeditio, & dilationis expuncta occaſio.

Cauſa. IN expediendis cauſis, dirimendiſque opportunè litibus conſiſtit Reipublicæ ſalubritas,
Dilatio. & tranquillitas. Malunt plures ſpes ſuas præcidi, quàm trahi, & torquentur acriùs dilata cauſa, quàm infauſta ſententia. *Nec tardari volumus* (aiebat Theodericus 1. *variar.* 22.) *in eius quoque parte ſententiam, dum velimus omnia inter eos eſſe deciſa, nihilque aliud relinqui, niſi quod debetur affectui.* Decebat regalis apicis coram generalitatis procurare concordiam, quoniam ad laudem regentis trahitur, ſi ab omnibus pax ametur, aut litium diſcordia citiſſimè præcidatur : verùm plures ſunt, quibus cùm ex alieno incommodo accreſcant lucra, nolunt citò præcidi litium certamina. Agricola deſiderat grande annonæ pretium, miles non finiri bellorum diſſidium, patronus, & judex litigantium exoptant bellum. Audi Senecam *lib. 6. de Beneficiis cap.* 38. *Cui non ex alieno incommodo lucrum ? Miles bellum optat ; agricolam annonæ caritas erigit ; eloquentiæ exoptat pretium litium numerus ; medicis grauis annus in quæſtu eſt.* Itáque cùm nonullis de litium numero, dilationeque quæſtus multiplicetur, cenſúſque augeatur, de induſtria lites differuntur, & diſſidia ſæpè multiplicantur, cùm tamen grande ſit Reipublicæ beneficium, ſi naſcantur lites, juris gladio citò præcidi, & decretis legum componi. Cinæis gratiam referunt Iſraëlitæ, magna ab eis acceptæ beneficia confeſſi: *Tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſraël, cùm aſcenderent de Ægypto* Cùm miſericordia miſeriæ ſit leuamentum, & calamitatis auxilium, quærunt Interpretes, qua Cinæi miſeria Iſraëlitas liberarint, & calamitatem depulerint ? exiſtimántque eos à tarda cauſarum expeditione liberaſſe, & commodum dirimendis, expediendiſque citò litibus conſilium præbuiſſe ; nam cùm Moyſes vnus omnium cauſas audiret, opus erat plures præſtolari, & in longum tempus differri. Iethro ergo ſalubre dedit conſilium, & opportuniorem dirimendis citò litibus ſtatuit modum. Referamus hiſtoriam: *Sedit Moyſes, vt judicaret populum qui aſſiſtebat Moyſi à mane vſque ad veſperam. Quod cùm vidiſſet cognatus eius omnia, quæ agebat in populo, ait : Quid eſt hoc, quod facis in plebe ? Cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur de mane vſque ad veſperam ?* Itaque Iethro dilationem cauſarum intuitus, plebiſque patientiæ miſertus meliorem politiæ modum conſuluit, & citiùs lites dirimi perſuaſit ; quod adeò grande in Hebræos fuit beneficium, vt modò eis nullatenus inferre noluerint bellum, ſed eorum ſaluti conſulentes monuerint ab Amalecitis diſjungi, & tutiora loca ſectari : *Dixit Saül Cinæo : Abite, recedite, atque deſcendite ab Amalec.* Hoc redditum officium ob conſilium olim acceptum tradit Abulenſis *quæſt.* 16. *Dicendum eſt, quod iſtud beneficium fuit in hoc, quod Iethro veniens in deſerto ad Iſraëlitas ordinauit eorum politiam, quantum ad judices, ſtatuens, tribunos, centuriones, quinquagenarios, & decanos : hoc autem fuit magnum beneficium, quia ante iſtam ordinationem judicum, Moyſes grauabatur labore nimio audiendo à mane vſque ad veſperum cauſas populi : ipſe quoque populus ledebatur nimis, quia cùm eſſet valdè magnus, & inter eos multæ orirentur cauſæ, & Moyſes ſolus eſſet, manebant cauſæ indiſcuſſæ, quod erat ad velocem totius populi interitum.* A veloci liberauit interitu Iſraëlitarum populum, cùm opportunum dedit ad negotia citiùs expedienda conſilium: adeò moleſtum eſt Reipublicæ lites differri, dilationémque protelari. Addit datus jam Abulenſis, Iethro, victualia attuliſſe populo tunc in deſertorum ſolitudinibus indigenti ; non tamen vocari hîc miſericordia annona exhibita, ſed dilatio in dirimendis cauſis ablata, quaſi non adeò graue ſit populo adurgeri fame, quàm cauſarum diſtorqueri dilatione. Ipſum audi : *Cùm politia nimis inordinata in reddendo iure manere non poſſit, ſic ſi non habeat victualia : nam ad conſeruationem politiæ magis neceſſarius eſt judex, ſiue diſtributiuum iuſtitiæ, quàm panis, vt ait Ariſt. 3. Politic.* Itaque cum Iethro & attulerit panem, & dilationis in dirimendis litibus præciderit occaſionem, miſericordiam dicitur feciſſe : *Tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſraël*, non quia cibum præſtitit, ſed quia cauſarum expeditionem breuiauit. Vt hinc nouerint judices, quàm ſit Reipublicæ moleſtum lites protrahi, & cauſas non dirimi.

Exod. 18. v. 13.

§. XIV.

Sanctiſſimæ Virginis de originali victoria omnibus attulit vitæ, ac ſalutis auxilia.

DEbemus mehercle (aiebat Plinius 6. *epiſt.* 30.) *natales tuos perindè ac noſtros celebrare, cùm lætitia noſtrorum ex tuis pendeat, cuius diligentia, & cura hic hilares, iſtic ſecuri ſumus.* Iure eius dies natalitius debet celebrari, cuius cura, & beneficio ſalus obtinetur, & periculum pro-

Virgi. Originali.

pulſatur.

pulsatur. Ecce Israelitarum populus Cinæis, quod olim beneficium se accepisse cognoscit, oblata salute, & tranquillitate reddit : *Dixit Saul Cinæo : Abite, recedite, atque descendite ab Amalec : ne forte involuam te cum eo : tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel.* Misericordia impensa Israelitas à calamitate exemit, & Cinæos à bellorum discrimine liberauit. Quæ autem hæc fuerit misericordia, ex qua Israelitis tot commoda, & tot Cynæis promanarint auxilia, inquirunt sacri Interpretes, testanturque fuisse triumphum, quem Iael Heber Cinæi vxor de Sisara acerrimo Israelitarum hoste accepit, dum caput clauo transfixit : *Tulit Iael vxor Haber clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum, & ingressa absconditè, & cum silentio posuit supra tempus capitis eius clauum, percussumque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram: qui soporem morti consocians defecit, & mortuus est.* Iael, Mariæ sanctissimæ vmbra contrito inimici capite singularem assequuta est triumphum, & Iaelis triumphus tunc fuit salus, & vita Hebræo, quandoquidem tyrannicum excussit iugum, & modò est etiam Cinæis vitæ propugnaculum, & contra pericula tutamentum. A Iaelis triumpho omnibus prouenerunt commoda, & gaudia ; Cinæus modò à periculo eximitur; Hebræus olim ab hoste truculentissimo liberatur. Nec enim poterat virgo de capite hostis, hoc est, de originali peccato, quod tyrannidis est caput, speciale reportasse trophæum, quin omnibus auxilium esset, & gaudium. Iam victoriam illam vocari hic impensam Israelitis misericordiam tradit Abulensis *quæst.* 16. *Quæret aliquis, quæ misericordia fuerit ista, quam fecerunt Cynæi cum filiis Israel. Aliqui respondent, quod ista fuit in bello contra Sisaram Principem militiæ Regis Iabin ; nam iste oppresserat Hebræos per viginti annos, vt patet Iudic. cap. 4. Cùm autem pugnaret Sisara contra Israel ad omnimodam deletionem fugiens à Deo perterritus, declinauit in domum Haber Cinæi, cuius vxor Iael percussit Sisaram infixo clauo in capite eius, & fecit pacem in Israel.* Adiungit : *Istud autem fuit beneficium ad totum Israel, quia omnes Israelitæ liberati sunt à bello, & subiectione Chananæorum per mortem Sisaræ.* Iael singularissima lauro coronata eorum depulit captiuitatem, & attulit Israelitis salutem, & modò Cinæi ob impensum Israelitis beneficium nesciunt bellorum incommodum, vt ab vna Iaele lauris redimita prouenerit, quòd Cinæi declinarint periculum, & Hebræi tyrannicum vitarint imperium. Tanta omnibus resultarunt à Mariæ sanctissimæ singulari victoria tutamina, & commoda.

Iudic. 4. v. 21.

§. XV.

Opus est tibi longè ab improbis recedere, si velis anxia pericula declinare.

Inimica est multorum conuersatio (inquit Seneca *Epist.* 7.) *Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Vtique quo maior est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est.* Arduum est vicino peste laborante, vegeta salute frui. Sed esto mortifera luce laboranti proximus non laboret infectus, periculo tamen semper inuenitur obnoxius. Praui aliorum mores gignunt periculosa bella, ex quibus vicinis anxia sæpè resultauere discrimina. Prudens, si vicini domus voracibus flammis ardeat impetita solicita celeritate se proripiet, & ab incendio distabit; aliter namque aut erumpens flamma vorabit, aut scintilla excussa nocebit. Hoc Saul Cinæis salubre dedit consilium. Non erant Dei præcepto pœnis addicti, erant tamen Amalecitis cœlesti decreto abolendis inserti: ergo monet Saul non solùm ab eis recedere, sed quàm longè ab eis distare ; aliter namque nec tranquillitate quibunt frui, nec bellorum periculis non vrgeri : *Abite, recedite, atque descendite ab Amalec : ne fortè involuam te cum eo.* Satis non fuit admonere fugam, sed etiam distantiam. Notauit Abulensis *quæst.* 15. *Recedite, id est, separamini, atque discedite ab Amalec, id est, longè ite ab illo.* Etsi morum interueniat differentia, est etiam necessaria distantia, nam aliquando innocuis proximitas attulit detrimentum, aut saltem periculum. Notauit noster Sancius ; *Illos excedere ab Amalecitarum consortio iubet, ne, si eum illis continere contingat, idem omnes promiscuè casus, & exitium abripiat. Vndè docemur malorum consuetudinem esse omninò euitandam, ne quid mali contingat propter vicinum malum.* Vt imprudens esset, qui proximaret nimium scopo, quò à sagittario designantur tela, & collimantur spicula, ita sibi inuidet, qui cum impiis init amicitiam, nam cùm impij non rarò in se pronocent aliorum arma, & excitent periculosa dissidia, amicus, & familiaris aut putatur criminum reus, aut discrimini saltem inuenitur obnoxius : ergo recedant longè Cinæi, si velint pace frui, & cum improbis non inuolui.

Improbus Periculum.

§. XVI.

Alimenta, quæ pauperum leuant inopiam, filiorum conseruant vitam.

PLura à Deo beneficia filiis tribuuntur ob parentum eximias dotes, & decantandas semper virtutes. Abraham, dum Deo obtemperat, filiis stellarum splendorem, triumphosque multiplicat. Micant posteri velut astra : *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Quia eorum pater religiosa exhibuit officia, demetunt gloriosa trophæa. *Deos videre est* aiebat Seneca *lib.* 4. de Beneficiis *cap.* 32.) *vt alios indulgentius tractent propter parentes, vosque, alios propter futuram nepotum, pronepotumque, ac longè sequentium posterorum indolem.* Vt parenti modò prosunt egregia posterorum facinora, sic filios iuuant antiquorum parentum facta. *Non sine ratione* (Præmiserat Seneca *cap.* 30.) *Sacra est magnarum virtutum memoria, & esse plures bonos iuuat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat. Ciceronem filium quæ res Consulem fecit, nisi pater ? Cinnam nuper, quæ res ad Consulatum recepit ex hostium castris ? Quæ Sextum Pompeium, aliosque Pompeios nisi vnius viri magnitudo.* Filiis ob acceptum beneficium exhibitur frequenter obsequium. Cinæos ab Amalecitarum ruina eripuit impensa olim à Iethro Israelitis misericordia. : *Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cùm ascenderent de Ægypto.* Israelitis per desertorum inuia pergentibus Iethro occurrit, vt suprà vidimus ; eorum Rempublicam optimis monitis stabiliuit, & vt placet nostro Sancio, alimenta ministrauit : ergo quod pater tunc misericorditer profudit, filius modò ingentibus adauctum lucris inuenit, & misericordiæ fuit pretium appetens effugisse mortis periculum. *Obtulisse illum, cum gentilis esset, & Sacerdos Madian, hostias, & holocausta Deo, aut, quod videtur vero propius, tradidisse*

Eleemosyna. Filius. Gen. 22. v. 17.

tradidiſſe hoſtias, quas ſacrificaret Moyſes in eo altari, quod excitarat proximè c. 17. v. 16. non exigua. videtur in Hebræorum populũ miſericordia collata. Adnectit, quod theſi noſtræ opportunius: *Neque eſt verisimile virum copioſum, & potentem ad generum, quem per deſertam, & ſterilem regionem incedere cognouerat, veniſſe vacuum, ſed ex gregibus, quos in locis proximis copioſos alebat, attuliſſe aliquod non leue ſubſidium.* Itaque, vt Interpretibus placet, Iethro Cinæorum pater allato copioſo ſubſidio Hebræorum releuauit miſeriam; ergo poſt longa tempora huius filij acceperunt præmium, & vitæ matura fuga fruſtrauerunt periculum. Vt notum omnibus fuerit filiorum ſeruatam vitam ob collatam à parentibus in egenos miſericordiam. Non ſunt elapſa à Dei memoria, etſi tempus intercedat, exhibita pauperi alimenta, quæ modò compenſat aſſeruata filiorum vita.

TEXTVS.

VERS. VII. & VIII. Percuſſitque Saul Amalec ab Heuila, donec venias ad Sur, quæ eſt è regione Ægypti, & apprehendit Agag Regem Amalec viuum; omne autem vulgus interfecit in ore gladij.

§. XVII.

Humanæ gloriæ ambitioſi diuinis præceptionibus opponuntur aduerſi.

Ambitio. *Præceptum.*

GLoria (inquit Seneca *Epiſt.* 123.) *vanum, & volatile quiddam eſt, auraque mobilius.* Verum dixit: ſed cum plures hoc ardore exeſtuent, honeſtum deſpiciunt, & recti apud eos locum tenet error; vtque publico faſtu aliis ingerant admirationem, proculcare non magnifaciunt virtutem. *Omnes iam ſic peregrinantur* (verba ſunt Senecæ) *vt illos Numidarum præcurrat equitatus, vt agmen curſorum antecedat. Turpe eſt, nullos eſſe, qui occurentes via deiciant. qui honeſtum hominem venire magno puluere oſtendant. Omnes iam mulos habent, qui cryſtallina & murrhina, & cælata magnorum artificium manu portent.* Modeſtia contemnitur, gloria, plauſus, faſtuſque exambitur. Gaudent homines adulationibus celebrari, & repetitis acclamationibus ſupra reliquos euehi. Hac gloriæ ſiti Saul diuina præcepta tranſgreſſus eſt, & Agag quem honeſtè interficeret, viuum apprehendit, & ſeruauit: *Apprehendit Agag Regem Amalec viuum: omne autem vulgus interfecit in ore glady.* Quærunt Interpretes, cur Saul Regem aſſeruarit, ſecumque adduxerit, reſpondentque, voluiſſe ſumptuoſum agere triumphum, & ad glorioſiorem triumphi pompam Regem adeò magnum ducere ante rhedam captiuum. Ita Hugo Cardinalis: *Viuum ad gloriam ſui triumphi demonſtrandam.* Vt triumphi augeret pompam, legem violauit, & contempſit diuinis iuſſis obtemperare, vt celebriori poſſet triumpho lucere. Nam euanidæ gloriæ auiditas ea ſolùm curat, quæ magnam ſui opinionem ingerant, & in admirationem cæteros trahant. Vt vidit Aaron ad effingendos deos populi magnates conueniſſe, arbitratus eſt ſe à Sacerdotis munere deponendum, & dignitatis inſulis denudandum. Vtque huic periculo occurreret, & vitulum conflauit, & altare ſumptuoſum conſtruxit: *Ædificauit altare coram eo.* Exod. 32. v. 5. Maluit Aaron Sacras leges violare, quàm muneris ſplendore carere; auram popularem tranſgreſſione virtutis emit, & ne primatum perderet, à veritate prorſus deſciuit. Ita Caietanus hîc: *Aaron primatum nolens perdere adificat altare coram vitulo.* Vbi gloriolæ ardor flabellatus eſt, creuit in incendium, & diuinum proculcauit mandatum. Aaron ſordet vt fulgeat, & tot à Deo accepta beneficia oblinioni tradit ob breuem inſaniam & inanem prorſus gloriam. Nam faſtus, & gloriæ ſtudium, eſt cœleſtium præceptorum venenum.

§. XVIII.

Oris venuſtas, dum ad ſe rapit animum, ſuadet facilè Numinis contemni præceptum.

PLura ſunt, quæ nos à rationis, & virtutis tramite tranſverſos agant. Omnia iſta, quantum licet, vitanda ſunt: nam etſi ſtatim non officiant, ſemina in animo relinquunt, quæ poſteà pullulant, & excreſcere in meſſem ſolitant. Præ aliis tamen vitandus eſt pulchritudinis, aut venuſtatis aſpectus, nam ſi oculos allexerit, plus audebit, & quod peius eſt obtinebit facilè *Duo eſſe genera verum* (tradit Seneca *Epiſt.* 123. *quæ nos aut inuitent, aut fugent; inuitent, vt diuitiæ, voluptates, forma, ambitio, cætera blanda, & arridentia. Fugent; labor, mors, dolor, ignominia, victus aſtrictior. Debemus itaque exerceri, ne hæc timeamus, ne illa cupiamus. In contrarium pugnemus, & ab inuitantibus recedamus.* Qui non recedit à conſpectu pulchritudinis, & rapientis animum venuſtatis facilè corruet, & diuina edicta calcabit. Saul Agag contra cœleſte decretum pepercit, & quia pepercit iniqua commiſeratione, cœleſtem indignationem ſubiit: *Apprehendit Agag Regem Amalec viuum.* Quæ fuerit in cauſa huius iniquæ commiſerationis, quærunt Interpretes, ex quibus nonnulli exiſtimant Agag fuiſſe eximiæ, pulcherrimæque formæ, cuius aſpectu Saul ita delinitus eſt, vt maluerit contra præceptum ſeruare, quàm gladio occidere. Ita Ioſephus apud Hugonem Cardinalem: *Ioſephus dicit, quòd ideò Saul dimiſit viuum Agag, quaſi miſericorditer faciens ob pulchritudinem eius.* Agag ſenſualitatis ſymbolum venuſtiſſimo ore proditur exornatum. *Per Amalec* (inquit Gloſſa Moralis) *ſenſualitas, per quam homo conuenit cum brutis, deſignatur, & ſic debet domari, quod obediat rationi.* Amalec obtemperare tenebatur rationi, ſed Saul oris venuſtate delinitus Dei legem ſubiecit pulchritudini, & quadam animi teneritudine emollitus, eſt cœleſte edictum tranſgreſſus: fellita ſibi miſericordia pulchritudini pepercit, & ſe reum commiſerationis ſtatuit. Ita Ioſephus 6. *Antiquit. cap.* 8. citatus ab Abulenſi *quæſt.* 17. *Cepit Saul Regem hoſtium Agag viuum, cuius corporis pulchritudinem, magnitudinemque demiratus decreuit eſſe ſaluandum: non hoc faciens diuina voluntate, ſed iudicium proprium ſequens, & ſine cauſa ei cedens vitam quaſi miſericorditer; vndè illi poteſtas ſine periculo ſuo miſerendi non eſſet.* Si oculos modeſtia frænaſſet, Dei mandatis paruiſſet; verùm dum oblectatur aſpectu, obligatur etiam reatu.

Venuſtas. Præceptum.

§. XIX.

Auri cupiditas sibi ipsi aduersatur, & diuinas leges transgreditur.

Aurum. Cupiditas.

AVrum sic hominum animos dementauit, vt adorationem extorserit. Iura nescit cupiditate inflammatus, & muneri suo iniuriam facit hoc ardore pestilenti possessus. *Argonautæ* (inquit Plutarchus in præceptis politicis) *relicto Hercule compulsi fuerunt fœminarum fascinationibus, & veneficijs se seruare, & furari vellus illud aureum.* Vellus aureum iter docuit abrumpere, & Herculem desertare. Adnectit: *Aurum in certa templa, qui penetrant, relinquunt foris, ferrum secum in nullum inferunt. Quia verò commune est suggestus templum Iouis consiliorum, & vrbium præsidis, iurisque, & iustitiæ: in ipso iam limine auaritiam, & pecuniæ cupiditatem velut ferrum, & plenum rubiginis morbū excute ex animo.* Non conuenit cum iustitiæ præside Ioue aurum, cùm sit legum tinea, & iuris efficacissima corruptela. Qui se cupiditati subiecit, prorsus se rationi substraxit. Præceperat Deus Sauli ira pietatis auxiliatrice Amalecitam, qui interpretatur sensualitas, penitus atterere, & nec vestigium relinquere; ille tamen Regi Amalecitarum pepercit: *Apprehendit Agag Regem Amalec viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij.* Cùm eadem esset culpa Regis, & vulgi, magna interceßit differentia. Agag seruatur, plebeius durè punitur. Ecqua discriminis ratio fuit? Quia Saul parum, aut nihil à plebeio expectauit, regni præcipuum magna redimendum auri copia sibi promisit. Non est punita sensualitas auro obarmata, sed auro nuda. Hoc fuisse Saulis crimen testatur Lira: *Saul cupiditate ductus sperabat habere de eo magnam redemptionem, vel per eum occulti thesauri reuelationem.* Sibi persuaserat Saul Agag redimendum grandi auri copia: ergo auri cupidus Dei mandatum deliquit transgressus; cæca, & sibi ipsi inimica cupiditas, dum inhiat auro, priuatur regno. Plus Saul haberet, si minus discuperet, at dum delira auiditate inardescit, sententiam meritissimam audit.

TEXTVS.

VERS. IX. Et pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum, & vestibus; & arietibus, & vniuersis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea. Quidquid verò vtile fuit, & reprobum, hoc demoliti sunt.

§. XX.

Qui longa abutitur Numinis patientiâ, ardentiori punitur irâ.

VNdè Deus religiosius coli, & ardentiùs debuit amari, indè audaciùs despici, & stultiùs solet contemni. Dominus non creditur, quia in reos fulminibus non armatur. *Sustinet* (aiebat Tertullianus *de Patientia cap. 2.*) *ingratissimas nationes, ludibria artium, & opera manuum suarum adorantes, nomen cum familia ipsius persequentes; luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidiè insolescentem, vt sua sibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcircò non credunt, quia sæculo iratum tandiù nesciunt.* Ea est diuina mansuetudo, & patientia, vt à cæcis, & iniquis hominibus detorqueatur ad maiestatis contumeliam, honorisque notam. Arbitrantur, cùm diu malit tenere patientiam, non habere in sua potestate vindictam, nec expendunt, supplicij lentitudinem compensandam grauissima districtione, ipsamque tarditatem aliquandò desæuire impetuoso irarum volumine. Populus Agag periculosa sibi commiseratione pepercit: *Pepercit Saul, & populus Agag.* Misericordia, quæ Deum aliàs solitat sibi demereri, inuenta est modò ad iracundiam acerrimè prouocare. Ægrè tulit Deus erga Agag misericordiam, quia decreuerat dignam pœnam. Huius tantæ in Amalecitas indignationis Interpretes causas inquirunt, existimantque, iustissima Deum in Amalec exarsisse ira, quia concesserat longissima ad resipiscendum spatia, quibus sic Amalecita est abusus, vt Numinis patientiam contemneret, & scelera sceleribus cumularet: horum ergo misereri erat quodammodò patientiæ iniuria, & maiestatis offensa. Ita Procopius apud Glossam: *Quòd Deus pœnam Amalecitarum hucusque distulit, ipsius erga homines amoris est, & benignitatis, qui tantum temporis pœnitentiæ ipsorum dedit, & expectauit, donec mensura peccatorum adimpleretur. Cùm interim ipsi loco pœnitentiæ peccata peccatis cumularent.* Ipsa pœnitentiæ spatia indulgenter concessa viuidiùs iram inflammarunt, & omnes misericordiæ vias, si fas est dicere, penitus occluserunt: ergo eorum Israelitas ampliùs misereri fuit grauissima diuinæ maiestatis offensa, & benignæ adeò patientiæ iniuria. Vt hinc peccatores addiscant diuina benignitate non abuti, nec patientiam peccatorum adiectione acriter exasperare; nullum enim illis remanebit subsidium, si delassata quodammodò iam patientia desæuiat, & armata iniquis occurrat. Dum Israelitæ miserendo delinquunt, quàm obstinati peccatores, misericordiæ occluserint vias, manifestis argumentis ostendunt.

Impatientia. Ira.

§. XXI.

Nil peccatori conducibilius, quàm in hac vita puniri, nec in futurum sæculum supplicia differri.

PLùra peccata dissimulatione seuerè puniuntur, & adhibita pœna, misericorditer castigantur. Stultus, quod effugerit supplicium sibi gratulatur, & indè periculosa sibi adulatur fatuitas, vndè solicitior pungere debebat anxietas. Opportunè Tertullianus *lib. de Patientia cap. 11. Quod si à Domino nonnulla credimus incuti, cui magis patientiam, quàm Domino præbeamus, quin insuper gratulari, & gaudere nos docet dignatione diuinæ castigationis. Ego inquit, quos diligo, castigo. O seruum illum beatum, cuius emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit.* Misericors dignatio est castigationis fræno præcipitè detinere, iræ argumentum, fræna labenti laxare. Hinc colligo magna Deum ira succensum in populum, spoliis iniquè acceptis vti permissum: *Pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & vestibus, &c. Audio Acham, quia de anathemate quid suffuratus, celeriter supplicio addictus*

Peccator. Pœna.

Iosue 7. v. 25. addictus : *Lapidauit eum omnis Iſrael ; & cuncta, quæ illius erant , igne conſumpta ſunt.* Video hic pulchras veſtes , armentaque iniquâ cupiditate ſubrepta flammis non tradita , immò nec inflicta populo ob rapinam ſupplicia. Et cur ibi acceleretur pœna , & hic differatur vindicta,cùm non minus hic cæca cupiditas , quàm auida ibi rapacitas violarint mandatum , & proculcarint præceptum? Putarim Achan vt filium piè correctum , hic ſeuerè populum diſſimulatum. Audi Ioſue : *Fili mi , da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere.* Filium teſtatur , dum tempus præbet confitendi culpam , & temporalem adijcit pœnam ; ardentior in populum inflammatur ira , dum frui permittitur præda iniqua : melius cum populo actum eſſet , ſi præda diſpoliatus, & inflictis flagellis deleret culpam afflictus. Innuit Procopius hic apud Gloſſam : *Cæterùm peccatoribus , qui in hoc ſæculo puniuntur , nihil beatius , & optabilius poſſet accidere.* Nihil optabilius populo poſſet accidere , quàm temporaliter affligi , & illicito rerum vſu priuari ; nihil infauſtius , quàm diſſimulatione decipi , & iniquè parta fortuna frui. Non eſt quòd inuideas malè acquiſitis diuiti , & rapinis fulgenti.

§. XXII.

Arduum eſt occaſione proritante non labi, & exemplum ſuperioris non ſequi.

Occaſio. Exemplum. Superior.

VNa felicitas eſt (ſcribit Seneca *Epiſt.* 123.) *bona vita : facere omnia liberè , frui patrimonio. Hoc eſt viuere , hoc eſt ſe mortalem eſſe meminiſſe.* Verùm exiguus eſt horum numerus ; quiſque de alieno cupit patrimonium adaugere, & dementer hæredi ſuo à maioribus accepta relinquere nouis prouentibus aucta. Rarus eſt, qui honeſto gaudeat , etſi occaſio inuitet , adaugere diuitias non cupiat. Rarus eſt , qui non geſtiat Principi , & ſuperiori adulari , & eius facta turpi ambitione ſequi. Pepercit Saul Agag, & populus idem fecit ſuperioris exemplum imitatus , & Principi ſuo blanditus. Manus inuitabant copioſæ Amalecitarum diuitiæ, nec frænauit prohibitio , quos potenter inuitabat occaſio : *Pepercit Saul , & populus Agag, & optimis gregibus ouium , & armentorum , & veſtibus.* Auſus non eſt populus à Principe diſſidere , & eius facta diſſidendo ſugillare : non adeò popularis fortis fuit , vt cum occaſione colluctatus morum cuſtodierit menſuram , immò pompaticæ , & pretioſæ veſtes , greges copioſi de mentis arce deturbauerunt prudentiam , & perſuaſerunt inſaniam. Vt ſumptuoſiori cultu fulgerent , vt copioſioribus gregibus exundarent , diuina contempſerunt edicta , & proculcauere mandata. *Pepercerunt omnibus rebus pulchris* (inquit Abulenſis *quæſt.* 18.) *& deſiderabilibus ad poſſidendum , ſcilicet auro , & argento, cæteriſque metallis , & omni ſupellectili pretioſa.* Quid de Amalecitis triumphum reportarant, neſcierunt de auro triumphare , & cupiditatem ſubijcere : auri ſplendor oculos excæcauit , & occaſio victores victis ſubiecit. Dauid de triumphato gigante Sauli pepercit , & ora chlamydis ſolùm præciſa triumphator è tenebricoſo proſiluit antro : *Præcidit oram chlamydis Saul ſilenter.* Hunc auguſtiorem , quàm reportatum à gigante triumphum , arbitratur Chryſoſtomus homil. de Dauid , & Saul : *Hæc illâ magnificentior erat victoria.* Et cur celebrior triumphus Sauli parcere , quàm gigantem perdere ? Quia hic , reſpondet Baſilius Seleucienſis , opportuna inuitabat occaſio , alliciebat corona , adurgebat vita tranquilla : ergo occaſionem properantem contemnere plus fuit , quàm gigantem deijcere. *Quis* (verba ſunt Baſilij *orat.* 16.) *eiuſmodi nactus hoſtem per ſomnum in prædam obiectum non vna iniecta plaga ſe periculo liberaret. Amici nefariè proritabant , quæ paſſus erat , ad arma vocabant , futuri terror manum acuebat , ſed animus Dauidis haud ſuperari potuit.* Alibi cum hoſte truculento conflixit manus , hìc cum opportuna , blandaque occaſione decertauit affectus ; alliciebat hic purpura , proritabat corona, conſulebat cædem vindicta , & ſalus hoſte ſublato tranquilla : ergo maior fuit Dauid regnandi vincens occaſionem , quàm ſæuum trucidans gigantem ; nam difficile eſt occaſione inuitante non vinci , & virtutibus famulari.

TEXTVS.

VERS. X. & XI. Factum eſt autem verbum Domini ad Samuel , dicens. Pœnitet me, quòd conſtituerim Saul Regem , quia dereliquit me , & verba mea opere non impleuit. Contriſtatuſque eſt Samuel , & clamauit ad Dominum tota nocte.

§. XXIII.

Deus , dum punit , dolore quodammodo adurgetur, & impedita beneficientia afflictatur.

DEus munificentiæ theſaurum clauſum apud ſe retinere neſciens liberaliter beneficia profundit , & profuſione donorum gaudet. Quod ſi cogatur demutare (ſi fas eſt dicere) ſententiam , & dilecto inferre plagam , intimo quodammodò dolore aduritur , & ipſo amore torquetur. *Studij noſtri eſt* (aiebat Theodericus 2. *var.* 26.) *remunerationem recto conferre proposito , & bona indo is viros ad inſtituta meliora fructu impenſæ benignitatis accendere.* Votum erat regiæ generoſitatis à ſe electum impenſa benignitate ad altiora euehere , dolor eſſet electum à culmine deturbare. Ob id Deus Saulem refractarium , infidelemque regia dignitate exauguraturus pœnitere ſe aſſeruit : *Pœnitet me , quod conſtituerim Saul Regem.* Quem pœnitet, factum dolore retractat : ergo Deus , licet ſubire nequeat pœnitentiam , hoc nomine infligendam commendat mulctam ; vt intelligas, priùs quàm dolorem puniendo incutiat , dolore quodammodò exulcerari , & percelli: *Pœnitet me* (inquit Hugo) *anthropoſpathos eſt: Attribuitur enim Deo , quod eſt hominis , & ponitur antecedens pro conſequente , id eſt , faciam , quod ſolent facere pœnitentes , id eſt , mutabo quod feci , id eſt , regnum Saulis transferam ab eo.* Pœnitens , dum ſententiam retractat , dolet : ergo Deus , dum ſupplicium infert , habitum quodammodò pœnitentis aſſumit , & dolet atterere , quem geſtierat muneribus ampliare. Adde : eo Deum erga homines amore flagrare , vt dum pro ipſis patitur , dolorem glutiat , & dum eos addicit pœnis , ſe dolore indiciis exterioribus promat.

Tanquam

Tanquam agnus coram tondente se obmutescet (aiebat Esaias) *& non aperiet os suum.* Hic idem Adamum exilio mulctaturus flebili voce clamabat: *Vbi es?* Hanc vocem fuisse lamento adsimilem testatur Basilius Seleucienſis *orat. 3. Ex immenso amore compellatio lamento adsimilis.* Eo amore inardescit, vt pati pro homine gaudeat, & plectere hominem doleat. Est enim diuinæ benignitatis, & clementiæ proprium ægrè supplicia decernere, lubenter beneficia larga impertiri.

Isai. 53. v. 7.

Gen. 3 v. 10.

§. XXIV.

Vehementer diuinæ indignationis ardor incanduit, si eum copiosus Sanctorum sopire fletus nequiuit.

Sancti.

Lachrimæ.

Ardor.

PAtitur hoc improuida mortalium plerúmque conditio, vt cùm sibi videtur consulere, inueniatur lædere: sed cùm illud magis sit eligendum, quod plus agnoscitur profuturum, venena quæruntur, & salutis, ac felicitatis patrocinia existimantur. Saül, vt triumphi sibi adauxerit gloriam, vt diuitiarum copiosam potiatur summam, Domini præceptum transgreditur, & Amalecitis vitam venali commiseratione largitur. Deus his offensis sic irritatus est, vt immutabili sententia Saülem exaugurarit regali throno, & quàm doleat ad dignitatis culmen euexisse manifesto Samueli declarauit oraculo: *Pœnitet me, quòd constituerim Saül Regem.* Samuel intimo dolore exæstuat, & qui se priuari suprema potestate patienter tulit, modò, vt Saülem vidit priuatum, vehementer indoluit. Nam sancti non magni faciunt humanis honoribus denudari, & discupiunt alios prosperis fortunis vti: ergo ad orationem recurrit, & numinis iram placare laudabiliter ambitiosa humilitate contendit: *Contristatus est Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte:* Verùm supplicatio rejecta est, & pœna fixè perseuerauit constituta, quasi Deus Samueli, quod Theodericus 5. *variar. 6.* respondebit: *Suscipienda precatio est, quæ publicis vtilitatibus non repugnat, & amplectenda desideria priuatorum, quæ sic remedium quærunt, vt nobis non videantur generale dispendium.* Precatio Samuelis virtutibus exornati suscipienda esset, ni vtilitas publica repugnasset: erat enim generale incommodum alienorum rapacem, auri auidum possidere dignitatis fastigium. Amplecteretur Deus sui amici vota, si non reclamarent æquitatis generalis dispendia. O quanta Saülem maculauere delicta, quando nec copiosis Samuelis lachrymis, nec anxiis clamoribus diuinæ indignationis flamma est sopita, sed quodammodò acriùs incitata. *Possemus enim adhuc vltra differre* (verba sunt Theoderici) *si quid prodesset negligentissimum sustinere, quem per tam longum temporis spatium semper inuenimus imparatum.* Saül expectare Prophetæ aduentum jussus immaturis holocaustis deliquerat, modò iterum admonitus, ne gloriolæ ambitione, aut auri cupiditate legem violaret, deliquit: ergo diuinæ indignationis ardor sic incanduit, vt Samuelis fletus non profuerit, nec ardentem flammam sopiuerit. *Orabat igitur indesinenter* (inquit Abulensis *quæst.* 21.) *adhuc putans esse locum remedij.* Putabat Samuel precibus, lachrymisque diuinam indignationem flectendam; profuerunt tamen lachrymæ, vt agnosceretur, quàm esset viuida justæ excandescentiæ flamma, quam non solùm extinguere, sed nec sopire potuit tanta lachrymarum copia. vt hinc discant nimium confisi justorum orationibus, & Sanctorum suffragiis opus esse abstinere delictis; nam supplicatio etiam Sanctorum rejicitur, si diuina justitia magnis delinquentis reatibus ad infligendam pœnam vrgetur.

§. XXV.

Ægriùs quàm propria clientum, ac proselytorum aliquando feruntur damna.

QVidquid clientulo feliciter accedit, ad patroni laudem refunditur, quidquid infaustè, dolori etiam applicatur: quadam affectionis concordia pars patroni cliens est, præcipuè si solicitè eius fouit commoda, & indefessè solicitauit augmenta. Cùm apud Neruam Imperatorem sermo de tunc ingenuis, & acumine ingenij præditis incidisset, Corelia de Plinio parciùs egit, & se parciùs agere asseruit, ne videretur sibi adulari, vt qui semper Plinium vtpotè clientem suum, & tenere amasset, & diligenter fouisset: Audi Plinium 4. *epist. 17. Ille meus in petendis honoribus suffragator, & testis, ille in inchoandis deductor, & comes; ille in gerendis consiliator, & rector.* Adnectit: *Cùm fortè de bonis inuenibus apud Neruam Imperatorem sermo incidisset, & plerique me laudibus ferrent, paulisper se intra silentium tenuit, quod illi plurimum auctoritatis addebat: deinde grauitate, quam noras: necesse est* (inquit) *parciùs laudem secundum, quia nihil nisi ex consilio meo facit.* Plinius secundus huius venerandi viri suffragiis honores fuerat adeptus, & eius semper consilio gubernatus: ergo Corelia parciùs laudauit, ne se ipsum laudare quis ei objiceret. Quandoquidem quidquid ad Plinium videbatur spectare, ad suffragatorem probabatur pertinere. Quod adeò est verum, vt ægrius sit patrono aliquando clientulum suum procuratis honoribus exaugurari, quàm se ipsum aliqua dignitate carere. Samuel populo præerat, & cùm populus aliam regiminis formam expeteret, patienter deponi tulit, & se Deo totum commisit: *Orauit Samuel ad Dominum.* Modò Saül regno interdicitur, & jam Samuel contristatus, & tota nocte ad Dominum clamans refertur: *Contristatúsque est Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte.* Mira res! Cùm mutata à populo regiminis forma ipse insulis denudatur, non adeò contristatus est, & cùm Saül à Deo deponitur, mæstus, & clamans ad Deum tota nocte refertur. Ecqua huius discriminis causa est? An quia ab hominibus attolli, aut deprimi non est magni æstimandum, cùm sit à Deo deprimi, & mulctari dolendum? An quia justi minus propria sentiunt incommoda, & aliena plus detrimenta? Nam cùm charitas, teste Apostolo, patiens, & benigna sit, erga alios tenera commiseratione mouetur, & ad proprios labores proferendos laudabiliter induratur? Benè. Hic tamen alia intercedit ratio: nam Saül à Samuele inunctus, & optimis semper consiliis fuerat directus, sicque erat eius (si liceat dicere) factura: ergo plus doluit à munere deponi, quàm doluerat regimine se priuari. *Erat totaliter Saül opus Samuelis* (inquit Abulensis *quæst.* 20.) *cùm de statu paruo populari erexisset eum ad honorem regalem. Diligunt autem naturaliter benefactores*

Cliens.

Damnum.

Sup. cap. 8. v. 6.

nefactores valdè beneficiatos potiùs, quàm è contrario & quantò fuerint maiora beneficia, tantò magis in eis gaudent, nam ipsi beneficiati sunt opera benefactorum. Adnectit: *Cùm autem Saül primaretur regno quantum ad posteros suos, destruebatur opus Samuelis; ideo necesse est, quod de hoc tristaretur.* Dolor ad clamorem impulit, & Samuel, ne opus suum periret, gemitibus obnoctauit. Hinc facile est respondere illi quæstioni: cur videlicet Moyses ob adoratum vitulum pia ira desæuiens Aaronem eodem supplicio ac cæteros non mulctarit? Si Aaron vitulum conflauerat, si illi altare extruxerat, cur eisdem pœnis non subjectus, & pio ferro non occisus? An quia Princeps? An quia frater? Profectò apud Moysem jura cognationis non ratione præualebant, sed cùm in puluerem vitulum redegerit, non exiguam vindictam de Aarone sumpsit: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit & contriuit vsque ad puluerem.* Vitulus opus Aaronis fuerat: ergo grauissima erat pœna in puluerem redigere, & dignitate priuare. Huc voco Caietanum de Samuelis tristitia sic scribentem: *Excandescere soliti sunt ministri Principis, cùm audiunt à Principe, displicere illi opus factum ab ipsis.* Rationem reddit: *Apprehenditur siquidem hoc à ministro tanquam redundans in ipsius ministri dedecus.* Dedecus erat Aaronis vitulum tanto labore, totque impensis extructum à fastigio deponi, in puluerem redigi: ergo censuit Moyses Aaronem non minori pœna mulctatum, nec leniori dolore perculsum. Nam patrono est dolor grauissimus clientulos suos à dignitate deponi, & infulis denudari.

Exod. 32. v. 20.

TEXTVS.

VERS. XII. Cúmque de nocte surrexisset Samuel, vt iret ad Saül mane, nuntiatum est Samueli, eò quòd venisset Saül in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem, & reuersus transisset, descendisséque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saül, & Saül offerebat holocaustum Domino de initiis prædarum, quæ attulerat ex Amalec.

§. XXVI.

Omni solicitudine properandum est, vt peccatorem reuocaueris, & ad veram pœnitentiam adduxeris.

Peccator. Pœnitentia.

FInis sapientis est (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 47.) *amare quod expedit: sic nec igitur votum respicit, qui prodesse contendit.* Medicus, cùm prodesse studeat, non respicit, quid ægroto placeat, sed quid saluti proficiat; opportuna accelerat pharmaca, quia nouit aliquando tarditate eneruari remedia. Vt accepit Samuel à Deo deliquisse Saülem, nil omisit ex his, quæ ad Dei amatorem, & salutis animarum zelotypum pertinebant. Noctem posuit in numine lachrymis, & oratione placando; lucem anteuertit, vt vulneri tempestiuè medelam apponeret, & Saülem ad veram pœnitentiam adduceret: *Cùm de nocte surrexisset Samuel, vt iret ad Saül mane.* Nouerat benè Samuel quàm sit dolendum vel perinstans vnicum Dei amicitia carere, & criminibus sordidari: ergo lucroso somni, quietísque dispendio occurrere satagebat Saülis errato. Ita noster Sancius: *Cùm ineunte nocte, vt ex ipso Textu coniectare licet, hanc à Deo vocem accepisset, quod reliquum erat noctis ad lucem vsque in oratione, atque clamore posuit, quibus lachrymas, & gemitus dubio procul adhibuit. Surrexit autem de nocte, id est, priùs quàm illucesceret, vt quod à Domino mandatum acceperat, Saüli denuntiaret, & illum, si qua ratione posset, ad facti veram pœnitentiam adduceret.* Nouerat Dei misericordiam vera cordis pœnitudine promereri: nouerat culparum maculas gemitibus elui: ergo properabat Saülem ad veram pœnitentiam adducere, vt sic decretas à Deo pœnas vero cordis dolore euaderet, & eluderet. Non passus est Samuel tantillum admonitionem differre, vt qui nouerat, quàm esset Saüli infaustum diuinam indignationem incurrere. Aliter video se gerere, dum pater recipit prodigum, & dum Seniorem allicit ad conuiuium. Redibat prodigus, sed pedetentim, quia fame, & siti debilitatus, & jam pater assumptis dilectionis pœnis inuolat, & constringere brachiis anhelat: *Accurrens cecidit super collum eius.* Senior intrare recusat, & pater egreditur, & vt intret adhortatur. *Pater illius egressus cœpit rogare illum.* Et cur ad seniorem introducendum non accurrat, & ad prodigum recipiendum accedat? Quia causarum diuersitas (inquit Chrysologus) diuersum persuasit & stilum, & gressum. Prodigus adducebatur ad pœnitentiam, senior ad mensam oppiparam: ergo cucurrit, vt à culpa eximeret defædatum, & egressus est, vt ad conuiuium vocaret dilectum. *Cecidit super collum eius* (inquit Chrysologus *serm.* 3.) *vt amoris onere onus tolleret peccatorum.* Graue adeò malum est peccatum, vt pater suæ quodammodò grauitati detraxerit, & ad prodigum accurrerit. Ad filium seniorem aiebat: *Tu semper mecum es:* ergo vbi non denigrabat culpa, non erat opus adeò solicita diligentia; ast vbi criminis filium dehonestabat reatus, pater prouidenter accelerat gressus, suisque factis ostendit, quàm sit miserum exiguo etiam tempore Dei amicitia carere, & criminibus denigrari.

Luc. 15. v. 20.

§. XXVII.

Detorqueri solent ad inanissimum plausum, quæ religiosius exhibere suadebant nemini obsequium.

Inprim. Plaut. Obsequium

SVperbia resplendere discupit, & supra aliorum verticem eminere semper exambit; cum ingratitudine fœdus init, & ne alienæ gloriæ quid afferat, acceptum beneficium aut detorquet aut negat. *Idem faciunt* (aiebat Seneca de ingratis *lib.* 2. *de Benefic. cap.* 23.) *qui dant operam, vt beneficium in ipsos collatum quàm ignotissimum sit: verentur palam ferre, vt sua potius virtute, quàm alieno sermone consequuti dicantur. Rariores in eorum officiis sunt, quibus vitam, aut dignitatem debent, & dum opinionem clientium timent, grauiorem subeunt ingratorum.* Ingratorum malunt indecora nota sugillari, quàm vanis acclamationibus non efferri. Eximiam Saül, Deo auspice, patronoque, de Amalecitis victoriam tulerat, & in Carmelo monte extrui voluit æternum aliquod reportati triumphi munimentum,

tum, quod futuris sæculis esset pro lingua ad eius vulganda facta: *Nuntiatum est Samueli, eò quòd venisset Saül in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem.* Expende illud, *sibi*, quod idem valet, ac si dicatur, non Deo triumphi auctori, largitorique substructionem illam dicauit, sed suæ assentatus industriæ, ac bellicæ adulatus dexteritati. Itáque etsi victoriam diuino beneficio accepisset, noluit fateri publico illo argumento, sed potius inanem sibi gloriam eo quæsiuit titulo. Ita Lira ad hunc locum: *Et erexisset sibi fornicem, id est, arcum triumphalem de palmis, & oliuis factum, in signum victoriæ ad sui iactantiam, quia illam victoriam soli Deo debebat attribuere.* Sibi rapuit, quam debebat adscribere victoriam Numini, & superbum in altissimi montis cacumine operosa industria erexit monimentum, quo acceptum tumulauerit beneficium; indè intumuit elatior, vndè esse debuit humilior, & quæ suadebat accepta victoria religiosus obsequium, persuasit euanidum, & volaticum plausum. Et vtinam vni Saüli hoc accidisset: verùm adeò frequens hoc vitium est, vt qui amplioribus beneficiis obstricti, plus erga Deum inueniantur ingrati, & eorum crescat insania, quibus religiosa elucere debuit prudentia. Moyses veluti è mortalium numero exemptus appellatus est Deus: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Nec mirum, quando acceptam victoriam Deo retulit, & altare eius nomini consecrauit: *Ædificauit altare, & vocauit nomen eius Dominus exaltatio mea.* Humanam exuisse videtur naturam, dum non sibi, sed Numini sitit gloriam. Notauit noster Sanctius ad hoc 1. *Reg.* 15. *cap. Ac si dicat: Dominus in hac acie dux fuit, & auspex, non ego; ille vexillum extulit, sub illius signo, non sub meo victrices Hebræorum acies militarunt.* Totam Deo victoriæ consecrauit gloriam, nec sibi exambiuit guttulam: ergo jam non videbatur humanus, sed quodammodò diuinus. Et expende totam numini consecrasse victoriam, idem fuisse ac sibi honestè æternasse famam: nam dum ara Deo constituitur, & Moysem triumphis fuisse coronatum refertur: *Vocauit nomen eius: Dominus exaltatio mea.* Ara numini dicata ad promendam Moysis exaltationem erat pro lingua; nam homini proficit, quod Deo seruit.

Exod. 7. v. 1.

Exod. 17. v. 15.

§. XXVIII.

Apud homines pluris habentur euanida, quàm solida, & vera.

Temporalia.

EPicurei voluptatem primo loco constituebant, & ei virtutem pedissequam adsignabant, & secundo ponebant. Notauit Seneca

Æterna.

lib. 4. *de beneficiis cap.* 2. *In hac parte nobis pugna est cum Epicureorum delicata, & vmbratica turba in conuiuio suo philosophantium: apud quos virtus voluptatum ministra est, illis paret, illis deseruit, illas supra se videt. Non est, inquit, voluptas sine virtute. Sed quare ante virtutem est?* In hac parte Epicurus prorsus non errasset, ni ordinem inuertisset. Verum dixit, scilicet non posse veram, & solidam voluptatem à virtute disiungi: *Non est voluptas sine virtute.* Cæcutiuit tamen Epicurus, dum virtutem postponendam existimauit. Quàm disertè Seneca: *De ordine putas disputationem esse? De re tota, & de potestate eius ambigitur. Non est virtus, si sequi potest. Primæ partes eius sunt, ducere debet, imperare, summo loco stare. Tu illam iubes signum petere.* Itaque Epicurus virtutem à voluptatum castris non relegabat, sed parere voluptati veluti duci cogebat. Nec ille solus confudit ordinem, inuertit rerum statum, sed discipulorum copiosum reliquit exercitum. Paucos inuenies, qui prius virtuti studeant, quàm vanitati, extremam temporis partem honestis designant, primam, & potiorem ambitioni, & cupiditati consecrant. Saül Epicuri discipulus prius sibi erexit fornicem, postea aris ad holocaustum lignorum adoptauit struem: *Saul offerebat holocaustum Domino de initiis prædarum, quæ attulerat ex Amalec.* Prius erat ara excitanda, quàm triumphalis illa pompa extruenda; ast Saül ordinem inuertit, & primum tempus ambitioni, & vanitati dicauit. Audi nostrum Sanctium. *Vbi sibi æternum monimentum in triumphali fornice excitauit Saül, quasi illa prima omnium cura esse debuerit, descendit in Galgala, vt pacificas victimas Deo in gratiarum actionem immolaret.* Primum, & præcipuum studium fuit inani gloriæ monimentum erigere, vltimam illius diei partem impendit in offerendo victimas, & reddendo numini gratias. Tota dies teritur in conquirendis diuitiis, in promouendis dignitatibus, in expoliendis corporis ornamentis, & palpebris jam adulta nocte cadentibus aliquid recitatur, aut obligatio muneris adimpletur: nam apud sæculum primum locum obtinent exterius fulgentia, & euanida, secundum solida, ac vera. Totum ferè diem insumpsit Saül in fornicem extruendo, vltimam, & exiguam partem in victimas immolando.

TEXTVS.

VERS. XIII. Et cùm venisset Samuel ad Saül, dixit ei Saül: Benedictus tu Domino, impleui verbum Domini.

§. XXIX.

Exhibita à magnatibus obsequia, prolatáque elogia judices quodammodo fascinant, sibique conciliant.

Magnates.

ESt aliquid etiam apud Ethnicos metuendum (scribit Tertullianus *de velandis virginibus cap.* 15.) *quod fascinum vocant, infeliciorem laudis, & gloriæ enormioris euentum.* Laus fascinationis locum obtinet, dum laudatum sibi quodammodo illigat, & iracundiam iustam euigorat. Refert Plinius *lib.* 7. quosdam ad laudes confugisse vti ad maleficia, quibus vigor omnis enervatus marcesceret, & pulchritudo periret: *In eadem Africa familias quasdam effascinantium Isigonus, & Memphidolus tradunt, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes.* Hanc fascinandi vim laus quodammodo obtinet, præcipuè si à proceribus, & magnatibus proferatur, & affectatione quadam concinnetur. Tunc enim probi etiam debilitantur, & à rectitudine veluti illigati auertuntur. Deliquerat Saül Agag parcens, & diuitias Amalecitarum discupiens. Cúmque Samuel judex integerrimus aduentaret, ei obsequiosus, & gratulabundus occurit. *Benedictus tu Domino.* Vt rigidam impediret sententiam, laudibus extulit, & obsequiis corrumpere studuit: cuius fascini Samuel vim expertus, sic ait sententiam

Iudices.

Obsequia.

tentiam laturus : *Sine me, & indicabo tibi, quæ locutus ſit Dominus ad me nocte.* Qui ſine ſe petit, teneri indicauit, & quæ Samueli obſtabant, vt acceptam à Deo intimaret ſententiam, & infligendam proferret mulctam? Prælata à Principe elogia, & exhibita reuerenter obſequia; nam laudes quodammodo illigabant linguam, & proferre duram impediebant ſententiam. Is fuit Samuel, vt nullis adulationibus flecteretur; verùm dum ſe teneri indicauit, laudem faſcinum eſſe æquitatis oſtendit. *Samuel* (inquit noſter Sancius) *qui iam à Deo quid fuiſſet, à Saule peccatum didiciſſet, longè aliter rem eſt interpretatus, quàm ipſe putabat.* Putabat Saul Samuelem laudibus deliniendum, &, ne exaſperaretur, adulationibus faſcinandum; verùm à Deo inſtructus à rectitudine non diſceſſit, & juſtam ſententiam protulit. Conſonat Gregorius *in* 1. *lib. Reg.* ad hunc locum: *Quia blanda adulatione ſummi viri flectere mentem nititur, præmiſit, dicens: Benedictus tu à Domino.* Subjicit Gregorius: *ſed perfecti viri audire laudes ſuas poſſunt; à rigore autem juſtitiæ flecti nequeunt.* Dum Saul ad laudes confugit, quam habeant efficaciam ad incantandũ oſtendit, & dum Samuel laudum faſcino ab æquitate non diſcedit, eximiis ſe adornatum virtutibus declarauit. Chriſto accedunt Herodiani, & Phariſæorum diſcipuli, vtque à juſtitia deflectant, laudibus onerant. [Magiſter, ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonam hominum: dic ergo nobis quid tibi videtur: Licèt cenſum dare Cæſari, an non? Quid tunc Dominus? Quid me tentatis hypocritæ?] Vt tentator mundi gloriam Domino offerebat; ſic modò hypocritæ acerrimum laudum arietem armabant, putabantque deluſi ſic veritatem labefactandam, vt proferret Chriſtus ipſis grata, non juri conſona. Dominus tentationem vocauit laudem, vt nos edoceret ſub grato laudis ſplendore inſidias latere, fraudeſque celari. Et quidem ſæpè, qui laudant, tentant, vtque tentauerint, laudant. Prodeſt Chryſoſtomus *in Cat. D. Thomæ: Hæc eſt hypocritarum prima ſimulatio, quia laudant.* Vt corrumperent, dilaudarunt, vt qui nouerant laudes æquitatem faſcinare, & probos etiam corrumpere.

Matth. 22. v. 16.

TEXTVS.

VERS. XIV. Dixitque Samuel: & quæ eſt hæc vox gregum, quæ reſonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio?

§. XXX.

Quantumvis ſagax diſſimularit cautela, peccatorem prodit criminis lingua.

Peccatum. Cautela.

IN peccatis allicit grata voluptas, retrahit inhonora fœditas; eſt mixtum cum decore gaudium; cúmque & dehoneſtari fugiat gloriæ ambitio, & gaudium promittat voluptatis dulcedo, inter timorem, amoremque homines diuiſi, toti ſunt in fœditate inauranda, & dulcedine perfruenda. *Voluptas* (aiebat Seneca *epiſtol.* 123. *humilis eſt, & puſilla eſt, & in media habenda pretio, communis cum mutis animalibus ad quam minima, & contemptiſſima aduolant.* Ad voluptatem animalia aduolant, quia nihil eſt, quod auertat: homines verò auertit pudor, allicit amor: ergo ſe exterius fingunt honeſtaris ſtudioſos, cùm interius ſe frænare neſciant delitiarum auidos. Verùm mihi crede: mendacium, ſi perſpexeris, lucet, & quidquid confictum, temporis decurſu apparet. Saul diuina ſe præcepta impleuiſſe oſtendebat, & religioſis victimis aram implebat: *Impleui verbum Domini*; verùm greges, armentaque balatu, & mugitu ſe ſe prodebant, & Saulis ſcelus auribus intimabant: *Quæ eſt hæc vox gregum, quæ reſonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio.* Saul obſurdeſcens voces non audiebat, & alios non audire putabat; verùm quantumvis ſcelus tegeret, & ſe diuinis præceptis obſequentem oſtentaret, ipſa peccata contra eum armabant linguam, & eludebant cautelam. Gregorius apud noſtrum Sancium in gregum, armentorumque vocibus famam intelligit, quæ hominem virtutem exterius venditantem, & confingentem ſceleris conuincit, & damnat. Ipſum audi: *Vox gregum, & armentorum Amalec fama turpitudinum eſt.* Adnectit: *Quaſi ſub falſæ virtutis ſuæ ſimulatione reconditum denudat pectus, dicens: Tu te proprio ore juſtificas, ſed immunditiarum tuarum turbæ per omnium ora clamant.* Oblatis ſacrificiis voluit Saul apparere pius, & diuinis præceptis obſequutus; verùm illum prodebat ouium balatus, publicabant commiſſa ſcelera, & violata cæca cupiditate mandata. Samuel vocem audit, cùm Saul pietatem exterius fingit. Hanc latendi ſtultam fiduciam coarguit Habacuc: [Cogitaſti (*aiebat*) confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua, quia lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter junctũras ædificiorum eſt, reſpondebit.] Marmoreæ domus columnæ, peregrina, & pretioſa ſupellectilia, argentea, aureaque vaſa ſonora lingua contectam manifeſtant rapinam, & produnt eſſe laruatam modeſtiam. Opportunè noſter Sancius ad hoc 15. caput: [In re morali multi ſunt, qui ſe pios eſſe verbis profitentur; at contra obſtrepunt plurima, quæ illos impietatis, & mendacij conuincunt, quorum ſimulatam continentiam prodit aut laſcinus oculus, aut vox multò quàm deceret, petulantior. Multi juſtos ſe eſſe clamant, quique à rapina non ſolùm manus, ſed etiam oculos, & cupiditatem continent; cùm tamen clament, & vehementer accuſent, pupillorum, ac viduarum prædæ, quæ ſceleſtam, & auaram domum inſtruunt, & exornant.] Plures ſe ab omni cupiditate liberos exterius mentiuntur, ſed cùm à majoribus aut nullum, aut exiguum patrimonium acceperint, ipſi ſuperbarum domuum parietes clamant, & familiæ faſtus, & ſplendor, quod tegebat cauta aſtutia, & ſagax cautela, exertis vocibus manifeſtant. Saul ſe verbum Domini impleniſſe mentitur, ſed voce gregum damnatur: habent enim peccata linguas ſuas, quibus, quod latebat, detegunt, & ſimulationem coarguunt.

Habacuc. 2. v. 10.

TEXTVS.

VERS. XV. Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarentur Domino Deo tuo, reliqua verò occidimus.

§. XXXI.

Plures, dum culpas suas in alios satagunt retorquere, solitant incrementare.

Culpa. Excusatio.

CVm minuatur, aut excusetur facinoris enormitas, si commune fuerit delictum, aut ad plures spectarit erratum, quisque auidè procurat consortes habere, aut mendacio faeere, quasi propria extenuetur malitia, si plures sceleris inficiat offensa. Adam culpam retorsit in Euam, Eua in serpentem; sed vndè criminis quærebant excusationem, addiderunt grauitatem. Samuel gregum vocibus informatus, in Saulem inuehitur piè iracundus. Saul, vt leuauit culpam, in populum retorsit offensam: *Pepercit populus.* Ac si dicat: Populi cupiditatem non potui frænare, immò compulsus fui, quod exigebant, permittere. Qui culpam suam confitendo, & aggrauando leuaret, in alios retorquendo adauxit, & se grauiori reatu obstrinxit. Notauit Hugo Cardinalis: *Culpam suam retorsit in populum, & ideò plus peccauit. Sicut Eua, quæ retorsit peccatum suum in serpentem, & Adam in Euam.* Populi scelus in rectorem permittentem refundebatur; quandoquidem erat Principis culpa, populi effrænis licentia: Ergo Saul, dum se imprudenter releuat, grauius onerat, & peccati excusatio criminis erat accessio. Aaron à fratre, quòd vitulum fecerit, redarguutus populo adscripsit erratum, & se quodammodo asseruit compulsum: *Tu nosti populum istum, quod pronus sit ad malum: dixerunt mihi: Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Lira existimat hic addidisse mendacium, vt excusaret delictum, sicque nouis culparum accessionibus errorem excreuisse, & nouis excusationis reatibus Aaronem iracundiam Numinis inflammasse. Audi Liram: *Videtur, quòd dixerit mendacium, dicens: Egressus est hic vitulus, insinuans, quòd hoc esset præter intentionem suam.* Mendacium addidit culpam populo adscribens, eiusque pernersam ad malum inclinationem arrodens: *Iuxta Hebræum habetur* (scribit Caietanus) *quòd in malo ipse. Et est sensus, quòd ipse populus est subiectus malis dispositionibus regnantibus in eo.* Populi exaggerauit malitiam, vt suam alleuaret offensam: vitulum ait inopinatè egressum: *Egressus est hic vitulus*, quasi nulla eius opera, aut industria idolum fuerit conflatum, immò contra eius voluntatem confictum. Hic enim est peccantium mos ad intentionem recurrere, & se magna occasione instigatos exaggerare. Saul pepercit Agag ad triumphi pompam, & modò de populo dat querelam: *Pepercit populus.*

Exod. 32, v. 22.

TEXTVS.

VERS. XVI. Ait autem Samuel ad Saul: sine me, & indicabo tibi, quæ loquutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere.

§. XXXII.

Magnates reprehendere est sibi pericula procreare.

Magnates. Reprehensio. Periculum.

POpularium peccata graui pœna mulctantur, & asperrimis superciliis feruntur: si tamen magnates, procereſque eisdem, aut similibus deturpentur erroribus, plauduntur mentitis laudibus, quasi delictum pro personarum diuersitate demutarit naturam, & dissonantiam. Optimè Seneca *epist. 95. Quæ clam commissa capite luerent, eadem quia paludati facere laudamus.* Quæ à paludatis, hoc est, purpura indutis committuntur, veluti legibus consona dilaudantur. Hinc si quis magnatum, procerumque scelera debita aggrediatur reprehensione corrigere, veluti dignitatis reus solet sibi discrimina maturare. Ob id Samuel à Domino delegatus, vt Saulem diuini præcepti transgressorem digna sententia feriret, & irrogata pœna legibus satisfaceret, priùs quasi pacto inito statuit nullum inferendum sibi detrimentum, si Dominicum pronuntiarit edictum: *Sine me, & indicabo tibi.* Ac si dicat: Si mihi spondes securitatem, tibi à Deo decreta renuntiabo. Ita Abulensis *quæst. 24. Secundum quosdam dicitur: sine me, id est, promitte, quod non ledas me, si quicquam dixero. Est enim iste modus eorum, qui referunt Regibus, & magnis viris aliqua, quæ sunt eis tristia, &, vt propter hoc nihil patiantur, petunt primò securitatem.* In magnatum culpas inuehi habetur peccatum, & decernitur corrigenti supplicium. Vt sunt plures, qui eorum facta celebrent, qui veluti adulandi certamine inter se pugnent, se tam magnos, quàm audiunt, credunt; & cùm hæc illis altè insideat opinio, eos carpentes odio prosequuntur, &, quantumvis sit rationabilis reprehensio, exasperantur, & vindictam sumere totis viribus adnituntur. Ergo Samuel securitatis priùs tesseram voluit impetrare, antequam aggrederetur Principis culpam corrigere, & sententiam Dei intimare. Nec aliter Ioatham. Sichem proceribus Abimelechi electionem exptobraturus verticem montis ascendit, & elata voce clamauit: *Stetit in vertice montis Garizim, eleuataque voce clamauit.* Verticem ascendit, quo faciliùs sibi pararet fugæ subsidium, cùm Principum reprehendebat erratum: *Qua cùm dixisset, fugit, & abiit in Bera.* Cùm verò dixit, cùm magnatum facta carpsit, fugam arripuit, ne aliter posse vitæ suæ consulere credidit. Ita Abulensis *quæst. 31. Non ausus est manere in terra Sichimorum, nec in Ephra.* Rationem subdit: *Quia timebat occidi.* Cùm in Reipublicæ magnates, & Sichem proceres, & ſænigmaticè inuectus fuisset, timuit occidi; nam proceres, quantumvis ænigmatica, mollique reprehensione carpantur, piam audaciam castigare non sine furore aggrediuntur. Ergo Samuel sine securitatis tessera Saulem non carpsit, &, quàm ægrè magnates reprehendentem ferant, factis ostendit.

Iudic. 9. v. 7.

§. XXXIII.

Corrigenda est delinquentis culpa, sed dignitati exhibenda reuerentia

Dignitas. *Reuerentia.* *Culpa.*

NEc culpa reprehensibili est dissimulatione ferenda, nec dignitatis majestas inciuili ausu violanda. Oportet scelera resecare, sed delinquentis dignitatem vrbana comitate vereri. Correctionem infamat; qui debitæ terminos vrbanitatis transgressus exprobrat. Quandoquidem graniori censetur reatu delinquere, qui dignitatis injuria correctionem criminis adnititur adhibere. Hinc est, quòd Samuel in Saulem Domini edicturus sententiam, reuerenti moderatione facultatem exorat: *Sine me, & indicabo tibi, quæ loquutus sit Dominus ad me nocte.* Caietanus legit: *Permitte, & indicabo tibi.* Consonat Procopius *quæst.* 33. *Quamquàm Propheta sit, tamen Regem alloquuturus liberè loquendi licentiam petit.* Veniam loquendi debito moderamine postulauit, & acrem sententiam protulit: in vtroque laudandus, & quia culpæ non pepercit, & quia debitam majestati reuerentiam constitutus judex non negauit. *Quidam* (scribit noster Sancius) *ex obseruantia hanc Samuelis vocem natam esse putant, quasi veniam à Rege, & facultatem loquendi petat.* Loquendi habebat à Deo delegatus facultatem, petiuit tamen à Rege, vt debitum dignitati exhiberet obsequium, & laudabilis comitatis præstaret officium. Qui accepta potestate ad castigandos, corrigendosque procerum defectus, se inciuiliter, inurbanéque gerunt, sibi ipsis inuident, dum habentur aut exoculata superbia inflati, aut imprudenti ausu supplicio digni. Daniel somnum Nabuchodonosoris interpretaturus nec sententiam meliuit, nec dignitatem contempsit. Viderat Nabucho. arborem adeò proceram, vt nubes excederet, & cacumen intra luminosa cœli sidera ageret, florida nitebat, & fructibus copiosa vernabat; verùm quo plus intumuit, citiùs contra se falcem armauit: ergo Daniel arcanum somnium interpretatus sic ait: *Hæc est interpretatio sententiæ altissimi, quæ peruenit super Dominum meum Regem: ejicient te ab hominibus, & cum bestiis, ferisque erit habitatio tua.* Dei sententiam confusis ambagibus non obscurauit, vt majestati adularetur, nec in majestatem deliquit, vt potestatem suam ostentaret, & exilium intimat: Dominum suum vocans non pepercit crimini, nec honorem detraxit dignitati. Notauit Theodoretus *orat.* 4. [Hinc planè discere licet Apostolicæ doctrinæ vtilitatem. Omnis enim anima (inquit) potestatibus sublimioribus subdita sit. Etenim beatus quoque Daniel dominum ipsum impium Regem vocat, & legi potestatis obediens congruis vsus est appellationibus, ac molestam esse somni veritatem ostendit.] Debita reuerentia vsus, & somnum apertè, integréque interpretatus edocuit dignitatem suspicere, & in crimina sententiam proferre.

TEXTVS.

VERS. XVII. Et ait Samuel: Nonne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es, vnxitque te Dominus in Regem super Israël.

§. XXXIV.

Prospera fortuna esse solet humilitatis naufragium, humilitas prosperæ fortunæ illicium.

Humilitas. *Prosperitas.*

SVperbiam diuinitatis *semper exosa perse*qui debet generalitatis assensus (scribit Cassiodorus 3. variar. 3.) *nam qui vult inopinabili gentem voluntaria iniquitate subuertere, non dispomt cæteris iusta seruare. Pessima consuetudo est despicere veritatem. Credit sibi omnia cedere, si elatum contigerit in abominabili certamine superare.* Superbia sodalitatis est inimica, & qui suæ magnitudinis stultè irrepsit præsumptio, à reliquorum sejungit consortio. Hanc elationis pestiferam luem prospera nutrit fortuna, & dum felices se tam magnos, quàm audiunt, credunt, à veritate, & modestia prorsus deciscunt. Sibi erexerat fornicem Saul, qui repetitis, faustisque adulationibus elatus, omni humilitatis modestia inuentus est nudus: *Nonne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es?* Ac si dicat: cùm humilitatem colebas, ipsa tibi attulit regnum, & supremæ dignitatis fastigium: verùm prosperis successibus detestabili adeò præsumptione intumuisti, vt te jam non conscientiæ virtus erigat, sed abominabilis cunctis superbia è fastigio dignitatis detrudat. Ita Gregorius apud Glossam: *Saul in bono quod cæperat, non permansit, quia fastu potestatis intumuit.* Si humilitatem seruasset, dignitate stabilita fulsisset; ast quem humilitas extulerat, prospera fortuna jactauit. Et nescias quo pacto, qui ab infima conditione ad dignitatum celsitudinem peruenerunt, plus intumescant, & turgeant. *Elatus potentia* (inquit Hugo) *iam se se paruulum non videbat, cæcorum comparatione se præferens, quia plus poterat, magnum se præ omnibus existimabat, cùm apud se magnus, apud Deum paruulus fuit.* Indè Dauid mirandus, qui in Regem jam vnctus humilitatem studiosius coluit. *Quem persequeris* (alloquebatur Saulē) *Rex Israël? Quem persequeris? canem mortuum* Lebr. 24. *persequeris, & pulicem viuum.* Hac humili voce perculsus Saul Dauidem futurum Regem agnouit, & odium nihil profuturum præuidit: *Sciò quod certissime regnaturus sis.* Et vndè sciat? Ab humilitate profectò: nam qui expertus fuerat elati sui tumoris detrimentum, in Dauidis modestia consepxit & honoris illicium, & ad stabiliendam dignitatem suffragium. Adest datus Gregorius: [Dauid semper de se humilia sentiens, & eidem Sauli se comparatione postponens, postquam feriendi locum reperit, pepercit, & sæuienti aduersario se humiliter prostrauit, dicens: Quem persequeris Rex Israël? Quæris canem mortuum, & pulicem viuum.] Dauidis dignitas humilitate est suffulta, Saulis majestas elatione, & prospera fortuna obscurata.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Et misit te Dominus in viam, & ait: Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vsque ad internecionem eorum.

§. XXXV.

Iudices non dedignentur decreti supplicij, si nimis videatur rigidum, rationem reddere, & rigoris causam vulgare.

Iudices. Supplicium. Causa.

DIcam planè quod sentio (aiebat Cassiodorus 2. variar. 3.) *qui sine lege vult agere, cunctorum disponit regna quassare.* Qui legem contemnit, non est bonus regiminis administer, sed pacis, & tranquillitatis videtur euersor. Legis obseruantia obseruantis est gloria, nec celebriorem Princeps, aut judex sibi potest plausum lucrari, quàm si constet omnibus rationi parere: Et quamvis ipsi sit certum in suis actibus integritatem custodire conscientiæ, juuat sæpè rationem reddere, & injicere frænum audaci linguæ. Decreuerat Deus Amalecitas prorsus extinguere: *Percute Amalec, & demolire vniuersa eius.* Decretum erat omni ratione, & æquitate suffultum; verùm ne quis temeraria præsumptione infamaret, aut præteriri æquitatis terminos lingua iniquissima abroderet, decreti supplicij modò rationem reddit, & omnem iniquæ suspicionis audaciam occludit: *Misit te Dominus in viam, & ait: Vade, & interfice peccatores Amalec.* Modò expressit decreti causam, vt omnem euitaret inuidiam. Notauit Caietanus: *Prius fuerant nominati destruendi Amalecitæ: modò declaratur ratio quare destruendi sunt, quia sunt peccatores, vt justitia præcepti manifestetur.* Diuina præcepta semper sunt æquitate suffulta; verùm vt instrueret judices, supplicij voluit rationem manifestare, nam cùm adeò graue, ac seuerum esset, expediebat, vt omnibus notesceret causa, ne in judicem peruersa armetur lingua; aliter namque truculentum, sæuumque fortassis dicerent, & merita pœnis excessisse clamarent. Discant hinc superiores, ac judices tantùm suæ non arrogare conscientiæ, vt nolint, cùm rigidam decernunt pœnam, manifestare vulgo dignissimam causam: quandoquidem ipse Deus omnis erroris, & culpæ expers, ne nimis rigida videretur sententia, voluit vt nota omnibus esset culpa: *Modò declaratur ratio quare destruendi sint, quia sunt peccatores, vt iustitia præcepti manifestetur.* Balaam Dei spiritu afflatus perniciem, & omnimodam extirpationem Moabitis prædixit: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab.* Balac, quod diuino prædicebatur decreto, vatis in se adscripsit odio: *Vt maledicteres inimicis meis vocaui te, & tu è contrario benedicis eis.* Quid tunc Propheta? *Num aliud possum loqui, nisi quod iusserit Dominus?* Compulsus est interminatæ sententiæ rationem reddere, aliter namque nequiret iniquam à se suspicionem propulsare. Opportunè Philo *lib. 1. de vita Mosis:* [His auditis Balaaces ingemuit. Conduxi te, inquit, vt hostes execrareris: nunc non pudet te illis fausta ominari? Quàm me fefellit opinio, qui amicum putans opposui te hostibus! jam satis apparet quo sis animo: hoc est nimirum, cur tam cunctanter venisti, benevolentiam, qua istos prosequeris, & odium mei dissimulans; licet enim ex manifestis de incertis conjecturam facere.] Vt vidit sibi infausta, & aduersarij ominari prospera, vt dolorem solaretur, notam prophetæ impegit, vt qui erga illum tecta ageretur maleuolentia, & nimia aliis blandiretur gratia: ergo Prophetæ rationem reddidit, vt calumniam propulsaret. *Iniustam, inquit, sustineo calumniam, nihil ex me ipso dicere soleo, interpres tantùm Dei sum.* Quo moueretur impulsu, qua teneretur lege, explicuit, & quidem calumniam sustinuisset, ni prædictionis causam declarasset.

Num. 24. v. 17.

Num. 23. v. 11.

§. XXXVI.

Iudex, aut superior acquirendi auidus sæpè inuenitur legem transgressus.

AVaritia, & acquirendi sitis semper legibus inueniuntur aduersæ; nec enim potest justitiæ parere, qui adaugendis noscitur facultatibus inhiare. Cupiditatem malorum omnium fæcundam esse radicem & diuina lectio testatur, & quotidianis experimentis fulcitur. [Inter cæteras (*aiebat Cassiodorus 4. variar. 39.*) quibus humanum genus sollicitatur illecebras, præcipuè vitanda est alienarum rerum turpis ambitio, quia in immensum jactata rapitur, si iustitiæ ponderibus non prematur. In immensum jactatur cupiditas, & legem non videt procreata ex cupiditate cæcitas. Expressis verbis jubet Deus Sauli Amalecitas extinguere, ille præceptum transgressus est. Et quare? Iam Propheta explicuit: *Versus ad prædam es.* Cupiditate inflammatus aures sepiuit diuinis præceptis surdus, contempsit legem, vt augeret facultatem. Prodest Theodoretus apud Glossam: [Tantùm eum condemnauit ea, qua præter legem vsus est, misericordia, quantum auaritia, & plura habendi insatiabilitas, & amor pecuniæ, cui seruiens transgressus est mandatum. Vbi exarsit diuitiarum cupiditas, emarcuit morum probitas, & legum æquitas; reis didicit misereri, quia sitiebat deprædari, & quos condemnabant diuina decreta, absoluerunt copiosa dona. Adde: hac cupidinis peste infectos, nisi miraculum intercedat, sacras leges proculcare, aut iniquè detorquere. Balaamus magnam mercedem expectans nihil omisit, vt Dei populum execrationibus oneraret; verùm Deus posuit verbum in ore eius: *Dominus posuit verbum in ore eius.* Quid est posuit verbum in ore eius? Cor, vt Israelitas detestaretur, æstuare, & in labris grandi miraculo verba ad benedicendum torqueri. Prodest Philo *lib. 1. de vita Mosis: Afflatur Numine, quod omnem eius artificialem diuinationem exterminauit ex anima.* Cùm è corde prodirent maledicta, lingua proferebat prospera, quia verbum miraculosè in labiis ponebatur, ne justos execraretur. Et quidem cùm Deus insolitum patrauit miraculum, eximium præstitit documentum, arduum esse scilicet sine miraculo auaritiæ peste infectum æquitati parere, & legibus obedire.

Iudex. Lex. Cupiditas.

Num. 23. v. 5.

TEXTVS.

VERS. XX. Et ait Saul ad Samuelem: Immò audiui vocem Domini, & ambulaui in via, per quam me misit Dominus, & adduxi Agag Regem Amalec, & Amalec interfeci.

§. XXXVII.

Non adeò diuinam iram exulcerat scelera perpetrare, ac exasperat admissam culpam defendere.

Culpa. *Excusatio.* *Ira.*

HVmana natura, ex quo rectitudinem venenato serpentis sibilo amisit, variis criminum fluctibus aut mergitur, aut jactatur. Vnum tanti mali remedium est, si fragilitatem suam agnoscat, & ad pœnitentiam accurrat. Optimè Tertullianus *de Pœnitentia cap.* 2. [Non tacet Ioannes, Pœnitentiam initote, dicens: jam enim salus nationibus appropinquauit, Dominus scilicet afferens secum Dei promissum. Cui præministrans pœnitentiam destinabat purgandis mentibus præpositam.] Anima pessimis culparum humoribus infecta hoc salubri pharmaco purgatur, & tetris depulsis morbis vegetæ saluti redditur. [Vtique (*addit Tertullianus*) quidquid error vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens, & radens, & foras abjiciens, mundam pectoris domum superuenturo spiritui sancto paret, quò se ille cum cœlestibus bonis libens inferat.] Libens se Spiritus Sanctus infert pectori per pœnitentiam jam mundo, & ab omni inquinamento purgato. Itaque pœnitentia est salus hominis, criminum abolitio, & diuinæ misericordiæ maturatio: huius tamen medelæ vim euacuant malè verecundi, & diù ægritudinem passi. Nulli tamen ad salutem via præclusa est, si errorem suum velint agnoscere, & confiteri: illi solùm ab hac salutis spe videntur excludi, qui peccata sua adnituntur infelici obstinatione defendere. Gratulatio fit infirmo, si morbi sui perniciem senserit, desperatur de illo, qui respuit pharmacum, quia ægritudinem vegetam arbitratur salutem. Ex horum cœtu videtur Saul, dum phreneſi superbiæ delirus legis transgressionem existimabat pietatem, & à Propheta redargutus non solùm se egisse malè non cognoscebat, sed peccata defensabat: *Audiui vocem Domini, & ambulaui in via, per quam misit me Dominus, & adduxi Agag Regem Amalec.* In sui defensionem ipsum afferebat peccatum, & scelus esse asserebat honestum: resipiscendi sibi viam exclusit, & contra se diuinam indignationem viuidius accendit. Opportunè Rupertus apud Glossam: [Perseuerans in malis peccatum non mutauit, sed auxit, quando optimis quibusque pepercit. Præterea quod nequissimum est redargutus in sermone Domini, refellere ausus arguentem, se de peccato cum superba defensione dicit, immò audiui vocem Domini.] Ac si dicat: Quæ egi, non solùm non sunt reprehensione digna, sed religiosa, & honesta: ergo Samuel terga vertit, nec curationi insistit, desperans ad salutem peruenturum phreneticæ defensione delirum, & obarmatum. Hoc idem desertationis supplicium minabatur Amos peccata sua defendentibus, suæque cæcitati adulantibus: [Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non conuertam eam: eò quòd persequutus sit in gladio fratrem suum, & violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltra furorem suum, & indignationem suam seruauerit vsque in finem.] Rupertus jam datus hoc quartum esse ait culparum defensionem, cùm scilicet delinquens contendit se honestè egisse, & præmio digna patrasse. Ipsum audi: [Hoc etenim nequissimum est, cùm post voluntatem peccati, quod primum est, & post effectum operis, quod secundum, atque post vsum peruersum, quod tertium est, additur, & defensio peccati, quod quartum est: & hìc nullus veniæ locus est.] Qui peccatum agnoscit, viam misericordiæ relinquit, occludit prorsus, qui defendit. Addiderim: malitiam diabolicam quodammodo supergressum culpam suam tutantem, & variis coloribus defendentem. Serpens redargutus tacuit, Cainus admisit culpam, & ægrè tulit, quam Abel, non inuenisse benevolentiam: *Ad Cain verò, & ad munera illius non respexit: iratúsque est Cain vehementer.* Quando ob sacrificium, nec rectè, nec ritè oblatum lugere tenebatur digna pœnitentia, superbissima exarsit ira, factum suum approbans, & Dominum ad sacrificium non respexisse condemnans. Opportunè Oleaster hìc ad literam: *Iratus est propter fauorem, quem Dominus fratri ostendit, & non sibi.* Religiosius fortè suum existimabat obsequium, adeò erat alienus à detestando peccatum. Caino adapto, quod Iuliano Apostatæ Nazianzenus *orat.* 1. *Spiritus impuri supplementum.* Spiritus impurus Euam fefellit, sed ad facti defensionem linguam non armauit: At Cain dum vehementer irascitur, benè se egisse fatetur: ergo criminis defensio erat serpentinæ supplementum nequitiæ, quia serpens tacuit, sed Cainus scelus audacia detestanda defendit.

Amos 1. v. 1.

Gen. 4. v. 5.

TEXTVS.

VERS. XXI. Tulit autem de præda populus oues, & boues, primitias eorum, quæ cæsa sunt, vt immolaret Domino Deo suo in Galgalis.

§. XXXVIII.

Superbi, si in aliqua actione quid virtutis resplendeat, sibi applicant, si quid dehonestatis, aliis adsignant.

HOmo animal gloriæ est, de aliorum diminutione sibi procurans augmentum, & semper sitiens elogium. Vnde Dauid aiebat: *Filij hominum; vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Gloriæ sitis est mendaciorum concinnatrix, dum aliis imponit culpam, vt sibi arrogauerit gloriam. Benè Vverricus *in Allegor. Tal-*

Psal. 4. v. 3.

mud.

Superbia. Virtus.

nan. ad Luc. 3. cap. Quomodò quæritis? Vtinam agendo fortia, non loquendo sublimia. Vtinam saltem vera loquendo, licet vanè, & non mentiendo planè. Vtinam denique mentiendo de nobis, non etiam detrahendo de aliis. Adnectit: *Quid denique cum alium velut trucidas venenosa, & insidiosa lingua, vt gloriam eius tibi rapias, vt de malo eius tu melior, de contemptu eius tu glorioſior appareas.* Insipiens ambitio non adlaborat gloriosis actionibus rutilare, sed defectibus alienis lucere, quasi eius sit gloria rigida aliorum censura. Ad hæc. Si in aliqua communi actione quid reluceat honesti, sibi semper superbia arrogat, si quid dehonestamenti, aliis adsignat. In bello contra Amalec animalia plurima occisa, aliqua contra præceptum allata. Quid tunc tumens Saul? Sibi applicuit, quod erat honestum, necem scilicet intulisse: *Amalec interfeci*; populo, quod reprehensibile erat, videlicet prædam asportasse: *Tulit autem de præda populus oues, & boues.* Eodem tempore aliquid fuit laude dignum, aliquid detestandum: ergo illius actus sibi Saul applicuit, quod Dominicis præceptis consonum; populo, quod edictis cœlestibus probabatur aduersum. Notauit acutè Caietanus: *Sibi ipsi attribuit Saul, quod fuit obedientiæ, populo autem attribuit, quod fuit inobedientiæ.* Populo adscripsit tulisse iniustam prædam, sibi applicuit iustam exercuisse vindictam. Est enim inaniter tumentium mos, licet communis sit actio, arrogare sibi quidquid honestum, & aliis quidquid inglorium. Cùm Aaron de conflato vitulo à fratre argueretur, se aurum petiuisse asseruit ad populi reprimendam insaniam, & populum contempsisse honestam tunc anaritiam: *Ego dixi: Quis vestrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi.* Horum verborum sensus est: ego, vt me furentibus opponerem, rem arduam, aurum scilicet petini: at populus nec sic est retardatus, sed aurum obtulit promptus. Adest Lira: *Aeſi diceret Propter eorum auaritiam ex petitione auri credidi eos à suo impetu retardare.* Honestum erat retardare, inglorium conflare vitulum: ergo sibi applicuit, quod speciem habere videbatur virtutis, populo quidquid in illa actione relucebat prauitatis.

Exod 32. v. 24.

§. XXXIX.

Plures, quibus constat se irrogare aliis iniuriam, volunt lucrari eorum beneuolentiam.

Iniuria. Beneuolentia.

NUNC (aiebat Seneca *lib. 6. de Benefic. cap. 35.*) *& hoc esse grati puta, quod ne ingratus quidem faceret.* Ingratus, etsi offendat, non expetit pro offensa gratiam; aliquando verò inuenitur, qui officiosi assumit laruam ad elucrandam gratiam, cùm reuera ingratus irrogarit offensam. Et quidem eiusmodi gratitudo ingratitudine peior est, quandoquidem speciosо mendacio nititur fallere, cùm norit reuerà offendere. Saul, & populus cæca deuicti cupiditate violarunt diuina præcepta, & ostentant Sacrificia: *Tulit de præda populus oues, & boues primitias eorum, quæ cæsa sunt, vt immolet Domino Deo tuo in Galgalis.* Offerre de asseruatis primitiis. Numinis erat iniuria, & decreuerant offerre, vt inirent Numinis gratiam. In vtroque pernersi, & quia transgressi mandatum, & quia inaurabant offensam offerendo altaribus sacrificium. Oblatis victimis videbantur grati, & erant fucata gratitudine iniurij; satagebant vitare ingratorum notam, & irrogabant iniuriam. Notauit Caietanus: *Populo attribuit, quod fuit inobedientiæ, excusando tamen populum prætextu religionis; tanquam quæ seruata sunt, fuerint seruata quasi primitiæ offerendæ Deo.* Religionis obtentu impugnabat religionem, & ficta veram lædebat pietatem, irrogabat offensam, & ostentabat onerare muneribus aram. Aeſi defatigaretur diuina patientia, dum pater ille filium à dæmone diuexatum querebatur, nullum ab Apostolis accepisse remedium, exclamauit: *O generatio incredula, quandiu apud vos ero, quandiu vos patiar!* Quæ huius defatigationis fuerit causa, scrutantur Interpretes. Chrysologus *Serm. 51.* existimat sub hac exteriori reuerentia incredulitatis latere culpam, & irrogatam Christi Domini virtuti offensam. Venit ad magistrum, non venit ad Deum; venit ad Medicum arte pollentem, non potestate micantem; venit obsequiosus, & querulus; deprecabatur medelam, & discipulorum abrodebat imperitiam: ergo Christi Domini quodammodò defatigatur patientia, dum re iniurius exteriori cultu mentitur reuerentiam, & impetrare discupit medicinam. Chrysologum accipe: [Iste non ad Deum venerat, sed ad magistrum venerat, curam non à virtute exigens, sed ab arte, tarditatem curæ non causæ deputans, sed curanti; impossibilitatem discipulorum magistri imperitiæ adsignans: Iudaico liuori, inuidiæ scribarum talem satisfaciens per clamorem.] Accessit, ad speciem honorans, reuera obmurmurans, accessit, vt inimicorum Christi, dum infamat discipulos adularetur liuori, & quærebat ad speciem officiosus medelam vulneri: ergo plus defatigatur diuina patientia tecta obsequij colore iniuria, quàm aperta lassaretur audacia: est enim non ferendum iniuriam obsequij nitore dissimulare, & dissimulatione beneuolentiam ambire. Opportunè Tertullianus *in Apologetico cap. 27. de dæmonibus* scribit: *Lædere gestiunt, quos alias verentur; quos de longinquo oppugnant, de proximo obsecrant.* Vtinam hoc solum competeret dæmonibus, sed quadrat etiam hominibus.

Marc. 9. v. 18.

§. XL.

Adeò infelix est mendax, vt ipse sibi non constare ostendat, cùm haberi verax desiderat.

CVr fama malè apud homines audiat, inquirit Tertullianus *in Apologetico cap. 7.* *Cur malum fama? Quia velox? Quia rindex? An quia plurimum mendax? Quæ ne tum quidem cùm aliquid veri affert, sine mendacij vitio est, detrahens, adijciens, demutans de veritate.* Hanc famæ indolem nonnulli imitantur, fidem exigunt quasi veraces, sed se produnt ipso in artificio mentientes, non benè mendacium obtegunt; nam si attenditur, lucet, & dum volunt fidem sibi adstruere, deprehenduntur mendacia serere. Saul populo applicuit oues, boues- que attulisse, quasi ipse nec agnouerit, nec permiserit. *Tulit autem populus de præda oues, & boues, vt immolaret Domino Deo suo.* Sed cùm non potuerit armentorum non audisse mugitus,

Mendax.

ouiumque balatus, apertè ostendebat se aut imprudenter permisisse, aut, quod verius, imperasse: *Versus ad prædam es.* Non poterat tegi mendacium, quando sine Principis aut placito, aut permissu nequibat populus armenta adducere, aut immolare. Notauit Abulensis *quæst.* 24. *Saul falsum dixit, quia non duxerant ea, vt offerrent Domino, sed vt acciperent sibi. Et etiam non erat bonum aliquid offerre Deo contra prohibitionem suam.* Itaque dum nitebatur asserere religiosum primitias offerendi Domino studium, manifestabat mendacium, quandoquidem non ignorabatur præceptum. Hoc idem notauit acutè satis Caietanus: nam cum Saul admitteretur obedientiam suam laudare, ipsa in assertione non vidit inobedientiam detegere: *Audiui vocem Domini* (inquit) *& ambulaui in via, per quam misit me Dominus & adduxi Agag Regem Amalec, & Amalec interfeci.* Ecce quod admititur affirmare, inuenitur destruere, sibi repugnantia coniunxit; nam si Amalec interfecisset, Agag non asseruasset, iam si Agag asseruauit, Amalec funditùs non deleuit; sed hæc est infelicitas mentientis, vt ipsis verbis, quibus conatur sibi facere fidem, manifestet falsitatem: [Sibi ipsi attribuit Saul, quod fuit obedientiæ? minus aduertens, quod non constat sibi ipsi, immiscendo quid adduxit Agag Regem Amalec: fuerat enim præceptum, vt interficeret eum.] Dum ostentat se obseruasse religiosè mandatum, declarat transgressum fuisse præceptum, & sibi non constans, quod adstruit, destruit.

§. XLI.

Cùm exterior excusari nequit actio, affertur in patrocinium intentio.

Intentio. Actio.

CVm intentio oculos lateat, & aliquando exterior actus offendat, recurrere solent ad sanæ intentionis patrocinium, qui violasse conuincuntur mandatum. Hunc ab eis vsitatum morem, ethnici persuadebant Christianis, scilicet offerre idolis thura, integra, & sana conscientia, quasi possent externum actum de intentionis sanitate inaurare, & Numini etiam mentiri. *Prouocati ad Sacrificandum* (Scribit Tertullianus *in Apologetico cap.* 27.) *obstruimus gradum pro fide conscientiæ nostræ, qua certi sumus, ad quos, ista perueniant officia sub imaginum prostitutione, & humanorum nominum consecratione.* Adijcit satis lepidè: *Sed quidam dementiam existimant, quod cùm possimus & Sacrificare in præsenti, & illæsi abire, manente apud animum proposito, obstinationem saluti præferamus. Datis scilicèt consilium, quo vobis abutamur.* De sæculi more asserebant ethnici posse Christianos idolis externa offerre Sacrificia intentione non colendi, nec adorandi, & existimabant dementiam non recurrere ad intentionis patrocinium, quo exterius excusarent piaculum. Hæc vsitata satis astutia est; qui malè egisse deprehenduntur, bona intentione excusantur. Invehebatur iustissimè Samuel in Saulem, populum, vt qui seruatis ouibus, & armentis diuinis contraiuissent mandatis, & obstitissent præceptis, cúmque Saul nequiret inficiari delictum, confugit ad intentionis suffragium: *Tulit autem de præda populus oues, & boues, primitias eorum, quæ cæsa sunt, vt immolaret Domino Deo suo in Galgalis.* Acsi dicat: Non possum negare oues allatas, sed populus non intendebat mandatum violare, immò existimabat se gratum sacrificium offerre: itaque vt Saul vidit Samuelem externis actionibus irasci, ad intentionem recurrit, vt mitigaretur intentione placatus, qui actionibus inflammabatur offensus. Innuit Caietanus: *Populo attribuit, quod fuit inobedientiæ, excusando tamen populum prætextu religionis: tanquam quæ seruata sunt, fuerint seruata, quasi primitiæ offerendæ Deo.* Quia non poterat excusare inobedientiam, in criminis diminutionem, intentionem allegabat, quasi existimarit populus se Deo officium facere, si aliqua attulerit, quæ aris imposita valeret incendere. Alia fuerat Saulis, & populi intentio, sed cùm effugiat notitiam recurrebat ad intentionis fallaciam.

TEXTVS.

VERS. XXII. Et ait Samuel: Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum.

§. XLII.

Parum iuuat Deo dicari, si contingat mandatis cœlestibus contraire.

DEo placent dicata, si debitis fuerint circumstantiis vestita; sed parum iuuat se Deo exterius consecrare, si constet dicatum cœlestia monita non implere. O nos miseros! si sæculo, & quibuscumque retrò possessis renuntiantes obseruantiam non coluerimus studiosi, nec perfectionem ambierimus soliciti. Stultè nobis de ingressu religionis blandimur, si statutis, & sanctè decretis negligentes, & tepidi refragamur. Dæmon, dum accurrit, dum Christo accedit, dum adorat, durius torquetur & viuidius aduritur: *Videns Iesum à longè cucurrit, & adorauit eum: & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Iesu fili Dei altissimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Et cur modò pœna durior, & flamma ardentior? Quia accedens non inseruit pietati, sed liuori; exterius se ad Domini aduoluebat vestigia, Sed interiùs nolebat adimplere præcepta; & homo etiam interiùs conseruabat dæmonium, & exterius exhibebat obsequium. Opportunè Chrysologus *Serm.* 17. *Non vt deuotus, & obsequens hic adorat.* Adorat, sed non deuotus, ad genua deuoluitur, sed inuitus; exterius Christo adiungitur, sed interius separatur. Cumque ebedientia potior sit victima, sunt qui sibi plaudant de victima, cùm defuerit obedientia. Saul aris gestit holocausta imponere, sed præceptum non vult implere: ergo Samuel egregius doctor nil ait prodesse sacrificia sine obedientia: *Melior est enim obedientia, quàm victima.* Ad quæ Gregorius 35. *Moral. cap.* 10. *Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro; per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tantò igitur quisque Deum citius placat, quantò ante eius oculos repressa arbitrij sui superbia gladio præcepti se immolat.* Parum iuuat alienam carnem, immo & propriam castigationibus

Præcipua. Religiosa.

Mactatio.

nibus immolare, si contingat proprij arbitrij superbiam, & insaniam foucre. Hinc est, quòd dum ad Iob domum fratres inuolare studuerint, ouem, & inaurem auream prudenter obtulerint: *Venerunt ad eum omnes fratres sui & dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & inaurem auream vnam.* Iob.42.v.11. Gregorius in inaure morigeram, ait, designari obedientiam, cæterarum virtutum ornamentum, & murum. *Quid per ouem* (inquit *lib. 35. Moral. cap. 9.*) *nisi innocentia, quid per inaurem nisi obedientia designatur.* Parum prodesset Iobi domum ingredi, in fratrum consortio degere, nì obedientia animo virtutes insereret, & insertas custodiret: ergo qui se desiderat exhibere religiosum perfectè, obsequi studeat solicitè.

TEXTVS.

VERS. XXIII. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.

§. XLIII.

Dæmonum fallacijs exponitur, qui superioris legibus non obsequitur.

SVperioris præceptis reluctari est aditum dæmonis fraudibus aperire. Quas non exornat aures obedientia, occupare solet fallax astutia & periculosa fallacia. Nolle acquiescere non solùm labefactat virtutes, sed dæmonis nutrit fraudes; audet serpens periculosis fallaciis animum irretire, si obedientiæ agnouerit luminibus denudari. Vbi prodigus ille à patris obedientia peregrinabatur seiunctus, inuentus est dæmonis fallaciis expositus. *Adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Chrysologus *serm. 5.* in porcis intelligit dæmones, quorum expansis auribus excipiebat oracula, & studiosè inquirebat deliria: [Vt pasceret dæmones thure, victimis, sanguine falsarum responsionum mercedem pro tali labore relaturus. Occidebatur pecus, vt quod viuum nil scierat, diuinaret occisum, & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore proloquutum.] Dum à patris recessit obedientia, aurem expeditam inuenit dæmon ad animum falsis responsionibus irretiendum, & illusionibus periculosissimis illigandum; nam qui proprio arbitrio ducitur, magnis discriminibus imprudenter exponitur. Ob id Samuel quasi peccatum ariolandi esse dixit Superioribus contraire: *Quasi peccatum ariolandi est repugnare.* Ariolus falsos deos consulit, quorum responsis imbuitur, & dum fidem præstat, fallitur: ergo sicut ariolus dæmonum fraudibus cæcutit illusus, sic qui superiori repugnat, erroribus inuenitur expositus. Arioli (inquit Isidorus *lib. 8. Etymol. cap. 9.*) *vocati propterea quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt, iisque celebritatibus dæmonum responsa accipiunt.* Ariolus putat oraculum, quod reuera diabolicum est commentum: ergo qui obedire superiori contemnit, arioli mercedem accipit, & mendaciis, ac præstigiis fallacibus credit. Vt nauis gubernaculo destituta ad portum non appellit, sed repugnantibus secum ventis agitata, & vndequaque retusa naufragium subit; sic anima obedientia nuda variis phantasiis illuditur, & erroribus circumuoluitur.

Inobediens. Fallacia. Luc. 15. v. 15.

§. XLIV.

Qui superioris iussis obluctatur, propriæ voluntati in corde aram struxisse cognoscitur.

VT pluuia ista temporanea terram fæcundat, & grata facit florum venustate splendere, & saporata micantium fructuum vbertate exundare; ita obedientia est cœlestis pluuia, qua virtutes irrigantur, & ad perfectionis cumulum adaugentur. Sine rationabili obedientiæ falce cordis ager syluescit tribulis horridus, & culparum sentibus plenus. Prodigus pascendis porcis addicitur, dum à parente pientissimo separatur: *Misit illum in villam suam vt pasceret porcos.* Et quo cibo porcos pascet, qui in villam secedit? Ipsa (inquit Chrysologus *serm. 1.*) reluctantia, & inobedientia; saporatum namque offert dæmonibus cibum, qui debitum superiori denegauit obsequium; plures inobediens porcos pascit, quia plurimis vitiis inseruit: *Liberum mutauit in seruum, iunxit porcis à patre piissimo, quem seiunxit, vt seruiret cænoso pecori, qui pietati sanctæ parere contempsit.* Qui pietati sanctæ contempsit parere, cænosis compulsus est pecoribus inseruire, & variis excursibus exerrare. Quandam sibi diuinitatem insipienter arrogat, quisquis superba mentis elatione obedire detrectat: *Quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Vt idololatra adorat figmenta, veneratur inanissima simulacra, sic qui suis consiliis regitur, arrogantiæ suæ erigit aram, & dum adorat propriam sententiam, cæcissimam sequitur ignorantiam. Opportunè Gregorius *in lib. 1. Reg. cap. 15.* [Qui repugnant prælatorum imperiis ideò vtique repugnant, quia diuinam voluntatem se scire melius æstimant: Quasi ergo peccatum ariolandi est repugnare, quia velut contempto diuino altari ad aras dæmonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis, ac superbis adinuentionibus credunt, & salubribus prælatorum consiliis contraria sentiendo refragantur.] Aram suo dictamini erigit, qui se inani tumore extollit, & se ipsum consulit vti ariolus, qui superioris præceptis reluctatur contrarius. Vt idololatra supplex accedit ad dæmonum simulacra, & fragrantia adolet thura, ita suo modo qui iudicium proprium superiorum præfert iudicio, hoc denigrari videtur errato: Quam lepide datus Gregorius: *Inobedientia suæ obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde quasi idolum non gestaret, & dum conceptum mentis propositum se acturum deliberat, quasi ad adorandum simulacrum se inclinat.* Vt ab humili, honestaque subiectione omnes agnoscuntur pululare virtutes; sic à superba reluctantia, proteruaque inobedientia omnes emersisse constat errores. Vndè astutus serpens vt hæreses sereret: *Eritis sicut dij*, contra obedientiam acerrimum arietem instruxit, sibi persuadens processuram machinam, si prosterneret obedientiam. Inobedien. Voluntas. Gen. 3. v. 5.

§. XLV.

Non potest benè cæteris imperare, qui detrectat mandatis, cœlestibus inseruire.

Superior.

Præceptum.

NOs (aiebat Tertullianus de Patientia *cap.* 4.) *non de hominibus modò seruitute subnixis, vel quolibet alio iure debitoribus obsequij, verum etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus, intelligentes vsibus nostris à Domino prouisas, traditasque.* Dum exprimere dixit, aliqualem violentiam significauit; & quidem non videbatur à bestiis homini subiectis obedientia tam exprimenda, quàm sponte, ac lubenter præstanda. Cur ergo opus sit ab animali extorquere, quod ipsum iure subiectionis tenebatur præstare? Iam respondet Septimius: *At quàm iniustum est, quàm etiam ingratum, quod per alterius indulgentiam de aliis consequaris, idem illi per quem consequeris, de temetipso non rependere.* Ante quàm homo auctori suo, cuius indulgentia cæteris animantibus erat prælatus obsequelæ denegaret officium, sponte ab animalibus obedientiæ reddebatur obsequium: ast, vt viderunt hominem excussisse honestum è ceruicibus iugum, homini denegarunt etiam obsequium: nec enim benè poterat imperare, qui Deo detrectauerat obedire. Saul imperandi iure priuatur, dum temerasse Numinis præceptum auditur: *Pro eo ergo, quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex.* Ipse imperandi se potestate priuauit, dum obedire Numini renuit: nequibat benè alios regere, qui cœlestibus iussis non erubuit refragari. Opportunè noster Sancius: *Hic apertè denuntiat Propheta inobedientiæ a commodatam, & quasi legitimam pœnam: neque enim imperare aut debet, aut potest prudenter, & vtiliter, qui parere nescit, aut recusat.* Quem accusant diuina mandata, dignitatum nequeunt nobilitare fastigia. Regis solum gerit vmbram, qui cœlestem abijcit obedientiam. Dauid ad regnum eligitur, & electionis modus ad nostram eruditionem narratur. Facile erat Deo Prophetam ad mappalia mittere, & vngendi nomen declarare; texit tamen, vt, dum Dauid à patre aduentat ascitus, à Deo agnoscatur electus: *Mitte, & adduc eum.* Et cur Propheta celeriter non contendat, & pascentem vngat? Quia si Propheta tenderet (inquit Basilius Seleuciensis) non adeò faustum Dauid sortiretur auspicium; at dum vocatus expromptè properat obedire. Exorditur auspicio felicissimo cæteris imperare. *Quoniam ex Dauide Christus secundùm carnem* (inquit *orat.* 14.) *verum regnum, cœlestia sceptra, salutaris generatio, perennis gratia.* Obediat, dum vngitur, vt eius regnum optimo fundamento innitatur, dum expromptè Dauid superioris implet præceptum, optimi regiminis iam prævidetur auspicium. Benè alios reget, qui didicit obedientiam implere, & infaustum esset imperium, si detrectaret patris mandatum.

Infra cap. 16. v. 11.

§. XLVI.

Principis solùm vmbram videtur gerere corde timidus, & alterius voluntati subiectus.

Princeps.

Timidus.

Arbitrium.

Subiectus.

NOn enim decet iudicem ministrum esse voluntatis alterius (scribit Cassiodorus 8. *variar.* 18.) *vt magis alteri pareat, cui tot milites obsecundant.* Si non licet iudicem ab alterius voluntate semper pendere, quàm erit inglorium Principem ad alterius arbitrium gubernare, & eius nutibus obedire. Subditis honestum est subijci, Principi indecorum est propria voluntate carere. Cordatos viros auscultare, sapientes consulere debet, qui actiones suas æquitate vultr prælucere. Laudabile est, si effulgeat ratio, superiorem flecti, ad arbitrium tamen alterius dedecet illigari: Saul regno dicitur priuatus, & tamen dum vixit, imperio potitus est: *Pro eo ergo quòd abiecisti sermonem Domini; abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Cùm eodem tempore abiectus fuerit, & Rempublicam administrarit, quærunt Interpretes, quomodò dici potuerit potestate priuatus, cùm perseuerarit fastigio evectus? Abulensis *quæst.* 26. respondet, post peccatum à maligno spiritu agitatum, ignauum, & timidum fuisse, ob idque solùm gestasse Regis vmbram, non veritatem: *Iam timebat hostes nimis: in quo erat magnum dedecus eius, & diminutio gloriæ, vt patet in bello, quod habetur infrà cap.* 17. Non erat, vt decebat, Rex, qui iam timidus, non strenuus. Ad hæc: Cùm impuro Spiritui cordis præparasset habitaculum, ab eo rapiebatur, vt iam compulsus ageret, & alieno nutui inseruiret: ergo non erat Rex, etsi gestaret diadema, quando illigatus, & internè ab alio motus. Redeat datus Abulensis: *Priuatus est quoque Saul honore regio, quia post ist. m iniquitatem fuit semper eum magno dedecore: nam spiritus Domini nequam arripiebat eum, & cogebat eum facere, quæ faciunt arreptiij.* Erat, & non erat Rex; nam non proprio, sed arbitrio agebatur alieno. Cumque Regum sit gloria aliis non subijci, sed honestè cæteris imperare, regnandi carebat gloria, quantumuis exterius resplendenti ornaretur purpura.

§ XLVII.

Parentes dum sibi indebitum sitiunt honorem, inhonoram relinquunt posteritatem.

Parentes.

Ambitio.

Posteri.

ETsi sanguis purissima vena decurrens generoso splendore radiarit, honesta tamen gloriæ ambitio quid potest addere, & nonis decantandis facinoribus refulgere. Opportunè Atalaricus 8. *variar.* 18. *Habes priscos viros, quos te deceat imitari. Præcede fama; quem sequeris dignitate.* Laude est dignus, qui gloriosos antecessores vincere adnititur honestis, & heroicis virtutibus: verùm, vt laudabilis est gloria honestis factis parta, sic detestanda indignis actionibus exambita. Nomen ex meritis veniens pulchra posteris est hæreditas, ambitiosa, indignaque siti splendor procuratus, in posterorum nebulam inuenitur conuersus, & dum parens gloriam indecenter exambit, poste-

rorum

rorum laudem extinguit. Saul Agag ad sumptuosiorem triumphi pompam seruauit, vt vidimus: *Pepercit Saul, & populus Agag*, Huius indulgentiæ studium fuisse, vt augustiori triumphus pompa fulgeret, expressit Interlinearis: *Ad gloriam triumphi sui demonstrandam.* Vides gloriæ ardore æstuantem, aspice etiam posteritatis suæ splendore æstu ipso extinguentem: *Abicit te Dominus, ne sis Rex.* Cùm Saul, dum vixit, regno sit potitus, inquirunt Interpretes, quomodo dicatur à dignitatis culmine deturbatus? Abulensis respondet *qu.* 26. reliquum imperij tempus dignis factis non claruisse nobilitatum, immò actionibus indecoris obscurum: ergo portabat nomen alienum, quia absurdum erat Regem dici, & dignitati moribus aduersari. Ad hæc: Eius posteri honore denudati, & iure hæreditatis remanserunt excluſi: ergo iam non erat Rex, qui dignitatem factis amiserat, & posteros splendore nudarat: Audi Abulensem: *Fuit priuatus hoc iure regnandi in filiis, cùm immediatè subiunctum fuit: sed nequaquam vltra regnum tuum consurget. Sic autem factum est, quia nemo de posteris Saulis regnauit nisi Isboseth, & iste quidem pauco tempore, & infeliciter.* Posteri ob parentis superbiam, ambitionemque, regnandi iure priuati, gloria nudi, & ab ipsis seruis despecti: indebitæ gloriæ ambitus dehonestauit posteros, exposuit contemptui filios, & nimium splendoris studium fuit manifestum naufragium. O quot parentes, dum adnituntur peruersa via splendorem posteris adaugere, inueniuntur honoribus habitis denudare.

TEXTVS.

VERS. XXIV. Dixitque Saul ad Samuelem: Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.

§. XLVIII.

Parum iuuat culpam ore profferre ni verò cordis dolore adnitaris expungere.

Confessio.

ADmissam culpam solent nonnulli fateri potius externa necessitate coacti, quàm intimo dolore perculsi, confitentur, quia negare non possunt, externa facta, sed non penitus auellunt ab animis desideria. *Contrariis rebus* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 20.) *plerumque medicina succedit. Nam dum calor vitalis adhibitus fuerit, frigus pestiferum tunc recedit. Nubila ipsa ventorum spiratione terguntur, & aquilo faciem cæli tranquillam reddit, quam australis aura turbauerit.* Contrariis medicinis morbus abigitur, adiuuantibus adipatur. Quid profit ore fateri culpam, & corde gerere complacentiam. Saul peccatum suum palam confitetur: *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini*; & tamen Samuel tacet, nec quod Nathan Dauidi, respondet: *Peccaui Domino*, aiebat Dauid. Et Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Hinc inquirendum nobis est, cur adsimili ad speciem confessioni similis non promittatur venia, sed Samuel silentio sigillauerit labra? Caietanus putat Saul ore tantum verba, protulisse, nec animum ori concordasse: ergo nullum attulit confessio fructum immò aggrauauit excusatione peccatum: *Non ex integro corde confitetur peccatum suum, qui falsam apponit causam sui peccati. Subiungendo: Quia timui populum, & obediui voci eorum. Ipse enim Saul præcipua causa fuerat seruandi ea, quæ seruata sunt.* Dum crimen alleuat, dum variis excusationum causis colorat verò dolore non vrgeri clarissimè manifestat; nam si vera pœnitudine culpam agnosceret, alios releuaret, & sibi ipsi totam adscriberet: ergo dum à corde culpa prorsus non abraditur verò dolore, externa solùm non abscinditur confessionis pœnitudine. Iudas peccasse se confitetur: *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Ore fatetur sacrilegam auaritiam, sed corde adhuc auro exhibet reuerentiam; *Proiectis argentis in templo recessit.* In templo proiecit, quasi quid sacrum, & inter sacra asseruari dignum. Prodest Drogo de Sacramento. *Plus erubuit infamiam, quàm conscientiam.* Adnectit: *Vide quàm magni ponderabat eos: non proiecit eos in sterquilinio, sed in templo, nimirum talibus semper diis templum suum deuouerat.* Itaque Iudas & ore fatebatur peccatum, & corde magni æstimabat argentum: ergo dum cupiditas ex corde non expuncta, & oris confessio vacua.

1. Reg. 12. v. 13.

Matth. 27. v. 4.

§. XLIX.

Nonnulli exterius affectant virtutem, vt assequantur vtilitatem.

QVi Deum verè agnoscit, quale illi obsequium exhibendum fuerit, intelligit. Sapienter Tertullianus *de Patientia c.* 4. *Nec pluribus de obsequij exhibitione debita à nobis Domino Deo. Satis enim agnitio Dei, quid sibi incumbat, intelligit.* Qui Deum, vt fas est, intelligit, qualiter illi seruiendum sit, benè callet: verùm hypocrisis didicit lupinam rapacitatem ouis simplicitate contegere, dicente Domino. *Veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Præsentem suspirant gloriam, non futuram. Vtque hamus oblectante cibo tegitur; sic rapacitas speciosa sanctitatis splendore vestitur. Templa plures frequentant, vestium modestiam, oris grauitatem simulant; hoc totum, vt dum putantur probis moribus exornati, honores, aut vtilitates expiscentur interiùs ambitiosi, & superbi. Saul culpam suam agnoscit: *Peccaui quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.* Iam qualis fuerit huius confessionis scopus, ipse aperuit: *Sed nunc honora me coram senioribus populi mei:* Suspirabat honorari, vtque assequeretur votum, virtutem affectauit confitendo peccatum: Samuelem voluit sibi confitendo semel, & iterum deuincire, vt dum existimat iustum, solicitet illi plausum. Ita Abulensis *qu.* 29. *Hoc fecit propter tria. Primò vt honoraretur coram populo; erat enim Saul in statu regali, ideò desiderabat honorem conuenientem illi statui.* Addit: *Secunda vtilitas erat vt Saul non vituperaretur, vel increparetur à Samuele coram populo.* Subiungit: *Tertia, & maxima vtilitas erat, quia Saul videbat, quod Samuel dicebat, quòd Deus abiecerat eum ne regnaret. Timuit ergo quòd si persisteret in pertinacia sua, Samuel vellet constituere alium in Regem.* Itaque confessus est, vt expiscaretur honorem, vt reprehensionem effugeret, & fastigium conseruaret. O quot ambitum deteriori ambitu tegunt & indictum argento mentiuntur odium, vt copiosius acquirant lucrum neglecto cultu barba intonsa veste modesta vti præstigiatores illudunt

Virtus. Vtilitas.

Matth. 7. v. 15.

oculis, cùm honoris, & vtilitatis peruersa via inhiauerint incrementis.

§. L.

Peccator ipsis artibus, quibus adnititur vitare periculum, incrementat sibi sæpissimè damnum.

Peccator. *Periculum.* Marc. 9. v. 20.

DIues malorum vena peccatum est, ab ipso, quidquid nos diuexat, oritur, & infelici successu angetur. Parens ille, qui filium deplorabat, à Domino calamitatis tempus interrogatur: *Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* Quid tunc Pater: *Ab infantia.* Rogat Dominus non temporis, aut causæ inscius, sed vt prodatur pater omninò cæcus, qui vt vitam, felicitatemque filio quæreret, ab infantia dæmonibus consecrauit, & exambiens lætam fortunam fœcundam infortuniorum quæsiuit causam. Opportunè Chrysologus *serm.* 51. [Interrogatione tali tempus aperit, ætatem pandit, reuoluit infantiam, vt tanti mali causa non tangat sobolem, sed parentem: quia à Deo sibi datum pignus ad diaboli gratiam, dæmonum retulit ad honorem, dicente scriptura: & obtulerunt filios suos, & filias suas dæmoniis.] Dæmoni offert filium, ei exambiens prospera, & dum offert, grauissima solicitat infortunia. Eisdem mediis, quibus adnitebatur felicitatem augere, contingit calamitatem præmaturare. Nec aliter Sauli videtur accidisse, timens ne à populo exauguretur, ardenti eorum rapacitati non refragatur, & dum iniquè obedit, iustissimè dignitatem amittit: *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.* Timore amittendi regni populo obtemperauit, & quia obtemperauit, amisit: *Pro eo ergo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Quod existimarat securum dignitatis fulcimentum, fuit manifestum dignitatis excidium, & eisdem mediis, quibus vsus est ad stabiliendam fortunam, labefactauit coronam. *Obediens voci eorum* (inquit Abulensis *quæst.* 30.) *id est, non feci hoc sponte, sed timore populi qui erat magna multitudo populi, scilicet 210. millium, & erant omnes inclinati ad prædam: ego autem non poteram compescere eos, & ob hoc obediui voci eorum.* Dum veritus contra se popularem seditionem violat præceptum, vt sic conseruari possit dignitatis fastigium, amittit fastigium, quia diuinum temerauit mandatum. Et vtinam quod Sauli scandalum nobis vtile sit exemplum: verùm plures eius deliriis imitatores incrementare rapinis discupiunt aurum, & ob rapinam & honorem amittunt, & aurum; malis artibus sitiunt suprà alios efferri, & ob malas artes inueniuntur postponi: pudicitiæ detrimento superbus quæritur ornatus, & obscurat, quia dedecore floridus: ergo oculos aperiat ignorantia humana, & sciat à vitio promanare votis aduersa, & solùm ab honestate felicia.

TEXTVS.

VERS. XXV. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum.

§. LI.

Superior, dum dissimulat delicta, magna suis humeris imponit onera.

NOli quærere fieri iudex (monet Ecclesiasticus) *nisi valeas virtute irrumpere iniquitates ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Dignitatis, præfecturæque honorem plures anhelant, nescio an omnes obligationem competenter adimpleant. Qui potentis extimescit faciem, qui peccata dissimulat, ne rigidus, flecti nesciusque audiat, sibi pondera peccatorum imponit & alienis culpis delinquit. Vsus, immò abusus potentum dissimulat audaciam & inualidorum leuem etiam castigat culpam, quasi delicta non fuerint dimetienda æqua rationis mensura, sed personarum differentia. Nouerint tamen præfecti sibi imponere, quod ignauè detrectauerunt punire. Veritatem hanc edocuit Saulis error, nam cùm Domini præceptum transgressus deliquisset, & à Samuele peccatum indulgenter dissimulari exoptasset, sic aiebat: *Sed nunc porta, quæso, peccatum meum.* Horum verborum hunc esse sensum tradit expresè Lira: *Sed nunc porta, quæso, peccatum meum coram populo dissimulando.* Cùm dissimulare precatur, Samuelem peccati onus portaturum confitetur; nec enim poterat Samuel dissimulatione sibi graue onus non imponere, si contingeret Sauli peccata dissimulando blandiri. Quod Sauli erat indulgens venia, erat Samueli molesta Sarcina, quia cõtra se inflammaret cœlestem iram si acriter corrigendam Numinis dissimulasset offensam. Plures præfecti sibi persuadent ad bonam spectare politicam magnatum errores cæcis oculis præterire & indulgentia ciuili dissimulare, sed audire debuissent Saulem dissimulari exambientem, & dissimulationis graue onus Samuelis humeris imponendum attestantem: *Sed nunc porta, quæso, peccatum meum coram populo dissimulando.* *Væ mihi* (aiebat Propheta) *quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum.* Silentium igne purgatur: *Volauit ad me vnus de Seraphin, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Videre blanda manu Hieremiæ labia tangi, sed Isaiæ ardenti carbone aduri: *Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum.* Si Hieremias blando tactu purgatur, cur Isaias austero adeò cauterio aduritur? Quia Isaias, dum culpas dissimulat, ipsa dissimulatione contra se diuinam indignationem inflammat. Prodest Lira: *Væ mihi, quia tacui à reprehensione, vel repressione Oziæ Regis de sua præsumptione.* Consonat Interlinearis: *Quia Oziam, & alios liberè non reprehendi, ideò cum Angelis Deum laudare non merui, & timeo ne dicatur mihi: Quare tu enarras iustitias meas?* Isaias vti Dei Propheta debuisset Dei causam agere, & digna Oziam reprehensione ferire: ergo dum dissimulat, quodammodò approbat, & contra se diuinam indignationem exsuscitat. Nonnulli timiditatem pietatis colore tegunt, sed his delinquunt. Vndè aiebat Drogo de Sacram. Dom. Pass. *Foris pietas, intus malitia, duplex iniquitas.*

Ecclı. 7. v. 6. *Superior.* *Dissimulatio.* Isaiæ 6. v. 5. Hieron. Isaiæ 6. v. 7.

§. LII.

§. LII.

Magnates prædicatorem solent honoribus sibi deuincire, vt sic quodammodò cogant peccata dissimulare.

Magnates. Honor. Concionatur.

QVia gloria est, etsi volatica, à Principibus honorari, plures hoc hamo capiuntur; cúmque non lateat Principes, ea vtuntur arte, eisque honores exhibent, à quibus possint publicè carpi, aut seuerè corrigi. Itaque exoculatum honoris desiderium vertitur in delictorum scutum. Aliorsum aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 37. *ideò te spectabilitatis nitore decoramus, vt sententiam tuam in conuentibus publicis spectandam esse cognoscas:* Concionatoris publicis in conuentibus spectatur sententia: ergo à iudicibus, magnatibusque vrbano fauore solet concionator honorari, vt honore accepto impeditus obmutescat, nec errores magnatum carpat. His artibus vsus videtur Saul; nam cùm vereretur à Samuel publicè argui, festinauit exhibitis honoribus linguam impedire: *Nunc porta, quæso peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum:* Commune est Interpretibus verba hæc sic intelligere, vt Saul Samuelis ambierit gratiam, & præsentiam, quia ab eius consortio, societateque magna sibi promanare putabat commoda, & honoris augmenta: cùm verum Principes dum sibi aliquos associant, honorent, & nobilitent; existimant alij Saul inter sibi proximos, familiaresque habere Samuelem exoptasse, vt eo honore delinitus, quod perpetrauerat publicè, crimen dissimulet, & dissimulando alleuet: *Porta, quæso, peccatum meum, & reuertere mecum.* Acsi dixerit: si peccatum meum portaueris, merces erit mecum reuerti, & lateri meo familiariter associari. Iam expetiisse peccatum dissimulari tradit Lira: *Nunc porta peccatum meum coram populo dissimulando.* Ad familiaritatem, consortiumque Samuelem inuitando, linguam adnitebatur occludere, & publicam correptionem euadere, vt qui nouerat non semel prædicatores, & eos quibus corrigendi munus incumbit, euanidis his fauoribus deliniri, & à correctione arceri. Et quidem ni Samuel adeò integer, & probus esset, oblatum consortium grande extitisset impedimentum. Turbæ Christum Dominum mirabantur, quia decenti libertate magnatum carpebat errata; cùm Pharisæi, & quibus docendi munus, impedita tacerent lingua: *Admirabamur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ eorum, & Pharisæi.* Et cur Pharisæi & ignaui, & timidi? Quia honoris erant ambitiosi. Ergo ne honoribus à magnatibus exhibitis fraudarentur, linguam continebant, & culpas dissimulabant. Huc voco: quod aiebat Chrysostomus in Catena D. Thomæ: *Vbi est maior scientia, ibi fortior malitia. Qui enim festinat esse prior, non est contentus esse secundus.* Adstipulatur Euthymius hic: *Docebat cum increpandi fiducia, & non cum metu, quemadmodum scribæ.* Scribæ metuebant reprehendere, quia exambiebant à Principibus honorari: ergo dum quærunt gloriam, amittunt linguam. Herodes, vt Baptistæ linguam reprimeret, eius concionibus aderat, & eo audito multa faciebat: *Audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Quo audierit animo, citò declarauit effectus; nam cum eo honore Ioannes nec honestam increpandi audaciam minueret, nec linguam frænaret, contecta malitia ardentissimum erupit in odium, & crudele desiuit in homicidium. Innuit Euthymius *ad cap. Matth.* 14. *Ideo quoque audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Cùm autem vehementer illum vrgeret arguens, ac increpans eum, iam pudorem in iram commutauit.* Consonat Glossa D. Thomæ *ad cap.* 6. *Marc. Herodes tantam circa Ioannem habebat reuerentiam, & timorem.* Quia timebat reuerebatur, vt de exhibita reuerentia prouideret timori, concionibus intererat, celebrabat, plaudebat, si volatica ea gloria inescare posset Baptistam, & reprimere Zeli decentem audaciam; verùm dum adstabat, paudebatque, Ioannes linguam euibrabat, & impudicitiam carpebat, quod vti insolitum, & miraculosum celebrat Seleucensis Basilius *orat.* 18. *O dicendi libertas, quæ regiam iniuriam non metuit! Linguam euibrabat, vt olim in vtero saltum edebat.* Vt saltum edens naturam vicit; & se Deo plenum ostendit; ita exhibiti honoris vincula rumpens, & Principem liberè carpens, quodammodò vicit naturam, & cœlestis gratiæ commendauit efficaciam. Cùm frequenter honor, & elogia concionatoribus à Magnatibus impensa sint correctionis obstacula.

Matth. 7. v. 28.

Marc. 6. v. 20.

§. LIII.

Proceres criminibus volunt infici, & debitas peccatis pœnas à viris sanctis, & religiosis persolui.

Peccatores. Pœna. Religiosus.

PEccatis, criminibusque pœnas è vestigio adiunctas, aut in futurum dilatas nec Ethnici ignorarunt. Vndè Plutarchus *de tarda Dei vindicta* sic ait: *Adrastiam necessitatis, & Iouis filiam omnium vindicem scelerum summo loco constitutam esse: neque improborum tam fuisse malum quemquam, vel humilem aut latebris, aut vi, effugerit.* Itaque cùm pœnæ effugi nequeant & culpæ placeant hic proceribus, & magnatibus mos esse solet, vt velint à religiosis, & iustis pœnas exolui, cùm ipsi non detrectent cupiditatibus adulari: Ex horum censu erat Saul, qui transgressus Dei mandata à Samuele persolui desiderat supplicia: *Nunc porta, quæso, peccatum meum,* id est, pro me pœnitentiam, in durisque corporis afflictationibus impendentem iram auerte. Huc tendere hæc verba, docet Hugo Cardinalis: *Porta peccatum meum, id est pœnam pro peccato: Simile* 1. *Petri* 2. *qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Vel porta peccatum meum, id est, asporta, id est, amoue à me orationibus tuis.* Ipse oblectabatur prædis, & rogabat Samuelem vt se discruciaret flagris; ipse indulgebat voluptatibus, volebatque, vt Samuel intenderet orationibus. Nam cùm primus humani generis Princeps suaue è ligno carpserit oblectamentum, & pœnam Christus soluerit crucis super humeros ferens lignum, alti proceresque generis Principem imitati quidquid saporatum fugunt, & quidquid ob saporem luendum tergis religiosorum imponunt. Impius Ieroboam, quam manum extendebat, vt execranda idolis thura adoleret, contra Dei Prophetam extendit, sed audaciæ, idololatriæque pœnam neruis stupentibus tulit: *Exaruit manus eius, quam extenderat contra eum.* Quid tunc? Ad Prophetæ preces recurrit, vtque pro ipso obnixè Deum exoret, exambit: *Deprecare faciem Domini Dei tui, &* 3. Reg. 13. v. 4.

ora pro me, vt restituatur manus mea mihi: Manum, quam culpa illigarat, Prophetæ orationibus vult restitui, & neruorum ariditatem iusti afflictationibus, & singultibus depelli. Sic enim inter pœnam, & culpam magnates diuidunt; vt sibi assumant dulcedinem & à religiosis velint sustineri asperitatem. *Exaruit manus* (inquit Lira) *vt sentiret pœnam diuinæ vltionis.* Noluit tolerare pœnam, qui perpetrauerat culpam; ipse manum extendit ad idolum, & petiuit à Propheta; vt ad leuandam pœnam vtramque manum leuaret ad cœlum.

TEXTVS.

VERS. XXVI. Et ait Samuel ad Saul: Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne sis Rex super Israel.

§. LIV.

Graue adeò onus relinquit peccatum, vt vel fortium atterat humerum.

Peccatum. *Onus.*

QVam non sit ferendum peccatum, vel indè colligitur, quod humerus fortium debita pœna, quod leuius est, prægrauatur. Plutarchus *de tarda Dei vindicta*, cum animæ pœnis corporis pœnam conferens sic scribit? [Apud Persas eorũ, in quos animaduertitur, vestes, & thiaras depilant; & flagellant: qui cum lachrymis, vt cessent, supplices orant: perindè mulctæ, quæ pecunia, vel copore defunguntur, morsum non habent acrem; neque ipsam improbitatem corripiunt, sed sunt ad opinionem pleræque, & ad sensum eorum.] Qualis pœna improbitatem pœnitudine non abolitam in futurum maneat, facilè conijcitur ex eo quod leuis dicendus sit morsus, proscindi in hoc sæculo flagris, denudari pecuniis, dispoliari thiaris: *Quæ pecunia, vel corpore defunguntur, morsum non habent acrem.* Inter duras, acresque pœnas recensendæ non sunt, quæ pecunia redimuntur, aut corpore tolerantur: verum etsi, quæ hic soluuntur, pœnæ vmbratiles dicendæ sint, aliquando fortium etiam humeros prægrauant, & vires atterunt robustissimas. Hinc est, quòd Samuel Saulis mirè studiosus nolnerit eius peccati pondus portare, pœnasque exoluere: *Non reuertar tecum.* Acsi dicat: Tu mihi peccati pœnam imponis, *Nunc porta, quæso, peccatum meum*; sed imponis, quia ignoras, quàm graue onus peccatum afferat, & quàm validos humeros etiam, quod in eo leuius est, exigat. Itaque Samuel, vt Saul, quàm detestanda esset eius culpa, conijceret, vel à temporali pœna, non adeò validos suos humeros, ait vt quiverint culpæ pœnam portare, & peccati onus sustinere. Ita Gregorius hic apud nostrum Sancium: *Ecce fortis Propheta refugit suscipere onus regalis peccati, vt Sacerdos Ecclesiæ timeat, & peccatorum importabilium pondera subire pertimescat.* Qui non habent exploratum, quàm graue onus peccatum afferat, vti rem leuem à Sacerdotibus, Deique ministris portari exorant: *Porta peccatum meum.* At qui perspicaci intuitu, & cœlesti lumine illustrato rem penitius examinant, onus vti grauissimum subire recusant: *Fortis Propheta refugit suscipere onus regalis peccati.* Recusauit Propheta onus subire, vt, dum eius, quod alterius comparatione est leue, declarat grauitatem, ad offensæ, quod longè est grauius, Regem adduxerit pœnitudinem. Hinc aliud documentum nobis exoritur, scilicet Principum, ac Regum peccata portare timendum esse, vt qui illis sunt à confessionibus, secum expendant, quàm graue humeris suis onus imponant.

§. LV.

Fugiant Dei serui sua auctoritate magnatum inaurare delicta, & sua præsentia publica cohonestare spectacula.

QVid prodest (aiebat Cassiodorus 7. variar. 47.) *Si quispiam videatur idoneus, & fieri non possit à contractis nexibus absolutus.* Parum, aut nihil prodest, si quis putetur contractis nexibus absolutus, si reuerà constringatur illigatus. Eò tamen aliorum, præcipuè magnatum, cæcitas perducta est, vt non tam suspirent libertatis veritatem, quàm opinionem, ob id, vt errores inaurarint, aut texerint, quærunt auctoritatis, & grauitatis suffragium: & hominum virtute eximiorum consortium. Saul, vt quem Dei præceptum violans, errorem contraxerat, apud vulgus leuaret, Samueli associari exambiuit; sed Dei seruus approbationis refugit vmbram, & denegauit præsentiam. Obnixè rogatus Samuel, vt adoranti Dominum Sauli adsit. *Reuertere mecum, vt adorem Dominum.* Respondit: *Non reuertar tecum.* Iam si quæras, cur se exorari passus non fuerit, quando adesse Dominum adoranti & vrbanum, & satis videbatur honestum? Respondeo iure Regi, quod deprecabatur, officium denegasse, ne ad speciem sua præsentia approbaret sacrificium, aut inauraret peccatum. Saul non ritè inceperat sacrificium, prosequi desiderabat inceptum, à quo, si Propheta abesset, ingenerabat populis suspicionem, si adesset, videbatur approbare pietatem: ergo Samuel non abnuit, & Dei seruos errorem sua non approbare præsentia, aut auctoritate edocuit. *Id agit* (inquit noster Sancius) *vt secum redeat ad instaurandum, aut continuandum victimarum officium. Quò sua præsentia ostenderet Propheta gratum esse Deo munus illud ex spoliis Amalec, & in eo, in quo secretò accusatus erat, nullum intercessisse peccatum.* Præsentia Prophetæ commendari voluit sacrificium, quandoquidem non videbatur reprobandum, quod tantus vir fieri non prohibebat, immò sua præsentia nobilitabat; verùm Samuel contectam precibus improbitatem præcallens, se non adfuturum constanter asseruit, & sequentes erudiuit. Quod si adesse renuit sacrificiis, quomodò interesset spectaculis, & aliis popularibus ludis. Sunt, qui secum velint religiosos ducere ad spectacula, ad ludorum oblectamenta, vt sic non videantur reprobanda, quæ à tantis viris constat inspecta; verùm ob id ipsum viri religiosi se debuissent substrahere, ne huiusmodi sua præsentia, & auctoritate videantur fulcire. *Ecclesiasticus.* *Spectacula.*

§. LVI.

Peccatoris consortium omnibus diffugiendum, sed spectabilibus viris accuratius detrectandum.

Consortium. Peccator. PEccator pestifera lues, nocentissima pestis. quisquis ei familiaritate conjungitur, perturbationibus, discriminibusque subjacere nullatenus dubitatur. *In naue* (aiebat Seneca *epist.* 30.) *quæ sentinam trahit, vni rimæ, aut alteri obsistitur: vbi plurimis locis laxari cœpit, & cedere, succurri non potest nauigio dehiscenti.* Vt qui nauigio dehiscenti vehitur, infeliciter naufragium patitur; sic qui improbi vtitur consuetudine, quantumvis sibi caueat, subibit detrimentum, aut procellarum saltem adsultum. Addit Philosophus: *Vbi tanquam in putri ædificio omnis iunctura diducitur, & dum alia excipitur, alia discinditur: circunspiciendum est, quomodo exeas.* Putre ædificium periculosissimè inhabitatur, nam dum rimula vna obturatur, multiplex discinditur. Sibi inuidet, qui vociferantibus scissuris mavult immorari, quàm fugere; sed licet improborum societas sit omnibus effugienda, eis præcipuè viris, qui spectabilitate præclari, & omnium oculis semper expositi. Nam, vt sol tetris vaporibus obscuratur, sic virtutis opinio nebulis alienis inficitur. Ob id Samuel, vbi Saulem cupiditatis, superbiæque serum agnouit, eius consortium animitus respuit, nec vllis precibus exorari sustinuit: *Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini.* Non ait: Non reuertar, *sed non reuertar tecum*, quia comitari tot, tantisque maculis jam infectum, erat solicitare famæ suæ, & virtuti periculum; omnes namque Samuelem consiliorum participem crederent, aut peccanti saltem conniuentem existimarent. *Negauit se cum Saule* (inquit noster Sancius) *ad intermissa sacra, vel ad alia illius cogitata reuersurum. Cuius rei illam reddit rationem, quia iam Saul à Deo reprobatus fuerat.* Quod à reprobi societate opinioni suffragium, aut quod virtuti à consortio auxilium? ergo prudenter Samuel detrectauit Saulem comitari, & familiaritate eius vti. Anastasius Synaita *lib.* 8. *Hexameron* acutè notauit piscibus à Deo benedictionem impensam, & terræ bestiis ad speciem denegatam. [Creauit Deus cæte grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum, & vidit Deus quòd esset bonum, benedixitque eis.] Audi aues, pisces que benedici: transi ad bestiarum creationem, & videbis benedictione carere: *Fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo, & vidit Deus, quòd esset bonum.* Et cur bestiis benedictio non dilargita, quando terram inhabitantibus videbatur plus necessaria? Quia inter bestias, respondet Synaita, serpens erat, qui sedaxit Euam, qui in Deum ipsum armauit linguam, qui paradisi dispoliauit plantam: ergo benedictionis felicitate priuantur, vt quàm nocua sint improborum consortia, sacris literis denotentur: *Terremi priuati sunt benedictione, quoniam in eis erat serpens.* Serpentis societas impedinit benedictionem, & bestiæ de suo tunc innocuæ, ob serpentis consortium benedictionis fuerunt felicitate mulctatæ. Addiderim; Gen. 1. v. 22. aliquando majus cælesti luci videri impedimentum improbi consortium, quàm ipsum vitium. Extructis aris, victimisque impositis astabant Balac, & Balaam simul; cúmque Balaam aduerteret se cœlesti pulsu non tangi, à Balac discessit, vt Dominus illi occurreret: *Sta paulisper iuxta holocaustum tuum, donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus.* Et cur secum Regem non ferat, si locum demutat? aut cur demutat locum, vt cælestè excipiat oraculum? Profectò Balaam non tam locum fugiebat, quàm se ab improbo separabat, quasi impij societas excipiendis oraculis magnum esset obstaculum, & obstans impedimentum. Prodest Hugo Cardinalis: *A consortio hominum separabat se, vt solitarius Domini responsum audiret.* Non ignorabat secum se ferre cupiditate inflammatum, & euanidæ gloriæ ambitiosum; præsumpsit tamen faciliùs cælesti luce pulsandum vitiis infectum, quàm improbo Rege associatum. Nec sua eum opinio fefellisse videtur, quandoquidem desertum adeunti Deus occurrit, & quid loquendum edocuit: *Cùm abiisset velociter, occurrit illi Deus.* Vitiis scatentem Deus alloquitur, & in consortio peccatoris oraculo cœlesti illustrare dedignatur: quasi majus cœlesti luci impedimentum sit aliquando peccatoris consuetudine vti, quàm maculis denigrari. Num. 23. v. 3.

TEXTVS.

VERS. XXVII. & XXVIII. Et conuersus est Samuel vt abiret; ille autem apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est, & ait ad eum Samuel: scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.

§. LVII.

Dum Principes ad consentiendum suis decretis Ecclesiasticos cogunt, sibi calamitates adsciscunt.

Principes. Ecclesiastici. EO aliquando tumore sæculares Principes turgent, vt licèt juri, & rationi aduersa decernant, sibi existiment irrogatam injuriam, si Ecclesiastici judices improbarint sententiam. *Bonus Princeps ille est* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 13.) *cui licet pro iustitia loqui, & contrà, tyrannicæ feritatis indicium, audire nolle constituta veterum sanctionum.* Tyrannicæ potestatis indicium est sacras, statutasque sanctiones despicere, si suis decretis contigerit refragari; debuissent Principes attendere non tam esse potestatis argumentum, quàm calamitatis illicium Ecclesiasticos judices, superioresque ad sibi consentiendum violenter cogere, nam irreuerentia, & vis magnas solent calamitates adsciscere. Decreuerat Saul de initiis Amalec offerre victimas, ea sacra Samuel, vtpotè Dei iussis aduersa, reprobauit, & non prosequenda asseruit. Saul priùs, vt secum ad offerendas victimas reuertatur, vrbanè petit: *Reuertere mecum, vt adorem Dominum.* Non solùm non retractauit decretum, sed voluit offerre Samuele annuente holocaustum. *Id agit* (inquit noster Sancius) *vt secum redeat ad instaurandum, aut*

continuandum victimarum officium. Samuel restitit : *Non reuertar tecum :* ergo Saul cæptis insistens obtinere voluit violentia, quod comitate non obtinebat vrbana. *Apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est.* Quid tunc Propheta ? *Scidit Deus regnum Israel à te hodie.* Pallij Prophetici scissa ora fuit violentiæ testimonium, & calamitatis præsagium : dum jure, ritéque Sacerdoti refraganti infertur violentia, jam è capite videtur decidisse corona. *Samuel* (inquit noster Sanctus) *ex lacinia discissa discindendum affirmat regnum à Saule, & ad aliun transferendum.* Violentia intulit, vt suæ auctoritati Saul consuleret, sed ingenter errauit, nam vis ritè arguenti, & jure refraganti illata minuendæ potestatis erat certissima Prophetia : *Ex lacinia discissa discindendum affirmat regnum.*

§. LVIII.

Ad Ecclesiastica manum extendere est à se felicitatem præcidere.

Ecclesiastica. Manus.

QVidquid Deo sacrum, religiosa est venerationè colendum : quod si exoculata cupiditas, aut audax semper temeritas quoquo modo adnitatur violare, sibi non dubitet inuidere. Religio Reipublicæ est sustentaculum, cœleste commercium, opportunum contra calamitates auxilium : quapropter prouidè curauit antiquitas, vt tranquillitas posset florere, illæsam prorsus religionem seruare ; nec enim salute membra poterunt frui, si neruos contigerit lædi. *Cum Rex Alaricus* (inquit Cassiodorus) 12. *variar.* 20. *Vrbis Romanæ deprædatione satiatus Apostoli Petri vasa suis deferentibus excepisset, mox vt rei causam habita interrogatione cognouit sacris luminibus deportari diripiētiũ manibus imperauit ; vt cupiditas quæ deprædationis ambitu admiserat scelus, deuotione largissima deleret excessum.* Audentibus armis subegerat aduersarium, & prudenter timuit sacrilegium ; nam illata templis injuria, sacris vestibus irrogata irreuerentia est contra indeuotos ardentissima flamma ; & licèt statim Deus non intulerit dignum supplicium, non patitur inultum piaculum. Dionysius ille tyrannus Siracusis genitus per iocum sacrilegiis studebat, & quamvis cœlestis vltio tantisper dilata, tandem supplicij grauitate moram compensauit acerrima. Ita Valerius Maximus *lib.* 1. [Victorias aureas, & pateras, & coronas, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat, & eas se accipere, non auferre dicebat : *Addit Valerius :* Qui tametsi debita supplicia non exoluit, dedecore tamen filij mortuus pœnas rependit, quas viuus effugerat, lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat.] Filius, miser, & inhonoratus soluit, quas sacrilegus pater pœnas commeruit. Saul etiam, dum sacram Prophetæ vestem temerat, & abscindit, à se, suisque felicitatem depellit : *Scidit Dominus Deus Israel regnum à te hodie.* Hugo Cardinalis : *Tunc promeruit, vt à stirpe sua scinderetur, & traderetur meliori, id est, Dauid.* Iam Saul regno priuatur in filiis quo, grauior adurgeret pœna, & durior vexaret mulcta ; quandoquidem non tam dolent parentes propria, quàm filiorum infortunia. Expendendum tamen est, cur scissa vestimenti lacinia indubium auferendi regni fuerit argumentum, & infaustum semper præsagium ? Quia cùm manum violentam ad Prophetæ ornamenta misit (inquit Caietanus) jam regalem à se potestatem abscindi meruit : vestimenti ora manu retenta portendebat infausta retinenti, & illata Sacerdoti irreuerentia additit vires calamitati : *Interpretatus est Samuel scissionem sui pallij signum esse scissionis regni à Saule decretæ à Deo.* Quousque ad Ecclesiastica, sacraque misit manum, adhuc videbatur solùm minis deterritus, non immutabili decreto purpura denudatus ; verùm cùm ad Ecclesiastica manum misit, amittendæ dignitatis tam indubium, quàm infaustum præsagium habuit.

§. LIX.

Qui pias spernit minas, timeat irreuocabiles.

Mina. Pœna.

DEus cùm seuerè minatur, ignoscere indulgenter adnititur : interminata supplicia pietati deseruiunt, dum infligendi supplicij occasionem præcidunt. *Quodammodo* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 8.) *nascitur de pietate crudelitas, si quem negligis admonere, postèa cogaris exigere. Vtilis est ergo cura prædicere, quando & occasio subtrahitur delictis, & locus non datur illicitis.* Cùm minas anteuertit supplicium, de ipso silentio oritur ad speciem crudelitas, vt de intentata minis crudelitate nascitur pietas. Itaque Deus, cùm minatur, suæ misericordiæ, & pietati blanditur : verùm si homo cœlesti abuntatur patientia, & salutares sibi contempserit minas, pati solet irreuocabiles pœnas, & ipsa admonitio est criminis aggrauatio. Delinquenti Sauli Samuel decretam irreuocabiliter à Deo sententiam denuntiat, & jam regnum ad proximum translatum declarat : *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Illud, *Hodie*, ingerit nobis difficultatem, nam cùm *suprà cap.* 13. jam Samuel regno spoliandum pronuntiarit : *Nequaquam regnum tuum vltra consurget*, non videtur modò præcissum, quod tantò ante videtur ablatum. Quomodo ergo Samuel, qui anteà pronuntiauerat mulctam, fulminatam modò contra eum testatur sententiam ? Ob id ipsum (inquit Abulensis *quæst.* 32.) Priùs Samuel minis deterruit, &, quod admissum peccatum merebatur explicuit, si fortè Saul respiscat pœnarum timore, etsi virtutum non alliciatur honestate. Saul eas adeò pias contempsit minas, vt addiderit nouas transgressionis offensas : ergo dum sprenit piæ comminationis remedium, tumulat irreuocandum supplicium. [Respondendum est, quòd ibi abscissum est regnum Saulis, scilicèt quia ipse merebatur, quòd auferretur. Vnde si postèa non peccasset Saul, non fuisset ablatum regnum, vt ibi satis declaratum est : nunc autem diffinitiuè auferebatur regnum Saulis.] Ibi denuntiauit Samuel regnum auferendum, vt digna pœnitudine peccatum aboleret, & abolito sibi regnum stabiliret ; ast dum comminatione deterritus, iterùm delinquit incautus, jam regnum sententia irreuocabili abscinditur, vt duram pœnam sustineat, qui iam comminationis contempserat indulgentiam. Qui à Deo semel & iterùm admonitus, & duris interminatis pœnis deterritus non rapit opportunam pœnitendi occasionem, contra se armat supplicia, & sustinet irreuocanda decreta.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXIX. Porrò triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur, nec enim homo est, vt agat pœnitentiam.

§. LX.

Ægrè fert Deus, si homo adnitatur sibi adscribere, quod Numini tenebatur referre.

Superbia.

INgratus conuincitur, qui vult meriti sui videri, quod ab alterius munificentia certissimum est oriri, & dum alterius furatur gloriam ingratitudinis adauget offensam, & benefactoris inflammat iram. Opportunè Seneca *lib. 2. de Beneficiis cap. 23. Quidam nolunt nomina secum fieri, nec interponi pararios, nec signatores aduocari, nec chirographum dare: idem faciunt, qui dant operam, vt beneficium in ipsos collatum quàm ignotissimum sit.* Attentius audi, quæ adnectit: *Verentur palam ferre, vt sua potius virtute, quàm alieno adiutorio consecuti dicantur. Rariores in eorum officiis sunt, quibus vitam, aut dignitatem debent, & dum opinionem clientium timent, grauiorem subeunt ingratorum.* Adeò ambitionis delirio, vt superbiæ insania homines agitantur, vt virtuti suæ adnitantur applicare, quod à Deo certissimum est accipere, & dum Numini debitam furantur gloriam, acquirunt sibi ignominiam. Saul à Deo acceperat contra Amalecitas victoriam; verùm sic ambitionis ardore inflammatus desipuit, vt in editissimo monte triumphalem sibi fornicem erexerit, & futuris sæculis inuicta sui virtute triumphum partum fuisse vulgarit: *Nuntiatum est Samueli eò quòd venisset Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem.* Sibi erexit, non Numini; verùm dum rapit gloriam, Deus infert supplicium, & sæculis notum facit eius virtute, & potentia acquisitum trophæum: *Triumphator in Israel non parcet.* Ac si dicat: Dum veri triumphatoris erecto fornice rapuisti gloriam, inflammasti contra te iram: ægrè namque Deus fert iniquo furto hominem sibi applicare, & ingratitudine exoculata famam conquirere. Ita Hugo Cardinalis: *Triumphator Dominus, cui omnis victoria adscribitur, & dicitur hoc contra Saul, qui de triumpho Amalec fuerat gloriatus.* Consonat Abulensis *quæst. 34. Deus, qui est triumphator in Israel, id est, vincit omnia bella pro Israel, non parcet, scilicèt iniquitatibus tuis.* Magna erat iniquitas victoriæ auctori plausum non pendere, sed sibi ambire: ergo iure priuatur triumphatoris elogio, dum vanè nitere discupit alieno triumpho.

§. LXI.

Toti sunt peccatores in auertenda pœna, non in abolenda culpa.

Peccator. Culpa. Pœna.

MAli pecuniis ditati (inquit Eurypides apud Stobæum *cap. 44.*) *vel aliquo Reipublicæ Magistratu aucti exultant, repentè fortunatis domibus ipsorum factis.* Repentè fit magistratus domus fortunata, & nescias, quo fœcundo fonte tanta pecuniarum promanet copia: vtque est contrariorum eadem ratio, qui exultant abundatia, mire distorquentur inopia. Magnum hominibus est tormentum iis carere, ex quibus ingens percipiebant gaudium: Vnde si seuera æquitatis districtio eos dignitate priuarit, & dignam pœnam inflixerit, nihil non tentabunt, vt sententia derogetur, aut imposita mulcta minuatur. Ad importunas preces recurrent, magnatum implorabunt suffragia, & pertinaciter sibi procurabunt auxilia; cúmque à se ipsis possint obtinere, vt vera pœnitudo admissam criminis detergat maculam, toti sunt in frustrando pœnam. Deliquit Saul, & quamvis ore fuerit confessus culpam, corde gerebat impœnitentiam. *Peccaui: sed nunc porta, quæso peccatum meum.* Pœnam sibi remitti expostulasse tradũt Interpretes. Ita Hugo Cardinalis: *Porta peccatum meum, id est, Pœnam.* Pœna vrgebatur, non culpa, importunisque adeò precibus hoc solicitabat, vt compulsus fuerit Samuel ei declarare esse irreuocabilem prolatam à Numine contra ipsum sententiam: *Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur, nec enim homo est, vt agat pœnitentiam.* Toties repetiuit sententiam non derogandam, vt importunis Saulis precibus obuiaret, & se ab illa molestia eximeret. Deus vera dolentis pœnitudine semper flectitur, vt deleat culpam, Samuel pœnitudine non flectendum ait quantum ad illatam pœnam. Ac si dicat: Non pœnitebit Deum vnquã hanc tibi decreuisse mulctam, nec imminuet, nec parcet, quia fixum est, quod decreuit. *In hoc* (inquit Abulensis *quæst. 34.*) *tollit Samuel Sauli occasionem orandi, vt pro peccato suo oretur, nam Saul ista videns forte peteret, quòd Samuel oraret pro eo, ne auferretur regnum.* Deus vera peccatoris pœnitudine placatus suæ restituit gratiæ & acerbitatem etiam imminuit pœnæ. Quòd si hic testatus est Samuel Deum nunquam flectendum, nec sententiam de auferendo regno retractaturum, fuit ne Saul tempus tereret; & eius suffragia ad leuandam pœnam ambiret: Saul etsi eodem tempore & grauissima criminis polluretur culpa, & digna adurgeretur pœna, non curabat, quod in se erat, culpam delere, sed solicitabat Samuelis suffragiis, & apud Deum interceßionibus pœnam leuare; & quidem suis factis reprobationis nobis præstitit non indubia argumenta, & quisquis eius sequitur exemplum, vereri potest se reprobatum; est namque reprobationis signum maculam ignauè despicere, & ad effugiendam pœnam totos animi neruos intendere.

TEXTVS.

VERS. XXX. At ille ait: Peccaui, sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum.

§. LXI.

Nonnulli, vt honores expiscentur, pœnitentiam assumunt factem, & se dolere vitiis inseruisse attestantur.

SI vis (aiebat Seneca *epist. 94.*) *exercere tibi vtile, nulli autem graue imperium, submoue vitia.* Pœnitentia. Ambitio.

Vitia

Vitia declinare, & ad virtutis castra transire, & vtilitatem affert, & honorem. Huius veritatis non ignari, & cupiditate, aut ambitu victi exteriorem virtutis habitum plures induunt, vt dum habentur justi, honoris splendore fruantur falsa opinione promoti. Intus omnia dissimilia sunt, frons conuenit cum virtute, venientibus se submittunt, se peccatores publicè agnoscunt, & tandem vt aliquid expiscentur, Reipublicæ ministros fucata virtutis specie fallunt. Saul, vt vidit Prophetam Samuelem ob perpetrata scelera exasperatum, ne honores amitteret, confugit ad dolum. Srpè pœnitere affectauit, & ingeminans semel, & iterùm se peccasse apparenter doluit: *Peccaui.* Quò publica culpæ spectaret confessio, nec cautela potuit celare, quia ambitionis pruritus fecit detegere. *Sed nunc* (aiebat) *honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel.* Honoris siti pœnitentis assumpsit habitum, vt dum à Samuele putatur justus, non repellatur honoribus interdictus. Non curauit internam culpam vero dolore detergere, sed simulato Prophetam fallere, vt dum pium, pœnitentemque credit, honoribus etiam ornet. Ita Caietanus: *Hanc quoque confessionem non proficisci ex integra agnitione peccati coram Deo, testatur adiuncta petitio honoris mundi huius.* Ambitio confessionem illam extorsit, verus, & intimus dolor non expressit. Videas nonnullos templa frequentare, congregationibus virorum spiritualium adscribi, sæpiùs confiteri, qui pulchra virtutis larua ambitionis fœditatem abscondunt, sed honores, & vtilitates exambiunt. Opportunè Bernardus apud Glossam. [Indignus cœlesti benedictione conuincitur, qui dubio quærit affectu, duplici petit intentione aliud sibi refugium parans, si fortè eam non obtinere contingat. Vbi perstitit in sententia Samuel sanctus, Saul inquit: Honora me vel coram populo. Ad quid tibi hæc honoratio, miser? Hæccine erat tota illa supplicatio: Peccaui, ora Dominum pro me?] Samuelis expetiuisse orationum suffragia, contestatum fuisse publica confessione delicta, eò tendebat, vt à candido Propheta haberetur iustus, & solicitatis per eum honoribus haberetur ab omnibus venerandus. Has technas docuit dæmon ille, qui ad Christi vestigia prouolutus humili ad speciem voce adorauit: *Cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi, Iesu fili Dei altissimi?* Quis adorationis scopus, quæ dejectionis intentio, quam citò ipsemet aperuit, dum permitti intrare ad porcos orauit: *Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus.* Adorans, vultumque submittens possidere discupit gregem, & colere mentitur pietatem. *Digna petit* (inquit Chrysologus *serm. 16.*) *indigna seruitus: Mitte nos in gregem porcorum.* Vt mitteretur ad gregem, simulabat humilitatem, & erat ad expiscandum hamus externè exhibitus cultus.

Marc. 5. v. 6.

§. LXIII.

Plus verentur homines habere magnatem sibi offensum quàm Deum iratum.

INter solicitas curas, quas cor hominum Deus.
semper reuoluit, ea exigua non est, magnatum scilicet lucrari gratiam, vereri offensam. Magnates.
Externa, volaticaque bona cæcè internis præferuntur, indè anxium votum est fontes adire, vndè promanare putantur. Ob id Consulibus cultus penditur, ob id magnatum limen teritur, ob id gratia omnimodò procuratur. *Fortuna minor* (aiebat Cassiodorus 1. *variar.* 8.) *Principem quærit.* Ad Principis, & magnatis currit auxilium, qui sibi procurat augmentum, nihilque adeò est amarum, quàm si quis magnatem sibi suspicetur infensum. Saul Deum sibi non ignorat iratum, & Samuelem experitur etiam justissimè infensum, sed minus curat Deum placare, quàm Samuelem retinere: *Peccaui; sed nunc honora me coram senioribus populi mei.* Pallium apprehendit, vt retineret, cùm peccatum confessus est, vt placaret, quia major illum vrgebat solicitudo, ne Samuelem haberet iratum, quàm Deum offensum. *Hoc petebat Saul* (inquit Abulensis *quæst.* 30.) *ad significandum fauorem suum.* Subjicit: *Erat enim Samuel indignatus nimis Sauli, quia peccarat contra Dominum.* Totus erat Saul in Samuelis placanda indignatione, non in abolendo crimine, quia plus magnatis ambiebat gratiam, quàm Numinis timeret offensam. Video Aaronem vituli reatu pollutum Moysis iram submisso vultu, & vrbanis verbis delinientem, nec videre tunc Numinis iram placantem: *Ne indignetur Dominus meus: Tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum.* Fratrem vocat Dominum, vt sopiat indignationem, cùm satiùs esset illud tempus lucrari in detergendo lachrymis impietatem. Cur Aaron non priùs cœlestem indignationem solicitet delinire, quàm iratum sibi Moysem temperare? Quia Moyses erat populi Princeps, & hominibus de more est plus Principum indignationem timere, & emollire solicitiùs procurare. Innuit Caietanus hic: *Iuxta Hebræum habetur: Non irascetur furor Domini mei, timentis sunt verba.* Timet Moyses iracundiam, exambit gratiam, nec hic audies procurasse cœlestem indignationem sopire, & eius beneuolentiam mereri; nam exoculata hominum amentia plus timet magnatum iram, quàm Dei offensam. Exod. 32. v. 22.

TEXTVS.

VERS. XXXI. Reuersus ergo Samuel sequutus est Saulem: & adorauit Saul Dominum.

§. LXIV.

§. LXIV.

Dum dignitatem gerit, licet non mereatur persona, dignitati exhibenda est reuerentia.

Dignitas. Reuerentia. TAlem denique oportebat esse Quæstorem (aiebat Cassiodorus 6. *variar.* 5.) *qualem portare Principis decet imaginem.* Qui Principis gerit imaginem, omni debet puritate nitere, & sui reuerentiam subjecto moribus intimare; verùm si indignus Principis portarit imaginem, ob dignitatem debet suspici, etsi moribus contigerit obscurari. Christus Dominus de reddendo, aut negando Cæsari censu interrogatus numisma census jussit ostendi, & cuius insigniretur imagine, interrogauit: *Cuius est imago hæc, & subscriptio?* Cùm non minus sacræ scripturæ silentium, quàm eloquium, contineat arcanum, notatu videtur dignum, cur non prodatur, an numisma aureum, an argenteum, an æreum fuerit? Si materiæ nobilitas, & pretium auget, & ornamentum, cur materia siletur, & solùm imago exprimitur? Quia in eo Christus spectari jussit imaginem, non materiam: *Cuius est imago hæc?* Non dixit quali materia indita, vt doceret, non tam materiam, quàm imaginem attendendam. *Hoc genus nummi est* (inquit Hieronymus in Catena D. Thomæ) *quod pro decem nummis computabatur, & habet imaginem Cæsaris.* In denario, ex quacumque esset materia, Cæsaris spectabatur simulacrum, & ab illo accipiebat pretium: ergo cùm Superiores Dei gerant imaginem, in eis non tam attendenda est vita, quàm imago, vt pendatur debita reuerentia. Samuel Saulem non comitatur, sed sequitur: *Reuersus ergo Samuel sequutus est Saulem.* Non adhæsit lateri, sed sequutus est, Regem, quia Dei gerebat vmbram, etsi pranis moribus obscuratam. Notauit Lira: *Volens deferre honorem Sauli, quandiu à Deo in regno tolerabatur.* Etsi Saul Dei, quam gerebat imaginem morum obscurasset tenebris, Samuel honorem exhibuit, quia vel obscuratam gerebat: *Sequutus est Saulem.* Prodigus se in cœlum peccasse testatus est: *Peccaui in cœlum.* Quale fuerit hoc in cœlum peccatum, inquirit Chrysologus *serm.* 5. Respondetque, Solem, Lunam, Dei imagines blasphemasse, & liuido dente abrosisse: *Peccaui in cœlum, dum in cœlo solem, lunam, sidera deos esse blasphemat.* Fortè dum ad dignitatis fastigium agnouit elata sydera, inuidentiæ vrebatur flamma: abrodebat lunam, fortasse quia maculis videbat tinctam, & nebulis obscuratam; at sibi jam redditus agnouit se peccasse, dum lunam fastigio elenatam, imaginemque Dei sortitam obmurmurando infamauit, nec debitam reuerentiam exhibuit. Nam quos Deus ad dignitatum fastigia euexit, suspicere debet dignitatis titulo reuerentia, etsi non adeò bonis moribus exculpta reluceat vita.

Matth. 22. v. 20.

Luc. 15. v. 18.

TEXTVS.

VERS. XXXII. Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag Regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus, & tremens, & dixit Agag: siccine separat amara mors.

§. LXV.

Expectandum est tempus opportunum, vt culpis applicetur remedium.

SCimus (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 17.) *pro remedio nos datos esse cunctorum: non despicimus sanare subiectos: & ideò si et culmini nostro videretur incongruum, libenter acquieuimus facere, quod generalitatem probamus optasse.* Superior medici exercet munus, vtque Medicus ad sanguinis emissionem opportunum expectat tempus, ne aliter infirmitati ferat auxilium, & indè majores vires accipiat morbus, vndè procurabatur remedium, sic Prælatus tenetur temporis opportunitatem obseruare, vt possit remediis salutem applicitis impertiri, ni febris nimius ardor subsederit, ni acris dolor vires remiserit, medicamentorum efficacia retunditur, & inutiliter sumptus expenditur. Hinc est, quòd Samuel Agag, quem Saul triumphalis pompæ ambitiosus secum attulerat, non statim occidit, sed opportunum tempus expectauit: *Adducite ad me Agag Regem Amalec.* Et cur anteà adduci non jusserit, sed Saulem adorasse Dominum expectarit? Si statim potuit occidere, & diuinis præceptionibus satisfacere; cur moras traxit, & in tempus futurum misit? Quia vt superioris norma expectauit, vt Saulis detumeret ambitionis insania, & cupiditatis sedaretur violentia. Expectauit vt Saul Dominum adoraret, ne fortè anteà Agag ab infligenda justè pœna defenderet. Notauit Abulensis *quæst.* 36. *Accesserunt apud altare, in quo fiebant Sacrificia in Galgalis, & ibi Saul adorauit Dominum, scilicet inclinans se coram altari orauit: Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag, scilicet postquam orauit Saul, petiuit Samuel ab eo Regem Amalec.* Post orationem Saul Agag promptè tradidit, qui forsitan ante orationem defenderet: expectauit ergo Samuel, vt oratione deferuesceret ambitus, & vt Saul Deum adoraret deuotus, sicque dum expectat aptum tempus, non moras nectit ignauus, sed medelam applicat prouidus. Sponsus aptum putationi tempus adesse edocuit, quia vox turturis jam cantu aures imbuerat, & recrearat: *Tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra.* Ac si dicat: superflua foliorum luxuries, ramorum inconcinnitates resecari oportuit, sed expectatum est, vt vox turturis, hoc est, Spiritus sancti vox animis perfectionis indiderit desiderium, & alacre vitæ melioris studium: ergo modò facilius correctionis falcem admittent, & putationem grauanter non ferent. Ita noster Delrius hic in Tropologia: *Vult nos quotidie resecare superfluam filiorum, hoc est, cogitationum, & verborum luxuriem*

Tempus. *Remedium.* *Culpa.*

Cant. 2. v. 12.

luxuriem. Adnectit : *Tunc clarè vox turturis exauditur in terra noſtra, quia ſpiritus ſancti gementis in nobis internas inſpirationes audimus, & eis obedimus.* Durus, & intractabilis animus non facilè flectitur, ſed doctrinæ, correctionisque falci obnititur : aſt ſi tam animus ad deuotionem maturauit, ſi jam ſaniora deſideria fouere oſtēdit, faciliùs admittit purgationem, & morum anhelat floriditatem : ergo ſuperior doctus agricola tantiſper aliquando expectat amputationis opportunitatem, quò faciliùs promouerit ad virtutem. Vt Agag abſtulerit, præcideritque, tantiſper Samuel expectauit, vt Saul, ſe ſibi redderet, & deuotior oraret.

§. LXVI.

Quæ in vita delectauere delicia, tot in morte illigauere catenæ.

Mors. Vita. Delitiæ. Catnæ.

FAllimur, dum putamus nos habere delitias, ab eis habemur : quæ putantur oblectamenta, reuera ſunt vincula. Neceſſarium eſt nos cæcos cæcorum inſtar inoculato ductori obedire, &, quà duxerit, ſequi. Quàm diſertè Seneca *epiſt.* 94. *Neceſſarium eſt admoneri, & habere aliquem aduocatum bonæ mentis, æque tanto fremitu, tumultuque falſorum vnam denique audire vocem. Quæ erit illa vox ? Ea ſcilicet, quæ tibi tantis clamoribus ambitioſis exurdato ſalubria inſuſurret verba : quæ dicat : Non eſt quòd inuideas iſtis, quos magnos, feliceſque populus vocat.* Magna felicitas ſeruitus magna eſt ; ſub illa externa tranquillitate feruent tempeſtatum volumina, & dum fortuna illis fulgurantem, & perſtringentem oculos offert ſplendorem, aufert veram libertatem. C. Cæſarem in ſua fata pariter ac publica immiſit gloria, & ambitio, & nullus ſuprà cæteros eminendi modus. Alexandrum aliena deuaſtandi, & imperium defendendi ardor ſuſque deque jactauit. Omnes iſti cùm alios vincerent, ambitionis, & cupiditatis vinculis vincti ſunt. Agag Amalecitarum Rex iratis Samuelis oculis offertur : *Oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus, & tremens.* In Hebræo habetur : *Iuit ad eum Agag delitiarum, vel catenarum.* Eadem namque dictio vtrumque ſignificat, delitias ſcilicet, & catenas. Vt hinc diſcamus reuera eſſe vincula, quæ cæcutientibus nobis videntur gaudia. Opportunè ſatis Caietanus : *Iuxta Hebræum habetur : & iuit ad eum Agag delitiarum, vel catenarum. Dictio Hebraica anceps eſt ad delitias, vel catenas, an ſignificetur Agag delitioſus, vel vinctus catenis.* Vinctus duris oppetit mortem catenis, qui in vita nimium indulſit voluptatibus, & delitiis, eius vincula fabricata ſunt ex nimia mollitie, ex delitioſa ingluuie, ex ſuperba, inſatiabilique ambitione. Agag in morte experitur amaritudinem, quam in vita exiſtimabat dulcedinem. *Excutere de puluere* (monebat Iſaias) *conſurge, ſede Hieruſalem : ſolue vincula colli tui captiua filia Sion.* Dum pro arbitrio poteſt ſoluere, pro arbitrio conſtat ſibi injeciſſe. Et quæ ſunt hæc vincula ? Voluptatum, peccatorumque (inquit Interlinearis) oblectamenta : *Peccatorum funibus conſtringitur.* Putabat margaritas, & monilia eſſe ornamenta, cùm reuera libertatis eſſent vincula, & dum incedebat ſumptuoſiori habitu lætior, ſordebat miſerabilior : pompaticus cultus erat rigidiſſimns nexus, & animus duram ſuſtinebat captiuitatem, quia corpus floridiorem oſtentabat cultus nitorem.

Iſai. 52. v 2.

§. LXVII.

In morte iuſtis vitæ angor tranſit in tranquillitatem, iniuſtis ſplendor in amaram tranſit ſolicituditem.

Inſtit. Peccator. Mor. Delitiæ. Amaritud.

FOrma moriendi (aiebat Septimius *lib. de carne Chriſti cap. 6.*) *cauſa naſcendi eſt.* Adde : Forma moriendi cauſa viuendi eſt. A vita trahitur, quidquid eo in articulo mentem ſerenat, aut turbat. Diſertè Philo *lib. 1. leg. alleg. Vituimus illorum mortem, mortui ſumus illorum vitam.* Quæ verba ſic theſi noſtræ adapto. Iuſti viuunt, vt morinntur injuſti, ſcilicet anxietatibus diuexati, ſolicitudinibus trepidi, periculis anxij, ſed in morte vice verſa juſti gaudent, oblectanturque ; ſolicitudo namque in tranquillitatem tranſit, gemitus in ſolatium, dolor in gaudium. Vnde Paulus ad Philippenſes aiebat : *Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Viuens variis laborum, ac afflictionum fluctibus jactatus ingemuit, ſed moriens dignam pro patientia, & æquanimitate vſuram accepit, quia vti olim aqua in vinum, quidquid anteà cruciamentum, conuertebatur in gaudium. *Et mori eſt mihi lucrum* (inquit Anſelmus ad hunc locum) *quia tunc pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus accipiam æterna.* Videbat Paulus jam labores finem accepiſſe, & gloriam nunquam interturbandam manere : videbat corpus jam ærumnis non diuexandum, & ſperabat corona caput immarceſcibili redimiendum : ergo placidis oculis ſpectabat mortem, vt copioſum demeteret lucrum, non verebatur vt tormentorum exordium. E contra accidit Agag, qui pinguiſſimus refertur, & tremens : *Oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus, & tremens.* Videbat delitioſam jam auolaſſe vitam, & remanere mortem amaram : ergo ingemuit horrido mortis vultu deterritus, & ſæuis anxietatibus perturbatus : *Siccine ſeparat amara mors.* Amara erat mors, quia circumfuſa delitiis vita. Ita Hugo Cardinalis : *Adductus eſt Agag tremens, & dicens. Quam amara mors eſt hæc. Eccleſiaſtici* 41. *O mors, quam amara eſt memoria tua homini iniuſto.* Potitus regno non ignorabat ſe rationem Samueli regiminis redditurum, & conſcientia ſæuo tunc carnifice totus, ingemuit inenarrabili amaritudine diuexatus. Audi Chryſologum *ſerm.* 26. [Rationem reddituri ſunt omnes iſti, ſi in vllo creditæ poteſtatis exceſſere menſuram : Si Rex juſtitiam cuſtodiuit, ſi æquitatem tenuit, ſi poteſtatem moderatus eſt, ſi miſericordiam non omiſit, ſi tenuit ſic ponderis ſui libram, vt in neutram partem poteſtatis ſuæ trutina perpenſa declinaret ; ſi omnium curam geſſit, ſi ciuium procurauit quietem, ſi ſic temperauit cenſum, vt neque militi ſufficientia deeſſet, neque tributarius laſſaretur.] Amariſſima erat mors, quia occiſis violenter filiis, gemitibus implenerat matres, quia à ſubjectis extorta in fomenta voluptatis conuerſa, & inaniter profuſa : timuit, quia dicebatur Agag delitiarum, qui tutor legum : vitam finiuit amaris gemitibus

Ad Philip. 1. v. 21.

gemitibus plenus, quia vixerat deliciis omnimodis circumfusus.

§. LXVII.

Superior benè politicus ea non tentabit, quæ se non assequuturum cognouit.

Superior. AD *finem debet perducere* (aiebat Cassiodorus 4. *variar.* 31.) *quæ prudentum intentio visa est suscepisse. Quia sicut perfecta laudem pariunt, ita & vituperationem generant, quæ in mediis conatibus ægra deseruntur.* Ab inceptis desistere, aut consilium titubare arguit, aut defuisse vires ostendit. Quæ ad perfectionem perducta laudem merentur; sed deuenustant, quæ ægra, imperfectaque mediis in conatibus deseruntur; nullatenus assequenda aggredienda non sunt, quia satius est dissimulatione dignitati consulere, quàm despectui dignitatem exponere. Hinc est, quòd Samuel non supellectilia, gregesque consumenda adduci jusserit, cùm Agag produci imperarit: *Adducite ad me Agag Regem Amalec.* Si Agag adduci jussit, vt eo occiso Domini adimpleret præceptum, cur reliqua etiam non consumpsit, vt expleuerit erga supellectilia, & greges mandatum? Certè vt Agag viuere, sic contra Numinis erat mandatum cætera retinere. Ergo Samuel, dum Superioris gerit vices, vt Agag jubet adduci, cætera etiam jubeat afferri. O miram Samuelis prudentiam, & præclaram superioribus normam! Non dubitauit Israelitas parituros si Agag juberet interfici, quod & factum est: *Oblatus est ei Agag pinguissimus, & tremens.* Desperauit tamen fore morigeros, si supellectilia vstulanda, aut greges occidendos juberet adduci: ergo maluit quàm apertam inobedientiam in dedecus dignitatis experiri, mandata non promere. Opportunè Abulensis *quæst.* 39. *Omnia debebant consumi, tam Agag, quàm supellectilia, vt mandatum Dei, quod non fuerat expletum ab Israelitis, expleretur à Samuele: non expleuit tamen illud, quia non putauit se præualiturum subiicit: Populus non permitteret illa consumi, quia præda diuidenda erat inter totum populum: Samuel autem sciens totum populum non permissurum, non aggressus fuit hoc facere.* Si persuaderet sibi de gregibus, & supellectilibus edictum auscultandum, non omisisset ignaue, sed protulisset solicitè: at quia res erat desperata, silentio maluit præterire, quàm dignitatem inhonorationi exponere; nam superior benè politicus nil omittet ex his, quæ ad morum concinnitatem pertinent, si possit ad perfectionem perducere; omittet tamen prudenter aliqua, si nouerit fore conatum irritum, & implacabile gerendum bellum.

§. LXIX.

Diuitiæ, etsi iniusto titulo possideantur, difficulter restituuntur.

Diuitia, restitutio. IN *huius rei vnius fugacis, ac lubricæ possessionem natura nos misit* (scribit Seneca *epist.* 1.) *ex qua nos expellit quicumque vult. Sed tanta stultitia mortalium est, vt, quæ minima, & vilissima sunt, certè reparabilia imputari sibi, cùm impetrauere, patiantur: nemo se iudicet quicquam debere, qui tempus accepit.* Quod de tempore Philosophus, non incongruè aliis adaptatur rebus. Quisquis aurum, argentum, aliasve diuitias possedit, se non judicat quidquam debere, immò ad conscientiæ voces septis auribus cupiditate obsurdescit, adnititurque ea sibi tenaciùs agglutinari, ne contingat vnquam ab eis diuelli. Alienum piscis habebat staterem, quem etsi violenter testatur Christus redditurum: *Aperto ore eius inuenies staterem.* Petrus obediit, & obediendo fidei suæ magnitudinem expressit. Prodest Chrysostomus in Catena: *Sicut stupescis de Christi virtute, ita admirare Petri fidem, qui rei tam difficili obediit.* Examinemus, Chrysostomi pace, quanta fuerit huius rei difficultas, vt Petri fidem commendarit, & miram obedientiam extulerit? Si jam viderat vno retis jactu in verbo Domini copiosam adeò piscium multitudinem fuisse conclusam, vt nauiculæ pondere subirent naufragium, quid magnum erat credere inueniendum in pisce argentum? Iam reddit rationem Hieronymus ibi: *Iste piscis primus captus est primus Adam.* Adam rapuit pomum, & modò restituit pretium: ergo credere semel raptum aliquando fore restituendum, Petri commendauit fidem, quia de sæculi more priùs homines periculo exponent vitam, quàm pecuniam à se abjiciant quocumque modo possessam. Ob id fortè Samuel ausus non est Israelitis jubere, vt allata de Amalec supellectilia, gregesque à se abjicerent, quia adimplendum præceptum prorsus desperauit. Iussit Agag tradi: *Adducite ad me Agag Regem Amalec*, & paruerunt incunctanter: *Et oblatus est ei Agag.* De supellectilibus, gregibusque tacuit, quia nullatenus à possessoribus reddenda credidit. Ita Abulensis *quæst.* 39. *Dato quòd omnia in manifesto essent, populus non permitteret illa consumi, quia præda diuidenda erat inter totum populum. Samuel autem sciens totum populum non permissurum, non aggressus fuit hoc facere.* Præda iniquo titulo possessa abjici debebat, & reddi: at Israelitæ despiciebant jura, quia discupiebant possessa: ergo prudenter Samuel de hac re tacuit non rapinam dissimulatione approbans, sed restitutionem desperans.

Matth. 17. v. 26.

TEXTVS.

VERS. XXXIII. Et ait Samuel: sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis,

§. LXX.

Magnates sua potentia tuti impunè delinquunt, sed in morte durissimas pœnas soluunt.

SApiens, quia nouerat dignitatis splendoribus exornatos, & præ aliis magnitudine excelsos jura despicere, & legum sancita audacter proculcare, Celsiori rationem reddendam

Mors. Magnates.

admonuit, & ſeuerè iudicandos ſtatuit. *Data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, neque cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis.* Cùm conſtituti iudices iura deberent tueri, pro placito corrumpebant interpretati, cæca adeò ſuperbia tumebant, tumida adeò ſuperbia obcæcabantur, vt nullatenus recordarentur à Numine Rege Regum actionum rationem exactiſſimè exigendam, & culpam horridis pœnis mulctandam. Ob id adnectit Sapiens: *Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durſſimum his, qui præſunt, fiet.* Hi, ante quorum genua reliqui ſupplices deuoluebantur, qui mortis, & vitæ arbitri, qui nulli poteſtati ſubiecti, rationem reddent, & quàm volaticis fiderint, etſi tardè, agnoſcent. *Dux* (aiebat Chryſologus *ſer.* 26.) *præſtabit Deo cauſas, ſi ſequentibus ſe præbuit virtutis exemplum, ſi in excubiis peruigil, ſi in diſcurſibus indefeſſus, ſi pacem omnium proprio labore perquiſiuit. Iudex quoque iudicij ſui ſupremum iudicem ſuſtinebit.* O vtinam qui poteſtate fulgent, ſe non dominos crediderint, ſed miniſtros! Qui poteſtate abuſi, dum mors proximat, horrendo timoris ariete quatiuntur afflicti. Agag anxio timore concutitur, amaritudinibuſque repletur: *Siccine ſeparat amara mors.* Ecqua huius amaritudinis cauſa? Non ſolùm ob mortem, ſed quia videbat, quæ in alios iniquè geſſit, in ipſius caput redditura; nec iam ſibi effugium, vitare poſſet tormentum. Iudicem integerrimum pro tribunali ſtantem Samuelem adſpiciebat: & dignam ſuis ſceleribus ſententiam iam auſcultabat: *Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in fruſta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.* Tulit, quæ fecerat, demeſſuit, quæ ſeminarat, & licèt inualidus ne calamitatem ſibi adaugeret, iniuriam paſſus ora continuerit; modò contra Agag ipſa delicta clamabant, & ſupplicijs diſcruciari exigebant: eius gladius nullo reſiſtente inuolauit, ſed iam trucidandus ingemuit, & quæ impunis perpetrarat, durè punienda cognouit: *Mulieres Hebræorum* (inquit: Hugo) *quarum filios occiderat Agag.* Conſonat noſter Sancius: *Non ſine magno ſuo merito diram illam mortem ſubiit Agag, cum ipſe aut gladio ſuo occidiſſet plurimos, aut ſuorum gladio inſiſſet occidi.* Ad eius imperium mortes inferebantur, & à Samuelis imperio mors illi infertur: nullus fuit, qui audenti ſæuitiæ ſe anteà opponeret, & fuit nullus, qui modò à decretis ſeueriſſimis pœnis defenderet. Vides non manſiſſe tandem impunitum, quod liberrima poteſtate audiebas patratum: vt, qui dignitate, potentiaque abutuntur, nouerint vices mutandas, & ſuorum actuum iudici integerrimo, perſpicacique cauſas non ſine anxietate reddendas. Agag ſuperſtes fecit, quod voluit, ſed in morte tulit, quod fecit.

Sap 6. v. 4.

§. LXXI.

Frequenter in alios furunt per otium ſæui, qui nimiis voluptatibus circumfuſi.

Sæuus. Voluptuoſus.

VOluptas eodem tempore blanda, & ſæua: ſibi voluptuoſus indulget, & in alios truculenter deſæuit, & animus mollitie reſolutus, ferali crudelitate furit armatus. *Multi inueniuntur* (aiebat Seneca *Epiſt.* 94.) *qui ignem inferant vrbibus, qui inexpugnabilia ſæculis, & per aliquot ætates tuta proſternant, qui equum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos arietibus, ac machinis quaſſent: multi ſunt, qui ante ſe agant agmina, & tergis hoſtium graues inſtent, & ad mare magnum perfuſi cæde gentium veniant: ſed hi quoque, vt vincerent hoſtem, cupiditate victi ſunt.* Quæ bella ſæculis intulerit formæ cupiditas, annales non tacent, quas ſtrages paſſæ vrbes ruinis oſtendunt, Quæ omnia auri cupiditas, aut exoculatum voluptatis ſtudium ſæpè innocuis intulit; & dum quiſque mollior, in alios deſæuiſſe refertur durior, & crudelior. Ecce Agag per otium homines trucidabat, & vrbes cadaueribus replebat; & ne ſtragis inquireretur cauſa, delicioſum, & voluptatibus circumfuſum retulit ſcriptura. Notauit Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur: Et iuit ad eum Agag deliciarum.* Eodem tempore deſcribitur voluptuoſus, & ſæuus: *Fecit abſque liberis mulieres gladius tuus.* Gladius deſæuiebat plurimorum rubens ſanguine, quia Agag plurima defædabatur voluptate, ac libidine, Itaque vbi Agag deliciarum dicitur, & cædium auctor refertur. *Ipſe* (inquit Abulenſis *quæſt.* 36. *plurimos occiderat.* Neſcias, quàm habeant inter ſe cognationem crudelitas, & voluptas: plures Agag crudeliter interfecit, quia ſe plurimis voluptatibus, ac deliciis eneruiter tradidit. Herodes Baptiſtam iugulat, dum voluptati deſeruit, & Herodias, ne à voluptate vacaret, dentibus Baptiſtam dilaniare expetiuit: *Illa præmonita à matre ſua. Da mihi, inquit, hic in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Sæuitia Herodias armatur in Ioannem, quia libido efferauit animum, & truculentum effecit ingenium. Notauit Baſilius Seleucienſis *orat.* 18. *Vna cum marito natura pudorem exuiſti, ô mulier. Viciſti belluarum ſeritatem.* Feras ſæuitia vicit, dum libidinibus paruit; nam ſæuitia libidinis eſt germana.

Matthæi v. 8.

§. LXXII.

Adinſtar ſacrificij Deo oblati eſt peruerſis moribus imbutum auferre, & ſupplicijs dignis puniri.

BOnus Princeps boni Medici exercet munus immò & patris; verùm vt Medicus, licet ſit ſalutis patronus, morbi exilium, & naturæ humanæ fulcimentum ſi expediat, ſynapi, & cauterio vtitur, & putridi membri ſciſſione membris cæteris auxiliatur: ſic qui poteſtate eminet, omnium tranquillitati conſulet, ſed ſi expediat, ſeuera medicamenta applicabit. Opportunè Seneca 1. *de Clement. cap.* 13. [Is, cui curæ ſunt vniuerſa, quamquam alia magis, alia minus tuetur, nullam non Reipublicæ partem tanquam ſui nutrit inclinatus ad mitiora: etiamſi ex vſu eſt animaduertere, oſtendēs quàm inuitus aſpero remedio manus admoueat, in cuius animo nihil hoſtile, nihil efferum eſt.] Adeò longè à ſæuitia debet Princeps, ac ſuperior diſtare, vt nec ſuſpicioni locum relinquat: verùm vt Medicus ſuam approbat artem, ſi pio ferro deſæuiat, & putre membrum à cæteris diuidat; ita Princeps poteſtatem ſuam commendat, ſi pia ſæuitia obſtinatiſſimum, infectum vitiis duro ſupplicio mulctarit, & reliquos ſalubri horrore continuerit. Gratum Deo ſacrifi-

Perniciosa. Sacrificium. Supplicium.

cium

cium est potestatis gladio noxia resecare, & pestiferam luem à Republica prorsus arcere. Agag, qui, vt vidimus suprà, totus deliciis, voluptatibusque resolutus pessimum aliis erat exemplum, & ob sæuitiam mille mortibus dignum, Samuel in frusta trucidauit, & se sacrificium quodammodò obtulisse Deo credidit: *In frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.* Coram Domino in frusta concidisse dicitur, vt in modum hostiæ eius supplicium placuisse noscatur. Et quæ gratior hostia, quàm vita priuare eum, qui in aliorum perniciem viuebat pio ferro abscindere vitiorum sentinam, est offerre Numini gratam hostiam: ergo Agag coram Domino trucidatus refertur, vt sacrificij adinstar eius supplicium noscatur. Adest noster Sancius: *Ex ipso dicendi modo, ac loco vbi occisus esse dicitur Agag, aliquam speciem inuenio immolatæ victimæ. Nam primum Rex in frusta dicitur esse concisus, quod victimarum est. Deindè coram Domino, quod nisi in re sacrificali fieri non solet.* Itaque de obtruncato Agag eo scriptura stilo loquitur, ac de holocausto, & sacrificio Domino oblato. Agag trucidatus altari nullatenus fuit impositus; docuit tamen Textus eo loquendi modo adinstar oblati Deo sacrificij esse homines peruersos iudiciali potestate punire, & digno supplicio de medio tollere. Vndè apud *Ezechiel.* 21. dum gladius iniquorum rubet sanguine, ad immolandas victimas eductus dicitur: *Gladius, gladius exacutus est, & limatus, vt cædat victimas.* Et quæ victimæ cædendæ? Homines prorsus vitijs scatentes, & suis voluptatibus adulantes. *Hunc gladium* (inquit Hieronymus apud Glossam) *putant fuisse in manu Angeli sub Dauid, quando percutiebat Hierusalem.* Adstipulatur Hugo hic: *Iste gladius cædet victimas, id est, pingues: & amplos possessionibus, & refertos deliciis.* Qui cæteris efficaciissima ad delinquendum incentiua, qui pernicioſa scandala, qui omnis probitatis venena rigido supplicio mulctati, gratæ sunt victimæ, & dum iudicialis gladius sæuè ad speciem enecat, grata Numini sacrificia litat. Quid enim Reipublicæ salubrius, & Deo gratius, quàm peruersos punire, & prouidenter à similibus delictis alios arcere? Agag sæuus, & deliciosus in modum victimæ trucidatur, & populus pia sæuitia edocetur: *Occidit Samuel Agag coram altari Dei* (inquit Abulensis *quæst.* 40.) *quod erat in Galgalis; erat enim ibi locus sacrificiorum, & apud illum trucidauit Samuel Agag, quasi videretur eum immolare Domino.*

Imch 21. 1.5.

TEXTVS.

VERS. XXXIV. Abijt autem Samuel in Ramathà; Saul verò ascendit in domum suam in Gabaa.

§ LXXIII.

Dei ministrum solùm animum fructus auleis immisceat, si spes deficiat, recedit.

PRonidus iustitiæ cultor, si fœcundam speret messem, culturæ non spernit laborem: horrorum cultor spe fructuum fœcunda adnititur plantaria ponere, & sollicitis curis alere: at si spes prorsus euanescat, laboribus abstinere frustrandis curat. *Tales decet esse aulicos viros* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 14.) *vt naturæ bona indicio frontis aperiant, & possint agnosci de moribus, cùm videntur.* Si aulici sint tales vt vberes morum fructus promittant, virtutis studiosus, & animarum salutis cupidus non recusabit aula versari, & concinnandis moribus inseruire: verùm si spes desit, citò recedet, & à pestilenti contagio fugiet: scit facilius esse à plurimis trahi, quàm ducere: scit Catoni mentem eripere potuisse vitia in vsum recepta, & multorum plausu celebrata. Itaque an viro sæculo renuntianti aula frequentanda sit, aut fugienda, à fructu censendum est: Eximij viri, & à sæculo prorsus expuncti palatia aliquando frequentarunt, & magnatum consuetudinem non respuerunt, quia experti modestia oris alios componere, alios ad melioris vitæ formam exemplo, & alloquio allicere: virtutis eximius cultor sui iuris est siue commoretur desertis, siue versetur palatiis, quia ita vt deserto, degit palatio; verùm si se parum, aut nihil prodesse nouerit, eliget palatia deserere, & tempus benè collocare. Itaque tandiù frequentabit palatia, quandiù animarum sperat lucra; si tamen desint, citissimè aufugiet. Hanc factis Samuel philosophiam edocuit: sic recedere à Saule adnititur, vt violentia opus fuerit, vt tantillum immoretur: *Conuersus est Samuel vt abiret; ille autem apprehendit summitatem pallij eius.* Inquires, cur Samuel, qui magna frequentia Saulem adibat, modò ægrè adeò eius annuat precibus, vt licet vrbanæ violentiæ cesserit, & exiguo Sauli tempore adstiterit, quàm primum Ramathà se contulerit, & palatiis prorsus renuntiarit? *Abijt autem Samuel in Ramathà; Saul verò ascendit in domum suam in Gabaa.* Regium erga se beneuolum animaduertebat animum, aulicorum experiebatur affectum: & tamen recessit (inquit Abulensis *quæst.* 40.) quia experiebatur eius consilia despici, & cupiditatem vigere: ergo cùm sola spiritualis fructus spes illi suaderet frequentare palatia, vbi desperauit, aufugit. Audi Abulensem: *Recessit à Saule, eò quòd videbat se iam nihil proficere apud eum, cùm ipse non obediret mandatis Dei, & Deus abiecisset eum.* Dum Samuel sperabat adhortationibus frænare, exemplis corrigere & ad virtutem aulicos promouere inter eos deguit; verùm, vt se nihil ab eis obtinere sensit, se subduxit. Vt qui Prophetarum munus obeunt, à Samuel discant, nec auersari curiam, si alliciat animarum fructus, nec frequentare palatia, si nulla virtutum sperentur augmenta: si solùm zelus virtutis eos detineat laudem merentur, si aliqua spes humana degeneres denigrantur. Samuel adstitit, cùm spes virtutis affulsit, cùm defecit, auolauit.

Religiosus.

Aula.

Zelus.

TEXTVS.

VERS. XXXV. Et non vidit Samuel vltra Saul vsque ad diem mortis suæ. Veruntamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quòd constituisset Regem Saul super Israel.

§. LXXIV.

Quantumuis florenti vtatur fortunæ, copiosis lachrymis est lugendus, qui Dei gratia, & virtutibus nudus.

Peccator. Felicitas.

NOn est (aiebat Seneca *Epist. 94.*) *quod inuideas istis, quos magnos feliceſque populus vocat. Non est quod tibi compositæ mentis habitum, & sanitatem plausus excutiat: non est quod tibi tranquillitatis tuæ fastidium faciat ille sub illis fascibus, purpura cultus.* Præmiserat rationem Stoicus. *Falsus oculos tuos decipit fulgor.* Sub illa fulgoris specie cupiditatis latitat flamma, rabida distorquet inuidia, luxuriosa adurit intemperantia: fœtidis vlceribus scatens, etsi eburneo in lectulo iaceat stragulis pretiosis opertus, & seruorum pompa circumdatus: si operimenta illa ademeris, apparebit compassione dignus, & miserandus: sic isti, qui vitiorum sunt vernulæ, quamuis florida veste niteant, & purpureis fascijs splendeant, commiseratione sunt digni. Ecce Saul deuictis hostibus, & triumphali erecto fornice faustis, iteratisque acclamationibus celebratur, spoliorum copia exundat, & tamen eum Samuel perennibus lachrymis luget: *Lugebat Samuel Saulem.* Potius videbatur inuidendus; quàm deplorandus. Quid desit Sauli ad prosperitatis cumulum, quando diuitijs, triumphis onustus, & sumptuosis laudibus celebratus? Iam Textus retulit: *Quoniam Dominum pœnitebat, quòd constituisset eum Regem super Israel.* Intuebatur Samuel sub illa splendenti purpura fœtidam peccatorum saniem, aspiciebat animam Dei gratia nudam, & æternis pœnis obnoxiam: ergo dolore compassionis ictus nequibat fontem lachrymarum reprimere, & miseriam eius non dolere. Qui oculos habent, sciunt in virtute veram felicitatem consistere: qui cupiditatum nebulis obcæcantur, beatos existimant, quibus contigit splendere: Samuel Saulis hilarem insaniam irremediabilibus lachrymis deplorabat, & veram miseriam præuidebat. Adest Bernardus apud Glossam: *Samuelem recolo, qui non semel, sed omnibus diebus vitæ suæ lugebat super Saul, cùm sciret eum longius ab oculis diuinitatis elongatum. Non cessabat tamen compassio, quæ condolentis animum irrepserat, fundens lachrymas, etsi non profuturas, pias tamen.* Graniſſimo compassionis dolore vrebatur Samuel, quia quantum mali sub illis purpureis fascijs lateret, perspicacibus oculis aspiciebat. Sunt enim commiseratione digniſſimi, quantumuis prospera vtantur fortuna, qui denudati sordescunt diuina gratia.

§. LXXV.

Si peccatoris non concurrat pœnitentiæ gemitus, pij intercessoris parum iuuabit copiosus luctus.

Pœnitentia. Peccator. Intercessor.

PLetatis adeps (aiebat Petrus Damianus *serm. 29.*) *qui intus latitat, foras per oculos emanat.* Vt adeps ex his, quæ Deo offerebantur, erat præcipuè gratus, & ad promerendam Dei beneuolentiam efficaciſſimus; sic lachrymæ locum adipis obtinent ad Deum placandum, & eius oculos alliciendum. Piæ sanctorum lachrymæ gratam Deo vim inferunt, & dum peccatoris apud Deum agunt causam, facilè obtinere solent misericordiam: est tamen opus, vt peccator ipse patrocinio sanctorum internum pœnitudinis dolorem adiungat, & culpam pœnitudine deleat. Quomodo enim interceſſor obtinebit indulgentiam, si is, pro quo fundit preces, abijcere renuit culpam? Opportunè Chrysologus *serm. 167. Si quo forte nostra mens iaculo fuerit confixa peccati, si caro tumescat ex crimine, si vitiorum sanie fragilitas humana corrumpatur: tunc ægris illa, quæ non sanis, pœnitentiæ medicina succurrat.* Opus est peccatori quidquid putridum ferro compunctionis abscindere, aduſtionis cauteria apponere, & suspiriorum fomentis conscientiam recreare. Quod si, vt plures faciunt, ad alienas solùm orationes recurrat, & ipse sibi factis aduersetur, dum pro eo iustus fusis lachrymis deprecatur, quod negotiabatur lachryma, impediet offensa, nec obtinebit quid patrocinium, dum iudicis animum rei non desinit exulcerare peccatum. Ecce Samuel continuis gemitibus Saulis agit causam: *Lugebat Samuel Saulem*, & tamen Samuel criminis non impetrat veniam, quia obstinatus Saul animo conseruat duritiam. Notauit Chrysostomus apud Glossam: *Multum exhausit temporis beatus Samuel pro Saule deprecans, noctesque multas transegit insomnes pro delinquentis salute. Deus autem tempus repudians; non enim cum Prophetæ oratione peccatoris conuenit pœnitentia, dicit ad Prophetam. Vsque quò tu ploras?* Acsi diceret: Tuæ lachrymæ prodesſent, ni Saulis mores fusis lachrymis obuiarent, sed effectu frustratur fletus, dum criminis quotidiè adaugetur reatus: vt iustam indignationem sopiret patrocinium, opus erat compunctionis ferro peccatum abscindere, & pœnitentia criminum sordes abradere; nam parum iuuant alienæ lachrymæ, quem perpetratæ illigare non sinunt culpæ.

§. LXXVI.

Bonus superior nunquam suo muneri parcit, sed implet, vel cum de fructus lucro diffidit.

SVperior, quæ ad munus attinent, nunquam omittet, etsi subiectus prauis moribus obstrepatur, & induratus plurimis criminibus inficiatur. Opportunè Cassiodorus 10. *var.* 17. *Scimus* (aiebat Theodahadus) *pro remedio nos datos esse correctorum: non despicimus sanare subiectos.* Vt medicus opportunas non desinet adhibere medicinas, vt suo muneri satisfaciat, etsi nouerit ægrotantis excessibus eludendas; ita superior optimus, qui medici munus gerit, non desinet applicare antidota, etsi nouerit ægrotum lethifera sitire venena. Saulem vitijs infectum Propheta Samuel salubri reprehensione redarguit, & pia reum confusione percellit; ille verò simulata pœnitudine remedia solùm eluit, sed morbum auxit; verùm Samuel non desistit, sed insomnes ducit noctes, & lachrymis irroratas effundit preces: *Lugebat Samuel Saulem.* Quod muneris sui erat, curabat implere, etsi ob Saulis duritiem preces non ignorabat frustrari. *Compatiens* (inquit Lira) *animæ eius, ne damnaretur æternaliter, & timens, ne populus Israel propter peccata Saulis affligeretur.* Lugebat, ne in superiore compassionis desideraretur affectus,

Superior. Munus. Diffidit.

affectus, etsi in Saule error persisteret semper durus. Deus flammescenti, & illæso rubo Moysi apparens, ad Pharaonem delegat, vt tyrannidem editis miraculis coërceat, & populum seruitute liberum in promissionis terram inducat: additque, se prænoscere fore Pharaonis indurandum ingenium: *Ingredieris tu, & seniores Israel ad Regem Ægypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos: ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro. Sed ego scio, quòd non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis.* Exod. 3. v. 18. Mira res! si scit legationem fore irritam, quid Moysem delegat? Vtatur valida manu, si obtineant dura flagella, quod non impetrat comitas satis vrbana. O sapientiam immortalem! ô omnibus imitandam politicem! superioris erat præmonere, & ad flectendum, persanandumque animum remedia adhibere, & omnia medicinæ auxilia tentare: Ergo etsi præsciuerit eo labore non assequendam salutem, voluit tamen adimplere obligationem: ergo admonuit, ne muneri suo deficeret, etsi fore irritam solicitudinem non ignoraret. Opportunè Interlinearis: *Meum est monere, vt inexcusabilis sit.* Ni Pharao fuisset præmonitus, se excusaret, & in superiorem culpam refunderet: ergo Deus fecit, quod non profuturum agnouit; vt superiores edoceret sui muneris nihil omittere, etsi ob subiectorum malitiam agnouerint non prodesse.

CAPVT XVI.

1 *DIXIT QVE Dominus ad Samuelem: Vsque quo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi Regem.* 2. *Et ait Samuel Quomodo vadam? Audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni.* 3. *Et vocabis Isai ad victimam, ego ostendam tibi quid facias, & vnges quemcunque monstrauero tibi:* 4. *Fecit ergo Samuel, sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem, & admirati sunt seniores ciuitatis occurrentes ei, dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus?* 5. *Et ait: Pacificus, ad immolandum Domino veni, sanctificamini, & venite mecum, vt immolem. Sanctificauit ergo Isai, & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.* 6. *Cúmque ingressi essent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino est Christus eius?* 7. *Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius, nec altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 8 *Et vocauit Isai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus.* 9. *Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus.* 10. *Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele, & ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis.* 11. *Dixitque Samuel ad Isai: Nunquid iam completi sunt filij? Qui respondit: Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, & adduc eum: nec enim discumbemus prius quàm huc ille veniat.* 12. *Misit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie. Et ait Dominus: surge, & vnge eum, ipse est enim.* 13. *Tulit ergo Samuel cornu Olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & directus est spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps: surgensque Samuel, abijt in Ramatha.* 14. *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* 15. *Dixeruntque serui Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te.* 16. *Iubeat Dominus noster, & serui tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, vt quando arripueritte spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leuius feras.* 17. *Et ait Saul ad seruos suos: Prouidete mihi aliquem benè psallentem, & adducite eum ad me.* 18. *Et respondens vnus de pueris, ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus est cum eo:* 19. *Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui est in pascuis.* 20. *Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris vnum, & misit per manum Dauid filij sui Sauli.* 21. *Et venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus est eius armiger.* 22. *Misitque Saul ad Isai, dicens: stet Dauid in conspectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis.* 23. *Igitur quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.*

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. I. Dixitque Dominus ad Samuelem: Vſque quò tu luges Saul, ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi Regem.

§. I.

Lachrymæ ob temporalia emiſſæ, & fructu vacuæ, & reprehenſione videntur dignæ.

Lachryma. EST *in malis* (aiebat Eurypides apud Stobæum cap. 123.) *aliquid voluptatis hominibus, nempè luctus, & lachrymarum defluxiones: hi enim leuant animi dolores.* Hoc in malis hominibus eſt remedium ad verum animi dolorem leuandum ſalubre lamentum, verùm vt commiſeratione eſſet dignum, ſi inutiliter aurum profunderetur, quo & calamitas depelli, & fortunæ floriditas poſſet adquiri, ita eſt compaſſionis dignus fletus, qui cùm vberrimos poſſit fructus producere, inutiliter videtur expendi. *Salon* (ſcribit Demoſthenes loco iam dato) *amiſſo filio flebat. Et cùm dixiſſet quidam, nihil eum proficere flendo, propter hoc ipſum flere ſe dixit.* Alio fletu fletum flebat, vt qui nouerat amiſſum filium flendo nihil proficere; & magni pretij lachrymas inutiliter expendere. Lachrymæ ob temporalia largiſſimæ fluunt, ſed vt ſalſæ, ſteriles
Iſai. 15. v. 6. ſunt, & infrugiferæ: *Aquæ Nemrin deſertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interijt.* Aquæ iſtæ (inquit Tilmanus ad hunc locum) ſteriles ſunt, quia vel ob amiſſam corporis ſalutem, vel ob diuitiarum iacturam fluunt, quæ non poſſunt fletibus adquiri, aut gemitibus reparari. Tilmanum audi: *In omnibus operibus ſuis ventum paſcunt, exitus aquarum deduxerunt oculi eorum, ſed aquæ iſtæ deſertæ erunt.* Animæ viror morum floriditas ſalubriter doloroſis fletibus poteſt reparari: agrorum verò vbertas ſemel amiſſa nec lachrymarum torrentibus poteſt redire. Ob id Deus Samuelem quodammodò reprehendit: *Quouſque tu luges Saul?* Lachrymæ iſtæ eò videntur tendere, vt iterum Sauli regnum quiuerint inſtaurare. Ergo quodammodò Deus carpſit ob temporalia deflentem. Ita Abulenſis *quæſt.* 1. *Vſque quò tu luges Saul? modus increpationis eſt.* Conſonat noſter Sancius: *Hinc planè colligere mihi poſſe videor quid hoc loco Samuel oret, aut lugeat, cum illius preces Dominus, lachrymaſque ſeuera hac reprehenſione cohibeat.* Adnectit: *Neque alias lachrymas, ac preces hic damnari arbitror, niſi illas, quæ id exorare ſtudent, vt Saul à regno non excidat.* Non fluebant lachrymæ propter obolum, ſed propter regnum, & quidem magnum; & tamen Dominus ad noſtram eruditionem Samuelem carpit ob temporalia lugentem, quaſi commiſeratione ſit dignum lachrymam rem adeò pretioſam inutiliter expendere, cùm poſſet ſpirituales fructus parturire. Video Chriſtum viduæ defunctum filium deplorantis lachrymas
Luc. 7. v. 14. cohibere: *Noli flere*: Mariæ verò Magdalenæ fletum non audio temperaſſe, aut lachrymarum fontem cohibuiſſe, immò coram Phariſæis dignis laudibus commendaſſe: *Lachrymis rigauit pedes meos.* Et cur Magdalenæ luctus non carpitur, ſi matris fletus quodammodo reprehenditur? Quia alter eximium affectum oſtendebat fructu exornatum, alter vel ſpebus nudum: *Indignitatem eius oſtendens* (inquit Gregorius Nyſſenus *in Catena D. Thomæ*) *ſtabat poſt tergum deiectis luminibus, & effuſa coma, pedes amplectens, lachrymiſque eius perfundens: rebus triſtem animum oſtentabat, veniam implorans.* Gemitus ad detergendam criminum maculam, vberrimas lachymas ad impetrandam veniam, pollicitus Chriſtus dilaudauit, vt etiam coram populo ob defunctum adoleſcentem matris ploratus vetuit, quo nos doceret, lachrymas ad impetrandam veniam eſſe ſalutiferas, & poſt temporalium amiſſionem eſſe penitus otioſas. Adderem: ob iam amiſſa temporalia lachrymas animæ non afferre ſalutem, ob admiſſam culpam effuſas adquirere non ſolùm animæ medicamina, ſed etiam corpori commoda. Ezechias, vt ſe ſenſit aliquali culpa infectum, & ob culpam vita priuandum, ad lachrymarum patrocinium confugit. *Fleuit Ezechias fletu magno.* Doluit admiſiſſe culpam, & abolere lachrymis deſiderauit offenſam. Quid tunc? Sententia retractatur, vita producitur, ciuitatis tutela offertur. *Vidi lachrymas tuas; & ecce ſanaui, die tertio aſcendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos: ſed & de manu Regis Aſſyriorum liberabo te.* Galfridus *in Allegor. Tilmanni ad* 18. *Iſaiæ* ait peccata noſtra inſtar parietis nos à Deo diſiungere, & ſeparare; ob idque Ezechiam ad parietem faciem conuertiſſe, vt acerrimo lachrymarum ariete, dum abſtergat errata, euertat impedimenta. Ipſum audi: *Myſticè hic eſt paries medius inimicitiarum, quem ſoluere venit in ſemetipſo, qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Siquidem peccata noſtra ſeparant inter nos, & Deum.* Itaque Ezechias ad parietem faciem conuertit, vt ariete lachrymarum ſubrueret, & dum in hunc finem producit luctum, longum ſibi vitæ etiam protelauit ſpatium, & longiori vita regnum. Lachrymæ ad detergenda peccata effuſæ temporalia acquiſierunt augmenta. Si ab oculis fluerent ob temporalem iacturam, diuinam non placarent indignationem, nec inſtaurarent ſalutem: ergo inhibentur Samuelis lachrymæ ob temporalia, & caduca: *Vſque quò tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael.*

Luc. 7. v. 44.

4. Reg. 20. v. 5.

§. II.

Bonus ſuperior pia ſeueritate in culpam inuehitur, & eodem tempore vigilanti ſolicitudine ſubiectorum commodis prouidere conatur.

DIſtrictius aliqua iuberi compellimur (aiebat Theodericus 4. *variar.* 40.) *amore iuſtitiæ, dum circa minores fortunas clementiora ſunt noſtri pectoris inſtituta.* Dilaudandus Princeps conſernandæ ſtudebat iuſtitiæ, & ſimul invadidorum fortunæ: vtrumque amico fœdere copulauit, opitulari perſonæ, ne priuaretur commodis, & virtuti, ne ſordeſceret admiſſis piaculis. Eodem tempore ſe patrem exhibebat, & iudicem: iudicem, dum piæ diſtrictionis ſeueritate adnitebatur peccata corripere: patrem, dum ſolicita vigilantia vtilitatibus prouidere. Vidiſti ſuprà

Suidas. Reprehenſ. Comment. dict.

Samuelem

Samuelem pietatis aditrice ira Saulem carpentem: *Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini*; vide modò preces fletu obarmatas ad Deum, ne Saul regno careat, mittentem: *Dixit Dominus ad Samuelem: Vsque quo tu luges Saul?* Deplorasse, ne Saul priuaretur regno, tradit noster Sanctius, sic de lachrymis loquens: *Id exorare student, vt Saul à regno non excidat.* Itaque solicita anxietate procurabat Sauli tẽporalia commoda, & seuera districtione eius arguebat delicta, quin amor officeret seueritati; quin seueritas obesset amori. Accipe Gregorium ad hunc locum sic scribentem. [Quid est quod luget, quem cernere dedignatur, nisi quia & cum zelo rectitudinis sancti Doctores habent zelum magnæ charitatis? Ipsa aut̃ charitatis magnitudo ostenditur, quia proiectum Regem plangere perhibetur.] Sauli solicitat profuso lachrymarum imbre regnum, & aspera districtione inobedientiæ carpsit peccatum, vt amor esset eloquium seueritatis, & seueritas encomium etiam amoris. Dum superior non dubitatur temporalium suorum commodis prouidere, correctionis seueritas patientiùs toleratur, & tolerabiliùs reprehensionis asperitas fertur: at si in subiectorum culpas innehatur nimis rigidus, & eorum commoda prorsus spernat ignauus, patientiam exulcerat, & toleranciam diuexat. Video Eliam pia seueritate contra impium Achab desæuientem, & posteà, vt currum ascendat, & eludat, imminentem tempestatem prænuntiantem. *Iunge currum tuum & descende, ne occupet te pluuia.* Ecce qui asperis Achab feriebat supercilijs, modò studiosè curat, ne turbulentis afflictetur procellis. Si inquiras, cur adeò solicitè currũ ascendere, & fugere præmoneat, ipsum quẽ asperis supplicijs represserat? Respondebit Caietanus alibi iustè contra impietatem desæuisse, alibi salutem Principis procurasse. Personæ consuluit, contra vitia pugnauit: Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit vsque sic, & vsque sic, & cœli contenebrati sunt nubibus, & vento, & facta est pluuia grandis. Tempus variarum actionum, quibus se occuparunt ministri, ac serui Regis, donec equitarent, & Rex ascenderet currum, significatur dicendo vsque sic, & vsque sic.* Itaque prouidit, ne procellis Achab impetitus periret, & ne culpis denigratus Numen offenderet: superiores suis factis edocens solicitam suorum curam, etsi opus fuerit, criminis seueram medelam.

3. Reg. 18. v. 44.

§. III.

Bonus Princeps absentium intuetur officia, vt sine ambitus molestijs reddiderit. præmia.

Princeps. Præmium. Absens. Officium.

INdiscreti, confusique mores hominum vagarentur, si plus præsens obtineret officiosa adulatio, quàm ab oculis remota exacta, solersque solicitudo. Qui laudantes, assentantesque munifica gratificatione remunerat, omnium virtutes eneruat; dum quisque plus studet adulatione placere, quàm strenuis actionibus inseruire. *Electio nostra de meritis venit* aiebat Athalaricus 9. *variar.* 22.) *& tanto quis regali animo proximatur, quanto bonis studijs societate coniungitur. Non vereamini absentes, nec sitis de Principis ignoratione soliciti.* Adnectit: *Quapropter te longissimè constitutum mentis nostræ oculus serenus inspexit, & vidit meritum, quod non habebatur occultum.* Si Principis oculus inspexerit longè distantes, si præmijs remunerauerit merita, florebunt castra, & ritè peragentur officia. Hanc Deus politiam edocet in Dauidis electione: remotis degens mappalibus strenua adeò solicitudine oues pascebat, vt à leonis victu defenderet, & ab vrsi violentia non sine labore grandi asseruaret; verùm Deus Prophetam delegat, & diadematis coronat: *Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem, prouidi enim in filijs eius mihi Regem.* Quàm erat Dauid ab ambitu alienus, quàm Deus de præmiando erga oues studio solicitus! Deus Prophetam mittit, vt remunerarit solertiam, Dauid non frequentat curiam. Notauit Basilius Seleuciensis *orat.* 14. *O res incredibiles! Dauid cum ouibus subdiò agit, & Deus in cœlo super regno consilia agitat. Dauid gregem pascit solicitus: Deus interim thronum apparat.* Vterque rectè: Dauid, quia vigilanter exercet officium: Princeps, quia absenti, egregieque laboranti per Prophetam decernit laboris præmium. Quàm aliter aliquando solet accidere. Scurra fulget ornatus, & miles sordet cicatricum solùm integumento vestitus. Dum Elisæus præ cæteris agrorum culturæ refertur insistere, auditur etiam præmijs à Deo decretis præ alijs fulgere. Elias mittitur, vt Elisæum pro se constituat: *Elisæum filium Saphat qui est de Abelmeula, vnges Prophetam pro te.* Et cur præ alijs Elisæus principali gaudeat fauore, & prophetali adornetur munere? Iam Textus ad nostram eruditionem expressit: *Profectus indè Elias reperit Elisæum filium Saphat arantem in duodecim iugis boũ, ipse in duodecimiugis boum arantibus vnus erat.* Elisæus plurium agricolarum labores superabat, & pro multis agriculturæ inseruiebat: ergo præmio præ alijs fruitur, dum præ alijs honestis laboribus diuexatur. *Elisæus* (inquit Caietanus) *actualiter arabat.* Actualiter exactè agricolæ adimplebat officium: ergo vbi arabat, accepit præmium. Vt didicerint hinc superiores, & Principes absentium præmiare merita, & digna laude præstita à subiectis officia.

3. Reg. 19. v. 16.

§. IV.

Ritè facta ad dignitatem electio cœlesti prouidentiæ adscribenda, sed ad regnum spectaliter applicanda.

QVamuis omnis prouectus (aiebat Vigitis Rex 10. *variar.* 31.) *ad diuinitatis est munera referendus, nec aliquid constat bonum, nisi quod ab ipsa dignoscitur esse collatum, tamen quàm maximè causa regiæ dignitatis supernis est applicanda iudicijs: quia ipse nihilominus, ordinauit cui suos populos parere cognoscit.* In Regis Principisque electione tota Reipublicæ salus, aut pernicies consistit: ergo ibi specialis Numinis relucet prouidentia, aut contra populum ira, vbi constitutus omnium agnoscitur inuigilare saluti, aut elatus vires addere non exiguas calamitati. Qui sua commoda suorum incrementis postponit, qui moribus concinnandis inseruit, quem diu viuere populus totus exambit cœleste profectò populorum est beneficium, si è contrà durum flagellum: ergo Deus cum Propheta de Rege eligendo agit, & Dauid speciali prouidentia designatum ostendit: *Prouidi in filijs eius mihi Regem.* Quàm salubri omnibus prouidentia designatus refertur, qui Numini designatur: *Mihi in Regem.* Dum Deo seruiturus deligitur, populo vtilissimus proditur. *Non simpliciter prouidi* (inquit Basilius Seleucensis *orat.* 14.) *sed mihi in Regem,*

arcanum aliquod mysterium continet. Voluit Deus suæ speciali prouidentiæ Dauidis electionem adscribi, & vt speciale beneficiũ dignosci. Est enim magnum Dei donum Princeps moribus expolitus, & suorum incolumitati dicatus. Cum Elia de eligendis Regibus Deus agit, & Azael super Syriam, Iehu super Israel à Propheta constitui iubet: *Vnges Azael Regem super Syriam, & Iehu filium Namsi vnges super Israel.* Magna res agebatur, ideò Deus per se ipsum eligendos Prophetæ aperuit, & populorum vtilitati prouidit. Adest Lira: *Ad sui consolationem nominat sibi tres personas promouendas ad idolatrarum destructionem.* Achab regnum corrupit, sceleribus infecit, veram religionem violauit, idololatriam promouit: ergo vt Deus tantis malis occurrat; non permittit administro eligere, sed iam designatos iubet promouere, & specialis prouidentiæ esse declarat studium, dignos eligere ad regnum.

3. Reg. 19. v. 16.

§. V.

Ad electi prodest elogium, si in electione nec vtilitatis, nec adfectionis apparuerit indicium.

Electio. *Affectio.* *Vtilitas.*

SI electus culmen ascenderit auri negotiatione, aut alicuius humanæ affectionis solicitudine, dignitatis innubilabitur gloria, & quid abrodat sortitur lingua. Sola refulget electio de meritis veniens, nec indicium iniquæ suspicionis admittens. *Inter diuersa munera* (aiebat Theodahadus 10. *variar.* 4.) *quæ nobis cum regia maiestate diuina tribuerunt, illud amplius permulcet animum nostrum, quod nos sapientissima Domina trutina magnæ disceptationis elegit: cuius prius ideò iustitiam pertulit, vt prius ad eius prouectionis gratiam peruenirem.* Subiungit: *Explorauit conscientiam, cui erat regni traditura censuram, vt & illa domina cognosceretur esse cunctorum, & me probatum per iucere dignaretur ad regnum.* Magna erat electi gloria fuisse virtutis, & conscientiæ suffragijs electum, non humanæ affectionis, aut vtilitaris cæcis consilijs culminibus adsignatum. Quid speret Respublica à iudice, præsuleue, quem pecunia constituit, & detinet, quem humana solùm affectio dignitatis insulis exornauit? Gentium iuris est, quod quis emit, vendere, & erogatum pretium venditione redimere; ergo Deus, vt electionum normam traderet, tecto eligendi nomine Samuelem electionis ministrum constituit: *Veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi Regem.* Et quare non exprimat eligendum, sed communi filiorum nomine tegat, & Prophetam dubium relinquat? Quia si in Regem Samuel electurus, Dauidem solùm vocaret, forsitan audax suspicio electionem arroderet: ergo omnes accurrant fratres, & hæreat Propheta dubius, vt dum oleum supra Dauidis caput effluit, ab omni suspicione inueniatur exemptus. Ingeniosè Theodoretus *quæst.* 37. apud nostrum Sancium: *Si ad Dauidem rectà esset profectus veniisset in suspicionem, quòd hoc fecisset ex aliqua subornatione. Quoniam autem venit ad primum, secundum, & tertium, & deinceps ad septimum, cognouerunt, quòd Deus esset, qui hos quidem secerneret, illum verò eligeret.* Addit moralissimè: *Nam cùm etiam sic facta electione aperuerunt fratres suam inuidiam, fratrem conspicati in acie, quid non fecissent, si non facta esset hoc modo?* Qui reiecti, vt dolorem leniant in electore, electoque aliquam satagunt vmbram inuenire prauitatis, vt honestent dedecus reiectionis. Vndè electis, electoribusque quàm maximè congruit iniquas linguas occludere, & omnem suspicionis occasionem auferre: nam si Dauid fratrum virulentam non effugit inuidiam, quomodò vitaret factiosam, si aliter electus, querelam? ergo Samuel eligendi virtutem nouerit, nomen vtiliter ignorauerit, vt dum nulla subesse potest suspicio, splendidior fulgeat electio.

§. VI.

Speciali virtutum laude videtur ornatus, qui post improbum decessorem inuenitur electus.

ASsertio meritorum *est* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 20.) *potuisse eligi post improbitatem iudicis accusati: quando excessus præcedentium non corrigitur, nisi cum successor optimus inuenitur.* Albieni sumptuosius elogium fuit ad Præposituræ dignitatem euehi, cùm auarum, odiosumque decessorem constabat excludi, nam cùm eligeretur ad detergendam obscuram notam, possidere credebatur virtutum summam. *Sic nos decessorem tuum* (addit) *Submouimus amore generalitatis, vt tu saluberrimus aduenires.* Contrariis rebus medicina succurrit, nec pestiferum frigus pellitur, nisi vitalis calor visceribus refundatur. Nubila ipsa ventorum spiratione terguntur, & aquilo faciem cœli reddit tranquillam, quam australis aura vaporibus reddiderat obturbatam: ergo Dauidis virtus iam refertur, cùm Saul à dignitate reijcitur; vt repetere posset datus Cassiodorus. *Sic nos decessorem tuum submouimus amore generalitatis, vt tu saluberrimus aduenires.* Saul iusta Dei sententia amouetur; & ad instaurandà damna in eius locum Dauid deligitur. *Prouidi in filys eius mihi Regem,* Sicque electus mirificè cõmendatur. Prodest Basilius Seleuciensis *orat.* 14. *Ad summam diuini cultus arcem enectus est, cuius mores Deus vel in medio grege admiratus regni ornat sceptris.* Ad Dauidis laudem faciebat reiecto Saule eligi, & prouidentiæ erat elogium ad maculam detergendam Regem eiusmodi designare. *Prouidi mihi,* ait, id est, eum prouidi, qui electionem meam egregijs factis commendet, qui illatam dignitati iniuriam prorsus abradat. Iudas iniquæ cupiditatis vernula, auaritiæ conflatorium, iniquitatis portentum, Apostolicam dignitatem prauis moribus defœdarat. Auro primatus, lignoque suspensus perijt, vt nec euaderet debitum iniquitati supplicium, nec acquisitum deterstabili commercio frueretur aurum: ergo dum Mathias in eius locum sufficitur, satis ipsa electione laudatur: *Cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Matthiæ possunt adaptari, quæ Albieno aiebat Athalaricus. [Contraria prioribus imitare, & laudanda peregisti: Ille calumnijs odiosus, stude, vt iustitia reddaris acceptus; rapax ille, tu continens.] Matthias procuratur antidotus, quia pestifer exigebat medelam efficacissimam morbus. *Cecidit sors* (inquit Hugo) *super Matthiam, vt perfecto numero perfectus daretur spiritus; & annumeratus est cum vndecim, pereunte filio perditionis imperfectus remansit Apostolorum numerus.* Iudas perditionis filius, Mathias filius electionis; iam Apostolica dignitas detersa resplenduit nota, quia decessoris prauitatem successoris vita superauit heroicis virtutibus expolita.

Elisæus. Praefectus. Albinus.

§. V.

§. VII.

Exordia futuræ vitæ fausta, aut infausta haberi solent auspicia.

Auspicia. Exordia.

VEnturum diem (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 19.) *lucifer demonstrat exortus: serena sequuntura fauens ventus ostendit: imminentia bona quadam animi præsagitione dignoscimus, & difficile magna res geritur, quæ signorum præcursione minimè declaratur.* Vt in auroræ exortu qualis dies sequatur, prænoscitur; vt tempestas signis aliquibus præsentitur, quia exordia sequentium rerum inueniuntur præsagia; sic Dauidis saluberrima cunctis prænoscebatur electio, quia sacra impleto cornu iubetur vnctio: *Imple cornu tuum oleo.* Saul in Regem etiam fuit inunctus, sed lenticula exigua, sed olei

Sup. cap. 10. v. 1.

quantitate modica: *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius.* Vbi Saulis regnum exorditur exiguo, vbi Dauidis copioso oleo, iam in ipsis exordijs præuidebantur futura, Saulem scilicet repellendum, & Dauidis nouis semper prouentibus augmentandum. Hinc disces, quàm oporteat heroicis in principio virtutibus communiri, & quàm noceat exiguis, aut solùm mediocribus studere. Adest Hugo Cardinalis: *Saul inunctus fuit oleo lenticulæ fictilis suprà 10. in signum, quòd regnum suum citò frangendum erat: Dauid autem inungitur oleo cornu, quia regnum eius duraturum erat in æternum.* Ipsa vnctionis vasa extiterunt futurorum auspicia, & nobis vtilissima documenta. Qui virtutis iter aggressus heroicis non studet se communiri virtutibus, infausto omine videtur exorsus, nec arreptæ viæ constanter creditur institurus; qui verò aleari studio, virili animo virtutibus cæpit inseruire, faustum omen censetur habere. Si religionem ingressus, perfectionis iter lentis incipiat gressibus, aut tardè ad culmen perueniet aut difficultatibus deterritus, à recto tramite deuiabit: Qui difficultatum cliuum intrepido cursu conatur ascendere iam præuidetur ad virtutum culmina peruenire. Zara ipso in exordio manum retraxit: Phares difficultatem deuicit: ergo ipsa exordia futurorum non dubia extiterunt præsagia: *Illo verò retrahente manum egressus est alter.* Zara incepit, sed quàm citò disijt difficultatibus fractus: ergo iam præuidebatur à virtute recessurus, vt è contrà Phares concinnis moribus exornandus. Prodest Glossa: *Quòd primus, qui dicitur Zara, manum emisit, & obstetrix coccinum ligauit, & ipso manum retrahente, posterior, qui vocatur Phares, manum porrexit, & nascendo recessit, significauit, quòd Israel in opere legis manum extenderet, & Prophetarum, & ipsius Christi cruore pollutam contraheret: populus verò gentium posteà prorumperet, vt essent primi nouissimi, & nouissimi primi.* Phares difficultate non est deterritus, sed, quod incepit, absoluit: Zara non absoluit, sed in medijs conatibus destitit: ergo exordia futurorum fuerunt præsagia, & fausta, aut infausta auspicia.

Gen. 38. v. 29.

§. VIII.

Lachrymæ, etsi non assequantur votum, assequuntur tamen solatium.

VT tellus cœlesti rore fœcundata saporatum producit fructum; vt gratis, odoriferisque floribus opportuna pluuia amœnat agrum; sic fletus animam fœcundat, & virtutum augmentis ornat. Magdalena Christi Domini copiosis pedes lachrymis abluit, & dū abluit, vberrimos fructus demetit: *Stans retrò secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat.* Quæ pellacibus antea occiderat; lachrymantibus oculis iam stabat, & quæ confusionis messuerat segetem, iam irrigando cœlum metebat lucem. Opportunè Chrysologus *serm.* 93. *Benè stans, quia iam cadere non potest, quæ ad pedes Christi metuit peruenire: stans retro secus pedes eius, vt Christi vestigijs innixa percurreret per viam vitæ quæ per viam incurrerat mortis: lachrymis rigat pedes eius. En mutatur ordo rerum, pluuiam terræ cœlum dat semper: Ecce nunc rigat terra cœlum.* Iam terra rigat cœlum, & producit irrigatum cœlum saporatos virtutum fructus, & licet aliquando lachrymæ non assequantur terrena, assequuntur semper solatia. Samuel luget, vt in occasum vergens Saulis regnum detineat; caruit, quia sic oportebat, fletus optatis, non tamen caruit dignis augmentis: [Dixit Dominus ad Samuelem: Vsque quò tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet super Israel: imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem; prouidi enim in filijs eius mihi Regem.] Plus quàm desiderabat obtinuit, Dauidem scilicet pro Saule. Prodest Caietanus: *Quis subrogandus sit Rex, atque ab ipso Samuele vngendus, aptissimè reprobato Saule reuelatur Samueli ad consolandum eum.* Ecce Deus blanditur quodammodò deploranti, & Saulis loco ad vngendum Dauidem mittit: non assecutus est Samuel, quod optabat, sed obtinuit plus, quàm petebat; passus non est Deus lugentem carere solatio, & quia oportebat à regno remouere Saulem, vngere iussit Dauidem: *Imple cornu tuum oleo.*

Lachrymæ. Votum. Solatium.

Luc. 7. v. 38.

§. IX.

Laborum runcinis, & persecutionum scobinis Deus præparat, quem ad perenne regnum designat.

DEus, quos ad perpetuò regnandum delegit, saluberrimis laboribus expoliuit. Non erit illis planum iter: sursum, ac deorsum ire opus erit, multa accident dura, quæ patientia emoliat, multaaspera, quæ complanet constantia. *Ignis* (aiebat Seneca *de Prouidentia c. 5.*) *aurum probat, miseria fortes viros Deus*: Omnia mala interna ab eis, quos sibi præparat arcet, verùm, vt amplius colligant, robur exereet: vt quæ aurum, quas à tellure contraxerat, sordes, in fornace deponit; sic vir iustus tribulationis flammis expolitur, & laborum scobinis ad perenne regnum præparatur. *Vobis* (addit Seneca *cap. 6.*) *dedi bona certa mensura, quantò magis versaueritis, & vndique inspexeritis meliora maioraque. Permisi vobis metuenda contemnere, cupienda fastidire;*

Iustus. Labor.

non fulgetis extrinſecus, bona veſtra introrſus obuerſa ſunt. Adnectit, *Non egere felicitate, felicitas veſtra eſt: at multa incidunt triſtia, horrenda, dura toleratu.* Per toleratu dura, per aſpera, & ſenticoſa, quos ſibi delegit, ducit, vt patientia expoliat & quidquid terrenum tergat: Hoc in capite vides de Dauide perpetuis diadematis coronando agi: *Imple cornu tuum oleo, & veni vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi Regem:* Putares ſtatim regnum adiuturum, in toto tamen libro ſolùm inuenies variis perſecutionum modis agitari, inſidiiſque peti. Notauit Abulenſis hic: *Quamquam hic incipiat regnum Dauid, tamen in ſequentibus per totum iſtum librum nihil agitur de regno Dauid, ſed de perſecutionibus, quas paſſus eſt regnante Saule.* Vbi ad perpetuum regnum diſignatur, multimodis perſequutionibus adurgetur. A fratribus aſperè arguitur: cum gigante certamen init, poſt victoriam duriorem ſuſtinet pugnam. A Saule ſemel, & iterum haſta impetitur, mendicat, exerrat, obſcuris ſpecubus latitat; & cum Saul à Deo reiectus, & à regno excluſus lætiori vtatur fortuna, Dauid ſæua, ſed quæ in portum ducat, iactatur tempeſtatum procella. Nam cùm Dauid æternum ſit regnum, oportebat elaborare ſibi per tolerantiam coronam. Dei populus Amano inſidiante publicis edictis proſcribitur, & amariſſimis tempeſtatis fluctibus ſuſque deque fertur: *Optimè noſti,* Eſter. 3. v. 8. *quòd non expediat regno tuo, vt inſoleſcat per licentiam.* Quia non expediebat, vt populus per licentiam inſoleſceret, Deus tribulationem immiſit, vt dum ingemiſcit, dum iciuniis atteritur, dum falſis criminationibus impetitur in Deo collocat omnem fiduciam, aſſequatur de hoſte victoriam: Aman adoratus intumuit, & tantiſper palatiis regiis effloruit; verùm infelici clauſula vitam finiuit. O quàm fortunata fuit Iſraelitarum calamitas, quàm calamitoſa Amani proſperitas! Perſecutio Mardochæo non permiſit inſolentiam, fortunæ floriditas miſerandam attulit ſuperbienti Amano ruinam. Adeſt Tilmannus in Allegor. *Licet iſte* (Amanus) *malus ſit, optimum tamen verbum loquitur. Dominus enim ſuos permittit tribulari, ne inſoleſcant per licentiam.* Iuſtus, quidquid acciderit, in virtutis colorem vertit, & quia calamitas ad detergendum imperfectionum pulverem conducit, quos ſibi parat, calamitatum Deus, tribulationumque acrius adſpiranti vento detergit. Dauid ſine fine regnaturus procelloſis laborum tempeſtatibus adurgetur, Saul diadematis diſpoliandus lætiori fortuna vtitur.

TEXTVS.

VERS. II. Et ait Samuel: Quomodò vadam? Audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni.

§. X.

Non eſt contra perfectam obedientiam difficultates ſuperiori repræſentare, & pericula præcauere.

VEra obedientia mentem ſacrificat, & vir verè obediens optima ſui parte lucrosè fraudatur, dum imperiis cœleſtibus cæcitate laudabili obſequitur. Abraham filium immolare iuſſus non mente reuoluit poſteritatem ſibi promiſſam, non oppoſuit barbaricam ad ſpeciem præceptionem, ſed indicto menti, & voluntati ſilentio alacer, vt iuſſa impleret, contendit: *De nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum.* Offuſis noctium tenebris ſurgit, quia obedientiæ luce naturæ obſtacula ſuperauit. Notauit Baſilius Seleucienſis *orat. 7. Non dixit, quæ ab ingenio volniſſet.* Mens habebat; quod præcipienti opponeret, voluntas quo reſiliret; verùm Abraham obedientiæ norma laudabiliter intellectum obcæcauit, & querelas voluntatis cohibuit. Verùm licet obedientiæ cæco virtutis impetu ſit obtemperandum, & deuictis difficultatibus obſequendum, licet, quæ emergere poſſunt pericula competenti humilitate ſuperiori repræſentare non reluctandi animo, ſed ardentiori obſequendi voto. Samuel iubetur Dauidem inungere: *Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi Regem.* Samuel opponit ſuſpicax Saulis ingenium, impotentem dominandi animum, barbarum ferrum: *Quomodò vadam? audiet enim Saul, & interficiet me.* Non excutit præceptum, ſed contra imminentes difficultates perquirit modum, quo explorato incunctanter perrexit, & deuotè obtemperauit, ſuis nos Samuel factis edocuit obedientiæ nitorem non obſcurare, qui vt pericula præcaueat, quæ poſſint difficultates in executione emergere, paratus ad obediendum opponat. Adeſt noſter Sancius: *Timebat non ſine cauſa, ne homo iam barbarus, & regnandi cupidus, & ſui ipſius impotens, cum ex patria Ramatha exceſſiſſe cognoſceret, ſuſpicaretur noui Regis inaugurandi gratia foras eſſe profectum, & de illius vita tyrannico, barbaroque decreto conſuleret, & quòd homo prudens ex his, quæ viderat, acutè coniectabat, atque ideò dixit: Audiet Saul, & interficiet me.* Difficultatem oppoſuit, non vt extraheret præceptum, ſed vt cautiùs, & prudentius exequeretur mandatum: Perfecta obedientia reſplenduit, dum allegata difficultate expromptè paruit, & religiosè obediuit. Conſonat Caietanus: *Quomodò vadam? ad conſulendum Deum de periculo imminentis ſibi mortis ex huiſmodi obedientia.* Non reſtitit, ſed conſuluit, quia aliud eſt conſulere, aliud dictionem extrahere.

Obedientia. Cautela. Superiori. Gen. 22. v. 3.

§. XI.

Non licet vnquam mentiri, ſed licet animum honeſto colore tegere.

SOphocles, vt à vera luce erat alienus, exiſtimauit venia dignum eſſe mendacem, ſi imminentem mentiendo vitaret perniciem. Ipſum audi apud Stobæum *c.* 12. *Haud quidem honeſtum eſt mendacia loqui: cui tamen diram perniciẽ veritas infert, huic venia danda, licet inhoneſta loqueti. Satius eſt eligere mendacium, quàm verum malum.* Itaque

Mendacium. Diſſonum.

Itaque apud antiquos ea viguit opinio, vt satius esset mentiendo imminentia vitare pericula, quàm aperiendo veritatem subire incommoda. Consonat ibi Menander: *Non reprehendendus est, qui mendacium pro vita sua dixerit.* Malè dixit; nam nec pro vita asserenda licet mentiri: verùm cùm sæpè in eas angustias prudens deuenerit, vt periculum verax subeat, & mendax criminis maculam non euadat, licet tunc veritatem industrie tegere, & perspicaciam eludere. Samuel jubetur Dauidem ad regnum inaugurare, & veritus, ne Saul, si eius suspicaretur studium, vitæ afferret detrimentum, Deum consuluit: *Quomodo vadam?* Quid tunc Deus? Jubet, vt sacrificium etiam peragat, & se ad sacrificandum venisse respondeat: *Ad sacrificandum Domino veni.* Non solùm erat animus sacrificare, sed Dauidem inungere: ergo ea prudentia vsus est, vt veritatem assereret, nec tamen totum animum aperiret. Innuit Hugo Cardinalis: *Licet non ob hoc principaliter, tamen ob hoc veniebat.* Ea prudentia vsus est, vt nec mendacium diceret, nec studium proderet, edocens nos non esse contra veritatem, cùm oportet animum tegere, & periculum eludere. Iussus sacrificare, & inungere, aliud dixit, & aliud tacuit, sicque prudenti silentio periculum elusit, & vero sacrificio veritatem non violauit. Dauid apud Achis diuersatus agebat prædas de Gesuri, & de Gersi, & de Amalecitis. Cúmque à Rege interrogaretur in quem irruisset, ea arte respondebat, vt regionem proderet, gentem taceret: *Dicebat autem ei Achis: In quem irruisti hodie? Respondebat Dauid: Contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Ierameel, & contra meridiem Ceni.* Si Dauid clarè, quos dispoliasset, fateretur, fors Achis ægrè ferret: si alios pro aliis diceret, mendacium committeret: ergo interrogatus tacuit, quam dispoliauerat, gentem, confessus est, versus quam irruisset regionem, vt hac prudenti calliditate ne mendax delinqueret, nec omnia aperiens interrogantem exasperaret. Non dubito plures Dauidem asserere mendacij reum, affero tamen nostrum Sancium thesi opportunum: *Dauid ne sua proderet consilia, aut aliquo se mendacio constringeret, sic callidè moderabatur responsum.* Sic cauta prudentia respondebat, vt nec proderet consilium, nec veritati quidquam proferret aduersum. Nam etsi nunquam liceat mentiri, sæpè oportet animum tegere.

1 Reg. 27. v. 10.

§. XII.

Fausto omine inauguratur, qui nullius detrimento resplendet electus, sed cunctorum vtilitatibus designatus.

Electus. Vtilitas. Detrimentum.

PRinceps, superiorque publici parentis sortitur elogium, vt exequatur officium: parens totus est in acquirendis filiorum commodis, in solicitandis augmentis: ergo Princeps patrem adimplet, si suorum fortunas auget. *Elegimus* (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 3.) *Deo auspice consortem regni nostri felicissimum Theodahadum, vt qui hactenus Reipublicæ molem solitaria cogitatione pertulimus, nunc vtilitates omnium iunctis consiliis exequamur.* Vtilitates omnium voluit exequi, vt ab omnibus mereretur laudari: & quidem infausto omine dignitatem auspicatus est, qui aliorum diminutione resplenduit, felici, qui sine vllius detrimento refulsit. Non caruit mysterio regnum Saulis incepisse ferro argenteum numinum præbente: *Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argentei.* Dauidis autem quin subjecti aliquid penderent, aut præstarent: *Imple cornu tuum oleo, & veni.* Communi oleo, non speciali, aut sacro Dauidem ad regnum junctum testatur Abulensis, inquiritque, quid opus fuerit Prophetam secum oleum deferre, cùm esset facilè in Bethleem inuenire? *Quare iussit Deus Samueli* (inquit *quæst.* 3.) *quòd ferret secum oleum ad vngendum Dauid, cùm vbique reperiretur?* Quæsito respondet: *Quia si Samuel non ferret secum oleum, oporteret, quòd peteret illud in Bethleem.* Si aliquis Bethlehemita oleum exhiberet, Dauid vngeretur alicuius, etsi exiguo, dispendio: si Propheta deferret secum, nullius inaugurabatur incommodo: ergo vt felicius Danidis regnum agnosceretur, nec exiguo tributo impenso regnum adiuit; Saul aliquali suorum jactura ad dignitatem peruenit. Et expende hoc ipsum discrimen in vtriusque regni exordio iterùm reperiri. Saul duos panes accepit: *Dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.* Dauid panes fratribus attulit: *Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos.* Saul regnum exorsus est accipiendo; Dauid egentibus panes dando, vt vel ab ipso exordio Danidis regnum agnosceretur præstantius, vtpotè subjectis vtilius. Est enim faustum omen sine vllius diminutione crescere, non adeò faustum dignitatem detrimento alterius adire. Deus, vt Moysem in Principem deligat, illæso à flammis rubo, immò in modum scaturientis fontis flammis irrigato objicitur: *Videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Cùm alia in forma potuerit apparere, quærunt Interpretes, cur ea Moysem fuerit alloquutus? Profectò illæsi rubi non videbatur opus miraculo, quando satis erat ad indendos Moysi animos virgam in draconem commutari, & in virgam draconem verti: ergo cùm illud miraculum non fuerit otiosum, est inquirendum arcanum. Voluisse Deum autumat Basilius Moysem in Principem eligendum instruere, edocereque ad suos fouendos, & incrementandos, non ad consumendos, aut vorandos dignitatis culmen adire. Basilium Seleucienſem audi *orat.* 9. *Ecce ignem monstrat in rubo ardentem ignis effectu sepositio, quippè flos igne coronatur, viliseque planta succensæ flammæ obsistit. Vox ferebatur, quæ Moysem contra Ægyptios armabat, imperatoria pro populo data tessera.* Cùm imperatoria tessera datur, rubus non consumi, sed roscidis flammis irrigari videtur. Vt discat sine suorum diminutione lucere, immò eorum vtilitatibus vigilare. Hinc superiores edocentur regiminis optimi formam, & benè politicam gubernationis ideam.

Sup cap. 9. v. 8.

Sup cap. 10. v. 4.

Infrà cap. 17. v. 17.

Exod 3. v. 3.

§. XIII.

Religiosus amat recessum, nec sine magna causa prodit in publicum.

SEcessi (aiebat Stoicus *epistol.* 8.) *non tantum ab hominibus, sed etiam à rebus, & primum à meis.* Sacræ Philosophiæ dediti dulcissimas sibi latebras incolunt, amant recessum: quòd si aliquando prodeant in publi-

Religiosus. Secessus.

cum, quodammodo admirationem faciunt, & omnes ad inquirendam excitant causam. Samuel jubetur Regem inungere, & veretur, si in publicum prodeat, causam inquiri, & videntes admiratione percelli: *Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me.* Expendamus, si placet, timoris huius causam, vt hinc vtilem nobis eruamus doctrinam. Quid interest nouerit Saul Samuelem à Ramatha discessisse, vt suspicetur sibi periculum imminere, & magnis causis Prophetam recessum relinquere, & publicum petere? Adeò illigatus loco degit Samuel, vt in publicum nequeat prodire? Adeò magna res est Samuelem aliis conuersari, vt à Rege nequeat non sciri? Profectò multa hinc religiosis pro concinnandis moribus documenta nascuntur. Samuel Ramatha habitabat Deo sacratus, &, vt cœlo vacaret, à negotiis prorsus semotus: ergo in publicum prodiens non poterat ab omnibus non notari, cùm insolitum, ac rarum esset intuentium oculis objici. Saul sibi suspicaretur periculum, quia putaret Prophetam recessum non relinquere, nisi vt Dei exequeretur imperium. Et quidem Bethlehemitæ mirati sunt Samuelis aduentum, quasi rem rarissimam, & insolitam: *Venit in Bethlehem, & admirati sunt seniores ciuitatis.* In publicum prodiens admirationem fecit, & Saulem magno timore concuteret, ni ad sacrificandum aduentasse, sibi suaderet. Accipe Abulensem *quæst.* 8. *Cum Samuel ante hoc habitaret in Ramatha, ad quam iuerat, quando recessit à Saule, vt patet præcedenti capite; si indè nunc recederet, vt iret in aliquem locum, putarent omnes Judæi ipsum ire ad aliquid magnum agendum, quia erat vir maximæ auctoritatis in populo, sic cognosceretur via eius.* Viri magnæ auctoritatis, quique in luce versantur, nec mouere queunt pedem, quin omnes notauerint, & sciuerint: ergo rationabiliter timuit Samuel eius viam Sauli non occultandam, sed inquirendam. Et expende Samuelem vereri periculum, si reliquerit recessum: *Audiet enim Saul, & interficiet me.* Profectò vel viros virtutibus exornatos multorum conuersatio ad se traxit, & nocuit. Itaque Propheta extimuit publicum, & diligebat recessum; & Saul variis suspicionibus discruciatus inuestigaret causam, & venaretur notitiam. Et quidem viri religiosi in publicum prodire solùm deberent, vt Numinis exequerentur mandata. Itaque varia, vt dicebant, ab hoc Samuelis metu oriuntur religiosis omnibus documenta, scilicet eorum notari ab omnibus gressus, imminere sibi periculum, vt etiamsi ad Dei prodeant exequenda mandata, Sauli, hoc est, dæmoni afferre suspicionis tormenta.

§. XIV.

In publicum virum religiosum prodire, ni rationabilis appareat causa, esse solet suspicionis materia.

Religiosus. Causa. Suspicio.

QVi claustris contineri, qui recessibus debet latitare, sæpè sæpiùs justissimis causis solitudinem deserit, & populorum frequentiam adit. *Tandiu* (dicebat aliorsum Seneca *epist.* 88.) *istis immorandum est, quandiu nihil animus agere maius potest.* Vbi animus quid maius potest agere, laudabile est remotam ab hominum conuictu solitudinem ad tempus deserere. Adeò tamen audax est hominum suspicio, vt, si honesta non innotescat causa, in peius interpretetur sæpè malitia. Thamar viduitatis lege domi continebatur: *Esto vidua in domo patris tui.* Multo euoluto tempore adit publicum, & quia latebat causa, eam jam suspicionis obscurat nota: *Quam cùm vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem.* Meretricem credidit, quam, cognita posteà causa, virtutis studiosam sumptuosis elogiis deprædicauit: *Iustior me est*: tenebatur status ratione oculos fugere; ergo, quousque è domo decedendi causa apparuit, Thamar audacis suspicionis notam incurrit. *Putarem illius temporis consuetudinem fuisse* (inquit Oleaster ad mores) *iuniores viduas post virorum obitum in domum patrum remitti: nunc verò liberè viuere volunt, & ſiuuntur.* Ecce Thamar dum status non obseruat legem, contra famam patitur suspicionem, & quæ domi esset veneratione suspecta, foris suspicione fuit denigrata. Humani ergo ingenij ad suspicionem procliuitatem non ignorans Samuel, cùm juberetur è Ramatha excedere, Dauidemque inungere, non ignauus, sed prouidus itineris publicam innotescere voluit causam, vt qui benè nouerat, aliter, si publicum peteret, non effugiendam aliquam suspicionis notam, & nihil non scrutaturam curiositatis audaciam: *Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me.* Prodest Abulensis *quæst.* 8. *Qui viderent eum recedentem de Ramatha, suspicarentur aliquid de itinere eius, vel cognoscerent illud.* Ne suspicionis præberetur materia, oportuit, vt publicè ferret vitulum, & aduentus pateret omnibus causa: ergo prudenter in publicum proditurus omnem suspicionis occasionem studuit præcidere, & causam legitimam ostentare.

Gen 38. v. 41.

§. XV.

Liuori, adulationique quoduis notitia debet indicium, vt sortiatur effectum arcana consultatione dispositum.

Notitia. Secretum. Adulatio. Inuidia.

PLura sunt, quæ, vt ad perfectionem perueniant, secretum prorsus requirant: nam si aliqualis conjectandi præbeatur occasio, aut ingenium perspicax eruat arcanum, jam liuor, adulatiorque effundit, quæ conjicit, & rumor affert obstaculum, dum manifestat secretum. Opportunè Cassiodorus Cancellarium alloquens 11 *variar. 6. Vide quò te antiquitas voluit colligari: vndique conspiceris, qui in illa claritate versaris. Proindè ad nostra monita aures, animumque conuerte.* Iam monita suggerit: *Fige menti omnia, quæ iubemus: non te tanquam vacuum fistulam dicta perexeant: Esto potius conceptaculum, quòd audita custodias, quod susceptа non fundas.* Parum juuaret solicita consultatione discutere, cauta examinatione decernere, si per aliquas rimulas effluueret notitia, quâ aut æmulatio variis artibus obuiaret, aut prudenter stabilita impediret. Oportebat Dauidis vnctionem secretò fieri: ergo prouidus Samuel, accepto à Deo consilio, sic rem disposuit, vt nec perspicacia animum posset venari, nec curiositas effundere: *Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni.* Ni deferret vitulum, fortassis varias aduentus causas discurrerent, & inuento fortasse arcano grandi detrimento publicarent: ergo oportuit sic disponere

nere inaugurationem ad regnum, vt nec leue posset apparere vestigium. Ita Abulensis *quæst.* 8. *Debuit celari omnibus non solum extraneis, sed etiam Bethlehemitis contribulibus suis; quia fortè aliquis concepto liuore de magna excellentia Dauid, proderet Sauli, quod factum fuerat, vel vt acciperetur in gratiam Saul, tanquam dolens pro eo nuntiaret Dauid vnctum in Regem.* Alterius sublimitas creat æmulationi dolorem, adulatio lucrandi gratiam quærit materiem: ergo si Samuelis intentio quouis proderetur indicio, adulatio Sauli vnctionem renuntiaret, aut ipsorum contribulium æmulatio variis artibus impediret: ergo Samuel sic rem disposuit, vt omnem suspicionem excluderet, & negotium perfectè absolueret.

§. XVI.

Si semel aliqua suspicio animum contingat intrare, difficillimum est depellere.

CItò accedimus opinioni, non coarguimus illam. Temerarium sæpe judicium ita sibi adulatur, vt nullis argumentis patiatur conuinci, nec euidentiis sententiam semel animo conceptam retractari. *Suspicionibus* (aiebat Seneca *lib. 2. de ira cap. 23.*) *impellimur, & ex vultu, risuque alieno peiora interpretati innocentibus irascimur.* Suspicione impellimur, & innocentiam fallacibus argumentis existimamus malitiam. Difficillimum est, si animum semel intrauit, suspicionem, & conjecturam fallacissima argumenta expungere, & apparente etiam veritate conuincere. In oculos incurrit manifesta sæpè veritas, & tamen resistimus, & confirmandæ suspicioni argumenta quærimus. Hinc est, quòd Samueli jubet Deus vitulum portare, cùm ad sacrificandum jubet contendere: *Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni.* Inquires, quid opus fuerit vitulum secum deferre, quando haud erat difficile in Bethlehem emere, emptumque litare? Contendat Bethlehem Samuel ducendi vitulum cura liber, ibique sacrificium paret, quando eodem modo sacrificio poterit deseruire vitulus aliundè allatus, aut ibi pretio coemptus. Ita est, inquit Abulensis *quæst.* 11. verùm Deus jussit portari vitulum, vt omnem suspicionis occasionem præcideret, & curiositati materiam inquisitionis auferret. Fortè qui Samuelem contendere sine vitulo aspicerent, aliam itineris causam suspicarentur, quod si suspicio animum semel imbueret, sacrificium posteà conspectum ægrè semel inhærentem opinionem auferret. Accipe Abulensem: [Apparet in hoc, quia volebat Samuel elidere præsumptionem, & quæstionem videntium eum: cùm verò vitulum videret, quia iste erat apparatus volentis immolare, cessaret suspicari, credens quod ad immolandum ibat: cessarent etiam per hoc inquisitiones de itinere eius, quia si Samuel nihil secum portasset, omnes videntes cùm inquietassent ipsum inquirentes de via illius, & quamquam responderet, quòd ibat ad immolandum, non contentarentur inquirentes, non videntes aliquod signum huius.] Prouidus allato secum vitulo suspicionem anteuertit, nam si semel quis animo conciperet ob aliam causam iter arripuisse, quantumvis posteà immolantem videret, & veniſſe ad immolandum audiret, in præhabita jam opinione persisteret, nec ipsis oculis crederet. Adeò tenaciter solet animo suspicio inhærere, & judicium præoccupare. Vt noueris opus esse iniquæ suspicioni omnem occasionem auferre, si illæsam famam discupis conseruare; nam plus valet aliquando ad fouendam suspicionem fallax judicium, quàm ad deterendam euidentissimum argumentum.

TEXTVS.

VERS. III. Et vocabis Isai ad victimam, & ego ostendam tibi quid facias, & vnges quemcumque monstrauero tibi.

§. XVII.

Eucharistia lucem impertitur, quâ agenda videas, & feliciter visa absoluas.

VT oculorum acies pestifero humore turbata perfectè non videt, nisi efficacis collirij vi infirmitas fuerit detersa; sic mens humana variis affectionis, ambiguitatisque tenebris impedita, agenda non videt, & si quando videt, iners non facilè absoluit: ergo Eucharistico collirio opus est, vt depellatur mentis ignorantia, & animi deteratur inertia. Quædam anima, dum amorem suum languere cognouit, florum auxilia, & fulcimenta expetiuit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Vt languens amor resumeret vires, fragrantes confugiebat ad flores, sed satiùs ambiret panes; nam panis Eucharisticus, vinum generosum, & fragrans mentem reluminat, & animi vires crementat. Audi Chrysologum *serm. 16. Violæ, rosæ, lilia grati flores, sed gratior panis.* Facilius, commodiusque anima inueniret ab Eucharistico pane, quod auxilium expetebat à flore; nam mens detersis nebulis hoc lucis candore jam adspicit, quod anteà impedita non vidit. *Candor est lucis æternæ* aiebat sapiens. Itaque hic panis & intellectui est lux, & cordi energia. Hinc est, quod Samueli, quem eligeret, ignoranti, & ob inaugurationem Saule timenti jubet Deus sacrificium offerre, ibique promittit lucem, qua & ignorantiam depellat, & omni abacto timore feliciter rem perficiat: *Vocabis Isai ad victimam, & ego ostendam tibi quid facias, & vnges quemcumque monstrauero tibi.* A victima prodiit intellectui fulgor, & cordi vigor, ibi, quod anteà Samuel ignorabat, agnouit: *Ostendam tibi quid facias*, & ibi quod faciendum agnouit, adimpleuit: *Et vnges quemcumque monstrauero tibi.* Ignorantia ibi est depulsa, & ad exequenda Dei jussa alacritas addita. *Iubet* (inquit noster Sancius) *vt ad victimam, id est, ad cibos è victima paratos inuitet Isai, vt cum illo seorsum à reliqua turba diuina peragat mandata.* Vt mandatum perageret, opus erat eligendum agnoscere, & timorem omnem expungere: ergo sacro alatur cibo, sic namque quæ anteà ignorabat, cognoscet, &, quæ agere timebat, perficiet.

Suspicio.

Eucharistia.

Cant. 2. v. 5.

Sap. 7. v. 27.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. IV. Fecit ergo Samuel sicut locutus est ei Dominus, venitque in Bethlehem, & admirati sunt seniores ciuitatis occurrentes ei, dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus?

§. XVIII.

Do sacratus degat à populi tumultu prorsus semotus.

Religiosus. Turba secessus.

CHristianus (aiebat Septimius ad Martyres cap. 2.) *etiam extra carcerem sæculo renuntiauit.* Fugit Christianus sæculum tricis plenum, & criminibus defædatum, & ita fugit, vt se arbitretur prorsus defunctum sæculo, exulem mundo. *Exindè* (aiebat Septimius supra datus) *segregati estis à mundo.* Quod si quilibet Christi discipulus teneatur spiritu extra mundum degere, & in cœlestibus habitare, potiori jure strictiorem perfectionis viam ingressi tenentur sæculi tenebras à se depellere, & à mundi tumultu longè distare. *Studium animæ religiosæ* (aiebat Tilmannus *in Allegor. ad cap. 6. Leuit.*) *quæ se à mundi artibus sequestrauit, non in sæcularibus, sed in his solùm, quæ ad Deum pertinent debet proximis exhiberi. Cùm igitur nuptiarum causa tractatur, quum augendæ pecuniæ, quum bonorum sæculi huius acquirendorum ratio habetur, indignum est, vt mens Deo consecrata, quæ ipsa possidere negligit, aliis studeat procurare.* Imprudentiæ vertitur lucris deseruire alienis, qui renuntiauerat propriis, & turbulentum redire ad salum, qui ne sustineret procellosos adsultus, tenuerat portum. Hinc est; quòd cùm Samuel ab omnium rerum strepitu prorsus se abdixisset, & ad tutiora fugisset, Dei jussu Bethlehem adiens admirationem ingesserit: *Venit in Bethlehem, & admirati sunt seniores ciuitatis.* Quid mirati? Samuelem ciuitatem petere, cùm jam prorsus extra sæculum decreuisset habitare. Prodest Hugo Cardinalis: *Admirati* (inquit) *Quia Propheta non consueuerat quoquam ire nisi ob arduum negotium.* Sic semotus à rerum tumultu Samuel jam degebat, vt quasi ad rem peregrinam, & insolitam spectandam conuenerint Bethlehemitæ nouitate attracti, & admiratione illecti. Diuus Hieronymus ad Heliodorum, sic ait: *Quid agis, pater in sæculo, qui maior es mundo? Quandiu te testatorum tenebræ premunt, quandiu fumosarum vrbium carcer includit?* Sæculum religiosis vocauit carcerem; & quidem vt carcer dehonestat, quos tenet inclusos, sic ciuitatis frequentia Deo sacratos. Religiosi in plateis, tumultibusque non sunt à temeritate suspicionis liberi, nec à vanitatum fumo prorsus intacti. Ob id Samuel ad sacrificandum Domino se aduentasse retulit, quia ob aliam causam populi adire frequentiam, erubuit: *Ad immolandum Domino veni.* Plateas cursitent, qui hoc verè interrogantibus possunt respondere, & erubeant, qui interrogati nequeunt simile responsum præstare.

§. XIX.

Magnatibus inuisum omnes fugiunt vt pestifero morbo infectum.

VT adulandi magnatibus certamen est, quidquid eis displicet, omnes auersantur, quidquid placet, beneuolis ad speciem affectibus prosequuntur. Vbi Dauid etsi immeritò, Saulis passus est maleuolentiam, jam Nahab rusticus eum despicit, & alimenta præbere fugit: *Quis est Dauid, & quis est filius Isai?* Idem fecisse Doeg videtur, qui anteà miris celebrabat elogiis, & laudibus ornabat eximiis. *Vidi filium Isai Bethlehemitæ* (aiebat Doeg, vt placet Liræ, *scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo.* Audis hìc elogia plurima referentem, transi ad cap. 22. & videbis accusantem: *Vidi*, inquit, *filium Isai in Nobe apud Achimelech.* Filium Isai vocauit, vtque Regi adularetur, in Nobe non gesta, sed iniquis suspicionibus à se excogitata retulit. Prodest ibi Caietanus: *Non simplici, sed iniquo animo hæc retulisse testantur subiuncta gesta.* Iam accusat, quem anteà commendabat, jam eius detorquet peruersè actiones, qui extollebat anteà virtutes. Ecquis huius causa est? Quia Dauid Regi jam inuisus, & odiosus: ergo mutato Principis affectu, à quo anteà commendabatur, despicitur. Samuele etiam jam à Saule semoto Bethlehem adeunte seniores ciuitatis solicitudo vrget; & anxia cura percellit: *Occurrentes ei, dixerunt: Pacificusne est ingressus tuus?* Hanc immaturam, celeremque interrogationem eò tetendisse putat Hugo Cardinalis, vt nouerint, antequam hospitio receperint, an Regis sustineat iram, & aliquam effugiat sententiam: *Timebant* (inquit Hugo) *ne offensus esset Sauli, & ideò non auderent eum recipere.* Qui primum in ciuitate locum tenebant, nonnihil perturbati Prophetæ occurrunt, suspicati, ne ad Bethlehem confugeret, vt indignationem Regis euaderet. Itaque ob eius aduentum obturbantur timore perculsi, qui anteà faustis reciperent acclamationibus læti. Ecqua huius discriminis causa est? Existimasse Bethlehemitas Samuelem jam Regi inuisum, & odiosum: ergo scisciati sunt aduentus causam, ne excipiendo Prophetam, incurrerent Regis iram; omnes namque auersantur magnatibus inuisum, vt pestifera tabe infectum.

Magnates Inuisi.

Infr. cap. 23. v. 22.

Infr. v. 18.

§. XX.

Qui dignitatum culmine elati, frequenti etiam casus timore perculsi.

PLura sunt, quæ nos terrent; opinione sæpè laboramus, & jam opprimunt, quæ premere posse, timemus. Verùm eos præcipuè timor possidet, quos dignitas suspiciendos aliis ostendit. Quiuis rumor animum diuexat, quæuis suspicio discruciat. *Plerumque* (aiebat Seneca *epist. 13.*) *suspicionibus laboramus, & illudit nobis illa, quæ conficere bellum solet, fama.* Adnectit: *Citò accedimus opinioni, nec coarguimus illa, quæ nos in metum adducunt, nec excutimus, sed trepidamus: quidquid ex incerto venit conjectura, &*

Dignit. Timor. Casus.

& licentiæ pauentis animæ traditur. Alta occupantes; frequens erit casus conjectura, & distorquet aliorum maleuolentia. Hinc est, quòd Samueli aduentanti Bethlehem seniores occurrerint, & non sine anxia solicitudine causam aduentus rogarint: *Venit in Bethlehem, & admirati sunt seniores ciuitatis occurrentes ei, dixerunique: Pacificusne est ingressus tuus?* Inquires, cur seniores, quibus Reipublicæ administratio commissa, adeò celeriter inuolarint, & aduentus causam scire studiosè cupiuerint? Certè magnates impertiri se beneficium reputant, si ad domus secretiora aduentantem admittant, si faciliter se videri concedant. Cur ergo modò se domi non continent, sed celeri gressu inuolant? quia verebantur (inquit Hugo Cardinalis) ne Samuel de Regis mandato veniret; vt eos corriperet, & dignitate priuaret: ergo hoc timore soliciti, conjecturaque diuexati venienti occurrerunt, & aduentus causam nondum præmissa salutatione rogarunt: *Timebant ne veniret causa corripiendi eos missus à Saule.* Propria stimulati conscientia, aut pressi suspiciosa aliqua cõjectura venienti occurrunt, nam qui in culmine dignitatum versantur, frequenti metu, & panidis conjecturis casum verentur. Non plebeij, sed seniores Samueli obuiarunt, nam illi, vtpotè ambitione liberi non distorquebantur timoribus diuexati; at isti occurrunt vanis suspicionibus pressi, & anxietatibus veris distorti. Lira addidit existimasse Bethlehemitas, vt qui nouerant Samuelẽ veritatem Sauli nullis ambagibus obscuratam, dixisse, & manifestè criminis reatum objectasse, ob id mortis fugere periculum, & regiam indignationem tulisse præmium. *Timebant* (inquit) *ne fugeret à facie Saulis offensi contra eum, quòd arguens ipsum denuntiauerat ei translationem regni.* Itaque variis suspicionum fluctibus obturbati jam sibi cauent, jam Samuelis periculum timent, & quouis modo timorem interpreteris, edocent altos ferè semper timore concuti, & veridicos à magnatibus odio haberi.

TEXTVS.

VERS. V. Et ait pacificus: Ad immolandum Domino veni: Sanctificamini, & venite mecum vt immolem. Sanctificauit ergo Isai, & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.

§. XXI.

Laudabilitas actionis apud sæculum potiùs videtur ab auctore promanare, quàm auctori ab actione prouenire.

Actio. Auctor.

ACtio quæuis à se ipsa habet honestate refulgere, aut illaudabilitate obscurari, ab ipsa oritur, vt elogio sit digna, aut vituperio: ast sæculi statera adeò dolosa est, vt non tã quid factũ, quàm à quo attẽdat: quidquid magnus fecit, extollitur, quasi ab auctore laudabilitatem sortiatur. *Quidquid à nobis fieri præcipitur* (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 46.) *necesse est, vt non culpis, sed laudibus applicetur.* Ecce qualecumque fuerit opus, mandatumve, necesse erat laudibus applicari, non culpis adscribi, quasi actiones apud sæculum non tam ex propriis meritis censeantur, quàm ab auctore pensentur, dignum videatur laude quidquid factum à sublimi. *Quàm mul-*

tum interest (aiebat Plinius 6. *epist.* 24.) *quid à quo fiat. Eadem enim facta claritate vel obscuritate facientium aut tolluntur altissimè, aut humillimè deprimuntur.* Adnectit, cùm simile à duabus fœminis factum retulisset: *Quod factum ne mihi quidem, qui municeps, nisi proximè auditum est, non quia minus illo clarissimo Arriæ facto, sed quia minor ipsa.* Itaque alterius fœminæ simile, ac Arriæ, factum famam non inuenit, non quia minus præclarum, sed quia à præclara minus. Ecce Samuel ad immolandum se Bethlehem petiuisse testatur: *Ad immolandum Domino veni.* Immolatio solùm fieri licebat ad tabernaculi ostium, non alibi, vt cõstat Leuit. 17. & Deuteron. 12. & tamen Samuel in Bethlehẽ immolaturus tetendit, quin eis aliquis opponeret ibi non posse sacrificium offerri, quia legibus cõstat vetari. Profectò Samuel Deo obtemperans ibi sacrificabat, Bethlehemitæ tamen sacrificium ibi fieri à Deo decretum nesciebant. Cur ergo nihil opposuerunt? Quia Samuel (inquit Abulensis *quæst.* 10.) erat vir magnæ auctoritatis: ergo sacrificium, quod ibi factum, ab alio minoris auctoritatis dignum existimassent reprehensione, à Samuele peractum crediderunt dignissimum laude, & quidem jure; nam fas erat virum eximia sanctitate ornatum à Deo credere fuisse motum; verùm honesto suo silentio, quod apud sæculum non adeò laudabiliter fieri solet, adumbrarunt. Audi Abulensem: *In veris parua auctoritatis, de quorum fide non erat firma securitas, quando viderentur extra locum Sanctuarij immolare, putabatur, quod agebant ad idololatriam. In viris autem magnæ auctoritatis apud Deum, sicut in Prophetis, & aliis viris sanctis, quamquã videretur agere aliqua contra legem, non indicabatur, quòd iniquè agerent.* Mira res! Plus crediderunt Bethlehemitæ, quàm oculis, virtutibus Samuelis: & quod hìc laudabiliter accidit, apud sæculum non adeò laudabiliter sæpè contingit. Ob idem opus Magnates laudibus efferũtur, & homines priuati, & obscuri inflictis pœnis mulctantur, quasi honestas, aut deformitas non resultauerit ab actione, sed ab agente.

§. XXII.

Qui ad sacram mensam accedunt, omni debent candore puritatis micare, & externæ etiam modestiæ laude florere.

Eucharistia. Puritas.

CÆlestis mensa requirit conuiuas omni puritate excultos, & virtute omni exornatos. *Segnissimi est torpere* (aiebat Athalaricus 8. *variar* 14.) *cùm se ad prouectum cognoscat rerum dominos inuitasse.* Qui à domino ad prouectum inuitatur, fas non est torpere, sed solicita diligentia exornari. Injuriã irrogat majestati, qui non accedit alacri animo, & cõpetẽti corporis ornamẽto. Ad hanc mensã talis eligitur, qui ex vtraq; parte laudetur. Hinc est, quòd Samuel immolaturus, quos adesse sacrificio desiderat, puritatem suadeat: *Sanctificamini, & venite mecum, vt immolẽ.* Non solùm animi exigebat puritatem, sed vestium etiam, vt Interlineari placet, candorem: *Sanctificamini, id est, lauate vestes.* Decentem exegit ornatum, ne sordibus, aut profanus offendere posset aspectum. Consonat Lira: *Aqua expiationis, vel continentiam ab vxoribus.* Abulensis ait Isai filios sanctificatos, ne vel leuis maculæ suspicio obscuraret, quos epulum sacrum reficeret: *erat immunditia* (inquit *quæst.* 19.)

Si quis tangeret leproſos, vel res leproſorum, aut introiret in domum, quæ de lepra ſuſpecta eſt. Non decebat domum de lepra ſuſpectam intrare, & menſæ ſine purificatione accedere, quia ſuſpecta domus, etſi detrimentum non attuliſſet ſaluti, afferebat opinioni; itaque opus erat menſæ accedere non ſolùm ſalute integra, ſed opinione etiam illæſa, & omni ſuſpicione depulſa. Addit: *Cùm omnes immunditiæ prohibentur in his, qui accedere debent ad Deum, & comedere de ſanctificatis nulla magis prohibetur, quàm accedere ad vxorem.* A licitis etiam voluptatibus ſe debet arcere, qui ſacro epulo cupit nutriri. Vt diſcant, qui Euchariſtiam frequentant, quàm eximiam hæc conuiuia puritatem requirant. Nec ſolùm hæc menſa expoſcit interiorem animæ cultum, ſed eum exteriorem ornatum, qui ſuauem virtutis expiret flagrantiam, non Lecytorum, purpuriſſæve graueolentiam. Tendebat ſponſa in hortum, in quo ſponſus inter micantia lilia menſam collocarat:

Cant. 6. v. 2. *Paſcitur inter lilia,* & jam dentes eius gregi ouiũ, & quidem tonſarum cõparantur: *Dentes tui ſicut*

Cant. 4. v. 2. *greges tonſarum quæ aſcenderunt de lauacro.* Dentes, qui manducant panem ouium candore nitentiũ, tonſuraruinq; imitantur gregem. Et cur tõſæ, & ablutæ cui comparentur? Vt ablutio (inquit Gregorius ad hunc locum) omnem abſtulerit maculam internam, & tonſio indecentem ornatus ſarcinã. *Benè ſicut grex tonſurarum, quæ aſcenderunt de lauacro, eſſe dicuntur, quia dum ſe à peccatis omnibus in baptiſmo ablutos eſſe recordantur, libenter onera mundi deponunt.* Muliebris mundus onus eſt: ergo eiuſmodi onera curent deponere, vt competenti ornatu ſacro poſſint epulo accedere: dedecet namque ad Euchariſtiam accedentem nimio ornamẽtorum luxu florere, & varia capillamentum floriditate vernare.

TEXTVS.

VERS. VI. Cúmque ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino eſt Chriſtus eius?

§. XXIII.

Vt electio à ſuſpicione ſit libera, elector indifferenti animo debet accedere, & Deum quid è re vtilius conſulere.

Eliab. Electior. LAudanda electio ex meritis venit, nec affectio peruertit iudicium, nec adulatio præſtat ſuffragium. Qui accedit jam aliqua affectione ſubornatus, aut fixè ſemel decretis impeditus, eliget, quod volet, non quod expediet. *Ornare* (aiebat Atalaricus de ad dignitatem promotis 8. *variar. 22. tales & noſtra iudicia, quoniam bene prius electus creditur, qui ſæpius approbatur: Nec enim hic vir de quo nobis ſermo eſt, noſtrum ſibi tãtummodò conciliauit arbitrium: ab vno quippè principe prouehi videtur fortè gratioſum: nam & ſub altero meruiſſe prouectum, apud vtroſque integrum cõſtat fuiſſe iudicium. Cunctos ergo ſequaces habet, qui aliquid ex veritate decernit.* Qui ex veritate decernit, laudabiliter habet ſequaces, qui variis artibus quærit ſequaces, non videtur ex veritate decernere, aut ſaltem non vitat ſuſpicionem ſubire. Tunc electio cumulata laude reſplendet, cũ elector non venit offirmato animo laturus ſuffragium, ſed ſi quid melius apparuerit, retracturus iudicium. Deus, vt optimam electoribus, electionibuſque formam præſcribat, Samuelem, quem ad eligendum Principem miſerat, ſuſpenſum tenet, vt circa eligendũ ſæpè Deum conſulat, & judicio proprio non fidat. Ingreſſo Eliab, jã Samuel ad vnctionẽ parabatur, quia eius forma imperio digna quodammodò illectus, & naturæ dotibus perſuaſus: *Vidit Eliab, & ait: Num coram Domino eſt Chriſtus eius?* Abulenſis *q.* 15. rogat, cur Deus clarè Samueli non explicuerit vngendum, ſed ipſa in electione tenuerit dubiũ? Reſpondetque hoc maximè conduxiſſe ad eligẽdum plauſũ, & electoris elogiũ, nam ſic cõſtabat non humana affectione ſuffragium exhibitũ, ſed cæleſti pulſu præſtitum. Samuel proprium non eſt ſecutus judicium, ſed conſuluit cæleſte oraculum: ergo digna erat, quæ laudaretur electio, quam cæleſtia judicia pepererunt, non humana procurarunt. Ipſum audi: *Quare Deus non determinauit nunc Samueli quem vncturus eſſet in Regem, ſed loquutus fuerit indiſtinctè?* Quæſito reſpondet: *Hoc factum eſt ad tollendam ſuſpicionem, & indicandum, quòd à Deo hoc fieret.* Si accederet Samuel fixè determinatus, ſuſpicionem ingereret, ſi aſpectu, & proceritate Eliab perſuaſus Deum non conſuleret, ſe erroribus implicaret: aſt dum animo indifferenti Dei conſulit placitum, dum proprium non tuetur judicium, electionem commendat, quia ſuperno judicio factam declarat; dum non accedit determinatus, dum oculis non credit dubius, dum proprium ductum non ſequitur, optimi electoris dignus laudibus inuenitur: nam in electionibus quid è re vtilius inſpiciendum, non decretum ſemel ſectandum.

TEXTVS.

VERS. VII. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum: nec juxta intuitum hominis ego judico: Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.

§. XXIV.

Quæ humanis oculis ſpecioſa, reprobis etiam inueniuntur à Domino dilargita.

Forma Deum. Reprobi. QVid ſapiens inueſtigauerit (aiebat Seneca *epiſt.* 90.) *quid in lucem protraxerit, quæris? Primum rerum naturam, quam non vt catera animalia oculis ſequutus eſt tardis ad diuina. Deindè vitæ legem, quam ad vniuerſa direxit, nec noſſe tantum, ſed ſequi docuit deos.* Adnectit: *Vetuit parere opinionibus falſis, & quanti quidque eſſet, vera æſtimatione perpendit.* Sapiens non credit oculis externis ſæpè nebulis obſcuratis, aut præſtigiis venuſtatis illuſis. Omnia metitur à ratione, & virtute. Hinc eſt, quòd cùm Samuel eximia Eliab procerit ate, micantique formæ pulchritudine raperetur, Deus vngere prohibuit, & externis nullatenus credendum admonuit: *Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius quoniam abieci eum.* A Deo rejectus externis dotibus oculos ad ſe trahit decoratus, & gratis prærogatiuis eximius. Hæc enim externa bona, licet non ſemel ſint decora animarũ ornamẽta, tegunt non ſemel carioſa, & fœda. *Hæc innitabantur Samuelẽ* (inquit Caietanus) *ad ſuſpicandum, quòd*

quòd ille electus esset in Regem. Suspicabatur Samuel Eliab à Deo præ aliis electum, & regalem ad thronum destinatum, quia præ aliis altitudine exornarat, & venusto aspectu expoliuerat. Verùm Deus docet has externas dotes parui adeò esse momenti, vt in abjectis etiam inueniantur, eaque solùm bona magni æstimanda, quæ animum exornant, & virtutibus concinnant. Quàm benè Seneca *de Prouidentia cap. 6. Non est ista solida, & sincera felicitas, crusta est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi, nitent, & imponunt: cùm aliquid inciderit, quod disturbet, ac detegat, tunc apparet quantum altæ, ac veræ fœditatis alienus splendor absconderit.* Externa oculis illudentia magni æstimantur, interna quæ majora, melioraque sunt, aut despiciuntur, aut parui habentur. In capite Melchon corona resplenduit pretiosissimis gemmis intertexta, & mirabili arte exculta. Hoc ipsum aurum Dauidis tempora redimiuit: 1. Paral. 20. v. 2. *Tulit Dauid coronam Melchon de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas, fecitque sibi indè diadema.* Mira res! si Deus diadematis ex hoc auro Dauidem coronat, quomodo Melchon eisdem lapillorum luminibus fulgurat? Melchon est merum figmentum, Dauid omnium virtutum est conceptaculum, & tamen si exterius respicias, eodem auro Melchon, aut Ammonitarum Rex, vt nostro Sancio placet, micant coronati, & lapillis pretiosis culti. Accipe Sancium *ad 2. lib. Reg. cap. 12. erat corona pretiosissimis instructa gemmis, qua Rex Ammonitarum vtebatur, quam ereptam è regio capite ad suum transtulit.* Idem diadema Ammonitarum Regem, & Dauidem exornat, vt noueris hæc externa, & apud sæculum pretiosa dilargiri Deum jam vitiorum vernulis, jam virtutum alumnis. Audi Deum apud datum Senecam justos alloquentem: *Vobis dedi bona certa mẽsura, quantò magis versaueritis, & vndique inspexeritis, meliora, maioraque sunt. Permisi vobis metuenda contemnere, cupienda fastidire, non fulgetis extrinsecus: bona vestra introrsus obuersa sunt.* Eliab fulgebat extrinsecus, & fors sordebat interius: ergo monet Deus Samuelem externis non fidere, nec sensibus gubernari.

§. XXV.

Non est regimini aptus iracundia percitus, vt nec etiam superbia elatus.

Superbia. Iracundia. Superbia.

SVperbia, iracundiaque rationis geminæ pestes. Qui iracundia rapitur, sui juris non est, impellitur, & adigitur; qui superbit, obcæcatur; vndè & corruet, & ad ruinam cæteros trahet. Lenis, humilisque aptus inuenitur regimini, quia facilius seruit rationi. *Qui fastum in sublimitate castigat* (aiebat Ennodius *lib. 4. epist. 7.*) *docet se meruisse. quod adeptus est.* Quam gerit, dignitatem adornat, qui superbiæ fastum castigat, vt etiam qui motum iracundiæ præcipitem frænat. O quam periculosum est superiorem irrationabiliter iratum pati, & superbum sustinere, cùm soleat graviter exulcerare, quos debuit omni moderamine tueri. Eliabum Samuel properabat inungere, & Regem inaugurare; verùm etsi cornu inuerteret, oleum detinebatur, ne cum errante Propheta faceret: *Ne respicias vultum eius, neq; altitudinem statura eius, quoniam abieci eum.* Quærunt Interpretes, cur Eliab à Deo rejectus, quãdo eleganti adeò forma commendatus? Lira ait ex *Eman. de Naxera in Reg.* Hebræorum sententia fuisse iracundum, & superbum, ob idque regimini nequaquam aptum: *Abieci eum, nolens eum regnare. Cuius rationem assignat Hebræi; quia erat superbus corde, & iracundus; quod patet ex hoc, quod sequenti capite dicitur: Iratus fuit contra Dauid, & eũ valdè durè increpauit sine causa, cùm tamen iam vidisset eum vngi in Regem per Samuelem.* Dauid in castra venerat, vt obsequeretur patri. Eliab causa indiscussa suspicatus est audacia juuenili ductum aduentasse, & ira efferuescens durissimis verbis carpsit, & quod peius est, se ratione duci præsumpsit: *Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui quia, vt videres prælium, descendisti.* Vide quanta errata in vno facto commiserit. Quod falsò suspicatus fuerat, vti in dubium credidit, innocuum ob dignitatem suspiciendum asperrimis verbis carpsit: ergo non erat regimini aptus suspicax, superbus, & iracũdus: & quidem si alius esset Dauid, prius in certamen profiliret contra fratrem, quam contra hostem: ast dum rationem placate reddidit, dum prouidè à fratre declinauit, se à Deo electum, & regimini in dubiis argumentum probauit aptum: est enim dominari dignus, qui asperis verbis proritatus nouit se continere, & modestiam, ac humilitatem seruare.

TEXTVS.

VERS. VIII. & IX. Et vocauit Isai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele, qui dixit: Neque hunc elegit Dominus. Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: etiam hunc non elegit Dominus.

§. XXVI.

Qui libera fronte vult eligere, nouerit ambientibus nil debere.

Munus. Subornatio. Electio.

BOnus electo nec donis debet corrumpi, nec intercessionibus adulari. Munera oculos obcœcant, intercessiones animum fascinant; libera fronte attendit jura, qui integer non admisit obsequia. *Transcripsit* (aiebat Ennodius *lib. 3. epist. 3. Constantius ad aliena iura sudorẽ suũ, qui debere vult cõmendatitiis, quod meretur.* Vbi auctoritas intercedit, electi obscuratur meritum, & eligentis cõstupratur elogium, qui paret intercessioni, vim irrogasse videtur juri, & qui ambitibus quid debet, judicio suo officit. Hinc est, quòd Deus Samueli jubet vitulum secum deferre, & Isai filios ad mensam peracto sacrificio inuitare: *Vitulum de armento tolles in manu tua: Et vocabis Isai ad victimam.* Canit, ne ab Isai acciperet vitulum, immò jussit, vt vocaret ad epulum. Et quare? quia Isai oblaturus erat, vt à Propheta vngerentur, Abinadab, & Samma: ergo oportebat Samuel nil ab eo accipere, quò dignũ posset inaugurare: *Vocauit Isai Abinadab, & adduxit eum corã Samuele. Qui dixit: Neq; hunc elegit Dominus. Adduxit autẽ Isai Sãma. de quo ait: etiã hunc non elegit Dominus.* Si Propheta Isai deberet obsequia, aut ab eo aliqua accepisset edulia, non adeò eligeret expeditus, quia eius intercessionibus, & muneribus teneretur ligatus: ergo noluit Deus Isai expẽsis mensã instrui, aut sacrificium offerri, vt sic edoceret, quàm electioni officiat intercessio officiosi, & quàm inclinetur affectus beneficiis obstructi: *Specialis mentio fit de Isai* (inquit Caietanus) *quia propterĕ filios eius principaliter venerat.* Venerat, vt vnum

de Isai filiis eligeret : ergo expressè refertur Isai à Propheta fuisse inuitatum, non Prophetam ab Isai ad mensam ascitum; nam cùm oporteret liberè ad electionem procedere, noluit Deus Prophetam officiis, aut obsequiis ab Isai exhibitis illigari. Hinc discès, quàm judicio noceat eius intercessio, qui electorem deliniuit officiis, & pretiosis allexit donis.

TEXTVS.

VERS. X. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele : Et ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis.

§. XXVII.

Qui præ aliis dignus, frequenter aut rejicitur, aut loco vltimo collocatur.

Dignus.

APud sæculum adlaboratur, vt naturę prærogatiuis tribuatur, quod virtutibus debetur. Pauper, humilisque quantumvis scientię luminibus fulgeat, & meritis virtutum resplendeat, obliuioni traditur, nec fastigio dignus censetur; meritis vacuus, si naturæ dotibus niteat, aut nobilitate splendeat, præponitur deligendus, & dignitatibus honorandus. Pallas Cæsaris gratiam sibi acquisierat : huic ergo Senatus, vt adularetur Principi, summos honores decreuit, & plebem depauperando copiosissimo censu adauxit. Audi Plinium 8. *epist. 6. Quid Senatui pulchrius, quàm vt erga Pallantem satis gratus videretur : Additur, vt Pallas, cui se omnes pro virili parte obligatos fatentur, singularis fidei, singularis industriæ fructum meritissimò ferat.* Adnectit : *Prolatos imperij fines, redditos exercitus Reipublicæ credas.* Oblati Pallanti honores inducebant animum, vt crederet imperij fines inuicta fortitudine protelasse, & audaciam hostium repressisse; in eo tamen vti Cæsaris liberto tota meritorum summa Cæsaris erat florere gratia, & vti beneuolentia. Addit Plinius : *Hoc tunc votum senatus, hoc præcipuum gaudium populi, hæc libertatis materia gratissima, si Pallantis facultates adiuuare publicarum opum egestione contingeret.* Publicæ opes dilapidabantur, vt Pallas ditesceret, & habebatur ad quęcumque honorem dignus, quia Principi gratus. Nec aliter accidit erga eos, qui nobilitate florent, aut magnatum intercessionibus valent. Ecce Isai cæteros omnes filios vngendos obtulerat, quin Dauidis recordaretur : *Adduxit Isai septem filios.* Opus fuit Samuelem, an filius alius supereset, interrogare, vt Dauidis excitaretur memoria. Et quæ huius obliuionis causa ? Eliab proceritate eminere, & ordine naturæ anteire : Dauid erat minimus, & natura postremus : ergo quantumvis dignus, velut ineptus rejicitur, & loco vltimo collocatur : *Adhuc paruulus est reliquus, & pascit oues.* Nonne vides, vt historiæ penicillo sæculi vsum Textus expresserit, & retulerit ? Qui cæteris & dignior, & aptior, rejiciebatur, quia minor cæteris. Innuit Abulensis *quæst. 27. Cùm nullus eorum supereset, præter Dauid, qui erat in pascuis, desiit præsentare alios, nec dixit, quod nullus supererat, sed subticuit, quasi jam nullum filium haberet.* De Dauide nulla mentio, quia licet meritis antecelleret, natura postremus, & soloce pastorali vestitus. Vltimus & cogente Propheta adducitur, quia de sæculi more, qui naturæ, aut diuitiarum prærogatiuis non fulget, dignus dignitatibus non apparet.

§. XXVIII.

Sunt, qui, ne aliqua vtilitate priuentur, sedulè sibi inseruientium incrementis obnitantur.

AMabile bonum (aiebat Philosophus) *vnicuique proprium.* Quisque sibi consulit, & quæ ad alterius vtilitatem pertinent, propriæ commoditati postponit. Opportunè Seneca *lib. 2. de Beneficiis cap. 24. Tutius est quosdam offendere, quàm demeruisse.* Sæpe domini, vt à se abjiciant fastidium, non placentis famuli solicitant eius commodum; verùm si sedulitate culti, si solicitis officiis deuincti, inseruientis commoda obliuioni tradunt, immò impediunt, ne sibi vtili priuentur solertia, & in negotiis tractandis prudenti industria. Huius ingenij fuisse videtur Isai : nam cùm non ignoraret ex eius filiis in Regem inaugurandum, & cæteros, præter Dauid, tulisse repulsam videret, de Dauide tacuit, & supereſſe non dixit, quousque demiratus Propheta silentium, & verissimum ratus oraculum, an alius remaneret, interroganit : *Numquid jam completi sunt filij ?* Mira res! si Dauid restat, si opportunitas vocat, cur Isai tacet, nec vngendum Prophetæ offert ? Iam ipse explicuit : *Pascit* (inquit) *oues.* Videbat se carere pastore solerter oues curanti, si diadematis ornaretur : ergo tacendo impediebat eximium adeò Dauidis augmentum, ne exiguum illud amitteret lucrum, & Dauid, qui ob sedulam in regendis ouibus solertiam erat præferendus, ob id ipsum obliuioni inuenitur traditus; quia Isai solerter procurabat Dauid augmenta, Isai disponebat tacendo obstacula. Reliqui filij otium sectati, & domus delitiis fruiti, non tam erant Isai vtilitati, quàm oneri. Dauid mappalibus degens, & oues curans non erat oneri, & erat vtilitati : ergo sibi vtilem voluit retinere, alios honesto titulo separare. Innuit Abulensis *quæst. 27. Subticuit, quasi jam nullum filium haberet.* Reddit Abulensis causam : *Causa fuit; quia Dauid non erat tunc in domo, sed manebat in pascuis, ideò non vocaret eum.* Animi candore Isai tacuit, sed dum tacuit, suffulciendæ nostræ thesi materiam exhibuit. Non solicitauit Dauidis promotionem ad thronum, ne amitteret solicitum adeò curandi gregis studium. Profectò cùm sedulè, diligenterque aliquod munus exercere exigat præmium, esse solet ingens obstaculum. Nam superiores, Principesque ne vtili sibi priuentur industria, obliuioni tradunt inseruientium augmenta.

Vtilitas. Seruus.

§. XXIX.

Non semel quos tibi existimabas speciali jure obstrictos, inuenies tui obliuiosos.

STudij nostri est P. C. (Scribit Cassiodorus *Ingratitudo. Obliuio.* 2. *variar.* 16.) *remunerationem recto conferre proposito, & bonæ indolis viros ad instituta meliora fructu impensæ benignitatis accendere.* Fructu impensæ benignitatis debet excitari, qui agnoscitur negotia sibi commissa diligenter

diligenter absoluere, & in obliuioſi probrum irremuneratus relinquitur, qui omnium opinione laudatur. Verùm peruersum adeò est aliquorum ingenium, vt tui experiaris prorsus oblitos, quos iure crederes repetitis obsequijs, & officijs exhibitis obligatos. Feræ officium sentiunt, & laudabili gratitudine benefactorem agnoscunt. Elephas, si humano auxilio iuuetur, suis gressibus restitutus speciali studio inseruit, quem sibi tulisse auxilium agnoscit. Elephas. Accipe Cassiodorum 10. *variar.* 30. *In vicem manus promuscidem tendit, & magistro profutura grauiter accipit; quia se ipsius cura viuere posse cognoscit.* Itaque promuscidem tendit, vt acquirat, quod ei, cuius beneficio viuit, gratanter offerat, arbitratus se peccare, si acceptum beneficium non curet semper memoriter retinere. Ab hoc ingenio discrepant homines, & accepti obsequij inueniuntur immemores. Inter Isai filios solus Dauid patris gregem curasse refertur: *Pascit oues*, & tamen filios reliquos quorum nullum refertur officium, Prophetæ obtulit vngendos ad thronum: *Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele.* Samuel à patre oblatos, à Domino reiectos aspiciens, & nullum alium ad vnctionem adductum animaduertens compulsus est inquirere an alius filius superesset. *Numquid iam completi sunt filij?* Tunc Isai veluti à profunda obliuione excitatus retulit Dauidem restare, & curandis gregibus studere: *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.* Rara profectò patris obliuio! Si Dauidis præ reliquis fratribus obstrictus inuenitur officijs, quomodò Isai eum præ cæteris obliuionis tradit tenebris? O vtilem nobis eruditionem! Vt discamus soli Deo inseruire, & solùm ob Deum hominibus obsequia præstare Dauid patitur æstum, sustinet angorem, campis exerrat, cum leonibus, vrsisque belligerat, vt bona copia gregem augeat, & Isai sibi laudandis officijs arctius adstringat; & cùm se adeò opportuna offerret occasio, aut oblitus tacuit, aut obliuiſci Dauidem studuit. Innuit Abulensis *quæst.* 27. *Cùm nullus eorum supereſſet, præter Dauid, qui erat in pascuis, desijt præsentare alios, nec dixit, quòd nullus supererat, sed subticuit, quasi iam nullum filium haberet.* Quàm falleretur Dauid, si existimaret pro viribus Isai laboraturum (si daretur occasio) vt eum promoueret, & officia compensaret. Ecce eius solummodò videtur oblitus, cui tenerior debebatur affectus; vt hominibus non fidas, nec humanis fallacijs credas.

TEXTVS.

VERS. XI. Dixitque Samuel ad Isai: Nunquid iam completi sunt filij? Qui respondit: Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, & adduc eum: nec enim discumbemus priùs, quàm huc ille veniat.

§. XXX.

Exiguis, paruulisque, quibus maior commiseratio debetur, grauius frequenter onus iniungitur.

EXigui, pauperesque homines nati videntur, vt diuitum, magnatumque oneribus humeros supponant, & miserabiliter ingemant. Magnus sua se potentia tuetur, iugum à diuite facilè excutitur: pauperi nec fas est querelas dare, etiam cùm vltra vires compellitur inseruire. Consuetudo eos solùm nouit oneribus premere, quos exigebat ratio leuare. *Tales homines destinate* (aiebat Atalaricus 9. *variar.* 9.) *per quos possumus euidenter agnoscere, quemadmodum in futurum census doceatur impositus; vt si granatos vos esse cognoscimus, pro parte vobis, qua visum fuerit, considerata æquitate releuemus. Ita fit, vt habeatis spem & futuri beneficij, qui estis iam pro parte & remedia consequuti.* Iure benignitatem suam Princeps ostentauit, non solùm quia plebeios ingrauatos voluit releuare, sed quia dignatus est iustas eorum querelas audire, quando de more & onus impositum extorquet gemitum & occlusum sibi inuenire solet auditum. Iam erat aliqua spes, à superiore audiri, & aditum querelis iustissimis non negari: *Ita fit, vt habeatis spem & futuri beneficij, qui estis iam pro parte remedia consequuti.* Iam erant pro parte remedia consequuti, cùm superiores aures inuenerunt rationabiliter queruli. In nostro etiam Textu inuenies, Dauid inter filios Isai minimum pascendis ouibus destinatum: *Reliquus est paruulus, & pascit oues.* Et cur ad laboriosum munus non destinentur maiores? Ratio ad speciem exigebat robustiores onus illud subire, & paruulum tectorum vmbra contineri, & nihilominus videmus paruulum laboribus attritum, & procerum domi otiosum; quia fortassis magnus recusauit mandatum, & excussit è ceruicibus iugum. Dauid tulit onus, quia inter cæteros exiguus, & paruulus. Opportunè noster Sancius: *Illum ad pastoritiam illam curam abiecerat, & indignum putabat, qui Samuelis oculos subiret.* Paruulus ad labores inuenitur aptus, sed aliorum æstimatione, qui coram Samuele appareret, indignus.

Onera.

Paruulus.

§. XXXI.

Sæpè apud suos parui æstimatur, qui apud exteros magni habetur.

QVidquid extraneum, exoticumque nescio quam voluptatem secum afferat, & æstimationem acquirat. *Quid tibi Lybia, & Europa* (aiebat Tertullianus *lib. de Pallio cap.* 4.) *cum exoticis mundicijs, quas vestire non nosti:* De longè magno pretio asportatæ munditiæ æstimabantur, cùm cultiores, politioresque, quia propriæ, depretiarentur. Addit Tertullianus de Alexandro: [Triumphalem cataphractem amolitus in captiua sarabara decessit: pectus squammarum signaculis disculptum textu pellucido tegendo nudauit, anhelum adhuc ab opere velli, & vt mollius ventilante serico extinxit. Non erat satis animi tumens Macedo, ni illum etiam vestis inflatior delectasset.] Extranea vestis

Proprius.

Extraneus.

Æstimatio.

plus delectauit, quia inflatiori superbiæ deseruiuit: vtque supellectilia, quia exotica, magni habentur, sic exteri etiam homines pluris æstimantur. Domestici ingenium rude est, extranei viuidum, acre, & politioribus literis eruditum. Nullus Propheta in patria sua acceptus, in alienа elogijs sæpè celebratus, & veneratione cultus. Plutarchus in præceptis connub. *Lunam* (inquit) *cùm abest à sole, lucidam, claramque videmus: admota soli obscuratur, & occultatur.* Sol proximam sibi lunam nitidioribus radijs exornaturus videbatur, & tamen obscurare adnititur. Quæ distantia clarior, affinitate apparet obscurior. Idem videtur accidisse Dauidi. Egebat Saul cantore egregio, cumque curia plurimis exundaret, quidam aulicus Dauidem desertorum receptibus degentem sic extulit: [Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo.] Miris laudibus audis Dauidem extolli, cùm hoc ipso in capite à suis nec vltimo loco dignus habeatur, & nulli rei, præter gregum curæ, appositus æstimetur: *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.* Acsi dicat Isai: Quid Dauidem ad regnum postulas, parvus est, & solùm alendis gregibus opportunus. Adest noster Sancius, *Indignum putabat, qui Samuelis oculos subiret.* Mira res! In hoc ipso capite Dauid vsque ad cœlum laudibus effertur, & vti indignus, qui Prophetæ aspectui appareat, reijcitur. Et quæ huius causa est? Quia sæpè à suis despicitur, & abroditur, qui ab alienis & plauditur, & extollitur. Dauid apud exteros prudens, fortissimus habebatur, & bellicosus, à suis vel ouibus pascendis ineptus. *Quid eum* (scribit Seleucienſis Basilius *orat.* 14. patris nomine) *qui ne ad gregem pascendum sufficit, ad regnum flagitas? Quid instituto cognito contentiosius ei tantum adiungere dignitatis adlaboras? Minor est, qui derelictus.* Cognati, affinesque sæpè ambitiosi adlaborant è suis aliquem extollere, & miris prærogatiuis ornatum adnituntur ostendere; aliquando verò aut æmulationis malignitate, aut deprauata affectione laudandum abrodunt, & obscurare contendunt. Isai non æmulus, sed virtutum Dauidis ignarus parui æstimauit, & licet inculpatè, quæ cognatos æmulatio vrere soleat, ostendit.

§. XXXII.

Prius, & potius satisfaciendum muneris obligationi, quam fami.

Munus. *Fames.* *Obligatio.*

AD negotia publica peragenda electus sibi ipsi se debet negare, vt quod generalitati conuenit, possit laudabiliter exercere. Qui se muneri prætulit, iam muneri quid detraxit. *Si æstimanda est dignitas ex labore* (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 14.) *Si laudabilis solicitudo actuum publicorum parit gratiam liberaliter seruienti, summa gratificatione locus tuus habendus est, qui suis necessitatibus probatur adimere nostris ordinationibus tarditatem.* Dignissimus erat laude, qui vt Principis ordinationibus adimeret tarditatem, subibat vel fame reclamante laborem, & priùs curabat publicum negotium, quàm propriæ famis solatium. Reipublicæ ministris adapto, quod aliorsum scribebat Nazianzenus orat. de laudib. Basilij: *Virtutis alipta, spirantes columnæ, viui martyres.* Vt martyres aduersus carnifices armantur constantia, vt inuicta muniuntur patientia, & deficiunt sibi, ne defecerint religioni: ita bonus Reipublicæ administer est columna immobili patientia firmata, & martyris viui idea. Post longa publicis negotijs spatia impensa cùm recreandus erat labor otio, aut cibo, solet ambientium turba redeuntem obsidere, & patientiam diuexare. Quid tunc? Patienter sustinebit, beneuolè audiet, & se sui esse muneris in memoriam adducet. Ex horum numero erat Samuel, qui cùm à Deo in mandatis haberet ex Isai filijs in Regem inaugurare, noluit mensæ ante inaugurationem accedere: *Mitte, & adduc eum, nec enim discumbemus prius quàm huc ille veniat.* Profectò prudentia videbatur consulere tantisper vnctionem differre, & laborem cibis iam paratis recreare, si Samuel post longum iter sacrificium obtulit, si peracto sacrificio ex Isai filijs inungere studuit, si iam mensa appositа, si Dauid non modica campis exerrat distantia, differat commodius in tempus vnctionem, & mandatis necessariam ad speciem ingerat tarditatem. Famis vrget, & opportunum prandij tempus præterit: ergo sedeat, & prandeat, & posteà Dauidem, qui nondum adest, inungat. O vtile ministris exemplum! Samuel post tot labores noluit ad mensam sedere, sed priùs suo muneri satisfacere, vt edoceat suis factis Reipublicæ negotia famis, laborisque solatio præferenda, & solerter tractanda. Audi Abulensem *quæst.* 28. *Iam hora prandij aduenerat, & forte pascua aliquantulum ab vrbe distabant, ita vt, si Dauid vocandus foret, aliquanta mora contrahenda esset; ideò Isai, vt non grauaretur Samuel diu expectans cibos, volebat, vt nunc cessantes ab hoc, cibis vacarent; posteà autem ad hoc reliquum tempus esset: Samuel verò vt mox Dauid vocaretur, ait: Non discumbemus, donec ille veniat:* Si Samuel tunc discumberet, vnctionem postponeret fami, solicitans Dauidis aduentum postposuit famem vnctioni: ergo se negauit fami, vt satisfaceret muneri. Ad generalitatis vtilitatem electus à se ipso laudabiliter desciuit, seque sibi ipsi negauit, vt hoc exemplo ad publica negotia electi nouerint commoda propria despicere, vt munus laudabilius valeant implere. Æternum Moysi insculptum in soceri reprehensione elogium legitur, & futuris sæculis prædicatur: *Stulte* (aiebat) *Labore consumeris, vltra vires tuas est negotium.* Ecquis erat labor? Moysem sui oblitum à mane vsque ad vesperam populum edocere legem, eius lites aut definire, aut componere: *Sedit Moyses, vt indicaret populum, qui assistebat Moysi à mane usque ad vesperam*: Famis vrgebat, & tamen Moyses audiens perseuerabat; deficiebant vires, & tamen muneri non deerat, & quamuis à cognato fuerit reprehensus, resplendet ipsa fugillatione laudatus. Non inuenies plures, qui Moysis sequantur vestigia, sed qui è contra sectentur otia. Oleaster hic ad literam sic ait: *Notat hic Textus populi importunitatem, qui quasi aues stabant super eum postulantes iudicium.* Concursantium importunitatem sustinebat, & malebat famem premere, quàm inauditos relinquere. Exod. 18. v. 13.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XII. Misit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie. Et ait Dominus: surge, vnge eum, ipse est enim.

§. XXXIII.

Ferè semper laudabiliùs munus peragunt quæsiti, quàm qui se ingerunt ambitiosi.

QVo quis ab ambitu distantior, virtutibus probatur excultior. Suspicionem ingenerat, qui variis artibus dignitatum culmina inscendisse adlaborat; qui venire ad dignitatem compellitur, ipsa, si ficta non fuerit, reluctantia approbatur. *Non enim* (aiebat Vitigis Rex 10. *variar* 31.) *in cubilibus angustis, sed in campis latè patentibus electum me esse nouerint, nec inter blandientium delicata colloquia, sed tubis concrepantibus sum quæsitus, vt tali fremitu concitatus desiderio virtutis ingenitæ Regem Martium Gethicus populus inueniret.* Populus inuenit Regem Reipublicæ salutarem, quia ob merita fuit quæsitus, non blandientium intercessione, aut industria patrocinantium ingestus. Dauid etiam suorum fuit sospitas, inimicorum calamitas, quia non blandientium colloquijs approbatus, sed in campis latè patentibus requisitus: *Misit ergo, & adduxit eum.* Adductus venit ad regnum, ambitiosus non solicitauerat thronum. Ita Abulensis *quæst.* 28. *Misit ergo, & adduxit eum, eò quòd sic definierat Samuel.* Cùm Samuel Regem quæreret, qui Reipublicæ afferret salutem, qui ferocientem reprimeret hostem, quæsitum, & à mappalibus allatum inaugurauit, à parente oblatos, & comptos eleganter fastidiuit, vt fausto Reipublicæ omine Dauid ordiretur imperium, cùm nec blandientium enexerit suffragium, nec patrocinium. Vbi puer ad thronum rapitur, & serpens ignominiosè proijcitur, cœli sibi gratulantur, & ad esse salutem generalitati fatentur: *Nunc facta est salus.* Et cur modò salus facta? Quia throno dignus, ad thronum raptus: *Raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius.* Et quia Lucifer externo fulgore micans, & interna ambitione exæstuans proiectus, & conculcatus: *Proiectus est draco ille magnus.* Si obtineret thronum draco, salus non vigeret, quia superbiæ, arrogantiæque procellis concussa tranquillitas disperiret; si ad regimen non compelleretur dignus, Respublica non floreret; ast dum compulsus thronum adinit, iam regnum, & pax effloruit: *Nunc facta est salus.* Ad quæ Anselmus: *Confortatio ad operandum in confirmatione, & regnum, quia regit suos de virtute in virtutem.* Ad thronum raptus virtutum fuit auxilium, Reipublicæ tutamentum, si dignitatem adiret Lucifer, turbulentum esset naufragium.

Idem.
Ambitio.
Vtili.
Apoc. 12. v. 10.

§. XXXIV.

Superior tristi vultu, aut minaci aspectu non terreat, sed hilari serenitate & grato vultu aspicientes alliciat.

PVlcher aspectus, venusti oculi animorum sunt veluti magnetes, sine vi cogunt, sine coactione deuinciunt, & in facie solent homines intueri, quod desiderabant venari. Hilaris vultus est honestus animi habitus. *Pulchritudo corporis* (aiebat Aristoteles apud Stobæum *cap.* 65.) *opus est animæ gratificantis ei decus formæ.* Consonat Diogenes ibi: [Qui alij beati iudicandi, quàm per Iouem, qui corporis pulchritudine præditi sunt naturæ dono? Illos enim plurimi ceu deos, aut deorum statuas maximi faciunt, & colunt inseruientes eis.] Facilius inseruiunt homines eleganti forma præditis, vndè superior venusto aspectu, & hilari vultu ornatus facilius colitur & amatur; at si tristi aspectu horridus, si toruitate hispidus ipso supercilio lædit, & à se homines abigit. Hinc est, quòd à Deo electi Dauidis forma præscribitur, ne hæc naturæ ingenua dos in superiore desideretur: *Erat autem rufus, & pulcher aspectu decoraque facie.* Vbi noster Vulgatus legit, *Pulcher aspectu*, Hebraicè legitur, *Pulcher oculis*, & Pagninus legit, *Cum nitore oculorum.* Itaque Dauid commendatur à decenti forma & ab oculorum gratia, quod noster Sanctius notauit: [Facies describitur imperio non indigna, tametsi id Deus non admodum curet; veruntamen neque Regi à se designato illud Deus abesse voluit.] Consonat Basilius Seleucensis *orat.* 14. *Mitis erat aspectu, mitior animo: ore micanti, animo candido, præ corpore benè colorato lætius gestans animæ decus.* Animæ decus corpore benè colorato commendabatur, & cordis candor vultus serenitate apparebat, & intuentium oculos oblectabat. Qui frontem adducunt, qui oculorum toruitate, qui asperitate vultus sibi reuerentiam conciliari discupiunt, sibi ipsis imprudenter imponunt; nam oris toruitas difficilius reddit præceptum, hilaritas, & serenitas lenit mandatum: ergo Dauid, dum à Deo eligitur, competenti corporis habitudine, & oris venustate exornatus refertur. Esau describitur hispidus, Iacob lenitate præditus: *Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in modum pellis hispidus: vocatumque est nomen eius Esau.* Natura præferebat, sed hispiditas dignitatem negabat; non erat regimini aptus, qui vel solo aspectu referiebat, & vulnerabat. Prodest Hugo Cardinalis: *Ruffus sine additione sumitur in malo vt hic; cum additione verò sumitur in bono. Vnde* 1. *Reg.* 16. *Erat Dauid rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie. Esau interpretatur Quercinus.* Hispanè vt durum, & intractabile alicuius explicemus ingenium, dicimus, *Es como vna carrasca.* Ergo Esau meritò à dignitate est exclusus, qui hispidus semper, & quercinus.

Superior.
Venustas.
Gen. 25. v. 25.

§. XXXV.

In rebus magni momenti vel quæ apparent prorsus indubia, sunt perspicacibus oculis examinanda, & cum Domino consulenda.

PLura videntur indubia, & sic humanæ prudentiæ certa, vt iterum iudicij trutina expendi videatur otiosum, & nouum adhibere examen superfluum: verùm in rebus magni momenti nunquam erit superflua cautela, & adhibita solerter industria, quia sæpè quod indubium firmissimis argumentis habetur, mirandis artificijs adulteratum fuisse inuenitur. *Solent quidem* (aiebat Athalaricus 8. *variar* 16.) *venientes ad aulicas dignitates diutina exploratione trutinari, ne imperiale iudicium aliquid probare videatur ambiguum: quoniam gloria regni est reperisse indices exquisitos.* Multa deliberatione est pensandus, qui ad generalitatis salutem est promouendus. Isaac, dum citò tactui credit, dum temporis non expectat suffragium, extulit minorem ad thronum: *Manus sunt Esau. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant.* Veritatis similitudo pro veritate est habita, quia artificiosa tecta cautela. Audi Augustinum apud Glossam: *Ecce quomodò benedictionem promissam repentè maiore filio expauescit Isaac, & alium pro alio se benedixisse cognoscens miratur.* Non existimauit Isaac posse aliquod subesse artificium, sed delusus alium pro alio benedicit, & serò arcanum dolum agnouit. Ob id Samuel licèt vnicum tantum è filijs Isai supereſſe nosset, & Dauid è mappalibus adductum, & à parente oblatum ad vnctionem videret, nihilominus oraculum expectauit: *Et ait Dominus: surge, vnge eum, ipse est enim.* Et quid opus est oraculo, quando nullus alius restat, & Propheta è filijs Isai inungendum non ignorat? O laudabilem cautelam! In Regem inungere erat res magni momenti, & licèt omnes circunstantiæ veritati suffragarentur, Propheta expectauit oraculum, ne alium pro alio elegisset ad thronum, vt qui nouerat inueniri sæpe veritati cõtraria, quæ humanis oculis existimabãtur indubia: quousque oculis sibi obiectum fore vngendum accepit, lentitudine laudanda expectauit. *Loquutus est Dominus Samueli* (inquit Abulensis *quæst.* 28.) *vt vngeret Dauid.* Exiguum illud tempus commendauit prudentiam, quia omnem, quæ subesse poterat, excluſit fallaciam.

Consultatio.

Examen.

Gen. 27. v. 22.

TEXTVS.

VERS. XIII. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & directus est spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps: surgensque Samuel abijt in Ramatha.

§. XXXVI.

Naturæ lex non attenditur, vbi Dauid in Christi patrem deligitur.

NAturæ obscura felici saltu transgreditur, qui in Christi patrem deligitur, & eliquatis antiquæ originis sordibus incipit gloriosa claritate fulgere, & singulari dignitatis priuilegio purissimis luminibus emicare. *Corpore validus* (aiebat Athalaricus 8. *variar.* 17. ad dignitatem electo) *amicitia robustus aui antiquitatem gestabat abiectis sæculi vitiis, ditatus claris honoribus. His temporibus habitus est eximius, cum Princeps non esset erectus. Sed quid antiquam parentum eius repetimus nobilitatem, cum vicina resplendeat luce germani? Cuius non dicam proximitati, sed vel amicitiæ coniunctum fuisse, potest esse laudabile.* Is erat frater, vt non solùm coniunctum sibi sanguine, sed amicitia honoratum, redderet sæculis semper conspicuum: quòd si gloria est talem sortiri fratrem, quid sentiendum est de eo qui Christum Dominum rerum omnium rectorem genuit, & qui inter plures electus, vt hac conspicua excellentia refulgeat nobilitatus. Hinc est, quòd Dauid fratrum vltimus inter fratres vngitur, & contradicente patre dignitatis luminibus exornatur: *Vnxit eum in medio fratrum eius.* In medio fratrum postremus inungitur, vt agnosceretur legem cessisse naturæ, vt ad tantæ culmen ascenderet gratiæ. Notauit Basilius Seleuciensis *orat.* 14. *Rex erat Dauid prophetica manu ad regnum prouectus, & cælesti approbatione dignitatem consequutus, subitòque primus fratrum comperiebatur, qui postremus, ordoque naturæ cedebat gratiæ, & legis partus succumbebat.* Naturæ lex succumbebat, vt Dauidici regni arcana agnoscerentur exordia, & à naturæ triumpho exorta incepissent imperia. Quòd si Dauid in Christi patrem adeò remotum designatus naturæ leges nobiliter est transgressus, quis dubitet Mariam sanctissimam ad tantam celsitudinem eleuatam naturæ lege non teneri, sed vicisse dignitatis luminibus quidquid Adamus obscurarat reatibus. Et expende, tot fratres dotibus conspicuos nullo murmure electionem arrosisse, sed cœlesti iudicio exortam probasse. Huc voco, quod aiebat Athalaricus 8. *variar.* 2. *Tot proceres manu, consilioque gloriosi nullum murmur, vt assolet, miscuerunt, sed ita cum magno gaudio sequuti sunt Principis sui iudicia, vt voluntatem ibi potius agnosceres confluxisse.* Non potuerunt de Dauidis dotibus dubitare, cùm viderint à Propheta spiritus Sancti lingua electum priuilegio singulari elucere. Adde: diuina prouidentia fuisse dispositum, vt priuilegium communi assensu ferè omnes non solùm deuota faterentur lingua, sed in eius dignitatis defensionem etiam emitterent Sacramenta. *Noueritis etiam* (adnectit datus Athalaricus) *diuina prouidentia fuisse dispositum, vt Gothorum, Romanorumque nobis generalis consensus accederet, vt voluntatem suam, quam puris pectoribus afferebant, iuris etiam iurandi religione firmarent. Quod vos sequuturos esse minime dubitamus tempore, non amore.* Acsi dicat: A vobis debuit inchoari, quod tanto assensu opus est confirmatum sequi: nec enim fas esset vos præcipuis honoribus à me nobilitatos meæ dignitatis splendore experiri contentionibus variis aduersos. Reddit rationem Athalaricus. *Consitat enim*

Natura. *Electio.* *Maria.*

enim excellentissimos patres tanto amplius posse diligere, quanto maiores honores à cæteris ordinibus visi sunt accepisse. Dauidis fratres, quia fratris electione grandem suscipiebant honorem, eius sceptris fas non erat obniti, sed præ aliis plaudere: ergo Dauid in medio fratrum eligitur, vt ei vti Christi Domini patri naturæ cessisse leges, noscatur.

§. XXXVII.

Nullus inuidet donis cœlestibus præcellenti, sed humanis splendoribus emicanti.

Inuidia. Donum. Dignitas.

ID est inter virtutes, & dignitates discrimen, quòd dignitas frequẽter patitur ambientium inuidiam, virtus non solet æmulantium sustinere querelam. Securus degit, qui se miris virtutibus expoliuit. Panidus semper est, quem dignitas expetitis ab omnibus splendoribus decorauit. Ratus est, qui ægrè ferat virtutibus ab alio vinci, ratus, qui grauanter non sustineat commodis, aut honoribus superari. *Non sinimus* (aiebat Theodabadus 10. *variar.* 28.) *contra illos cuiusquam præualere malitiam, qui vestro iudicio ad administrationem publicam susceperunt. Quapropter in designatis titulis ambitio inimica semper iustitiæ conquiescat. Consuetudinarius benè agentibus locum protinus tollamus inuidiæ: non liceat cuiquam inter quinquennium prædictis velle succedere, si tamen nostra inquisitione eos nulla culpa respuerit.* Nouerat prudentissimus Princeps quantæ contra culmine dignitatis elatos armentur technæ, & captiosæ disponantur insidiæ: ergo edituali præscripto inuidentium vires repressit, & ambitum refrænauit. Opus non esset hoc cauto tutamine, si, vt excedebant splendoribus, heroicis emicuissent virtutibus; nec enim virtutis splendor contra se commouere solet inuidiam, cùm dignitatis honor factiosam frequenter excitarit querelam. Dauid cantu in dæmonem prævaluit: *Recedebat ab eo* (Saule) *spiritus malus.* Non multò post reportato à dæmone triumpho cum Goliath conflictus successisset, & jam victorem Ionathas purpura exornat, & arcu, gladioque obarmat: *Expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum.* Expendere juuat, cur Ionathas Dauidem in dæmonem prævalentem armis non munierit, & regia tunica indutum gladio, & sagittis armarit? Sumptuosior triumphus erat, quàm gigantem prosternere, dæmonem vincere: ergo Ionathas vtrumque triumphum dilargitis armis honoret, aut nullum celebret. O Ionathæ sapientiam! Dæmonem vincere erat virtutibus emicare; regia tunica indui honoribus prælucere: ergo disertus Princeps purpuratum armauit, vt qui nouerat inuidiam non insidiari virtutibus, & insidias prætendere dignitatibus. Huc voco Basilium Seleucensẽ *orat.* 14. *Lyræ melos veluti telum iaciebatur in dæmonẽ.* Triumphus in dæmonem ab inuidentia erat exemptus, purpuræ splendor periculo expositus: ergo cum purpura dedit arma, & non dedit, cùm Dauid contra dæmonem misit tela. Huic veritati suffragatus est Samuel, dum in medio fratrum non timet Dauidem inungere, & veretur, quò vnctio tetenderit, declarare: *Vnxit eum in medio fratrum eius.* Cùm Saulem vnxit, dicebat: *Vnxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem.* Hic ora continuit, & silentio vnctionem peregit. Iam si inquiras, cur non timuerit inungere, & fuerit veritus vnctionis scopum declarare, respondebit Caietanus timuisse, si finem vnctionis exprimeret, vt in Iosephum, fratrum inuidiam armandam, non tamen timuisse inungere coram fratribus, quia suspicati sunt vnctione electum fuisse in Prophetam: *Ibi declarauit Deum vnxisse Saulem in ducem; hic autem nullum profert verbum: timebat enim manifestare quorsum fieret illa vnctio.* Adnectit: *Putare facilè poterant, quòd vngeretur in electum à Deo in Prophetam.* Dauid in Prophetam inunctus contra se non inflammaret inuidiam, in Regem inauguratus contra se incenderet flammam: ergo vnctionis finem tacuit, & vngere in præsentia fratrum non timuit.

Sup. cap. 10. v. 1.

§. XXXVIII.

Consanguinitatis vinculum ignorat, quem inuidentia, aut ambitio inflammat.

VIdendum est nunc (aiebat Seneca *lib.* 2. *de Beneficiis cap.* 26.) *quid maximè faciat ingratos.* Iam refert: *Aut nimius sui suspectus, & insitum mortalitate vitium, se, suaque mirandi: aut inuidus, aut inuidia.* Alienis splendoribus inuidia vritur, & licet ipsa nequeat aliena diminutione splendere, felicem non sustinet spectare. Auiditas etiam, si quid suæ improbæ spei præcidi posse arbitretur, aduersus strictissimum naturæ vinculum depræliatur. Frater, si fratris dejectione se credat gratiam Principis elucrari, insidias aggredietur moliri, immò aliquando ipse pater, cui natura suadet filiis commoda procurare, adnititur impedire. Sitis ineundi apud Principem sibi gratiam strictissima vincula rumpit, & naturæ obtemperare contemnit. Ecce Samuel in medio fratrum Dauidem vngit, sed ad quid vngat, silentio premit: *Vnxit eum in medio fratrum eius.* Si Saulem inungens in Principem electum expressit: *Vnxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem*, cur hic subticuit, nec patri ipsi reserauit? Quia timuit (inquit Caietanus) ne, vt apud Saulem inirent gratiam fratres, immò pater ipse obliuiscerentur naturam; nouerat namque hominis ambitionis delirio frequenter furere, & vt Principis elucrentur gratiam, in patrem, & filios arma conuertere. Accipe Caietanum: *Hic nullum profert verbum: timebat enim manifestare quorsum fieret illa vnctio tot personis, ne perueniret ad aures Saulis. Nec fortè patri manifestum est, quòd vngeretur in Regem, sed in electum à Deo.* Si naturam attendas, fratrum, patrisque, magnum erat & ornamentum, & commodum Dauidem in Principem esse electum; ea tamen est ambitionis, & inuidentiæ peruersitas, vt Samuel non otiosè vnctionis finem celauerit, & à fratribus, immò à patre ad Saulem, vt eius inirent gratiam, factum deferendum timuerit. Non fuit superflua cautela, quia ardentissima est ambitionis flamma, & humani cordis nequitia.

Cognatio. Inuidia. Ambitio.

Sup. cap 10. v. 1.

§. XXXIX.

Inuidiam non ſuſtinet, qui dignitatem adit compulſus, ſuſtinet, qui ſuprà cæteros eminere diſcupit ambitioſus.

Dignitas. Ambitio. Inuidia.

PRæſumptio omnibus inuiſa eſt, ſed tunc præcipuè inflammat contra ſe odium, cùm prorumpit in ambitum. Qui coactus, compulſuſque adit dignitatem, inuidiam fugit, aut ſopit: qui ſe ingeſſit, & omnia debere ſibi præſumpſit, omnium contra ſe manus armauit. Nullo quippè (aiebat Caſſiodorus 1. *variar.* 4.) *vt pleriſque moris eſt, elatus fauore fortunæ in cothurnum ſe magnæ poteſtatis erexit; ſed aquitate cuncta moderatus gratiam noſtram in ſe non reddidit odioſam.* Non reddidit Principis gratiam odioſam, qui ſe fecit ad dignitatis apicem quæri, nec geſtiuit fortunæ fauore, aut præſumptionis alis ad magnæ cothurnum poteſtatis inuolare. Hinc eſt, quòd Samuel Dauidem ab ouilibus adductum cunctatus non fuerit coram fratribus inungere, & honoribus exornare. *Vnxit eum in medio fratrum eius.* Inquires, cur vnctio iſta non fuit fratribus occultata, cùm Ioſeph, dum ſe fratribus præpoſitum ſomniat, contra ſe excitarit inuidiã? *Hæc ergo cauſa ſomniorum* (inquit Textus) *atque ſermonum inuidiæ, & odij fomitem miniſtrauit.* Si fratres Ioſephi vſque ad ſomnia extendunt inuidiã, tetriorem Dauidis fratres, vnctione inſpecta, fouebunt maleuolentiam: ergo Samuel vnctionem celauerit, nec conſanguinitati fiderit. Profectò Samuel ſuis factis oſtendit dignitatem non reddere odioſam, qui illam adiuit quæſitus, & quodammodo vi coactus, & cõflare ſibi odia, qui ſomniata ſupra cæteros reſplendere ſatagit excellentia. Ioſephi fratres arbitrati ſunt ea ſomnia à Deo non immiſſa, ſed tumore ſuperbiſſimo procreata. Viderunt Dauidis fratres ipſum vnctionem non ambiiſſe, ſed à receſſibus adductũ, & coactum quodammodo toleraſſe: ergo fratrum non eſt paſſus inuidiam, humilem profeſſus modeſtiam. Opportunè Abulenſis *quæſt.* 16. *Quamquam Dauid vngeretur ſcientibus fratribus, & patre, non concitaretur inuidia, cùm ſcirent hanc electionem à Deo eſſe. Nec valet exemplum de Ioſeph, quia fratres ſui non putabant illa ſomnia eſſe à Deo, ſed per arrogantiam & ſuperbiam.* Vel fratres ſuſtinere patienter non poſſunt Ioſephum, dum ſuſpicati ſunt ſupremi culminis cupidum. Patienter tulerunt Dauidis fratres vnctionem, quia nouerant è mappalibus aduocatum, & dignatione cœleſti electum.

Gen. 37. v. 8.

§. XL.

Si jugum ſuſtinendum ſit, prudentia conſulit malle propriis parere, quàm extraneis obedire.

Jugum. Proprius. Extraneus.

HOminum ſuperbia impatienter ſuſtinet jugum, & recuſat imperium: verùm ſi opus ſit parere, prudens plus amabit propriis obtemperare, quàm cæteris obedire. *Si vos externus hæres imperij ſuſcepiſſet* (aiebat Athalaricus 8. *variar.* 3.) *dubitare forſitan poteratis, ne quos prior dilexerat, inuidendo ſubſequens non amaret, quia neſcio quo pacto, cùm ſucceſſor ampliùs laudari nititur, præcedentis fama ladatur. Nunc verò perſona tantum; non eſt autem vobis gratia commutata.* Plus ſemper ſperatur de propriis, quam præſumatur de alienis. Minus ſubjectis cõſulunt, qui origine alieni, & terrarum diſtantia longiſſima nati. Tenerius ſuos amant, qui aut eadem origine exorti, aut inter conciues adulti. Hinc eſt, quòd Samuel, etſi non ignoraret Ioſephi fratres eius ægrè tuliſſe dominium, non fuerit veritus inter fratres Dauidis vnctione perficere Sacramentum. Sed inquires, quid Samuelem monerit, ne fratribus vnctionem celarit? Dubio reſpondet Abulenſis *quæſt.* 16. magnam inter Ioſephi, & Dauidis fratres interceſſiſſe differentiam; nam Ioſephi fratres tunc ſui erant juris, nullius imperio ſubjecti, aut legibus gubernati: ergo nolebant, quantumvis frater eſſet, Ioſephi jugo ceruicem ſubdere, ſed libertate gaudere. At Dauidis fratres jàm Saulis ſuſtinebant imperium: ergo fratris non recuſarent dominium, immò gauderent fratrem habere rectorem, qui extraneum nequibant non ſuſtinere imperantem, quandoquidem prudentia ſuadebat plus proprium diligere, quàm extraneum. *Fratres Dauid habebant iam Regem, & ſemper habituri erant aliquem, qui dominaretur eis. Præeligerent ergo illum habere de genere ſuo, quàm de extraneis, & ſic non inuiderent. Sic autem factum eſt, nam non inuiderunt fratres Dauid ei, ſed potius eum dilexerunt, & adiuuerunt.* Nouerat Samuel bonam politicam dictare ſatius eſſe ſubjici proprio, quàm extero, & ob id non eſt veritus fratrum inuidiam, immò credidit oſtenſuros beneuolentiam, quod & euentus probauit. Hinc erudiendi ſunt, quibus eſt eligendi ad dignitates facultas, ſcilicet ſi res patiatur è propriis eligere, non exteros eleuare. Quandoquidem ſubjectio faciliùs præſtatur, ſi dominetur proprius, quàm ſi imperarit extraneus.

§. XLI.

Quem Deus ad culmen dignitatis euehit, ſpecialibus etiam auxiliis communit.

Virtus. Auxilium.

LIcet ad regendos populos idoneos efficiat (aiebat Caſſiodorus 8. *var.* 9.) *quos ad auguſtũ culmen diuina prouexerint, quando nec ætas impedit, vbi ſe ſe potentia cœleſtis infudit, tamen ad releuandam florentiſſimæ noſtræ ætatis ſolicitudinem, viſum eſt te virum prudentiſſimum commenciter adhibere, quem conſtat etiam Domini ac noſtri tractatibus iugiter, & laudabiliter adhæſiſſe.* Quem Deus ad regimen deſtinauit dotibus opportunis excoluit, Princeps eligere debet, quem exornatum inuenit: ſpeciali ſtudio miniſtrat auxilia, cui regenda Deus commiſit imperia: nec ætas impedit, vbi cœleſtis prudentia regit. Dauid paruulus à Deo eligitur, ſed copioſo ſpiritu ornatur: *Directus eſt ſpiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps.* Contra ætatis impedimentum aderat cœleſte auxilium, nec nocebat nouitas, quia actiones eius dirigebat diuinitas. Adeſt Gloſſa Moralis: *Per quod oſtenditur, quòd promoto ex ordinatione diuina datur gratia ad exequendum officium ſuum, niſi ponat obicem ſpiritus ſancti gratiæ.* Qui à Deo electus cupiditati blanditur, & voluptatibus adulatur, diuinum à ſe repellit auxilium, & regiminis eſt venenum: qui verò non ponit obicem, quæ videbantur impedimenta, ſentit auxilia; nam vbi ſe infudit cœleſtis potentia, facilè euanet

euanescunt obstacula. Dauid curandis gregibus assuefactus, & tempore non maturus, videbatur populis regendis ineptus; at vbi sacra vnctione delibutus, principali spiritu proditur adornatus: *Directus est spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps.* A die vnctionis eius spiritus est directus. Et nota hîc non solùm referri Dauidis inaugurationem, sed populi etiam felicitatem; quandoquidem non poterat non florere, quando constabat à Principe donis cælestibus expolito gubernari. Non adeò fortunata esset Respublica à sene sine spiritu directa, quàm à juuene ornato cœlesti spiritu gubernata; nec satis erat ab illa die spiritu dirigi, si exinceps impedimentum apponeret, & dignitatis luminibus superbiret: verùm dum cœleste adest auxilium, & Dauid non ponit obstaculum, omnium sospitas viget, & Reipublicæ tranquillitas floret.

TEXTVS.

VERS. XIV. Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.

§. XLII.

Infelix est, si, quem dignitatis fulgor fascinat, spiritus Dei desertat.

Dignitas. *VNa felicitas est* (aiebat Seneca *epist.* 123.) *bona vita, facere omnia liberè, frui patrimonio. Hoc est viuere, hoc est se mortalem meminisse.* Nullus felix est, si ab honestate discesserit, infelix nullus, si se virtutibus expoliuit. Ab hac vera, certaque doctrina non tam distant, quos fortuna oppressit, & laboribus addixit, quàm illi, quos prosperitas extulit, quos dignitas claros reddidit: verùm si euanidis splendoribus cæcutiant, & à virtute recedant, dubitãdum non est præ cæteris esse ipsa fortuna infelices. Circumfusi delitiis, circumsepti voluptatibus exteriùs sunt nitidi, sed interiùs sordidi, habent ad manum, quo pejores quotidiè fiant, & enorme laudum facinus passi, exerrant à ratione longissimè deuij. Saul ab spiritu deseritur, & à dæmone inuaditur, dum collucet purpura, & redimitur corona: *Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* Si vnus è plebe esset, etsi spiritu Dei careret, tot delinquendi occasiones inopia non ministraret, nec humilis conditio insolenter auderet: at dum caret cœlesti spiritu, & circumfusus splendet famulatu, se vtendum dæmoni exhibuit, & multimodis vitiis sordet. Melius cum illo actum esset, si desertus à gratia careret pompa; ast purpura ornatus, pollucibili mensa vsus, continuis adulationibus oblectatus nihil in se honestum reliquit, & infelicitatẽ suam se ipsum seducendo promouit. *Diuini impulsus donum internum scribitur recessisse à Saule* (inquit Caietanus) *subtraxit siquidem Deus huiusmodi gratuitum donum, Saule reddente se indignum illo ob superbiam, & inobedientiam.* Fastu superbiens, & prospera fortuna affluens internis Dei impulsibus aditum occlusit, & suæ imprudens calamitati inseruiuit. Quàm erat fortunatus Dauid pastorali soloce indutus, & diuino spiritu afflatus! quàm miser Saul à Numine desertatus, quantumvis purpura micaret vestitus! Non est inuidendum iis, quos vulgus felices vocat, si eorum felicitas majorem vitiis præbeat materiam, & cum virtutibus ineat pugnam.

§. XLIII.

Qui videntur culminibus eminere, internis solent morsibus dilaniari.

Felices. Culmina. Morsus. SÆpiùs pauper fideliùs ridet nulla solicitudine diuexatus, nec vanis timoribus septus, si qua inciderit cura, velut nubecula leuis citò euanescit, & fugit: at qui velut in scæna apparent felices, sæpissimè grauissimis curis vruntur, & solicitudinibus dilaniantur. Agricola culmo tectus placidè dormit; altus & diues purpureis stragulis somnum non capit. Opportunè Seneca *epist.* 80. *Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut grauis, & suppurata tristitia, & quidem grauior, quia interdum non licet palam esse miseros, sed inter aerumnas coripsum exedentes necesse est agere felicem.* Saul vt erat ambitiosus, & superbus, internis cruciatibus vrebatur: *agitabat eum spiritus nequam à Domino.* in Hebræo habetur: *Terruit eum spiritus malus à Iehoua.* Tormentum hoc à melancholia exortum tradunt Interpretes. Ita Caietanus: *Spiritus malus in Saule non significat dæmonem, sed spiritum melancholicum impellentem ad malum terrendo Saulem.* Et quæ huius melancholiæ occasio? Si culta seruorum copia circumdatur, si in mensa omnium gentium animalia recognoscit, si leni pluma decumbit, quid tristatur? Quia jam Samuel, vt solebat, non inuisit, sed quodammodo spernit, quia posteros diadematis priuandos existimat, quia Dauidis eum plausus diuexat: ergo his curis internis durissimè vrebatur discruciatus, quantumvis lapillorum luminibus fulgularet onustus. Addit Caietanus: *Ex motu spiritus melancholici formabantur in internis sensibus apparitiones exterrentes Saulem.* Quàm alius erat Saul externè visus, & internè inspectus. Si fasciam solues, multum mali sub illa latere inuenies. Tristibus cogitationibus torquebatur, quod possidebat imperium, ad alium verebatur citissimè transiturum, & dum periculi futuri solicitudinibus angitur, commodis dignitatis non fruitur.

TEXTVS.

VERS. XV. & XVI. Dixeruntque serui Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te, jubeat Dominus noster, & serui tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cythara, vt quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leuius feras.

§. XLIV.

Difficulter diù celatur, quod animo interius geritur.

Animus. Dissimulatio. QVantumvis astuta desudarit industria, & industria laborarit cautela, non possumus diù, quæ corde gerimus, abscondere, præcipuè iis, quibus frequenter opus est cõuersari: aut aliquod

verbum effluit, aut actio aliqua inconſiderata ſuſpicionis materiam præbet, & internum animum prodit. *Quemadmodum* (aiebat Seneca 3. *de ira cap.* 10.) *tempeſtatis, ac pluuiæ ante ipſas notæ veniunt; ita iræ, amoris, omnimque iſtarum procellarum animos vexantium ſunt quædam præmunita.* Quantumvis adlaboret animus procelloſos paſſionum fluctus abſcondere, notis, ſigniſve aſpicientibus contigit profiteri. *Superbus* (aiebat Caſſiodorus 5. *variar.* 9.) *varicatis greſſibus patet.* *Superbus.* *Iracundus lumina feruore declaratur.* *Iracundus.* *Subdolus terrenum ſemper amat aſpectum. Leues inconſtantia prodit oculorum.* Saul à dæmone inuaſus non ſolùm externis indecoris motibus rapiebatur, ſed internis, duriſque imaginationibus angebatur deterritus, & deterrebatur anxius. Qui aderant, commiſeratione moti de remedio cogitarunt, & ſaltem prouidendum aſſeruerunt: *Dixerunt ſerui Saul ad eum: Ecce ſpiritus Domini malus exagitat te. Iubeat Dominus noſter, & ſerui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cythara.* In Hebræo habetur: *Ecce nunc ſpiritus Elohim malus terret te.* Itaque qui aſtabant, non ſolùm cognouerunt motus illos exteriores intuentium oculis patentes, ſed etiam internas phantaſiæ, aut imaginationis terrores. Vndè quæſtio oritur, quomodo ſcilicet potuerint dignoſcere terrificas imaginationes, cùm adeò eſſent abditæ, & ab oculis ſemotæ? Ad quod reſpondet Caietanus aliqua deprehendiſſe veſtigia, quibus illis patuerunt interna, nam cùm ſemper adſtarent in eius conſpectu, & vterentur affatu, non potuit animus, quod interius gerebat, penitus adeò occulere, vt aliqua non contigerit interna adſtantes venari: *Cognouerunt ſerui eius ſpiritum melancholicum eſſe terrificum, vel referente ipſo Saule terrores, quos patiebatur in imaginatione, vel exterioribus verbis, aut factis.* Itaque vel imaginationes animo abſtruſas venabantur, aut quia aliquibus verbis prodebat, aut quia aliquibus motibus indicabat: Profectò ſibi imponunt, qui exiſtimant, quæ corde gerunt, eis, quorum vtuntur conſuetudine, poſſe celare: ſunt namque plures conjectores, & augures, qui, vt medici ex pulſu interna, ſic ipſi ex verbo aliquo aut nota deprehendunt abſtruſa. Fortaſsè exiſtimabat Saul imaginationes ſuas ignorari, cùm ab omnibus certum eſſet ſciri: eſt namque arduum, cum quibus conuerſamur, ſic quæ animo gerimus aſtutè abſcondere, vt aliqua nota, aut verbo nequiuerint deprehendere. Quod Saul imaginatione tractabat, adſtantes agnouerunt, & promulgarunt.

§. XLV.

Deus ob dignitatem ſuperioribus ſpecialem lucem miniſtrat, & prouidentia ſingulari gubernat.

Deus. Superior. VT celſiora loca citiùs ſolis jubare perfunduntur, & cùm imas valles caligo occupat, radiis ſolaribus illuſtrantur; ſic Deus, quos ad dignitatum euexit apicem, majorem infundere ſolet lucem, qua ſubjectos regant, & Reipublicæ tranquillitatem cuſtodiant. *Nunc veſtrum eſt* (aiebat Senatum alloquens Athalaricus 8. *variar.* 2.) *tale aliquid ſperare, quod communem Rempublicam poſſit augere.* Si quæ Reipublicæ augmentis viderentur commoda, promiſit Princeps à ſe rectoribus nullatenus deneganda. Quandoquidem bona politices exigebat, quos ad omnium ſalutem decreuerat elenare, auxiliis competentibus ſuffulcire. Vbi Saul toruo ſpiritu exagitatur, Danidica Lyra quæritur: *Iubeat Dominus noſter, & ſerui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cythara.* Iam Dauid cythara in dæmonem prævalens refertur, quia Princeps vngitur. Statim cum vnctione accepit ſpiritum: *Directus eſt ſpiritus Domini à Die illa in Dauid.* Inauguratum Principem jam ſpiritus adornat, & qua ſibi ſubjectos curet, peritiam miniſtrat. *Directus eſt ſpiritus Domini* (inquit Caietanus) *internum donum diuini ſpiritus appellatur ſpiritus Iehoua.* Spiritus mouebat linguam, gubernabat manum, vt Princeps ſubjecti jā ſibi infirmitatem depelleret, & dæmonem expugnaret. *Ne mireris* (aiebat Seleucienſis Baſilius *orat.* 14.) *Si cum regno in dæmonem quoque vires acceperit.* Præmiſerat: *Loquebatur tantum, & hoſtis vincebatur, & lyræ melos veluti telum iaciebatur in dæmonem.* Itaque Princeps tantum loquebatur, & ſubjectus ſanabatur, quia à die vnctionis directus in Dauid ſpiritus ea prouidentia mouebat, ea verba inſpirabat, vt dæmonem prorſus abigeret, & ſubjectis ſanitatem afferret. Et expende à Saule, quia jam rejectus, qui vti Regi aſſiſtebat, ſpiritum receſſiſſe: *Spiritus autem Domini receſſit à Saul.* Qui ſpiritus? Non alius, niſi qui vti Regi ſpecialiter aderat, & eius actiones in ordine ad Rempublicam dirigebat, nam cùm jam deeſſet dignitatis titulus, & ſpecialis etiam ſpiritus, ceſſauit internus motus. Notauit Caietanus: *Diuini impulſus donum internum ſcribitur receſſiſſe à Saul.* Itaque Dauidi, vbi regnum accepit, internus ille cœleſtis impulſus adfuit, vbi Saul reiectus eſt, defuit. Vt hinc diſcamus Regibus, Principibuſque dignitatis ratione ſpecialiter adeſſe ſpiritum, qui eorum mentes illuſtret, actioneſque regat.

§. XLVI.

Dum infirmitas ſubiecti grauior, oportet aliquando, vt Medicina ſit lenior.

Subditus. Medicus. IN *contrarium* (aiebat Seneca loquens de Iræ medicamine *lib.* 3. *de Ira cap.* 13.) *omnia eius mitia indicia flectamus, vultus remittatur, vox lenior ſit, gradus lenior: paulatim cum exterioribus interiora formentur.* Cùm ſubjectus ira excandeſcit, & extra ſe quodammodo actus furit, prudens ſuperior placidiorem oſtendit vultum, leniori voce vtitur, vt paulatim animus ægrotantis ad ſanitatem, & mentem ſobriam reducatur. Expectandum eſt, vt tantillum phrenetis illa detumeat, nam aliter medicinam excutiet, & medicus oleum, & operam perdet. Fratrem illum, qui in fratrem æſtuabat odio, qui fugiebat inuidia, qui paternam domum refugiebat intrare, & ad eius menſam diſcumbere, paret ſereno vultu, & blandis verbis alloquitur: *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* Luc. 15. v. 31. Non audies poſt blandam adeò correctionem querelas multiplicaſſe, & in fratrem deſæuiſſe; ipſa patris manſuetudine veluti pio faſcino ſic illigatus eſt, vt ora ſilentio preſſerit, & indignationis flammas ſopiuerit. Adeſt Chryſologus *ſerm.* 4. *O quid facit vis amoris, quamvis malo*

filio

filio non esse nescit, non esse non potest pater: Videt filium degenerasse animo, videt paternæ pietatis, paterni generis nihil habere, & tamen nuncupat filium, suadet affectum. Quia vidit nihil generis habere, leniùs tractauit, vt ad sobriam reduceret mentem, & prudenti affabilitate afferret ægrotanti salutem: si toruo supercilio feriret, si asperrimis verbis exulceraret, flammas flammis addidisset, & effugasset: ergo vt suaderet affectum, vocauit filium: superiores edocens tunc cum subjectis lenius agendum, cùm intuentur viuidiùs iratos, aut aliqua alia affectione à se ipsis quodammodo alienos. Hanc prudentem politicam Saulis aulici edocuerunt; nam cùm aspicerent toruo spiritu exagitatum, & cæco furore correptum, decreuerunt suauissimi cantus melodia delinire, & dulci cytharæ concentu mederi: *Iubeat Dominus noster, & serui tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cythara.* Grauissimus morbus grauissimo videbatur medicamine depellendus, non blandis curandus, & tamen aulæ magnates opportuniorem medicinam decreuerunt esse melodiam, & quidem euentus cordatum satis approbauit consilium; quandoquidem Saul sedata illa respirabat passione, & abacto ad sospitatem redibat turbine. Opportunè Rhabanus, & Eucherius apud Glossam: *Tropologicè hoc facto compatiendum proximo instruimur. Plerumque enim superbus dimes exhortationis blandimento placandus est, quia plerumque dura vulnera per lenia fomenta mollescunt, & furor insanorum ad salutem medico blandiente reducitur.* Dum furor, & insanus ardor hominem extra se agit, opus est leni voce curare, & medicamentis blandientibus vti.

§. XLVII.

Parum externa iuuat medicina, si in animo ægritudinis insederit causa.

Medicina. Cause. Cimen.

TErtullianus *lib. de idololatria cap.* 1. crimina vocat exitiosa, & salutis nocentissima venena: *Crimina exitiosa deuoratoria salutis.* Ipsa voluptas sauciat; ipsa iracundia corporales sensus depraua t, cúmque criminis venenum salutis deuoratorium interius foueatur, exterior non semel medela quæritur: verùm dum cordi inhæret causa, supernacaneè exterior apponitur medicina. Vt intisa tinea lignum arroditur, sic salus crimine deuoratore consumitur: vtque otiosum est, ni extinxeris ignem, adniti sopire ardorem; ita est cunctidum, si ægritudo oriatur ab anima, externa applicare medicamenta. Animus curandus est expuncto veneno, & repurgato criminis admissi aconyto, aliter namque incassum laborabit industria, & fructu carebit medicorum solertia. Saulis animam à gratia desertam, & transgressione diuini mandati exulceratam dæmon gratum sibi effecerat domicilium: prudentia de mentis arce deturbatur, transuersim agebantur oculi, membra indecoris motibus jactabantur. Adsciti regij medici eius in conspectu adstabant, vt perspicacibus oculis ægritudinem intuiti venarentur causam, & opportunam applicarent medelam: ergo vt viderunt nil medicamenta proficere, solicitudinem nil juuare, confessi sunt ægritudinis causam animo residere, nec externis posse medicamentis expungi: ergo consuluerunt psalten quærendum, qui in dæmonem prævaleret, & ægritudinis causam ab anima exterminaret: *Ecce spiritus Dei malus exagitat te: iubeat Dominus noster, & serui tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cythara, vt quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leuius feras.* Hoc fuisse medicorum, qui ægrotanti Regi adstabant consilium, testatur Abulensis *quæst.* 34. ex Iosepho *Antiquitat. 6. Mox vt incurrit Saul hanc vexationem, conatus est à medicis quærere remedium. Qui responderunt hoc esse impossibile arte medicorum, sed dederunt quandam alleuationem, scilicet vt quæreret aliquem psallentem coram eo, & sic leuius toleraret.* Vbi cognouerunt artem suam defecisse, remedia non prodesse, sine ambagibus confessi sunt eam ægritudinem externis medicamentis non subjici, deberique sacris hymnis ab animo causam expelli; nam durante causa, & labor foret irritus, & omnis conatus medicorum frustraneus. O si intelligerent peccatores, quæ ægritudines à culpis solent exoriri, solo Medicinæ juuamine non curari. Culpa ab animo expungenda est, nam si perseueret causa, desudabit frustra medela. Dum dæmon ab animo non expellitur, Saul durissimè discruciatur, & leniùs habet, cùm dæmon fugit: *Leniùs habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* Dum spiritus malus non recedit, ægrimonia Saulem adurget.

§. XLVIII.

Miraculi adinstar erit, si magnatibus adstantes animi ægritudines non studuerint adaugere, sed reuelare.

Aulici. Ægritudo. Magnates.

VT in aula viget adulatio, rarus est ex iis, qui ad Principum familiaritatem admissi sunt, qui non studeat eius vota, etsi iniqua, fouere, & desideriis blandiri. Optimè Plutarchus de iis adulatoribus, qui familiarium gerunt personas, & amicorum adaptarunt sibi larnas. Ipsum audi *lib. de Adulator.* &c. *Administer in amore est fidus, in redimendo scorto sedulus, in compotationis impensarum subducendo calculo non solutus, non in parandis oscitans cenis, pellicum obseruator.* Qui latera altorum, magnatumque cingunt, frequenter eorum mores obseruant, & si viderint voluptatum studiosos, pulchellarum notitiam ingerunt, & qui sanis consiliis juuenilem ardorem debuissent sopire, non rarò inueniuntur fouere. Hinc miraculi adinstar fuit Saulis seruos, qui eius in conspectu adstabant, eum admonuisse malo spiritu exagitari, & ad medelam cantus perquirendam se expromptos offerre: *Ecce spiritus Dei malus exagitat te. Iubeat Dominus noster, & serui tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cythara, vt quando arripuerit te spiritus Domini manus, psallat manu sua, & leuius feras.* Si alij essent, morbum attestarentur esse salutem, nec adniterentur illum exoculatum fomitem refrænare, sed gratis adulationibus adaugere. Profectò se dignos ostenderunt, qui ad Principis admitterentur colloquia, dum conati sunt contra dæmonem quærere medicamina. *Admonent Regem* (inquit noster Sancius) *vt sibi de opportuno remedio prouideat: neque aliud magis ideneum, præsensque comperiunt, quàm si vir accersetur vndecumque canendi, pulsandique peritus, qui*

furentem ſedet animam, mœrentem exhilaret, & è ſua quaſi ſede commotum ad ſuum locum, ſtatumque reſtituat. Ad ſoſpitatem, animique ſalutem ſatagebant reuerenti admonitione reducere, & opportunam medelam quærere, cùm de more magnatum familiares adjectis igniculis exacuant furorem, allatis pellicibus, foueant libidinem, & blandientes concinnent prauitatis occaſionem.

TEXTVS.

VERS. XVII. Et ait Saul ad ſeruos ſuos: Prouidete ergo mihi aliquem benè pſallentem, & adducite eum ad me.

§. LXIX.

Spem magnam ſalutis ſortitur, qui ſe honeſta admonentibus non iraſcitur.

Conſilium. Admonitor.

CHaritas *eſt præceptum Domini lucidum illuminans oculos* (ſcribit Caſſiodorus *de Amicitia cap. de Charitate*) *ipſa eſt enim lumen cordis omnes ſenſus hominis, & affectus clarificans, vt diſcat homo, & ſciat vbi ſit lumen oculorum, & pax.* Verus amicus amico cæcutienti manum præbet, & ſine offendiculo ducit, ſalubria conſulit, & quidquid amicum dehoneſtare poteſt, auertit: qui probati amici admittit conſilia, ſalubria vitæ inuenit medicamina; qui verò ab amico recedit ſalubri admonitione exaſperatus, aut refuſa luce percuſſus, ſibi ipſi inuidet, & ſalutem ſuam imprudenter ſpernit. Saul dæmoniacis motibus obturbabatur, & quolibet rapiebatur, familiares, amicique eius vicem dolentes conſuluerunt cytharœdum quæri, cuius melodia dæmon depelleretur, & ſalus repararetur: *Serui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cythara.* Annuit Princeps benè ſibi conſulentibus, ſoſpitatemque procurantibus: *Prouidete ergo mihi aliquem benè pſallentem.* Statim ac ſe facilem benè conſulentibus præbuit, ſalutem fouit; nam Dauidis cythara mœrentis animum exhilarabat, & dæmonē depellebat: *Leuius habebat; recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Si inexorabilem ſe præberet, & è conſpectu ſuo benè conſulentes fugaret, non ſortiretur remedium, ſed ægritudinis durum incrementaret cruciatum; aſt dum optima admittit conſilia, inuenit efficaciſſima medicamina. Notauit Abulenſis *quæſt.* 34. *Vidit, quòd rectè loquebatur, ideò conſenſit, quòd inquireretur ſibi aliquis pſallens.* Præbuiſſe benè conſulentibus aſſenſum, ſalutem jam promittebat, & depellendum dæmonem felici omine denuntiabat. Dum Saul admiſit conſilia, contra dæmonem habuit arma; aſt ſi reſpueret infirmitati blanditus, ſibimet probaretur aduerſus. O quot, dum amicorum reſpuunt conſilia, dum auerſantur ſalubres admonitiones, ſibi conciuere perniciem, & maturauere imprudenter ſtragem; eos fugiunt, quos debuiſſent amicabiliter colere, eos colunt, quos debuiſſent prudenter fugere, & dum amant ſibi adulantes, adauxerunt peſtibus vires.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Et reſpondens vnus de pueris, ait: Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum; & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo.

§. L.

Inuidus ſæpè laudat, vt ſecurius feriat, & grauius noceat.

Inuidia.

INuidia (aiebat Seneca *epiſt.* 75.) *pernicioſum optimis telum, inopinantes, ſecuroſque diſiecit, procellæ more, quæ in ipſa ſereni fiducia ſolet emergere.* Olim inuidia procellæ more adnitebatur excelſos ſubruere, & florentes deturbare. Verùm quia experientia oſtendit hoc morbo tabidos omnibus exiſtere odioſos, artem excogitauit, qua odium fugeret, & plus noceret: beneuolentiæ ſpecie tegitur odium, dilaudat inuiſum, & dum laboris celat malitiam, incutit altiorem plagam. *Solet inuidia* (aiebat Agathon apud Stobæum *cap.* 38.) *ad res illuſtres proſilire.* Conſonat Eurypides: *Oportet aliquid boni dicere, aut benè dicentibus non infenſum eſſe inuidia vitium.* Audaci alium lingnacitate ferire, ingenerat audientibus ſuſpicionem, & exiſtimant ab exulcerato animo prouenire, quod obmurmurans alterius adnititur malignitati applicare: ergo inuidia ſtilum vertit, laudes profert, vt dilaudatum telis objiciat, & à ſe maleuolentiæ, inuidentiæque ſuſpicionem auertat. Cornelius Tacitus de Iulio Agricola ſermonem inſtituens, ſcribebat periculum ſubiiſſe apud Principem virtutibus infenſum, non ob crimen, ſed ob laudem: *Cauſa periculi non crimen vllum, aut querela læſi cuiuſquam, ſed infenſus virtutibus Princeps, & gloria viri, ac peſſimum inimicorum genus laudantes.* Vt nouerunt Agricolæ æmuli Principem gloriæ ardore æſtuantem, & elatiſſima ſuperbia tumentem, Iulium Agricolam nimiis laudibus extulerunt, quo Principis furorem accenderent, & periculis exornatum laudibus objectarent. Itaque ſpecie admirationis tegebant odia, & laudibus in Iulium Agricolam exacuebant Principis tela. Hac arte vſum fuiſſe quendam è Saulis ſeruis ſuſpicantur Interpretes; nam cùm ardentiſſima in Dauidem foueret odia, miris laudibus extollebat facinora, & mentitus beneuolentiam tegebat inuidiam: *Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo.* Noua inuadendi, nocendique ratione Dauidi periculum procreabat, & ſpecioſo colore inuidentiam tegebat. Opportunè Lira: *Dicunt Hebræi, quòd iſte fuit Doeg, qui erat principalis inter famulos Saul, & dixit hoc ex odio, quia jam Dauid odiebat. & ſic quærebat, vt ſtaret in præſentia Saulis.* Non ignorabat Doeg in aula degere inuidiam: ergo eximias protulit laudes, vt audientium aures in Dauidem exaſperaret, & diſcrimini objiceret. *Noua hæc calumniandi inuenta ratio* (ſcribit Polybius *in hiſtor.*) *non accuſatio-*

ne,

ne, sed laudibus noxam in socios comparare. Inuenta est autem potissimum, ac primum hæc malignitas, & fraus ab iis, qui in palatiis degunt. Palatiis degentes hanc inuenerunt fraudem, scilicet laudando nocere, & periculis exponere.

§. LI.

Magnis discriminibus exponitur, qui internis Principum mederi morbis adnititur.

Princeps. Morbus. Periculum.

MEdici, etsi austeris medicamentis procurarint corporis sanitatem, copiosam accipere solent mercedem: sustinet infirmus cauterio inuri, sinapi morderi, ferro secari, & saluti subuenientem miris extollit laudibus, & dilargitis onerat muneribus. Audi Tertullianum aduersus Gnosticos *cap. 5. Vlulans ille, & gemens, & mugiens inter manus medici postmodum eadem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & sanas iam negabit.* Itaque lanienæ ægroto non displicet, si ad salutem corporis conducat; at ferè omnes internis animæ morbis ægrotantes non solùm medelam adhibere studentibus mercedem non pendunt, sed sæpè in ipsos ardentissimo odio furunt. Saul impurato, internoque spiritu agitabatur, cúmque musices peritus afferendus esset ad animæ ægrotantis medelam, Doeg, qui vt Hebræis placet, ardentissimo in Dauidem æstuabat odio, miris laudibus commendatum exponere procurauit periculo: *Vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere.* Hanc præbuisse notitiam, existimant Interpretes, vt suæ in Dauidem adularetur maleuolentiæ. Sed inquires, vndè maleuolentiam venentur, cùm potiùs argumentum amoris sit, aulæ introducere, Principis oculis offerre, sumptuosis elogiis commendare. Si Doeg Dauidis ad speciem procurat augmentum, vndè conjicitur latens odium? Quia studium eius erat (inquit Lira) vt præ aliis ad curandas internas Principis ægritudines eligeretur, vt qui benè nouerat eiusmodi languoris medicos graue subire periculum: ergo procurauit Dauidem in Principis animæ medicum deligi, vt facilius discrimini posset exponere: *Gyærebat, vt staret in præsentia Saulis, cùm à dæmone affligeretur, & sic à Saule, vel dæmone ipsum agitante occideretur. Et ideò ipsum commendauit non ad bonum ipsius Dauid finaliter secundum intentionem suam.* Industriè solicitauit, vt Dauid Regis animæ eligeretur in medicum, vt sibi odioso præmaturaret periculum. Expendebat Basilius Seleucensis cum dæmone confligentem elucrari adepta victoria plausum, medentem verò eiusmodi animæ ægritudines consequi non semel grauissimum odium. In huius veritatis confirmationem adducit Christum, & Ioannem; Christus in desertorum solitudine cum dæmone colluctatus & plausum tulit, & triumphum: *Reliquit eum Diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Ioannes exoculatæ Regis libidini, medelam adhibere adnisus in carcere est jugulatus: *Allatum est caput eius in disco.* Hac mercede animæ muneratus est medicus, cum Christo Domino depulso dæmone redditus fuerit plausus. Accipe Basilium *orat. 18. Primum cum abluto Christo confligit, & quasi contra conservum iaculatus esset, à Domino alapa frangitur. Vbi cùm victoriam desperasset, in Ioannem vertit arma, & Herodianis affectibus pro armis vsus viam aperit ad Baptistæ mortem.* Qui regias animæ ægritudines mederi studuit, mortem violentam oppetiit; triumphum tulit, qui cum ipso diabolo decertauit. Vt hinc conjicias quantis procellarum fluctibus sit expositum, dæmonem à magnatum cordibus expungere, & eorum concinnandis moribus studere. Ergo Doeg, vt virulentissimo in Dauidem odio aduletur, in animæ medicum deligi solerter adnititur.

Matth. 4. v. 11.

Matth. 14. v. 11.

TEXTVS.

VERS. XIX. Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui est in pascuis.

§. LII.

Salus corporis sine dilatione aliqua procuratur, animæ salus sæpè sæpius in futurum differtur.

PAtitur *omnis homo periculosos nexus* (aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 40.) *quos festinet euadere. Claustra reos dimittant, nos vincula improbæ cogitationis absoluant.* Vtinam ea solicitudine disrumpere curaremus, quæ sæcularibus actibus agnoscimus implicata, quâ ferreis nexibus constrictus euadere procurat vincula: verùm detestabili patientia animi morbos sustinemus, ad salutem corporis inhiamus. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Verùm jam ab hoc ignobili censu deterius se exemit ipsis jumentis stupidior, & cæcior. Quæ moliantur animalia, vt pericula effugiant; suæque saluti consulant, audi à supra jam dato Cassiodoro: *Pecora ipsa vitare norunt, quæ se læsisse cognoscunt itinera: illa non repetunt, vbi in foueam corruerunt. Tenaces laqueos auis capta declinat. piscem lupus arenis se mollibus, vt plumbati limi insidias euadat, immergit: cuius vt suprà dicta retia eius tergum frustra diraserint, alacer in undas exilit, & vitati periculi gaudia liberatus agnoscit.* Itaque bruta prouida cautela vitant periculum, homo contemnit peccatum, & cùm fas esset solicitiùs ibi adhibere conatum, vndè grauius emergere agnoscitur detrimentum, ad corporis nulli solicitudini parcitur, ad animæ salutem aut exigua, aut lenta cura adhibetur. Saul à Propheta de culpa argutus vera Pœnitudine delere peccatum non curauit, sed vocali tantùm dolore se ipsum fefellit: modò corpore vexatus, & de opportuno remedio admonitus nulla interposita mora nuntios ad Isai misit: *Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui est in pascuis.* Notauit Abulensis statim medicum quæsisse, nec per instans retardasse. *Placuerunt valdè ista verba Sauli* (inquit *quæst.* 37.) *eò quòd tantus fuerat Dauid; misit ergo illicò pro eo.* Illicò misit, qui illicò se peccasse non doluit; nam animæ salus parui æstimatur, salus corporis magni habetur. Cum magnis difficultatibus colluctatus paralyticus, Domini conspectui offertur. Christus priùs animæ, quàm corpori adhibere studuit medelam: *Remittuntur tibi peccata tua.* Veniam peccatorum audit, nec gratias reddit, quia

Salus. Corpus. Anima.

Psal. 48. v. 13.

Luc. 5. v. 20.

non

non animæ ſalutem, ſed corporis requirebat. Notanit Chryſologus *ſerm.* 50. *Plus corporis, quàm animæ tendebat ad curam, & temporales ærumnas reſoluti corporis ſic deflebat, vt æternas pœnas reſolutionis animæ non defleret, gratiorem ſibi præſentem vitam iudicans quàm futuram.* Paralyſis vinculis eodem tempore corpus tenebatur conſtrictum, & cor peccatorum vinculis illigatum, verùm quia major corporis cura grananter tulit ante refuſam animæ, quàm corpori ſanitatem, Saul ergo illicò miſit leuando mœrori requirens medicum, & contempſit admiſſum in Amalecitarum venia reatum.

§. LIII.

Princeps, quod poteſt comitate impetrare, violenter non tentauerit obtinere.

Superior Comitas. Violentia.

VRbanitas, comitaſque ſunt laudabilia animorum incantamenta, & honeſta cordium faſcina. Comitas gratam vim infert, &, quod deſiderat, facilius obtinet; quod etſi in omnibus ſit verum, in eis, qui dignitatis luminibus fulgent, & faſtigi s eminent, longa experientia oſtendit omnibus comprobatum. *Egregiè facis (inquiro enim) & perſeuera* (aiebat Plinius 9. *epiſt.* 5.) *quòd inſtitiam tuam prouincialibus multa humanitate commendas, cuius præcipua pars eſt honeſtiſſimum quemque complecti, atque ita à minoribus amari, vt ſimul à Principibus diligare.* Omnium erga ſe animos alliciebat, quia ea in Prouincia non ſolùm fulgebat dignitatis radiis, ſed laudandis comitatis, vrbanitatiſque incantamentis. Ciuilis, & humanus Princeps non ſolùm aſſequitur vota, ſed plus quàm tentarent deſideria. Saul nuntios mittit ad Iſai, qui eius nomine Dauidem ad ſe mitti comiter poſcerent: *Miſit ergo Saul nuntios ad Iſai dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui eſt in paſcuis.* Quid tunc? Iſai humanitati Principis oblectatus & filium miſit, & munus obtulit: *Tulit itaque Iſai aſinum plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris vnum, & miſit per manum Dauid filij ſui Sauli.* Plus dedit, quàm petebatur. Iam ſi inquiras, cur Iſai, qui ne à paſcuis abduceret Dauidem vngendum Samueli non præſentarat, ad Saulem ſine cunctatione muneribus onuſtum miſerit? reſpondebit Baſilius Seleucienſis, & Abulenſis legationem inſtituiſſe non in modum imperioſè jubentis, ſed vrbanè, ac ciuiliter obſecrantis. *Noluit Saul* (inquit Abulenſis *quæſt.* 37.) *inuito Iſai tollere ei filium ſuum, ideò miſit ad patrem.* Conſonat Seleucienſis *orat.* 14. *Paululum à dæmonis obſidione nactus induciarum ſeruis ſequeſtris Dauidi ſupplex fuit: Legati deſtinati pro donis hortamenta tunc deferunt; ſupplicandi forma Dauidis dignitatem proclamant.* Vt vidit Iſai filium potenter non auelli, ſed humaniſſimis verbis, vt mitteret, ſe rogari, & miſit filium, & donum: nec enim poterat denegare, quòd Rex in modum obſecrantis videbatur expoſcere: *Seruis ſequeſtris Dauidi ſupplex fuit.* Vt hinc magnates diſcant humanitatem colere, ſi cupiunt ſine vi cogere, &, plus quàm deſiderant, obtinere.

TEXTVS.

VERS. XX. Tulit itaque Iſai aſinum plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris vnum, & miſit per manum Dauid filij ſui Sauli.

§. LIV.

In curia parum iuuant merita, ni acceſſerint donorum ſuffragia.

OBſequia, & munera merita aut excudunt, aut commendant. Si munus ſuffragium non tulit, ſapientia deſipit, virtus languet, induſtria ſordet. Nullus colitur, ni munerum linguis laudetur. *Vel peſſimus* (aiebat Eurypides apud Stobæum *cap.* 92.) *propter diuitias inter primos recenſetur.* Nobilitas pecuniis emitur, dignitas aditur, judices faciunt, & detinent. *Ingenioſi putantur diuites; arbitramur enim ditem hominem oportere omnia ſcire.* Itaque pecunia non detenta, ſed dilargita, ingenij continet prærogatiuam, & originis excellentiam. Hinc eſt, quòd grandæuus Iſai, vt filio aulicorum gratiam emeret, munera miſit. Dauid citharæ peritia aliis præſtabat, & dæmonem expellebat; verùm ſenex prudentia ornatus, curauit, vt prærogatiuas commendarent munera, & deprædicarent obſequia, vt qui non dubitabat quantum ſubſidium meritis à donis proueniat: *Tulit itaque Iſai aſinum plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris vnum, & miſit per manum Dauid filij ſui Sauli.* Sine donis dæmonem expelleret, ſed non adeò fortè Sauli gratus exiſteret; & quidem Saul antequam Dauid citharam pulſaſſe dicatur, eum nimis dilexiſſe refertur: *Dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger.* Factus eſt armiget non tam citharæ merito, quàm donorum ſuffragio. Et quomodo ad eam dignitatem aſcenderet, ſi offerenda ſecum munera non portaret? Innuit noſter Sancius: *Noluit Iſai filium ſuum, regium conſpectum ſubire vacuum, eo maximè tempore, quo filium inter ſuos admittebat domeſticos.* Filio deſiderabat augmenta: ergo miſit dona, ne ſi appareret vacuus, quantumvis aliis præſtaret, gratis oculis non deſeruiret conſpectus. Nam in curiis, auliſque ille habetur aliis præcipuus, qui fulget dilargitis muneribus approbatus. Chriſtus Dominus turbas pauit ingenti miraculo; cumque eius excellentia, virtuſque deberet animos ſibi deuincire, plus vtilitate alliciebantur, minus virtute; quod eis Dominus exprobrauit: *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis.* Ni eis obtuliſſet dona, fortaſsè paterētur ſuſpicionis calumniā ſigna: at vbi acceſſerunt profuſæ liberalitatis ſuffragia, reſplenduerunt & merita; miraculorum ſequebantur patratorem non tam virtutis illicio, quàm vtilitatis voto. Opportunè Auguſtinus in *Catena: Propter carnem me quæritis, non propter ſpiritum.* Ac ſi dicat: Mihi vti magiſtro plaudatis, & lateri meo adhæretis; verùm non ducimini virtutis excellentia, ſed donorum anaritia: & quidem ſi colenti defuerit lucrum, non defatigabitur in alterius laudando meritum.

Curia. Donum. Meritum.

Ioan. 6. v. 26.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXI. Et venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo : at ille dilexit eum nimis, & factus est eius armiger.

§. LV.

In Regum palatiis aditus difficilis meritis, facilis donis.

Palatium. Meritum. Donum.

ARbor (aiebat Cassiodorus 9. *variar.* 2.) *quam florere vides, quam summâ conspicis viriditate lætari, subterraneo succo fœcunditatis animatur, reddens in superficiem, quod continet in radice.* Ni tellus, qua generosa arbor pullulat, fœcundis laticibus irrigetur, radicis nobilitas non agnoscitur : at si bibula terra sitim suam expleat, jam nitet floriditas, & arboris adaugetur proceritas. Vndè cæcus ille post Christi curam aiebat : *Video homines velut arbores ambulantes.* Vidit homines in modum arborum crescere : nam vt arbores nisi expertus agricola largis vndis terram irrigarit, non crescunt ; ita homines non proficiunt. *Post curam Christi viderat* (inquit Chrysologus *serm.* 176.) *quòd homines velut arbores transirent in hoc sæculo.* Vt generosa arbor, si terræ defuerit humor, siccatur ; vt vilis planta, si suppetat humor, excrescit ; sic homines, quantumvis origine clari, & virtute resplendeant conspicui, ni tellus, cui inhærent, irrigetur, marcidi mœrent, non læti florent ; cùm alij, quibus nec origo generosa, nec indoles clara de subterraneo humore, & floreant, & proficiant. Quod licet vbique sit verum, in Principum curiis, & palatiis frequenti experientia inuenitur cõprobatum. Qui offert munera sine obice fruitur aspectu, qui non offert, multis obstaculis arcetur à vultu. Componamus Danidem è mappalibus aduenientem cum ipso euersis inimicorum castris triumphante. Prostrato Philisthæo, & eius caput in manu habens opus habuit Abneri patrocinio, vt Principis frueretur aspectu : *Tulit eum Abner, & introduxit coram Saule, caput Philisthæi habentem in manu.* Indiguisse Abneri ope accepta victoria tradit Abulensis *quæst.* 48. [Erat Saul in tentorio : Dauid autem volebat introire ad eum ferens caput Goliath, & non liceret ei, nisi quis introduceret illum : ideò Abner, qui erat Regis familiarissimus, & potentissimus, vt honoraret Dauid, introduxit eum coram Saule.] Vides quòd non liceret Danidi, caput Philisthæi in manu habenti Principis intrare tentorium, vide modò quàm à mappalibus aduentans sine vllo patrocinio peruenerit ad Regis conspectum : *Et venit Dauid ad Saul, & stetit corã eo.* Et cur modò Abnero nõ egeat, vt Principis objiciatur obtutibus? Quia munera ferebat manibus : *Misit per manum Dauid filij sui Sauli.* Vbi in manibus ferebat munera, facilè inuenit aditum ; vbi in manibus ferebat hostis trophæa, difficilè inuenit introitum, quia non semel faciliùs patet aditus muneribus, quàm sudoribus. Notauit Abulensis *quæst.* 38. *Venit Dauid ad Saul, scilicet ferens munera, & stetit coram eo, scilicet offerendo illa.* Oſtium offerendo inuenit apertum, triumphando tentorium clausum.

Mich. 8. v. 14.

Infrà cap. 17. v. 57.

§. LVI.

Opera sunt affectionis pulsus, & amoris index est manus.

Manus. Pulsus. Opera. Amor.

VT quæ abstrusa, oculos latent ; deprehenduntur in pulsu ; ita amor, affectioque agnoscuntur in actu : amor sine operibus probatur fictus, quia, si liceat, quadam laudabili impatientia in actionem prorumpit verus. Vndè, vt omnes Petri erga Christum amorem agnoscerent, oues pascere præcepit : *Pasce oues meas.* Ioan. 21. v. 16. Opportunè Augustinus *in Catena D. Thomæ : Quasi dicat : sit amoris officium : pasce Dominicum gregem.* Ni religiosa exhiberet officia, authentica amor non haberet testimonia ; nam similis est defuncto amor otiosè ignauus ; ignauè otiosus. Ob id Saul, vt, quam erga Danidem corde gerebat, beneuolentiam comprobaret, honores impertiit. *Dilexit eum nimis, & factus est eius armiger.* Operis exhibitio fuit amoris approbatio, & amor si mancus, omnibus haberetur confictus. Ita Abulensis *quæst.* 38. *Fecit eum Saul armigerum suum ; in hoc enim ostendit affectionem suam, quia dedit ei officium familiaritatis ; scilicet quòd esset armiger illius.* Honoribus extulit, quem amauit, vt in actu agnosceretur affectus, nam internæ dilectionis externum opus est pulsus. Spiritus sanctus in sacra Scriptura vocatur digitus : nam cùm Christus Dominus à dæmonis obsidion hominem liberasset, & liuoris cæcitas miraculum variis conaretur suspicionibus infamare, & artibus inhonestis adscribere, in Dei digito salutem illam se operatum confessus est : *In Dei digito eiicio dæmonia.* Qui Luc. 11. v. 20. spiritus apud Lucam dicitur digitus, apud Matthæum vocatur Dei spiritus : *Ego in spiritu Dei* Matth. 12. v. 28. *eiicio dæmones.* Notauit Gregorius *lib.* 1. *homil.* 10. *in Ezechiel. Quid per digitos redemptoris nisi dona sancti spiritus designantur? Vndè cùm in alio loco eiecisset dæmonium, dixit : si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Quæ de re per Euangelistam alium dixisse describitur : si ego in spiritu Dei eiicio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei.* Adnectit Gregorius satis opportunè : *Ex quo vtroque loco colligitur, quia digitus spiritus vocatur.* Itaque Spiritus sanctus, qui essentialiter est amor, digitus appellatur, quasi idem sit diligere, & operari. In digito benefaciente, operanteque spiritus splendet ; vt noueris amorem sine manibus esse suspectum, & semper constare manibus generosum.

§. LVII.

Amor benè politicus attendit conditionem accipientis, non solùm potentiam dantis.

Amor. Potentia. Accipiens.

CAssiodorum sibi dilectum Theodoricus promouere studuit, sed ei inuidiam vitare attendit ; noluit volatibus ad dignitatum apicem peruenire, sed gressibus competentibus ascendere, vt promotio videretur à virtutibus exoriri, non à sola Principis

affectione promanare. *Caſſiodoro* (inquit 1. *variar.* 4.) *illuſtri, & magnifico viro præcipua in Republica claritate notiſſimo Patritiatus dedimus pro remuneratione ſuggeſtum : vt per honorem magni nominis declarentur merita ſeruientis : qui non fragili felicitate prouectus fortunæ ludo ad apicem faſtium repentinis ſucceſſibus euolauit, ſed, vt creſcere virtutes ſolent, ad faſtigium præconij conſcendit gradibus dignitatum.* Quamvis tenero Princeps Caſſiodorum amore proſequeretur, ſtuduit benè politicus, vt eius augmenta adſcriberentur virtuti, non Principis affectioni : poterat Princeps magnis dignitatibus decorare, ſed nec ſibi notam, nec Caſſiodoro vitaſſet inuidiam : ergo prudens diſpoſuit, vt gradibus aſcenderet, non principalis adfectionis ſucceſſibus inuolaret. Quod Saul etiam videtur imitatus, nam licet Dauidem nimis diligeret, priùs armigerum, & poſteà fecit tribunum : *Dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger.* Qui modò armiger, non multò poſt mille virorum tribunus luxit : *Fecit eum tribunum ſuper mille viros.* Et cur quem nimia dilectione proſequebatur ad dignitatem tribunatus non euexerit, ſed armigeri ſolùm honore nobilitauit ? Quia ſi è mappalibus recens aduenientem præcipuis dignitatibus decoraret, contra Dauidem æmulationis inuidiam, & contra ſe obmurmuratorum irritaret audaciam : ergo benè politicus attendit non ſolùm quid Princeps ſibi dilecto poſſet impertiri, ſed quid tunc accipientis conditio decenter poterat obtinere. Innuit Abulenſis *quæſt.* 38. *In hoc oſtendit affectionem ſuam, quia dedit ei officium familiaritatis, ſcilicet quòd eſſet armiger illius.* Non ſic amaſſet, ſi repentinis ſucceſſibus promotum aulicorum inuidentiæ, & obmurmurationi objeciſſet. In minoribus exercuit, & poſteà officiis majoribus exornauit, vt repetat Theodoricus jam datus : [Primus, vt ſcitis adminiſtrationis introitus Comitiuæ Priuatarum mole fundatus eſt, vbi non tyrociniorum infirmitate titubans, nouitatis vitio vel innocenter errauit, ſed abſtinentiæ firmato veſtigio imitando vixit exemplo. Qui mox deindè ſacrarum largitionum honore ſuſcepto creuit tantum conuerſationis laude, quantum profecerat dignitate.] Itaque creuit virtutum greſſibus, non regalis adfectionis volatibus. Vt Dauid etiam in armigeri munere ſe laudabiliter gerens peruenit ad tribunatum, ne tribueretur fauori, quod adſcribendum erat virtuti.

TEXTVS.

VERS. XXII. Miſitque Saul ad Iſai, dicens : Stet Dauid in conſpectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis.

§. LVIII.

Eadem facta pro affectus varietate, aut laudibus efferuntur, aut ſugillatione damnantur.

Opera. Affectus. Laus.

HOminis facta fideli debent trutina æquitatis penſari, non fraudulenta adfectionis lance cenſeri : verùm humana affectio nomen rebus imponit, &, quod ſibi gratum, neſcias quibus præſtigiis ſemper dilaudauit honeſtum ; vt è contra, quod ſibi non deuinxit affectum, næuis ſemper abroditur obſcuratum. *Status dei cuiuſquam* (aiebat Tertullianus in Apologetico *cap.* 13.) *in Senatus æſtimatione pendebat. Deus non erat, quem homo conſultus noluiſſet, & nolendo damnaſſet.* Conſonat Athanaſius *in Apologia aduerſus gentes : Quos ipſi deos eſſe volunt, hos lege aliqua deos faciunt.* Deitas ab hominum affectu pendebat, & affectio aut laudabat, aut rejiciebat. Eadem, aut ſimilia facta pro affectionis varietate habebantur eximia, aut rejiciebantur deſpecta. *Cæterùm* (inquit Tertullianus *cap.* 11.) *Si propterea Liber deus, quòd vitem demonſtrauit, malè cum Lucullo actum eſt, qui primus ceraſa ex Ponto Italiæ promulgauit, quod non eſt propterea conſecrandus vt nouæ frugis auctor, quia inuentor, & oſtenſor.* Lucullus, vt liber frugem oſtenderat, ſed in Lucullo eſt deſpectum, quod in libero conſecratione remuneratum, & hoc totum, quia à voluntate Senatus pendebat, qui erga Liberum benè affectus conſecratione decreuit dignum, erga Lucullum non ita benè animatus in deorum numero cenſuit nullatenus referendum. Ob id Stephani fortunam extollebat Caſſiodorus 2. *variar.* 28. quia eius merita magni ſemper habita, etſi variis aduenientibus judicibus, eiſdem oculis non inſpecta : [Per tot actionum lubricos caſus fixum tenuiſti militiæ probatæ veſtigium, & quod rarò in ſeruiente prouenit, permutatio judicum nunquam circa te variauit affectum. Nec erat in te alieni judicij quiſquam inuidus, cùm etiam deceſſorum ſuorum ordinationibus redderetur aduerſus.] Stephanus felix fuit, quia judicum non degenerauit affectus ; nam licet idem virtutum laudibus emicaret, variato affectu nullatenus dignitatibus emineret. Hinc eſt, quòd Saul, qui modò Dauidem ſibi ſemper adeſſe deſideranit, non multò poſt à regio conſpectu abjecit : *Miſit Saul ad Iſai, dicens : Stet Dauid in conſpectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis.* Quidquid Dauid operabatur, Regis merebatur gratiam, & lucrabatur benevolentiam. Hic idem eiſdem, immò majoribus meritis præditus à regio conſpectu exulauit ſejunctus : *Amouit ergo eum Saul à ſe.* Inquires, cur totis viribus curauerit amouere quem modò procurat ſemper adſtare ? Si Dauid eiſdem meritis fulget, cur rex amouit ? Quia jam alius erat affectus (inquit Abulenſis *quæſt.* 38.) modò eius cantus placet, quia Saul benè animatus ; poſteà haſtam in eum contorquet, quia odio aduſtus : [Conſolabatur (*inquit Abulenſis*) ex præſentia eius, quia cùm eum dæmon arriperet, pſallebat Dauid, & Saul leuiùs habebat, atque recedebat ab eo ſpiritus malus. Iſta autem magna dilectio Saulis ad Dauid poſteà in atrociſſimum odium verſa eſt, eò quòd concepiſſet limorem Saul de Dauid. [Itaque etſi Dauid eiſdem prærogatiuis, ac virtutibus prælucet, pro varietate affectus jam regio conſpectu dignus, & ab aula jam amandandus.

TEXTVS.

VERS. XXIII. Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.

§. LIX.

Medela non solùm moribus est applicanda, sed pro personarum etiam varietate adhibenda.

Medela. Ingenium. Persona.

NOn est semper crimini dandum dignitatum, personarumque qualitates attendere, & diuerso modo tractare. Personarum acceptio nullatenus est laudanda, sed modum diuersum bona edocet politia. *Vides* (aiebat Plinius 8. *epistolar.* 24.) *à medicis quamquam in aduersa valetudine nihil serui, ac liberi differant, molliùs tamen liberos, clementiúsque tractari.* Vrbaniori, clementiorique modo applicat medicus libero, ac mancipio medicinam, & licet, si æqualis fuerit ægritudo, æqualis applicetur medela, ipse tamen applicandi modus dignitati exhibet reuerentiam, & reueretur personam. Videbis aliquando nonnullos, qui sibi quærunt plausum, si tetriorem excellentibus exhibeant vultum: sed noueris hanc non esse constantiam, sed imprudentiam. *Plerique* (Plinium audis 9. *epist.* 15.) *dum verentur, ne gratiæ potentium nimium impertire videantur, sinisteritatis, atque etiam malignitatis famam consequuntur, à quo vitio tu longè recessisti, scio. Sed temperare mihi non possum, quominus laudem similis monenti, quòd eum modum tenes, vt discrimina ordinum, dignitatumque custodias: quæ si confusa, turbata, permista sint, nihil est æqualitate ipsa inæqualius.* Dignitati debetur reuerentia, vel cùm corrigitur culpa. Ob id cùm à Saule dæmon esset expellendus, Dauid optimus medicus cantu aures demulcente vsus dæmonem depellebat: *Recedebat ab eo spiritus malus*, & Regem comitate tractabat: *Tollebat citharam, & percutiebat manu sua.* Non inuehebatur asper, aut truculentus, sed lenis, & placidus: non vtebatur cithara eo modo, vt quid dæmoni permitteret, nec eo, vt Regem exasperaret; ea prudentia vsus est, vt verborum lenitate, vrbanitateque suspiceret dignitatem, ea efficacia, vt expelleret dæmonem. *Lyræ melos* (Scribit Basilius Seleuciensis *orat.* 14.) *veluti telum iaciebatur in dæmonem.* Itaque Dauidis verba erant melos Regi, & spiculum dæmoni. Vt hinc discant, qui à magnatibus vitia expellere discupiunt, se ita gerere, vt sibi vrbanitate deuinciant, & vitium etiam depellant.

Æqualitas Dignitas.

§. LX.

Vel crucis Dominicæ vmbra est dæmonibus dura flamma.

CRux Domini, quæ de eius membris traxit efficaciam, exitialem dæmonibus attulit semper ruinam. Dum à Moyse serpens affixus ligno oculis objicitur, vulnus à venenatis inflictũ serpẽtibus præsanatur. Ne minus vitæ sacrum lignum conferret visum, ac morti contulerat oculis mulieris conspectum: *Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Lignum erat salutis fœcunda vena, & præsentanea contra lethiferos morsus medicina. *Illic* (aiebat Basilius Seleucensis *orat.* 5.) *Lignum fuit mortis instrumentum, hîc lignum salutis fuit gubernaculum.* Vel crucis vmbra serpentes excantauit, & veluti enorme fascinum vires repressit. Crux hominibus semper fuit inexpugnabile scutum, & ardentissimum dæmoni incendium. Dum Iosue clypeum eleuat, aduersariorum vires obrigescunt, & qui præsumebant victoriam, pertulerunt ardentissimam flammam: *Leua clypeum, qui in manu tua est, contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam.* Ad clypei conspectum aduersariorum ciuitas eluctantibus flammis concrematur, & jam est aduersariis ineluctabile incendium, quod Iosue militibus insuperabile scutum. *Iesus* (inquit Stephanus hic *in allegor. Tilman.*) *manus leuauit in cruce.* Adnectit: *Vt sicut triumphauit de diabolo, ita & per eam iustos de eodem faciat triumphare.* Israelitæ attulit triumphum, aduersariis incendium, vbi Dominicum eleuatur trophæum; crux namque suos adinstar scuti protegit, & flammæ adinstar aduersarios adurit. Hinc est, quòd Dauid, vt depellat dæmonem, recurrit ad crucem: *Tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.* Vides citharam exitialem dæmonibus afferre perniciem, & lætam hominibus sospitatem. Quòd si inquiras cur cithara hanc sortita fuerit efficaciam; Respondebunt Rabanus, & Eucherius fuisse Dominicæ crucis vmbram. Ipsos apud Glossam audi: *Dauid in cithara sua malignum spiritum compescuit, non quòd tanta vis esset in cithara, sed in figura crucis Christi, quæ de ligno, & chordarum extensione gerebatur, quæ iam tunc dæmones effugabat.* Crucis imago sic dæmonis frangebat vires, vt jam non aggrederetur hominem diuexare, sed terga celeriter discuperet vertere. Adde: in Dauidem cithara armatum non insurrexisse dæmonem, cùm constet vrsum insurrexisse, & leonem: *Illi consurgebant aduersum me.* Ibi leo, vrsusque dæmonum ænigmata præsumebant victoriam, hîc celerem ad citharæ conspectum arripiebant fugam: *Recedebat spiritus malus ab eo*: vt omnibus compertum fuerit crucis signum humanæ semper fuisse salutis auxilium, & dæmoni intolerandum tormentum.

Crux. Dæmon.

Num. 21. v. 9.

Iosue 8. v. 18.

Infr. cap. 17. v. 35.

§. LXI.

Sacer chorus, & Ecclesiasticus cantus hominibus affert salutem, & dæmonibus exitialem infert stragem.

Chorus. Cantus.

MVsicâ fabulatur antiquitas Orpheũ mutis animantibus imperasse, & vagos greges concentu delinitos traxisse. Ita Cassiodorus 2. variar. 40. *Hinc Orpheus mutis animantibus efficaciter imperauit, vagosque greges contemptis pascuis ad audiendi cvulas prorsus inuitauit. Illo cantante amauerunt siccas Tritones terras. Galatea lusit in solidis: deseruerunt vrsi amabiles sylvas: leones domestica tandem canneta reliquerunt.* Tanta est melos efficacia, vt feritatem edomet, & leoninam truculentiam sedarit, & quidem tristitiam noxiam jucundat, furores exoculatos attenuat, cruentam sæuitiam efficit blandam, sanat mentis tædium bonis semper cogitationibus inimicum: verùm etsi harmoniæ tanta vis insit, tunc præcipuè demulcet animam, cùm sacros hymnos resonat cantilena. Saulis ægritudini nullum inueniebatur remedium, defecerat artis peritia, medicinæ nil profuerat efficacia, gemino laborabat tormento, cor excruciabatur tristitia, animus adurebatur dæmonis ardentissima flamma. Quid tunc? vnitis chordis resonat cythara, & psalmorum auditur melodia, & jam salus hominis reparatur, & spiritus impuratus abigitur: *Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus:* O quot Sauli à psalmis, & cithara commoda! salus reparabatur, & dæmon depellebatur; vt hoc exemplo sibi persuadeant populi, cuitatesque, religiosos choro psalmos canentes, esse prosperitatis tutamina, & contra dæmones tela: in choro resonat cantus, & vberrimos ciues demetunt fructus. Notauit Chrysostomus apud Glossam: *Pulcher psalmi concentus est acutissimum telum aduersus dæmones: nec enim cerui ita tela fugiunt, vt psalmos Dauid dæmones.* Subjungit: *Pulchra est Dauid cythara; est enim animæ consolatio. Pulchra est lyra pastoris, mentis enim nostræ neruos confirmat ad virtutem.* Sacer cantus, & Ecclesiasticus chorus veluti effumigatum, excantatumque serpentem fugat, & vel salutem corporis reparat. His cantibus oblectandus est animus, non aliis demulcendus auditus; nam si syrenarum oblecteris vocibus, miserandis concides casibus. Lasciua musica, pulchellarum harmonia dæmonem non depellit, sed introducit, quia animæ vigor extenuatur, & passionum insania acuitur. Vndè Vlisses artem excogitauit, qua dulcedinem Syrenarum eluderet. Redeat datus Cassiodorus: *Cogitauit vir prudentissimus felicissimam surditatem, & quam* (dulcedinem) *vincere intelligendo non poterat, melius non aduertendo superabat.* Dauidicam Lyram audi, quæ diabolum depellit, & ad virtutem animum acuit. Syrenarum fuge concentum vti animæ, & salutis periculum.

CAPVT XVII.

1 ONGREGANTES autem Philisthiim agmina sua in prælium, conuenerunt in Socho Judæ: & castrametati sunt inter Socho, & Azeca in finibus Dõmim. 2. Porrò Saul, & filij Israel congregati venerunt in vallẽ Therebinthi, & direxerunt aciem ad pugnandũ contra Philisthiim. 3. Et Philisthiim stabant super montẽ ex parte hac, & Israel stabat supra mõtem ex altera parte: vallisque erat inter eos. 4. Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi: 5. Et cassis ærea super caput eius, & lorica squamata induebatur: porrò pondus loricæ eius quinque millia siclorum æris erat. 6. Et ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius. 7. Hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentium: ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri: & armiger eius antecedebat eum. 8. Stansque clamabat aduersum phalangas Israel, & dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium? Nunquid ego non sum Philisthæus, & vos serui Saul? Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen. 9. Si quiuerit pugnare mecum, & percusserit me erimus vobis serui: si autem ego præualuero, & percussero eum, vos serui eritis, & seruietis nobis. 10. Et aiebat Philisthæus: Ego exprobraui agminibus Israel hodie: Date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen. 11. Audiens autem Saul, & omnes Israelitæ sermones Philisthæi huiuscemodi, stupebant, & metuebant nimis. 12. Dauid autem erat filius viri Ephrathæi, de quo suprà dictum est, de Bethlehem Judâ, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul senex, & grãdæuus inter viros. 13. Abierunt autem tres filij eius majores post Saul in prælium, & nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & secundus Abinadab, tertiusque Samma, 14. Dauid autem erat minimus. Tribus ergo majoribus secutis Saulem, 15. abiit Dauid, & reuersus est à Saul, vt pasceret gregem patris sui in Bethlehem. 16. Procedebat verò

Philisthæus

Philisthæus manè & vespere, & stabat quadraginta diebus. 17. Dixit autem Isai ad Dauid filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos. 18. Et decem formellas casei has deferes ad tribunum: & fratres tuos visitabis, si rectè agant: & cum quibus ordinati sunt, disce. 19. Saul autem, & illi, & omnes filij Israel in Valle therebinthi pugnabant aduersum Philisthiim. 20. Surrexit itaque Dauid manè, & commendauit gregem custodi: & onustus abiit sicut præceperat ei Isai, & venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine. 21. Direxerat enim aciem Israel, sed & Philisthiim ex aduerso fuerant præparati. 22. Derelinquens ergo Dauid vasa, quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat, si omnia rectè agerentur erga fratres suos. 23. Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine, Philisthæus, de Geth, de castris Philistinorum: & loquente eo hæc eadem verba audiuit Dauid. 24. Omnes autem Israelitæ, cùm vidissent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valdè. 25. Et dixit vnusquispiam de Israel: Num vidistis virum hunc, qui ascendit? ad exprobrandum enim Israel ascendit. Virum ergo, qui percusserit eum, ditabit Rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israel. 26. Et ait Dauid ad viros, qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel? quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis. 27. Referebat autem ei populus eundem sermonem dicens: Hæc dabuntur viro, qui percusserit eum. 28. Quod cùm audisset Eliab frater eius major, loquente eo cum aliis iratus est contra Dauid, & ait: Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia, vt videres prælium descendisti. 29. Et dixit Dauid: Quid feci? nunquid non verbum est? 30. Et declinauit paululum ab eo ad alium: dixitque eundem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut prius. 31. Audita sunt autem verba, quæ locutus est Dauid, & annuntiata in conspectu Saul. 32. Ad quem cùm fuisset adductus, locutus est ei: Non concidat cor cuiusquam in eo: ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum. 33. Et ait Saul ad Dauid: Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. 34. Dixitque Dauid ad Saul: Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis. 35. Et persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. 36. Nam & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur & Philisthæus hic incircuncisus quasi vnus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis. 37. Et ait Dauid: Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi, ipse me liberabit de manu Philisthæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid: Vade, & Dominus tecum sit. 38. Et induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum loricæ. 39. Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tẽtare, si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul: non possum sic incedere, quia non vsum habeo. Et deposuit ea. Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus: & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit: & processit aduersum Philisthæum. 41. Ibat autem Philistæus incedens, & appropinquans aduersum Dauid, & armiger eius ante eum. 42. Cumque inspexisset Philisthæus, & vidisset Dauid, despexit eum. Erat enim adolescens, rufus, & pulcher aspectu. 43. Et dixit Philisthæus ad Dauid: Nunquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philistæus Dauid in diis suis. 44. Dixitque ad Dauid: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & bestiis terræ. 45. Dixit autem Dauid ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti 46. hodie: Et dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philisthiim hodiè volatilibus cœli, & bestiis terræ, vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israel. 47. Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta saluat Dominus, ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras. 48. Cùm ergo surrexisset Philisthæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid, festinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philisthæi. 49. Et misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte: & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram. 50. Præualuitque

Dauid aduerſum Philiſthæum in funda, & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit. Cúmque gladium non haberet in manu Dauid, 51. cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina ſua, & interfecit eum, præciditque caput eius. Videntes autem Philiſthiim, quod mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugerunt. 52. Et conſurgentes viri Iſrael, & Iuda vociferati ſunt, & perſequuti ſunt Philiſthæos vſque dum venirent in vallem, & vſque ad portas Accaron, ceciderunt que vulnerati de Philiſthiim in via Saraim, & vſque ad Geth, & vſque ad Accaron. 53. Et reuertentes filij Iſrael, poſtquam perſequuti fuerant Philiſthæos, inuaſerunt caſtra eorum. 54. Aſſumens autem Dauid caput Philiſthæi attulit illud in Hieruſalem: arma verò eius poſuit in tabernaculo ſuo. 55. Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philiſthæum, ait ab Abner principem militiæ: De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens Abner? Dixitque Abner: Viuit anima tua, Rex, ſi noui. 56. Et ait Rex: Interroga tu, cuius filius ſit iſte puer. 57. Cúmque regreſſus eſſet Dauid, percuſſo Philiſthæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule, caput Philiſthæi habentem in manu. 58. Et ait ad eum Saul: de qua progenie es, ô adoleſcens? Dixitque Dauid: Filius ſerui tui Iſai Bethlehemitæ ego ſum.

TEXTVS.

VERS. I. Congregantes autem Philiſthiim agmina ſua in prælium, conuenerunt in Socho Iudæ, & caſtrametati ſunt inter Socho, & Azeca in finibus Dommim.

§. I.

Dæmones caſtra ſua contra nos figunt in confeſſionis ſilentio, & euanido ſæculi gaudio.

Confeſſio. Caſtra. Dæmon. Gaudium.

A Sæculi gaudiis virtutum manat ſilentium, & dum animus fallaciter oblectatur, à vera lætitia auertitur. *Ad ſumma peruenit* (aiebat Seneca *epiſt.* 23.) *qui ſcit, quo gaudeat.* Sapienter dixit. Nec enim omnes ſciunt gaudere, immò dum ſe tradunt voluptatibus, & oblectamentis fallentibus, à vero gaudio diſcedunt, ſolidam ſibi calamitatem aſciſcunt. Quæ ex conſcientiæ vulnere naſcuntur, hilaritates non implent pectus, etſi frontem remiſerint, volaticæ, & leues ſunt, niſi fortè idem cenſes gaudium, & riſum. Vt lenis aliquando vnda hominem à portus ſecuritate abducit, & naufragio tradit; ita hæc gaudia à ratione hominem auertunt, & ſalutis animæ obliuionem inducunt. *Pauci ſunt* (aiebat datus Seneca) *qui conſilio ſe, ſuaque diſponant, cæteri eorum more, quæ fluminibus innatant, non eunt, ſed feruntur.* Humanæ ſalutis aduerſarius oblatis gaudiis, voluptatibuſque ineſcat, & bractea oblectationis tegit ſpiculum, & affert virtutum tædium. Philiſthæi, cùm à jejunis Saulis militibus magnam accepiſſent cladem, iterum cogunt exercitum, & eis locis caſtra diſponunt, ex quibus aliqua ſpes affulgeat, & victoria arrideat: *Conuenerunt in Socho Iudæ, & caſtrametati ſunt inter Socho, & Azeca in finibus Dommim.* Venator, vt retia tendat, opportunum deligit locum, & Philiſthæus in *Dommim* diſpoſuit caſtra, quò de Iſraelitis reportaret trophæa. *Socho* namque, vt placet Interlineari, interpretatur *Ramus ſiue tentatio.* Inter floriditatis amæna, inter amænitatis florida diſpoſuit acies, vt qui nouerat ex huiuſmodi locis facilius eſſe oppugnare virtutes; Rabanus ait, *Dommim* interpretari *ſilentium, & gaudium.* Et quidem dum offert gaudium, imponit Iudæ, hoc eſt, confeſſioni ſilentium: *Dommim ſignificatur ſilentium, vel gaudium.* Vanas ſuggerit voluptates, breues, pœnitendas, ſed indè virtutibus ſilentium imponitur, vndè voluptas ſenſibus naſcitur; non curat à conſcientia expungere confitendo venenum, qui totus eſt in inquirendo ſenſibus blandum gaudium: ergo Philiſthiim dæmonum perſonas gerentes in gaudio diſponunt caſtra, quia volatica gaudia ſæpiſſimè concinnauere delicta: ergo fuge huiuſmodi loca, vbi dæmones diſponunt arma.

§. II.

Ab ſpirituali bello aliquando abſtinendum eſt, vt robur tibi ædifices, & vires prudenter compares.

Bellum. Robur.

ATHletæ à certaminibus aliquādo abſtinent, vt vires reficiant, & robur colligant. *Athleta* (aiebat Tertullianus *ad Martyres cap.* 3.) *ſegregantur in ſtrictiorem diſciplinam, vt roboris ædificando vacent: continentur à luxuria, à cibis lectioribus, à potu iucundiore. Coguntur, cruciantur, fatigantur; quantò plus in exercitationibus laborauerint, tantò plus de victoria ſperant.* Non ſemper in arenam deſcendunt, ſed poſt luctam laudabile ſectantur otium, non vt ignauè torpeant, ſed vt ſe fructuosè exerceant. Tunc præcipuè vires recolligere, robur ædificare ſatagunt, cùm inimico ceſſerunt. Hinc eſt, quòd Philiſthæi, accepta *cap.* 14. graui plaga, nec de victoria deſperarunt, nec ad caſtra citò rediérunt, aliquo lapſo interuallo abſtinuerunt armis, ſed vt ſe melius compararent, ac diſponerent bellis: *Congregantes Philiſthiim agmina ſua in prælium, conuenerunt in Socho Iudæ.* Inquires, cur modò conuenerint, nec anteà bellum adornarint, præcipuè cùm ſuperbi, & repetitis triumphis nobilitati non cenſerentur latuti diù nomen ſuum apud Hebræos, immò apud vicinos populos eſſe deſpectui? Ad quod reſpondet noſter Sancius aſtuta ſagacitate aliquo tempore à certaminibus abſtinuiſſe, vt vires reparárent, & nouum robur colligerent. Sancium audi: *Eſt veriſimile quidquid ſpatij fuit ab illa fuga, & ignominioſa clade in comparando nouo bello fuiſſe conſumptum.* Itaque etſi vehementer arderent bella, colligendo robori conceſſerunt ſpatia; poſt acceptam cladem nec deſperarunt, nec

nec ad conferendas manus, cum hostibus immaturè redierunt, sed sibi definierunt spatia, quibus non ignaui, sed actuosi se exercerent, & ad conflictum viribus ædificatis redirent. Vt hinc, qui Dei bella gerunt, discant à certaminibus aliquando cessare, & se cœlestibus meditationibus exercere. Tempus inter fugam, & nouam pugnam Philisthæi non attriuerunt otiosi, sed bene locarunt comparando bello soliciti.

TEXTVS.

VERS. II. Porrò Saul, & filij Israel congregati venerunt in vallem therebynthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthiim,

§. III.

Facilè præualent arma, vbi destruuntur idola.

Arma. Idola.

REmpublicam arma protegunt, sed probitas, & religio armis vigorem infundunt. Si inter castra, & exercituales acies Venus vigeat, armorum languebit vis. *Quid est enim dignius* (aiebat Cassiodorus *in Gnomologia*) *quod die, noctuque assidua deliberatione voluamus, nisi vt Rempublicam nostram sicut arma protegunt, æquitas quoque inuiolata custodiat.* Inuiolata æquitas, fides inconcussa, religio asserta, vt sunt aduersariorum aduersa fata, sic propugnantium valida probantur auxilia. Israelitæ, vt ferè innumeras hostium acies euertant, locum sibi deligunt ad locanda castra satis opportunum: *Filij Israel congregati venerunt in vallem terebynthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthiim.* Locus ipse, in quo figebantur tentoria, jam fausta præbebat auspicia. Sub terebyntho Iacob abscondit idola, & idolatriæ penitus deleuit vestigia: *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter terebynthum, quæ est post vrbem Sichem.* Infossa idola erant Israelitis pro armis, & terebynthus idolorum sepulchrum, fortissimum erat castrum. Vtque repugnante loco quælibet cedit industria, nec laboris prodest studium, si loci resistere dignoscitur ingenium; sic ibi potest prosper sperari successus, vbi juuare noscitur locus: ergo Saul prudenter decreuit acies circa terebynthum disponere, quia subter terebyntho defossa idola non poterat ignorare. Innuit Rhabannus apud Glossam: *Terebynthus est in Sichimis, sub qua abscondit Iacob idola.* Terebynthus vbi culpa sepulta, vbi extincta simulacra, vbi abolita idololatriæ vestigia; inexpugnabile erat pro Israelitis propugnaculum, & fatale inimicorum excidium. Quod & probauit euentus: ibi namque lapidis ictu procerus ille gigas corruit, & Philisthæus indecorè fugam arripuit. Nec Hebræorum præualerent arma, ni deleta fuissent idola; ast vbi religio efforuit, vigor aduersariorum emarcuit. Vt Posthumius consul ad bellum gerendum Africam petens victor rediret, Metellus Pontifex Maximus sacra Marti offerre jussit, vt fausto nomine aggrederetur bellum, & assequeretur triumphum. Ita Valerius *lib. 1. cap. 1. Religioni summum imperium cessit, quo tutò se Posthumius Martio certamini commissurus non videbatur, cæremoniis desertis.* Cùm Religio Posthumio fuit præcipua cura, coronatus rediit de hostibus accepta victoria; nam æquitas, religioque sunt secura tutamina, & felicissima bellorum auspicia.

Gen. 35. v. 4.

TEXTVS.

VERS. III. Philisthiim stabant super montem ex parte hac, & Israel stabat supra montem ex altera parte, vallisque erat inter eos.

§. IV.

Qui humilia, ac terrena sectatur, ab hostibus facillimè vincitur.

Terrenâ. Hosti is.

VT anes, dum submittunt ad terram alas, fallaci laqueo capiuntur: vt capæ dum amæna vallium floriditate fruuntur, non semel lupinis rictibus deuorantur; sic homines, si humilia amauerint, & terrena, ingentia sibi maturauere pericula. Luna de telluris proximitate sordescit, sol, quia distantior, refulget. *Qui volunt* 1. Ad Tidiuites fieri (aiebat Paulus) *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Insanis nostris affectionibus veluti cæcis vinculis irretimur, & oblectatione fallimur. *Negligentia* (aiebat Petrus Lombardus *in Allegor. Tilman. ad 1. Ioelis*) *tardat, curiositas impedit, concupiscentia ligat, consensus stringit, consuetudo trahit, contemptus præcipitat.* A nobis ipsis nostra emergunt discrimina, & fouentur studiosè detrimenta. In petris eminentibus equi non currunt, quia eorum cursus confragosa præpediunt. *Nunquid* Amos 6. *currere queunt* (aiebat Amos) *in petris equi?* Quod sic *in Allegor. Tilman.* interpretatur Stephanus: *In petris equi, id est, dæmones, currere non possunt.* Non explicant dæmones contra inhabitantes petrosa gressum, sed contra florida, & amæna sectantes accelerant cursum. Hinc est, quòd Philisthæi vallem non occupant, sed relinquunt: *Vallis erat inter eos.* Quo hoc studio fecerint, explicat Lira: *Vt si vnus exercitus vellet venire ad alium, ille exercitus, qui stabat in monte oppositi, haberet auantagium interficiendi aduersarios de valle ascendentes ad eum.* Itaque Philisthæus astuta cautela reliquit vallem, vt si fortè Hebræi florida vmbrositate illecti, aut dulcibus vndis prouocati ad vallem descenderent, faciliùs perirent: *Vt haberent auantagium interficiendi aduersarios.* Verùm vt Philisthæus astutus, sic prudens Hebræus, à montis cacumine non discessit: *Israel stabat supra montem.* Non adeò extimuit hostium truculentiam, quàm floridam amænæ vallis fallaciam, & Philisthæus suis non adeò fidebat armis, ac jucundis vallium illecebris. O quot, dum sectantur florida, dum amplectuntur jucunda, patiuntur dæmonum retia! inuolant ad apparentes delitias, nec tectas intuentur fallacias. Sansoni leo occurrit inter populi vineas, & vites floridas: *Cùm venissent* Iudic. 14. *ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sauus, & rugiens, & occurrit ei.* Quia alibi opportunam adeò occasionem non inueniret in vineis latuit. *Occurrit* (inquit Hugo) *in vineis, solus fortè diuerterat illuc.* Vbi sensus oblectat, vbi oculos pascit;

pascit, ibi rugitum leonis audiuit, quia diabolus validior insurgit, vbi homo voluptatibus emollescit.

TEXTVS.

VERS. IV. Et egressus est vir spurius de castris Philistinorum nomine Goliath de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi.

§. V.

Quos accepta de hostibus coronat victoria, bellum inferre solet superbia.

Sup. vbi. Victoria.

VIr probus à miris suis operibus timet, quia vanâ gloriâ, & superbiæ tumore deuenustari cognoscit. Quisquis victoriæ suæ adulatur, quisquis vano tumore sibi de benè gestis blanditur, jam vanitatis, arrogantiæque nebulis obscuratur. *Nec tepidior vis vana quoque gloriæ mutandis induuis etiam viro saluo* (aiebat Tertullianus *de pallio cap. 4.*) *Calor est omnis affectus, verùm cùm in affectationem flabellatur, iam de incendio gloriæ ardor est. Habes igitur ex isto fonte æstuantem magnum Regem sola gloria minorem.* Vicerat Alexander Medicam gentem, gloriationis verò nesciuit vincere vanitatem, fortitudini suæ adulatus intumuit, & tumidus superbiuit. Rari sunt, qui sibi non placeant, & de benè gestis superbiant. Vndè aquila illa grandis cedros impetiuit, & ab eis folia discerpsit:

Ezech. 17. v. 3.

[Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medulam cedri, summitatem frondium eius auulsit.] Nihil tulit ab abjecto, & humili frutice, sed cedri interna lacerauit, & summitates auulsit. Galfridus in Allegor. Tilman. hanc aquilam esse existimat vanam gloriam: *Aquila hæc vana gloria est, grandis sua æstimatione.* In Libano excelso, & candore resplendenti hæc aquila pascitur, & medullis cedri innutritur, nam vana gloria virtutibus florentes impetit, & candoribus refulgentes inuadit: Vicerat Hebræus Philisthinos, prodigiosum reportans triumphum:

Sup cap 14. v. 31.

Percusserunt in die illa Philisthæos, & jam ab ipsis detriumphatis, & victis procerus assurgit, & subigere triumphatores contendit: *Egressus est vir spurius de castris Philisthinorum nomine Goliath de Geth.* Bernardus in allegor. Tilmanni existimat hoc in gigante adumbrari superbiæ vitium, & vanitatem enorme virtutum fascinum. Ipsum accipe: [Credo non incongruè in superbo homine superbiam designari. Ipsum enim est peccatum maximum, quod specialiter insurgit aduersus eos, qui peccata cætera vicisse videntur. Nam & Philisthæi illo tempore timebant Israel, nisi quod tota eorum fiducia de Golia pendebat.] Hebræi Philisthinos non solùm fugauerant, sed attriuerant, exuuiis copiosissimis fulgebant diuites, resplendebant victores: ergo eos superbia inuadit, si fortè vanitate obscurentur: qui tot spoliis ditabantur; & quidem sæpè sæpiùs ab ipsa tentatione deuicta, ab ipsa virtute egregiè exercita complacentiæ propriæ motus exoritur, & contra victorem prælatur. Ergo Goliath, id est, superbia, vanaque gloria contra victores procedit in campum, si reportare quiuerit triumphum.

§. VI.

Aliquando tunc solùm alicuius viri magnitudo cognoscitur, cùm deperditur.

Magnus.

NEscio quo fato eximiæ aliquorum virtutes stellarum induant ingenium; in tenebris solùm ad se oculos allicinunt, & dum viuunt, tenebrescunt, quia æmulatio, & inuidia tetræ nebulæ splendorem abscondunt: tunc solùm confitentur magnum, & eximiis dotibus præditum, cùm è medio vident sublatum. Iam magna stella proditur, quæ cecidisse conspicitur: *Cecidit de cœlo stella magna ardens tanquam facula.* Quæ fortasse cœlo radians adeò magna non habebatur, jam magna, & eximia habetur, quasi casus magnitudinem euulgarit, & cæteras luminibus superasse prodiderit. Cùm æmulationi materia subtrahitur, & inuidentiæ occasio præciditur, veritas claret, & pulsâ æmulationis procellâ, excellentia demortui lucet. Gigantem sex cubitis, & palmo constasse est indubium: *Altitudinis sex cubitorum, & palmi.* Quando hæc altitudo, proceritasque fuerit cognita Abulensis inquirit *quæst. 6. Aliquis dicet; quomodò Israelitæ sciebant, quod tanta esset quantitas Goliath?* Quæsito jam respondet: *Quia postquam eum occidit Dauid, poterant illum mensurare, & sic credendum est.* Itaque dum viueret, quanta esset eius magnitudo plurimis erat ignotum, post mortem omnibus erat compertum. Et quidem historiæ coloribus sacer depinxit Textus, quod sæpè experimur. In Republica, aut congregatione aliqua vnus, aut alter eximiis solet dotibus eminere, & clarissimis scientiæ prudentiæque luminibus exornari. Hic dum superstes, parui, aut nihili æstimatur; si verò occumbat, vti irreparabile damnum lugetur, & elogiis sumptuosis extollitur. Moyses inter suos degens sæpè sæpiùs iniquis lingnis est obscuratus, immò lapidibus impetitus: [Murmurauit omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen, & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. Cúmque oriretur seditio, & tumultus increscseret, Moyses, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis.] Vides qualiter à suis Moyses tractetur viuus, audi qualis habeatur demortuus. Opus fuit Michaeli cum diabolo altercari, vt sepulchri locus celaretur: *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore.* Ni Michael vtilem illam ignorantiam solicitasset, populus Moysem vti Deum coluisset. Ita Beda apud Glossam: *Potest credi Angelum egisse altercationem cum diabolo de corpore Moysi, quasi nolet sepulturam Moysi Iudæi reuelatam esse, ne eum quasi Deum adorarent.* Ecce quem viuum affligebant, demortuum veluti Deum coluissent, & adorassent: excedentem amaris lachrymis luxerunt, viuentem variis calumniis, & obmurmurationibus obscurarunt.

Epist. Iud. v. 9.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. V. Et cassis ærea super caput eius, & lorica squammata induebatur. Porrò pondus loricæ eius quinque millia siclorum æris erat.

§. VII.

Qui præ cæteris eminent altitudine, præ cæteris etiam grauantur onere, & anxia premuntur solicitudine.

Magni Dignitas. Onus. Solicitudo.

AD ea sæpè hiamus ambitionis tenebris obscurati, quæ solicitè deberemus vitare, & studiosè diffugere. Ambitur culmen, cùm præcelsa prærupta sint. Plurimi ex his clamydatis, quibus inuides, quos miraris, sub aquis gemunt, fatenturque sibi non viuere, & plurimis solicitudinibus adurgeri. Disertè Seneca *de vita beata cap. 2. Omnem operam dedi, vt me multitudini educerem, & aliqua dote notabilem facerem: quid aliud quàm telis me opposui, & maleuolentiæ quid morderet ostendi? Vides tu istos, qui eloquentiam laudant, qui opes sequuntur, qui gratiæ adulantur, qui potentiam extollunt. Omnes sunt hostes, aut (quod in æquo est) esse possunt. Quàm magnus mirantium, tam magnus inuidentium populus est.* Quisquis altitudine eminet, quisquis dignitatis splendoribus lucet, magnum sibi onus imposuit, & in hostili regione vixit. Vbi Goliath proditur altitudo, plurimis armis refertur munitus, immò magno armorum pondere prægrauatus. *Cassis ærea super caput eius, & lorica squammata induebatur. Porrò pondus loricæ eius quinque millia siclorum æris erat.* Lorica premit, & ne per exigua loricæ foramina locus pateret iaculis, aut spiculis, aliud tutamen quæritur, & ferrea squamma superinducitur: alia fortuna ad fortunam tuendam opus est, & cùm nil adeò firmum, quod æmulationis procella, aut hostilis non possit concutere astutia, palpitantibus præcordiis viuitur, & magnis felix solicitudinibus adurgetur. Liram audi: *Super loricam habebat armaturam factam de laminis ferreis per modum squammarum ordinatis, vt hoc erat, ne per foramina loricæ sagitta, vel spiculum, aut gladius posset transire.* Aliis armis arma tegebat, & grauissimo humeros pondere prægrauabat. Sol cùm eclypticam percurrit, jam in leonem, jam in scorpionem, jam in libram incidit, & quia præ cæteris astris splendidus, nõnullis sideribus inuidiosus. Gigas, dum aliis tumet altior, proditur spurius: solet namque inuidia, vt obscurauerit altitudinis excellentiam, indagare prosapiam. Ni præ aliis excederet, nesciretur origo; ast prosopiæ non latuit defectus, quia multiplex altitudinis cubitus. Concludat thesim noster Sancius. *Planè importabile videtur pondus, quod ab homine quantumcumque robusto sustineri vix possit.* Præ aliis eminebat altior, sed & pondere præ aliis oppressus.

TEXTVS.

VERS. VI. & VI. Et ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat humeros eius: hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentium. Ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri, & armiger eius antecedebat eos.

§. VIII.

Altis plures in præsentia plaudunt, & laqueos in absentia disponunt.

IAnum depinxit fabula inoculatum ante, & retrò: bifrons erat, vt à tergo sibi prouideret, & prouidenter consuleret. Sunt plures, qui in facie laudant, qui obsequuntur, qui magnitudini adulantur, qui potentiam extollunt. Sed mihi crede: ex his plures interna maleuolentia aduruntur, quantumvis beneuolentiæ larua induantur. Præexcelso palpitantibus præcordiis viuendum est, & ceruix veluti in hostili regione huc, illucque circumflectenda. Tam magnus mirantium, quàm inuidentium numerus est. Redeat datus *præcedenti* §. Seence: *Qui potentiam extollunt, omnes aut sunt hostes, aut esse possunt.* Hostes sunt, & quidem turpi modo; nam cùm clanculum iniquis linguis abrodant famam, in facie extollunt adulationibus gloriam. Contra hos gigas ille procerus Goliath nomine optimam edocuit cautelam: clypeum sibi fabricauit, non tam, vt pectus tegeret, quàm vt humeros præmuniret: *Clypeus æreus tegebat humeros eius.* Profectò clypeus de more gestatur manibus, non tegit humeros. Ad hæc, si à tergo solùm habet Philisthæos sibi amicos, & ante conspectum Israelitas aduersarios, erit clypeus à tergo pendens otiosus, & pectora muniens opportunus: ergo objiciat clypeum Hebræis non objiciat Philisthinis. O vtilem nobis politicam. Inter suos proceritate excellebat: ergo à tergo timuit inuidos, qui ante conspectum astantes prouocabat aduersarios. Innuit Abulensis *quæst. 7. Habebat clypeum pendentem ad partem posteriorem super humeros.* A tergo metuebat spicula, ideò clypeo muniuit tergora: nam licet Philisthæi eius magnitudini plauderent, forsitan inuidebant, & spicula collimabant. *Magna res acta est omnium, qui sunt Prouinciis præfuturi* (aiebat Plinius *6. epist. 22.*) *magna omnium, qui se simpliciter credunt amicis. Corrupto enim scribæ seruo interceperat commentarios, intercideratque, ac per summum nefas vtebatur aduersus amicum crimine suo.* Atticinus Lustrici Brucciani amicus ei adulabatur, & insidiabatur simul, corrupto seruo scribæ vtebatur ad imponenda Lustrico crimina, & habebantur omnibus vera, quia ab amico afferta, & publica fide fulcita. Opus habuit lustricus clypeo ad humeros tegendos, quia Atticinus laruatus fallebat in facie amicus, cùm à tergo esset insidiosus aduersarius.

Magnates. Plausus. Laqueus.

TEXTVS.

VERS. VIII. Stansque clamabat aduersus phalangas Israel, & dicebat eis: quare venistis parati ad prælium? Nunquid ego non sum Philisthæus; & vos serui Saul? Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen.

§. IX.

Qui in Sacerdotes, Deoque sacratæ audet, quantumvis armatus, facilè perit.

Sacerdos. Consecrata.

Sacerdotibus etiam ignotis (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 34.) *honorem debemus.* Sacerdos cœlestis Numinis est vicarius, & veneratione dignissimus. Nam si Principum mutis, inanibusque statuis honor exhibetur, & in imagine Principis majestas reuerenter suspicitur, quantò magis in sacratis Sacerdotibus majestas Principis debet coli, & omni veneratione tractari. Qui in venerandos Sacerdotes audet, qui in Deo sacrata audaci temeritate delinquit, acerbam contra se Dei indignationem inflammat, & miseram sibi stragem imprudenter maturat. Hinc est, quòd Dauid puerulus, & inermis vt Goliath blaterantem audiuit, de victoria indubius duellum non respuit: *ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* Basilius Seleuciensis *orat.* 15. existimat verba à gigante prolata imminentis sibi stragis fuisse argumenta clarissima: *Maledicam illam inimici, linguam, victoriæ pignus teneo.* Lapide præuidit prosternendum, quia gigas se jactabat Sacerdotes peremisse sacrilegum: *Nunquid ego non sum Philisthæus?* In Hebræo cum articulo ponitur, ac si dicat: *Ego sum Philisthæus ille*, scilicet ille, qui Dei Arcam cepi; ille, qui Ophni, & Phinees Sacerdotes jugulaui: ergo vt Dauid agnouit sacrilegio pollutum, jam præuidit ictu lapidis dejiciendum; nec enim opus erat armis, contra quem inuisa manus cœlestibus pugnabat spiculis. Accipe Abulensem *quæst.* 7. *In Hebræo ponitur hoc, Philisthæus cum articulo quodam, qui significat aliquid speciale, & cognitum, quod in latino possumus dicere: Ego sum ille Philisthæus, qui accepi Arcam Domini, & qui occidi filios Heli.* Itaque cæca arrogantia ostentabat Dei Arcam manu sacrilega temerasse, & Sacerdotes Numinis occidisse: ergo vt vidit Dauid sacrilegij reum, indubium sibi promisit triumphum: *Maledicam illam inimici linguam victoriæ pignus teneo.* Nequibat facillimè non perire, qui in Dei Arcam, & Sacerdotes non timuit audere: nam etsi omnia delicta afferant auctori miseriam, celeriorem, luctuosioremque sacrilegia peperere ruinam: ergo Dauid prudenter in certamen prosiliit, & sacrilegum lapidis ictu prosternendum non dubitauit.

Lingua.

§. X.

Validæ adeò sunt vnitatis, charitatisque vires, vt dæmon singulare certamen exambiat, & vnitatis vinculum perhorrescat.

Vnit. Charita. Dæmon.

CHaritatis, vnitatisque vires adeò concordiæ munimine suffulciuntur, eisque inuictis suppetiis obarmantur, vt diabolus timore concussus fugiat, & veluti effumigatus coluber lateat. *Exigite vestræ sapientiæ firmitatem* (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 23.) *& hanc vobis palmã concordiæ specialiter vendicate.* Concordia semper palmata, quia spoliis semper onusta. Vel exiguæ res vnitate læsionem non sentiunt, aut calamitatis adsultus vincũt. Grues contra nocturnos insultus, & laborioſos volatus vnanimi consensu obarmantur, & vnitate fulciuntur. *Quadam communione* (aiebat Cassiodorus 9. *variar.* 2.) *sociata sibi sine Regibus obsequuntur, sine dominatu parent, sine terrore famulantur. Voluntarie seruiendo liberæ sunt, & inuicem se diligendo muniuntur.* Concordia nocturnas eludunt insidias, & acres frustrantur etiam procellas: vnio est illis pro saxeo muro, in quem nec aries asperrimus audet, aut si audet, non vincit. Vt vnitatis vires agnoscas, expende truculentissimam illam belluam, Goliath dico, qui in modum montis stabat reliquorum quantitatem enormiter supergressus, & mirandis armis instructus ad singulare certamen prouocasse, & aciei concordiam extimuisse: *Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen.* Et cur arrogãtia sibi non aduletur, & duos, aut tres aduersarios vincere, in prælio aggrediatur? Nonne sumptuosior gloria plures subjugare, quã aduersarium vnicum vincere? Profectò tot, tantisque armis injuriam videtur irrogare, cùm certamen non audet extendere. Ad hæc: si videt nullum ex Israelitis ad se prouocationem rapere, cur bellum cum suis aduersus Hebræos non adornat, sed in singulari certamine deposcendo inutiliter perseuerat? O vtilem nobis eruditionem! In metara corporis mole præfidit, armis affabrè elaboratis se tetigit, & qui singulari certamine indubiũ sibi promittit triumphũ, de concordiæ viribus miserandum veretur casum. Opportunè Galfridus hic *in Allegor. Tilmãi: Non timet nos solos aduersarius noster, idcircò fidenter prouocat ad singulare certamen, sciens quia væ soli, qui cùm ceciderit, nullũ habet subleuantem.* Innuit etiam Abulensis *q.* 7. *Descendat mecum ad singulare certamen, id est ambo soli certemus, & per nos dirimatur ista lis.* Quantumvis armis instructus, & proceritate superbus, vnionis, charitatisque exhorruit armaturam, nec sibi promisit, quantumvis robore prævaleret, victoriam. Hunc gigantis metum videtur Moyses approbare, dum Pharaonis electus Deus, & virga elementis imperante obarmatus legationem extrahere molitur, donec Aaron fraterna ei charitate conjunctus socius designatur: *Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Quod expendens Oleaster ad mores *ad exod.* 4. scribit: *Non acquieuit Sanctus vir Deo, quousque ei socium in legatione daret.* Ad nostram eruditionem jam Pharaonis Deus fraternam concordiam, & vnionem expetiuit, quasi plus de fraterna vnione, & charitate præsumpserit: ergo gigas dæmonis gerens personam, dum

Exod. 7.

dum sic in singulari certamine instituit, quantum valeat vnio, & concordia ad reportandam victricem palmam edocuit.

§. XI.

Vt vnius victoria suorum congregationem nobilitat, sic ruina, & casus dehonestat.

Victoria. Ruina. Honor. Dedecus.

SI astra luminoso splendore rutilent, cœlum pulchrescit; si confusis turbentur tenebris, sordet. De pingui segete aruus nobilitatur, de senticoso horrore despicitur. *Licet cætus vester* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 19.) *genuino splendore semper irradietur, clarior tamen redditur, quoties augetur lumine dignitatum; nam cœlum ipsum stellis copiosissimum plus refulget, & de numerosa pulchritudine mirabilem intuentibus reddit decorem.* A luminis splendore proxima irradiantur, vt à tetris nebulis confunduntur. Gigas ad singulare certamen prouocat ea conditione, vt omnes victoris acies nobilitet triumphus, & victi ignominiosa dehonestet seruitus: [Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen. Si quiuerit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis serui: sin autem ego præualuero, & percussero eum, vos serui eritis, & seruietis nobis.] Non solùm ait: *Serui eritis*, sed, *seruietis*, cùm anteà solùm dixerit: *Serui erimus.* Ecqua huius discriminis causa est? Quia improbi obligationi renuunt satisfacere, & alios ab obligatione non patiuntur resilire. Et expende: vnius victoria, aut ruina suis gloriam afferre, aut miseriam parere. Satis est vnius casus ad ignominiâ cæteros aspergendos, satis est vnius triumphus ad gloriâ nobilitandos. Innuit Abulensis *quæst.* 7. [si potuerit resistere mihi, & percusserit me, tota gens Philisthinorum seruiet Hebræis sub tributo, & obediet legibus ab eis positis. Si autem ego præualuero, si potuero occidere virum, qui mecum congressus fuerit singulari certamine, vos serui eritis.] Ab vnius ignauia resultabat cæteris ignominia, vt à celebrando triumpho proueniebat cæteris gloria, vt qui in religioso cætu, aut congregatione aliqua degunt, noterint in eorum quolibet cæterorum versari causam, & communem pluribus esse sceleris confusionem, aut pulchram virtutis laudem.

TEXTVS.

VERS. X. Et aiebat Philisthæus: ego exprobraui agminibus Israel hodie; date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen.

§. XII.

Audax pro vitio insolentia asseclarum virtutis timidam confundit inertiam, & inertem damnat ignauiam.

Peccator. Ipsum. Audacia. Vitium. Ignauia.

QVæ vitiorum furore correpti tentant, quæ calore voluptatum aggrediuntur deliri, virtutum castra sequentes confundunt; quandoquidem plus euanidæ gloriæ persuadet ardor, *Eman. de Naxera in Reg.* Tom. II. quàm solidus, & verus virtutis honor, & nitor. Vndè Pacatus in Panegyrico scribebat: *Ad hoc, aulam omnem sparthanis gymnasiis diriorem laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem.* Aula (inquit Pacatus) spe gloriolæ inescatis eam persuadet tolerantiam, duram adeò patientiam, vt sparthanis gymnasiis videatur adsimilis. O quot homines labores deuorant, ô quot contumelias deglutiunt, vt suæ vanitati plaudant, aut spes euanidas foueant! [Si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis, & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ (inquit Tertullianus *ad martyras cap.* 4) possum dicere: Modicæ sunt istæ possessiones ad consequutionem gloriæ cœlestis, & diuinæ mercedis, tanti vitrum, quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso.] Plus erogari debuisset pro vero, quàm pro falso, plus pro margarito pretioso, quàm pro fragili vitro. Sed, ô pudor! Pro vero detrectatur, quod pro vano studiosissimè ambitur. Ecce gigas ferè immenso armorum pondere pressus in aciem prodit, & longo dierum interuallo persistit, cùm nullus ex Hebræorum castris ausus fuerit inire conflictum: ergo gloriabatur Goliath Israelitas confudisse, & eorum ignauiam sugillasse: *Ego exprobraui agminibus Israel hodie: Date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen.* Magna profectò exprobratio, magna confusio, gigantis exoculata insolentia, & intrepida audacia; non granabatur armorum pondere, vitæ non deterrebatur discrimine, & hoc totum, vt vitiorum causam ageret, cùm Israelita, vt tueretur virtutis causam, nec armorum pondus ferre, nec in certamen fuerit ausus prosilire. Ita Abulensis *quæst.* 11. *Id est, ego intuli vituperium, vel opprobrium, sinè verecundiam toti multitudini Israelitarum, cùm nemo sit de eis, qui audeat congredi mecum.* Israelitarum ignauus timor erat gigantis triumphus, audaciæ plausus, & gigas discrimina contemnens, & ad certamina prouocans confundebat inertem Israelitarum metum, quando pro virtute fas erat vitæ exambire periculum.

TEXTVS.

VERS. XI. Audiens autem Saul, & omnes Israelitæ sermones Philisthæi huiuscemodi stupebant, & metuebant nimis.

§. XIII.

Specie sæpè rerum deterremur, & inerti metu frangimur.

TImor malorum, calamitatumque vim exaggerat, & virtutis neruos exaggerando debilitat. Hinc est, quòd diabolus in re virtutis imaginaria, & quæ nunquam euenient, cateruatim mala objicit, & falsis nos, ne honestum in certamen prosiliamus, auertit; accedimus opinioni, illam non coarguimus, & quia non coarguimus, animo cadimus. *Pleriq; lymphatici* (aiebat Plinius *epist.* 20.) *terrificis vaticinationibus, & sua & aliena mala ludificabantur.* Vaticinatur diabolus cum vitio decertantibus seruitutem, famem, nuditatem, mortem, & his inanibus terriculamentis illigatos præpedit, & ad vitiorum castra transire suadet. *Dicit piger: Leo* Prou. 22. v. 13.

eſt fortis, in medio platearum occidendus ſum. Ne ad virtutem greſſum promoueat, ſibi fingit adeſſe leonem immani rictu, exacutis vnguibus foris expectantem, qui egredienti occurrat, & deuoraturus diſcerpat, & dum falſis imaginationibus deterretur, terroris vinculis illigatur. *Plura ſunt, Lucili, quæ nos terrent, quàm quæ premunt* (aiebat Seneca *epiſt.* 13.) *& ſæpiùs opinione, quàm re laboramus.* Verum dixit, & quidem in virtutis itinere plura nos ante exterrent, quàm debeant, plura magis quàm debeant, plura, cùm omninò non debeant. Nos ipſi periculum fingimus, & a ugemus. Ecce Gigas dæmonis emblema contra ipſum de præliaturis oſtentat arma, terrifico aſpectu terrorem ingeminat, & qui in certamine lapidis ictu corruit, ante certamen ingeminatis terroribus vicit: *Audiens autem Saul, & omnes Iſraelitæ ſermones Philiſthæi huiuſcemodi, ſtupebant, & metuebant nimis.* Ne viriliter decertarent, oſtentabat periculum, miſeram minabatur ſeruitutem, & dum verbis Iſraelitæ obſtupeſcunt, & terrore nimio obturbati detrectant pugnam, hoſti concedunt victoriam. A puero potuit proſterni, qui terribili voce, & inſanis minis, ne illam inirent, prouocabat ad pugnam, & indubiam ſibi arroganter promittebat victoriam. Nolebat ingredi, ſed terrere, & dum Iſraelitæ ſpecie terrifica obturbantur, à certaminis gloria arcentur. Plures luridum famis vultum aſpicientes nolunt cum fame congredi, vtque vitent congreſſum, polluuntur crimine, qui ſi viriliter in certamen deſcenderent, Dei paternam experirentur prouidentiam, & de terrore adipiſcerentur victoriam. Ergo vires exere, & crede, quæ videntur horrenda, poſſe vel à puero vinci, & ſolùm terroribus illigare. *Iuxta Hebræum* (inquit Caietanus) *habetur: Et fracti ſunt, & timuerunt valdè. Fracti animo, & conſequenter valdè metuentes deſcribuntur.* Vt prudens, cautuſque timor eſt virtutis auxilium, ſic nimius, & exoculatus eſt honeſtatis naufragium. Quem gigantem putas, ſi viriliter audeas, inuenies laruam, & ſolùm gigantis vmbram. Et expende, cæteros Saulis exemplum fuiſſe ſequutos, quia ſi dux, & ſuperior cedat timori, jam non audent reliqui militare virtuti.

TEXTVS.

VERS. XII. Dauid autem erat filius viri Ephrathæi, de quo ſuprà dictum eſt, de Bethlehem Iudâ, cui nomen erat Iſai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul ſenex, & grandæuus inter viros.

§. XIV.

Indecorum eſt ſine grandi cauſa ſectari otium, dum Rempublicam adurget grauiſſimum bellum.

Otium. Bellum.

RESpublica ciues ſunt, ex quorum ſolertia, aut ignauia emergit ſoſpitas, aut infirmitas Indecorum eſt Reipublicæ eſſe membrum, & Reipublicæ ſpernere commodum. Pro capite brachium periculo objicitur, & impendentis gladij vulneri, vt caput ſeruet, exponitur. *Felicitas regnantis eſt* (aiebat Caſſiodorus 3. *variar.* 49.) *famulantes amare, quod expedit. Quando nobis labor cogitationis auferetur, dum ſubditi ſibi profutura diſponunt.* Reipublicæ felicitas eſt partes habere ſolicito ſibi ſtudio adhærentes, & pro communi bono certantes, tunc præcipuè cùm Rempublicam hoſtis adurget truculentus, & exercitus inuadit copioſus; nam, vt glorioſum eſt vèl proprio diſcrimine communi omnium ſaluti prouidere; ita eſt inglorium otia deteſtanda ſectari. Ob id ſacer Textus cùm phalanges hoſtium contra Iſraelitas in caſtris retuliſſet armatas, expreſſit ſemel, & iterum Iſai ſenectute grauari, & deuexa ætate impediri: *Et erat vir in diebus Saul ſenex, & grandæuus inter viros.* Et cur Iſai ſenectutem ſatis non fuerit ſemel exprimere, ſed replicare? Quia cùm grauè adeò bellum adurgeret Rempublicam, ad bellum non tendere ſine graui cauſa eſſet inglorium: ergo cùm Iſai domi remanſerit, nec arma in aduerſarios prehenderit, vt ab eo Textus auerteret probrum, repetiuit ſemel, & iterùm ſenectutis impedimentum: *Vir ſenex, & grandæuus.* Ni conſtaret ſenectute grauari, à virorum numero deberet excludi, qui ſectabatur otia, cùm hoſtilia premerent arma. Eſt enim inter fœminas recenſendus, qui competenti ad tractanda arma ætate marceſcit otioſus, & inhoneſtè otiatur ignauus. Audi Abulenſem *quæſt.* 12. [Hoc ponitur ad deſignandum quomodò Iſai non iuerit ad bellum, ſicut iuerunt tres filij ſui majores. Et dicitur quòd hoc fuit, quia erat jam vir ſenex nimis, & grandæuus inter viros, id eſt, valdè magnæ ætatis. Manere ſub vmbroſo tecto, quando Reſpublica graui adeò adurgebatur periculo, fuiſſet indecorum, ni legitimum ad arma agnoſceretur impedimentum: ergo ſacer Textus, vt ab Iſai omnem propulſaret infamiam, ſemel & iterum retulit grauiſſimam ſenectutis moleſtiam, & dum excuſat otium ſenis, accuſat ignauiam cuiuſque juuenis, quando nequit non aſpergi grauiſſima nota, qui periclitante Republica recuſat arma.

TEXTVS.

VERS. XIII. XIV. & XV. Abierunt autem tres filij eius majores poſt Saul in prælium: & nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & ſecundus Abinadab, tertiuſque Samma. Dauid autem erat minimus. Tribus ergo majoribus ſequutis Saulem, reuerſus eſt à Saul, vt paſceret gregem patris ſui in Bethlehem.

§. XV.

Virtutis alumnus ad alta aſcendit compulſus, humilia tractat expromptus.

Humilis. Culmen

VIrtutis alumnus plus ſtudet cultis moribus irradiare, quàm dignitatum culminibus prælucere; honorem egregiis actionibus promeretur, & honoris deſiderio non pungitur. *Conſtat* (aiebat Caſſiodorus 7. *variar.* 38.)

jucundum

jucundum esse rerum bonarum saporem, & vtilem ambitum laudis, qui appetitur per augmenta virtutis. Virtutis bonis moribus præditi discupiunt vehementer augmenta, ambitiosa præmiorum ignorant vota. Humilitas veluti illorum centrum placidam illis ministrat tranquillitatem; sublimitas veluti extra centrum degentibus affert solicitam anxietudinem. Hinc est, quod opus sit aliquos quasi violenter euehere, & non sit opus ad humilia sectanda cogere. Dauid regio assistit conspectui, sed superioris præcepto
Sup. cap. 16. v. 19. adductus: *Mitte ad me Dauid filium tuum, qui est in pascuis.* Aulam intrat, sed à patre missus, sed regiis præceptis coactus: verùm cùm se se occasio offerret, ad pascua celeriter inuolauit: *Abiit Dauid, & reuersus est à Saul, vt pasceret gregem patris sui in Bethlehem.* Et cur non expectet, vt mappalia repetat, à Rege manumitti, & à parente euocari? Quia vti humilis (inquit Abulensis *quæst.* 13.) humilia ambiebat expromptus, & alta solùm amplectebatur majorum obedientia constrictus: [Ex hoc manifestatur humilitas Dauid; quia quamquam moratus fuisset cum Rege nimis familiariter magno tempore semper stans in conspectu eius, non erubuit postea redire ad custodiendos greges, nec hoc refutauit.] Ipse lubenter ad curandos greges properauit, quin expectarit præceptum, ad aulam traxit Principis, & parentis mandatum. Nam veri virtutis cultores humilia exprompti, ac lubentissimè exambiunt, alta studiosè refugiunt. Nec aliter Moyses ille populi ductor se gessit. Gregem ad abstrusiora deserti minabat, & qui pastoris libenter gerebat agolum, animitus fugiebat sceptrum: *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Moyses virgam fugiebat, vt colubrum, quia jam illa virga vertebatur in sceptrum, qua elementis imperaret, & latas Israelitarum copias regeret. Adest Basilius Seleucienſis *orat. 26. Comprehensa virga elementis imperabat, & conserui vox lata pascebat Israel.* Iussus tulit virgam, quâ mira faceret, Israelitasque regeret, injussus desertum petiit, & oues pauit, imo in ipso dignitatis culmine nõ tumebat imperator, sed aliis inseruiebat conseruus: *Conserui vox lata pascebat Israel.* Itaque ad dignitatem peruenit jussus, & virga illa lubenter comprehensa gregem pascebat solicitus. Nam viri perfecti honores refugiunt tanta solicitudine, quanta discupiunt alij ambitione.
Exod. 4. v. 17.

§. XVI.

Virtutis alumnus curat obedire, occupationum gradus, aut qualitatem nescit attendere.

Obedientia. PRæsumptio designatur minoribus occupari, si contingit majoribus exerceri; verùm in Reipublicæ vergit detrimentum, si, qui semel tenuit dignitatum fastigia, dedignetur tractare minora; nam opus erit indulgere otio, cùm non semper quiuerit eminere fastigio. *Ne quis nos C.* (aiebat Princeps 10. *variar.* 12.) *in honoribus dandis non æstimet habuisse rationem, quòd post insignia consulatus minora magis posteriùs conferamus. Quin imò suaserunt nobis merita candidati, ne iam maturus nulla videretur sumere, qui primatus emerita cognoscitur accepisse.* Acceperat meritorum suffragiis quidam Reipublicæ minister dignitatis culmina; euoluto jam dignitatis tempore Princeps dignitatibus minoribus applicauit non eius honori detrahens, sed Reipublicæ vtilitati prospiciens, quando fas non erat viuere otiosum, quia dignitatum semel obtinuerat summum. Benè politici superioris est omnia promiscuè concedere, nec industrium otiari permittere. Adnectit Cassiodorus: [Auari quippè Principis erat in vno honore spatia vitæ tam magna concludere, & ideò magis nihil præstare, quia priùs cognoscitur summa meruisse: quin potiùs omnia promiscuè concedamus.] Vt prudentis principis est promiscuè omnia concedere, sic deuoti subjecti omnia promiscuè acceptare, & studere plus virtuti, quàm vanitati. Sol ab oriente per gradus ad splendoris culmen ascendit, sed quia oportebat, orientem iterum repetiit: *Reduxit vmbram per lineas, quibus iam ascenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.* Iam sol abactis vmbris refulgebat toto luminis splendore, dimisit tamen fastigium, quia erat Reipublicæ commodum, nec amisit solis nomen, quia post culminis fastigia exortus repetiuit cunabula. *Deus* (inquit Augustinus *lib. 2. de mirabil. sacræ script. cap. 28.*) *tramite retorquet, quatenus indè veluti manè iterum festinare inciperet, qui diei totius exceptis duabus horis spatium consummasset.* Post summa non recusauit sol exercere minora, vt qui plus obedire cuperet, quàm fulgere. Et Dauid post armigeri honorem reuertitur ad pascendum gregem: *Reuersus est à Saul, vt pasceret gregem.* Decrescere videbatur honor; verùm Dauid non recusabat minora post magna, vt qui studebat virtuti, non præsumptioni. Prodest Lira: *Quia non habebat officium coram eo cytharizando, ideò ad officium pristinum reuersus est in domum patris sui.* Aulici muneris jam cessarat exercitium: ergo rediit ad pascendas oues in campum. Vt repetat datus Cassiodorus: [Nulla dignitas minor est, cùm benè geritur: quando reuerentiam plerumque actio videtur accipere de claritate personæ. Hæc autem tunc sunt gradibus distincta, cùm diuersis fuerint attributa. Nam honorem suum semper æqualiter retinet quicquid probè gesserit consularis.] Semper erat Dauid idem, siuè oues curaret, siuè palatio fulgeret, & felix erat illa Respublica, quando non recusabat minora, quia alio tempore gesserat magna.
4. Reg. 20. v. 11.

§. XVII.

Dæmon non audet impetere, quos dignis intuetur actionibus occupatos, deliciis, & otio exagitat deditos.

VOluptas suis præstigiis rationem sopit, Dæmon. otium dæmonis, tentationisque causam Otium. agit: *Loquaces, otiosæ, vinosæ, curiosæ, contubernales* (aiebat Tertullianus *lib. 1. ad vxorem capit. 8.*) *vel maximè proposito viduitatis officiunt. Per loquacitatem irrumpunt verba pudoris inimica: per otium seueritate deducunt: per vinolentiam quodvis mali insinuant: per curiositatis æmulationem libidines conuehunt.* Otium nutrit garrulitatem, delitiæ fouent intemperantiæ pruriginem, adulatio exterminat veritatem. Quæ omnia januam dæmoni aperiunt, & semel introductum suffulciunt. Ab honestè occupatis,

& laudabili labore districtis dæmon fugit, & quia non præsumit victoriam, inire detrectat pugnam. Ecce Dauid redit ad pascua, vbi Saul Martia egreditur ad bella: *Reuersus est à Saul, vt pasceret gregem.* Hinc oritur quæstio; cur scilicet Saul non vereatur exagitari Martiali in campo, cùm in aula diuexatus fuerit tormento? Secum deferat cytharædum, vt, dum tractat contra religionis hostes arma, ad manum habeat contra dæmonis irruptiones remedia. O bonam nobis eruditionem! In palatio frequenter indulgetur otio, & saporatæ ciborum condituræ adulantur palato. Martiali in campo laboratur inædia, & siti, & omni corpus tractatur imbonitate: ergo qui in palatio indigebat cithara, in campo jam opus non habet melodia, quia dæmon, qui exagitabat otiosum, non audebit contra dignis actionibus occupatum. Redeat datus Lira: *Quia non habebat officium coram eo citharizando, ideò ad officium pristinum reuersus est in domum patris sui.* Vt cessante morbo opus non est medico, ita opus non fuit Sauli cithara, vbi palatij cessauit inertia. Leo Samsoni occurrit, cùm ad vineas oppidi diuertisset, vicit truculentam bestiam, sed quia Dei spiritus in illum irruit, & protexit: *Irruit spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem quasi hædum in frusta discerpens, nihil omninò habens in manu.* Otiosæ manus leonis exacuerunt audaciam, sed ni magnas Dei spiritus tulisset suppetias, Samson non obtineret victoriam. *Nihil habens in manu* (inquit Lira) *ad ostendendum, quod non fecit gladio, vel baculo.* Vbi manus, in qua actio designatur, prorsus erat otiosa, leonis increbuit audacia, vt hoc emblemate nosceremus, quàm egeat grandi auxilio otiosus, & quàm leonis armetur contra ritè non occupatos rugitus.

Iudic. 14. v. 6.

§. XVIII.

Dei viri, si necessitas exigat, adire non recusant palatia, si cesset, fugiunt, nulla interposita mora.

Palatium. Religiosus. Amœnitas.

VIr sapiens, & virtutis studiosus non recusat se palatinis ingerere, si videatur necessitas postulare; verùm si cesset, ocissimis alis aufugiet. Qui se ingerit, qui exambit Principum gratiam, suspicionem ingenerat, & plus quàm virtutem, ad speciem redolet ambitionem. *Loca seria, sanctaque eligere oportet* (aiebat Seneca *epist.* 51.) *effæminat animos amœnitas nimia, nec dubiè aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio. Quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aspero vngula est: in molli, palustrique pascuo saginata citò subteruntur. Et fortior miles ex confragoso venit: segnis est vrbanus, & verna.* Vel seuera ingenia ad se rapuerunt aulæ delitiæ, vel concinnos mores turbarunt aulicorum vanitates. Hinc est, quòd Dei serui nunquam palatia eligent, aderunt aliquando, sed si cogat necessitas, quàm citò fugient, si arriserit opportunitas. Dauid ad pascendos greges rediit, & Saulis aulam reliquit: *Reuersus est à Saul, vt pasceret gregem.* Non deerat illi in mappalibus cum leonibus, & vrsis pugna, sed nec defuit victoria. Iam si inquiras, cur ab aula discesserit, qui Sauli adstiterat, respondebit Abulensis *quæst.* 13. Saulis morbum jam abactum: ergo licet Dauid non recusarit astare, cùm necessitas exigebat, curauit tamen quàm celeriter se expedire, vbi necessitas jam cessabat: [Aliquis dicet, quòd Saul volebat secum habere Dauid, vt quando à dæmone arriperetur, psalleret coram eo: nunc autem erat liberatus à dæmone; ideò non erat opus, vt secum haberet Dauid.] Dauid, si maneret, lucraretur gratiam, sed non exhiberet medelam; canendo afferret voluptatem, sed non conferret salutem: ergo fugit, quia non erat ex iis, quos in palatiis detinet ambitio, sed ex iis, quos illigat obligatio.

TEXTVS.

VERS. XVI. Procedebat verò Philisthæus mane, & vespere, & stabat quadraginta diebus.

§. XIX.

De aliorum modestia aliorum crescit audacia, & vires accipit insolentia.

Modestia. Audacia.

EXtremæ miseriæ est (aiebat Nazianzenus *orat.* 2. *de pace*) *non propriis viribus, sed aliorum imbecillitate niti.* Addere potuisset: Extremæ dementiæ est, aliorum tolerantia abuti, & modestia superbire. Plures sunt, qui, si alios viderint se intra modestiæ limites continere, & prudentiæ consulere, immetatè efferantur, & superbissimi obscurare, immò opprobriis iniuriis exasperare conentur. *Quisque caueat* (aiebat Plutarchus *de sui laude*) *ne se ipse celebret intempestiuè. Magnum enim habet iactantia amorem sui ipsius arcem. Atque oppidò in specie moderatè gloriam sectantes visitur adoriri.* Iactantiosus, & superbus de alienis opprobriis, contumeliisque fœdam sibi gloriam architectatur, & superbiæ limites transilire, si non resistatur, adnititur. *Si admisceas* (addit Plutarchus) *laudem mota aliena propriam, atque ex alterius infamia gloriam aucuperis, importunus planè, & odiosus sis, quasi inclarescere ex turpitudine affectus aliena.* Cordatum arrogantes, superbique timore irrident, & prudentiam pusillanimitatem infamant, seque alios eximiis, & præclaris dotibus antecedere ostentant, si nullus, modestiæ consulens, eorum præsumptionem frænarit, & cohibuerit. Goliath in superbiam effusus ad singulare certamen Israelitas prouocabat: illi vno jactu communem salutem exponere detrectarunt, & se prudentissimè continuerunt: ergo de Israelitarum prudentia majorem sumebat audaciam, & fouebat insolentiam: *Procedebat verò Philisthæus mane, & stabat quadraginta diebus.* Vbi Dauid se opposuit, arrogantia ignominiosè cessit, & prostrata primo ictu jacuit; at dum se Israelitarum prudentia continuit, audacia Goliath nimis increbuit. *Hoc faciebat* (inquit Abulensis *qu.* 13.) *ad magnam iactantiam suam, & vt nimis exasperaret Israelitas irritando verbis duris.* Verbis durissimis exasperabat, & modestum, prudensque Israelitarum silentium conuertebat in vanitatis suffragium, & arrogantiæ fomentum. Sunt namque plures, qui de aliena modestia propriam adaugeant jactantiam, & fouerint insolentiam.

§. XX.

§. XX.

Euanida mundi gloria duris laboribus emitur, & possessa magnis oneribus prægrauatur.

SVperbia onerosa sibi est, euanidum splendorem ingenti pretio emit, & graui premitur sarcina, vt sibi illudat gloriola. Isai 14. v. 28. *Factum est onus istud* (aiebat Isaias) *ne læteris Philisthæa.* Tilmannus legit: *Onus Philistium.* Philisthæus non potuit onere graui non premi, quia nesciuit non superbire. *Philisthiim* (inquit Tilmannus) *superbi quique intelligi possunt.* Goliath superbus onus grauissimum tulit, & magnis humeros oneribus prægrauauit. Lucifer ille qui de cœlo cecidit, serpens vocatur, & serpentis Apoc. 12. v. 9. nomine exprimitur: *Serpens antiquus, qui vocatur diabolus.* Et quidem serpens fœdè trahit corpus, pectore verrit tellurem, vt summa abjectione euanidum coëmerit splendorem: Isai 14. v. 12. *Cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris.* Breuis gloriatio longa volutatione, & indigna constitit humilitate. *Digna retributio* (inquit Ailredus in Allegor. Tilmanni) *vt qui cœlum voluit elatus conscendere, in infernum trahatur inuitus.* Itaque idem & serpens, & lucifer, sed lucifer exiguo tempore splendet, serpens longissimis temporum interuallis, proreptans, indignaque abjectione futilem gloriolam mercatus est, vtque breuissimo tempore fulgeat elatus, ignobiliter serpit abiectus. Goliath quadraginta diebus incedit tumidus: *Stabat quadraginta diebus,* sed expende, quàm graui armorum onere ingemuerit prægrauatus: *Cassis area super caput eius, & lorica squammata induebatur: porrò pondus loricæ eius quinque millia siclorum æris erat.* Vt euanida illa jactantia frueretur, grauissimis oneribus premebatur. Iam si vanitatis fructum quæras, fuisse reperies inhonestum casum, & miserandum interitum: non potuit superbia magnis oneribus non subjacere, & fuit vanitatis fructus perire. *Goliath* (inquit Abulensis *qu.* 13.) *procedebat mane, & vespere, id est, quotidie bis exibat de castris suis veniens ad castra Israel, vt peteret singulare certamen. Hoc autem faciebat ad magnam iactantiam suam.* Itaque opus erat manicare, opus vespere viam eandem repetere, opus armis prægrauari, & hoc totum, vt euanida, jactantiosaque gloriatio adularetur superbiæ, & extremæ militaret calamitati. Et nota Dauidem armorum pondere liberum de Goliath decantandum sæculis tulisse trophæum: vt compertum fuerit, virtutis cultorem graui humeros sarcina non premere, & vera triumphi laude micare. Gigas nec adeptus est victoriam, nec ab humeris excussit sarcinam. Mihi crede: futilis, & volatica sæculi gloriola grandi molestia emitur, & exiguum splendoris tempus longo miseriæ tempore compensatur.

§. XXI.

Omne tempus fouendæ vanitati inuenitur expeditum, virtuti sæpè difficultatibus implicatum.

Tempus. Vanitas. Virtus.

VIrtuti omne tempus debitum, sed omne frequenter variis coloribus denegatum. Puericia laudis scribitur, virilitas conquirendis opibus adsignatur, senectus otio præscribitur. Mirũ erit, si difficultates non emerserint, & tempus virtuti debitum sibi non vendicarint. Inter Iacob, & Laban spatium itineris trium dierum interceſſit: *Posuit spatium trium dierum inter se, & generum, qui pascebat reliquos greges eius.* In Gen 30. hoc trium dierum spatio agnoscit Philo *lib. de* v. 36. *sacrific.* humanæ vitæ spatia, aitque Labanum à Iacobo trium dierum spatiis destitisse, idem esse, ac per omne vitæ tempus à virtutibus aberrasse. Ipsum audi: *Filij Labanis iter trium dierum secedendo curant, quæ figura est virtutis per omnem vitam derelictæ* Itaque nonnulli in prolixis vitæ spatiis tempus non inueniunt virtutibus applicandum, sed vitiis veluti debitum existimauere reddendum. Si ventri, aut palato indulgendum sit, si oculorum oblectamenta occurrant, nec inopia, nec sol, nec frigus obstabit, quia amentia nostra difficultates euincet; verùm si aliquod colendæ virtuti præscribatur spatium, frequenter emergit impedimentum, quod non vincimus, quia impediri sæpè gaudemus. Ob id fortè scriptura, vt Banaiæ fortitudinem commendaret, leonem in diebus niuis interfecisse retulit: *Percussit leonem in media cisterna in diebus niuis.* Tempus frigidum 2. Reg. 23. impediebat, cisternæ locus difficultatem incre- v. 21. mentabat, & tamen magnanimè proculcauit obstacula, & miranda tulit trophæa. Glossa in Banaia Christum intelligit: *Banaias, qui interpretatur ædificator Dominus, Christum significat.* Profectò ni hominem designaret diuinum, temporis non deuicisset obstaculum, immò ne in leonem irrueret, in temperiem temporis allegaret. Nullum tempus incommodat ad voluptates, aut vanitates sectandas; vel adumbratæ solùm difficultates deterrent ad virtutes exercendas. Sponsa renuit iterum amiciri, vt sponsum exciperet: *Expoliauì me tunica* Cant. 5. v. 3. *mea, quomodo induar illa.* Gigas non renuit mane, vespereque arma induere, vt virtutibus bellum inferret, & vanitati inseruiret: *Procedebat verò Philisthæus mane, & vespere, & stabat quadraginta diebus.* Notauit Abulensis *quæst.* 13. *Hoc faciebat ad magnam iactantiam suam, & vt nimis exasperaret Israelitas irritando verbis duris.* Ob jactantiam, vanitatemque mane, & vespere non detrectauit caput galea premere, sponsa pallium recusauit assumere.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XVII. & XVIII. Dixit autem Iſai ad Dauid filium ſuum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes iſtos, & curre in caſtra ad fratres tuos, & decem formellas caſei has deferes ad tribunum: & fratres tuos viſitabis ſi rectè agant: & cum quibus ordinati ſunt diſce.

§. XXII.

Bono patri curæ eſt filiis alimenta præbere, & ſi quod contraxerint, debitum ſoluere.

Parens. Filius. Alimentũ. Debitum.

NEmo miles (aiebat Tertullianus *ad Martyras cap. 3.*) *ad bellum cum delitiis venit.* Sed nemo miles ſine annona viuit. Qui victualia non præbet alendæ vitæ opportuna, in proprios militum conuertit arma. Delitiæ à caſtris prorſus ſunt abigendæ, ſunt namque vigoris languor, & criminis vigor: aſt vt exterminanda ſunt delitioſa, ſic exhibenda ſunt neceſſaria, quæ ſi deſint, nec diſciplina conſtabit, nec robur vigebit. Hinc eſt, quòd Iſai, vt honeſtè filij militiam agerent, alimenta prouidit, & ſi quod legitimè debitum contraxiſſent, ſtudioſè ſoluere procurauit. *Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes iſtos.* Nec hædum, nec delicatum cibum filiis miſit, nec alendæ vitæ neceſſaria negauit: nam filius indigens patrem condemnat, & degeneribus factis famam obſcurat: ergo Iſai prudenter ſtuduit, vt nec affluerent delitiis, nec egerent neceſſariis Notauit noſter Sancius: [Bonus pater Iſai de filiorum ſalute ſolicitus minimum filiorum ſuorum è paſcuis euocat, illumque onuſtum panibus, cibiſque caſtrenſibus ad fratres mittit, vt quo in ſtatu res illorum ſit, accuratè exquirat, & quid illis neceſſarium eſſe didicerit, renuntiet.] In Hebræo habetur: *Et pignus eorum tolles*, id eſt, ſi quid, vt cibum, aut pecuniam acceperint, oppignorauerint, redimes. Itaque miſit cibos caſtrenſes, vt illorum exigebat ſtatus, non miſit, quos cuperet appetitus. Et ad hæc miſit etiam pecuniam, vt à contractis debitis liberaret, & ſoluendo, in poſterum prouideret. Nam legitimè debita ſoluens, qui ſibi iterum ſuccurrat, inueniet. Adeſt Caietanus: [Iuxta Hebræum habetur, & pignus eorum tolles, hoc eſt, redimes quidquid in pignus dederint pro debito aliquo: ſubintelligitur enim, quòd Iſai dederit pecuniam Danidi ad redimendum pignora fratrum ſuorum, ſi opus eſſet.] Prudenti ſolicitudine vitæ alimenta prouidit, & fidem liberauit, quia alterum ſaluti, & alterum deſeruiebat honori. Nonnulli parentes, dum neceſſaria non præbent auari, delinquendi filiis occaſionem præbent imprudentiſſimi, & dum honeſtè contracta à filiis debita renuunt ſoluere, inueniuntur litium occaſiones fouere. Bonus Iſai curauit ad vitam neceſſaria præſtare, & omnem contra filios querelam expurgere.

§. XXIII.

Prudentia eſt muneribus honeſtè magnatum benevolentiam elucrari, & pericula prouidenter abigere,

Munera. Magnates. Benevolentia. Dignitas.

QVamvis omnis prouectus ad diuinitatis ſit prouidentiam referendus, nec aliquid bonum ſit, niſi quod ab ipſa dignoſcitur eſſe collatum, quàm maximè inoculatæ prudentiæ eſt, quæ emergere poſſunt, pericula prouidenter auertere, & magnatum, quæ ſemper prodeſt, gratiam elucrari, præcipuè Martiali in campo, vbi aliquando duces arbitrantur non minus ſibi licere in ſubjectos milites, quàm in truculentos hoſtes. *Talis eſt vnaquæque dignitas* (aiebat Caſſiodorus in Gnomologia) *qualis adminiſtrantium eſt voluntas.* Et addit 10. *variar.* 31. *Neceſſe eſt enim talem de cunctis opinionem currere, qualem gens meruit habere rectorem.* Qualis dux, rectorque, talis & ſubjectus, & armatus. Si dux malè in militem ſit affectus, periculis objiciet, & ad aliorum tutelam veluti murum, aut ſignum ad ſpicula opponet; ſi benè affectus, vitæ, & honori proſpiciet, & de augmentis cogitabit. Hinc eſt, quod Iſai ad tribunum caſeos miſerit, vt qui nouerat à militiæ præfectis pendere militum, & gloria, & vita: *Decem formellas caſei has deferes ad tribunum.* Non minus filiis prouidit caſeis tribuno oblatis, quàm panibus ad ipſorum vitam alendam miſſis. Notauit noſter Sancius: [Multa ab his, qui præſunt, dura, atque indebita patiuntur milites, qui non minus licere ſibi putant in militum, quàm in hoſtium corpora. Atque ideò non minus filiorum ſaluti conſuluit bonus pater Iſai, cùm caſei formellas miſit ad Tribunum, quàm ſi ad filiorum victum deſtinaſſet.] Honori, ſalutique filiorum caſeos deſtinauit, dum ad Tribunum, & militiæ Præfectum miſit: nam eis muneribus honeſtè ſubornatus, & erga Iſai filios benè affectus decentiùs tractaret, & eorum commodis prouideret: ergo digna cordato ſine prudentia fuit muneribus domeſtica à filiis pericula auertere, & malę tractationis occaſionem propulſare. Profectò auari, & malè politici, ne quid expenderint, ſolent ſibi, aut filiis pericula procreare, & diſcriminibus imprudenter objicere.

§. XXIV.

Plus aliquando nocet improbus ſocius, quàm validus aduerſarius.

Socius. Aduersarius.

BOnus ſocius ſalutis eſt tutamentum, & ad virtutem proſequendam auxilium: malus lues nocentiſſima, & peſtis grata, & quò gratior, ſæpè nocentior. *Primò* (aiebat Plutarchus *de Adulatore*) *æqualitas, & tenor conſtatrandus inſtituti vitæ eſt; an retineatur eiſdem perpetuo, an eadem commendet, atque vnum ad exemplar vitam ſuam dirigat, & componat, ſicut ingenno amicitiæ, & familiaritatis, qua eorumdem eſt morum, conuenit amatori. Talis eſt enim amicus.* Solùm in ſocietatem, amicitiamque admittendus eſt, qui virtutis ſtudioſus, & qui fouendæ virtuti agnoſcitur opportunus. *Adulator* (addit Plutarchus) *qui ſedem vna moram non habet fixam, neque gens vitæ ſibi querit deſtinum,*

Eum, verùm alteri, & ad alterius conformat, & componit se mutuum: non simplex est, nec vnus, sed multiformis, variusque in aliam ex alia effigie aquæ more transeuntis, quæ circumfluit semper, atque imaginem suam variat pro alueo: Adulator irretit, & in laqueum illicit. Improbus socius animæ concinnat laqueum, & vitæ sæpè periculum; iracundiam inflammat, insaniam fouet, voluptatem commendat, & vice calcaris ad sectanda vitia proritat. Ob id Isai non tam studuit hostium agnoscere ingenium, quàm commilitonum animum: *Fratres tuos visitabis, si rectè agant, & cum quibus ordinati sunt, discet.* Non ait, an periculosa statione persistant, an inimicorum grandis sit numerus, an copiosus hostilium armorum apparatus, sed *cum quibus ordinati sunt, discet.* Et cur scire non solicitet quot aduersariis objecti, quali discrimini oppositi? Quia vti prudens, sagaxque non tantum filiis timuit ab aduersariis, quàm à commilitonibus, & amicis; nam hostis aut victus parit gloriam, aut vincens legitimè decertantis non lædit famam: ast amicus improbus, & famam innubilat, & salutem labefactat: ergo discat Dauid cum quibus fratres fuerint ordinati, nam hoc majori studio est inuestigandum, quàm de aduersario inquirendum. *Multum refert* (inquit noster Sanctus) *maximè in acie, quos habeas duces, quibus obsequare, à quibus accipias stationem, & pugnandi tempus, ac modum, & quos fueris sortitus socios, & commilitones, qui tecum labores, & curas partiantur. Hoc igitur jubet Isai, vt Dauid exquirat, & ad se referat.* Ecce optimus pater, & prudens senex solicitior erat de amicorum ingenio, quàm de aduersariorum numero, vt qui non ignorabat periculosius esse juuenibus cum improbis amicis degere, quàm cum truculentis hostibus congredi. Irridendi sunt plures parentes, qui cum filiis studiosè procurent salutem, improbi amici permittunt pestem, cùm major, solicitiorque cura adhibenda sit erga amicorum ingenium, quàm erga aduersariorum numerum.

Adulator.

§. XXV.

Longa viri absentia sæpè insidiatur honori, & objicit vxorem discrimini.

Vxor. Maritus. Absentia.

MVlier gloriæ animal est, gratis adulationibus capitur, & muneribus irretitur. Mariti præsentia prodest ad incutiendum metum, & reprimendum insidiantium honori ausum. *Quando marius vxorem domum ducit* (aiebat Stobæus *serm. 69.*) *non solùm vt videtur, vxorem accipit, sed vna cum ipsa quoque introducit aut bonum sibi dæmonem, aut contrarium.* Bona vxor Angeli custodis vices gerit in ordine ad honorem custodiendum, & vitam; mala dæmonis est vicaria, vt insidietur honori, & saluti; sed tunc præcipuè cupiditates ordinant, fraudesque concinnant, cùm solitariæ, & ab oculis virorum semotæ. *Maritus* (aiebat Tertullianus *lib. de cultu fœminarum cap. 4.*) *castitatis exactor est.* Soluit reuerentiam honori debitam mulier exactore præsenti, soluere non solet distanti. Deus mulierem in Adami conspectu finxit, & quàm vtilis mulieri sit maritalis præsentia edocuit: *Adduxit eam ad Adam.* Notauit Basilius Seleucensis *orat. 2. in Adami conspectu vult illam Deus fingere.* Adami conspectus vel dæmonis repellebat ausum, nec sinebat aliquod insidias moliri

Gen. 2. v. 22

donum. Mulier secessit à viri conspectu, vt qualiter extra paradisum mundus haberetur, curiosis oculis prospectaret, & jam serpens diuinitatem offert, & fraudem infert. Notauit Rupertus *in Genesim lib. 3. cap. 2.* [Mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinenter deambulat fortè prospectans qualis extra paradisum mundus haberetur, & serpens, vtpotè astutus dulcedini terræ propius, vel ambitiosus innititur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta vndè tentaret.] Itaque serpens, quod præsente marito non est aggressus, absente tentauit, & mulierem donis, & adulationibus irretiuit. Tantum obest absentia, & tantum præsentia prodest. Ob id, vt Hebræi autumant, Isai Dauid misit, non solùm vt fratribus deferret subsidium, sed vt afferret pro vxoribus repudij libellum: *Cum quibus ordinati sunt, discet.* In Hebræo legitur: *Pignus eorum tolles*, id est, juxta Hebræos libellum repudij vxoribus affer, vt si contingat viros duci captiuos, aut longo temporis spatio immorari, viros possint ducere; sic enim honori consulitur, & alio modo periculum procreatur. Ita Hieronymus in traditionibus Hebraicis: [Pignora in hoc loco Hebræi libellos repudij intelligunt. Siquidem vsum illius gentis fuisse ferunt, vt quando ibatur ab eis in pugnam, libellos repudij vxoribus suis darent, vt si contigisset virum in prælio capi, & in captiuitatem duci, mulier eius, expectatis tribus annis, si vir eius non rediisset, alium duceret virum.] De hac Hebræorum interpretatione non fero sententiam, ex ea tamen vtilem excerpo doctrinam, videlicet maluisse Isai nurus suas honestè matrimonio locari, quàm si diù mariti abessent, absentes, solitariasque viuere, quandoquidem si aliis locatæ, honor filiorum esset integer, non adeò floridus, si diù solitariæ, & relictæ.

TEXTVS.

VERS. XIX. & XX. Saul autem, & illi, & omnes filij Israel in valle terebynthi pugnabant aduersum Philisthiim. Surrexit itaque Dauid mane, & commendauit gregem custodi: & onustus abiit, sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine.

§. XXVI.

Dei serui aliquid de somno præcidere non detrectant, vt fratrum vrgenti necessitati succurrant.

v. 7. Somnus. Necessitas.

CHaritas patiens, & benigna est, sibi non semel suffuratur, quod aliis opportunè exhibeat, nec patitur otium, si afflictorum quiuerit leuare tormentum. *Charitas* (aiebat Paulus) *omnia suffert.* Sanctus Cyprianus legit: *Omnia diligit*, ita habet tract. de simplicit. Prælator. Onera illi sunt leuia, detrimenta sunt commoda, ingrata, nescias qua arte redduntur amanti jucunda. Amori adapto, quæ aliorsum scribebat Cassiodorus *12. variar. 21.*

1. Cor. 13. 7.

Diligentior est in alienis, quam potest esse cura de propriis: non admonitus facit, quod vix rogatus impleret, & requisitus non potest negare, quod is, cuius interest, se fatetur amisisse. Profectò charitas est fortuna cunctorum, & jure refugium omnium debet appellari, quando dubium non est vniuersorum commoditatem ab illa indefessè oriri. Dauidis fratres Martiali in campo degebant, & strenuè arma tractabant: ergo cùm Dauid non dubitaret milites variis laboribus premi, & inedia sæpè vexari, solem antecertit, vt allatis cibis indigentibus fratribus subueniret: *Surrexit itaque Dauid manè, & commendauit gregem pastori, & onustus abiit.* Antelucanus surgit somnij blanditias auersatus, & ad fratres tendit eorum alimentis onustus. Notauit noster Sancius: *Est valdè Dauidis laudanda sedulitas, qui aliquid sibi de nocte, somnoque detraxit, ne fratrum commoditati deesset.* Si Dauid placido somno indulgeret, sibi consuleret, sed opportunè adeò fratribus non subueniret. Si tempestiuè fratribus consulat, opus est, vt somnum sibi præcidat, eisque charitatis flammis exarsit, vt maluerit commoditatem sibi præcidere, quàm subueniendi moras extendere. Hanc veritatem ipse Dauid nobis suffulcit: nam quandocumque Spiritus exagitabat Saulem, lyram arripiebat, & cantu impuratum spiritum effugabat: *Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat.* Expende illud: *Quandocumque*, id est, siue alta nocte, siue profundiori somni tempore, siue prandendi occasione non segniter arripiebat citharam, sed propria commoditate neglecta subueniebat indigenti, & decertabat cum hoste: vtque impuratus spiritus nullum excipiebat tempus, vt dirè Saulem exagitaret, sic Dauid excipiebat nullum, vt subueniret. *Mox erat in armis spiritus* (inquit Basilius Seleucensis *orat.* 14.) *psalmus enim, & lyra, & gratia arma sunt in dæmonem.* Sine temporum differentia nequam spiritus erat in armis ad dolorem incutiendum: ergo Dauid etiam omni tempore erat in armis ad propulsandum; nec erat minus diligens charitatis æmulatio, quàm gehennalis odij contentio.

§. XXVII.

Obedientiæ splendor minuitur, si morosè, & cunctanter impletur.

Obedientia. Mora.

NOn est leuis in obediendo reatus quælibet mora; nam si adsit obsequendi opportunitas, dilatio aut repugnantiam arguit, aut desidiam. Alacritas est obsequiorum ornatus, celeritas obedientiæ cultus. Diù noluit, qui tardè obediuit. *Obsequij disciplina* (aiebat Tertullianus *de Patientia c.* 4.) *morigera subjectio est.* Satis non est subjectio ad promerendam laudem, esse debet morigera, immò pennata. *Quatuor facies* (aiebat Ezechiel) *vni, & quatuor pennæ vni.* Adnectit: *Et audiebam sonum alarum, quasi sonum alarum multarum, quasi sonum sublimis Dei.* Eodem tempore ad aures perueniebat vocis sonus, & alarum volatus, ne si tantisper viderentur jussa differre, obedientiam putentur innubilare. Huc voco, quod aiebat Bernardus in Allegor. Tilman. *ad cap. 9. Actor. Apost. Quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma.* Pauci inueniuntur huiuscemodi obedientiæ laude præcellentes, quia plures aut mandatum superioris fugillant, aut exequi variis coloribus tardant. Dauid non ignarus obedientiæ splendorem minui tarditate, immò innubilari lentitudine, non solùm studuit obedire, sed toto obedientiæ splendore lucere: *Surrexit itaque Dauid manè, & commendauit gregem custodi, & onustus abiit.* Humeros oneri supposuit lætus, & anteuertit lucem patri obsequendi ambitiosus. Notauit noster Sancius. [Non pigritauit Dauid paternis satisfacere mandatis, quia parentis imperio aliquid interponi moræ, non putabat illius esse, qui in parentes honorem, & obseruantiam coleret.] Existimabat Dauid obseruantiam fordescere, ni studeret moras præcidere; & quidem dum oneratus incedit, dum somno puerilus parcit, fraternæ charitatis imitandam exhibuit formam, & adornauit mirè obedientiam: *Vestietur pannis dormitatio.* In veteri translatione habetur: *Vestietur confissa, & pannosa omnis somniculosus.* Somniculosus, & in obediendo tardus obedientiam profert non vestimentis gloriæ indutam, sed inertiæ, & moræ pannis sordidatam. Opportunè Cassianus *in Allegor. Tilmanni. Quisquis somno otij, vel acidiæ superatus non industriæ suæ labore, sed inertiæ pannis operiri maluit: Non vestimentum gloriæ, nec decoris, sed ignominiosum excusationis velamen sua cooptauit ignauia.* Obedientia tarda est pannosa, vt ex prompta splendida.

Ezech. 1. v. 6. & 24.

Prou. 23. v. 21.

TEXTVS.

VERS. XXI. & XXII. Direxerat enim aciem Israel; sed & Philisthiim ex aduerso fuerant præparati. Derelinquens verò Dauid vasa, quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat, si omnia rectè agerentur erga fratres suos.

§. XXVIII.

Religiosè obsequens, vt exactè expleat mandata, laudabili obrutescit inscitia.

Obedientia. Inscitia. Prudentia.

CErtum est prudentiam clauum regiminis obtinere, & cæteris virtutibus anteire. Sine prudentia nec humanis periculis adhibetur cautela, nec ritè virtutis propria exequuntur officia. [Donec in sapientiæ viam mens non progreditur, sed errabunda vagatur (inquit Philo *de Plantat. Noe*) Sylueſtres tantummodò curat arbores, quæ vel in totum steriles sunt, vel fructum ferunt ad cibos incommodum. Sed quando ingressa viam prudentiæ, per decreta eius ascendit, & incipit in his omnibus decurrere, tum mites, & mitium fructuum feraces colit pro illis sylueſtribus, tranquillitatem pro perturbationibus, pro ignorantia scientiam, pro malis bona.] Vt arbores sine cultura fructus proferunt non

non micantes, sed syluestres; sic virtutes sine prudentia, etsi fructus proferant, nitore carent, condimentisque indigent. Verùm si cui virtuti, regulas prudentiæ non consulere, parcendum est, præcipuè obedientiæ, laudabili namque cæcitate festinat adimplere mandata, quin occurrentia videat pericula. Perfectè obedientes videntur aliquando obrutescere, & mundialem prudentiam prorsus extinguere. In præceptis habebat Dauid, qualiter se fratres gererent, inquirere, & cum quibus ordinati fuissent inuestigare: *Fratres tuos visitabis, si rectè agant, & cum quibus ordinati sunt, disce.* Cumque eo tempore, quo gigas ad certamen prouocabat, peruenirent ad castra, ad certaminis locum cucurrit, & qualiter se fratres gererent, à militibus scisciatari curauit: *Cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat, si omnia rectè agerentur erga fratres suos.* Vide à quibus, & quando scisciatabatur? Quando certamen miles expectabat, & anxia solicitudine ad durum cum hostibus conflictum se disponebat. Profectò inquisitio eis in circunstantiis ad speciem stulta, & solùm exasperandis videbatur animis apta. Cessabitne à conflictu miles, vt tibi, ô Dauid respondeat, interrogationique satisfaciat? pericula adibis, & Martiali in campo versaberis, vt erga fratrum statum conquiras notitiam, & ordinationis formam? Profectò quæ videntur prudentiam innubilare, obedientiam plus faciunt splendere. Ea Dauid studiositate desiderabat patris adimplere præceptum, vt nec ardorem attenderit certaminis, nec occasionem discriminis. *Interrogabat* (inquit Lyra) *secundum mandatum patris sui.* Humana prudentia dictabat tunc non inquirere, & inermem à Martiali campo recedere: verùm Dauid laudabili, si fas est dicere, cæcitate nec temporis circunstantias attendit, nec discrimina propria vidit, sed solùm obedire curauit. Perfectè namque obedientes aliquando videntur desipere, & si fas est dicere, laudabiliter stultescere.

TEXTVS.

Vers. XXIII. & XXIV. Cúmque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine Philisthæus, de Geth, de castris Philisthinorum, loquente eo hæc eadem verba audiuit Dauid. Omnes autem Israelitæ, cùm vidissent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valdè.

§ XXIX.

Nonnulli tardè cum vitiis bellum aggrediuntur, & vitiissimè perculsi terroribus reuocantur.

Bellum Vitium.

NOn omnes sciunt viuere, & rarissimi sciunt gaudere: ad virtutum castra quasi in salebrosa cadendum illis sit, transire detrectant, & moras nectere studiosè adlaborant. Quòd si aliquando conscientiæ stimulis adacti, aut virtutum pulchritudine illecti nouam instituere viuendi formam decernant, seque in statione componant, quàm citò deturbantur, & terroribus euanidis percelluntur. *Turpis & ridicula res est* (aiebat Seneca *epist. 36.*) *elementarius senex. Iuueni parandum, seni vtendum est.* Turpe certè est morte jam pulsante rebus euanidis occupari, nec vel tunc incipere virtutibus studere; vt etiam est turpe citò terga vertere, & virtutum castra relinquere. Israelitæ per quadraginta dies cum Philisthæis decertare ausi non sunt: *Procedebat Philisthæus mane, & vespere, & stabat quadraginta diebus.* Post tot dies elapsos jam aut ignauiæ pudore stimulati, aut inertia confusi in certamen descendunt, & inire pugnam disponunt: *Direxerat aciem Israel, sed & Philisthiim ex aduerso fuerant præparati.* Itaque jam resonabat lituus, jam ad ineundam pugnam, & conserendas manus Israelitarum se comparabat exercitus. Quid tunc? Iterum Goliath truci vultu terrorem terrore ingeminans apparet in acie, & Israelita statione indecorè deserta ad tutiora inuolauit profugia: Omnes autem Israelitæ cùm vidissent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valdè. Expende quàm prolixis temporum spatiis inire pugnam refugerint, & quàm celeriter castra desertarint. Post quadraginta dies incipiunt ad certamina se disponere, & antequam ineant, inueniuntur jam fugere. *Cùm apparuit* (inquit noster Sanctius) *Hebræorum terror, & Philisthinorum propugnaculum Goliath, ceciderunt Hebræorum animi, & qui prius in conspectum se inimicorum dederant, confestim ignobili fuga intra sua se castra, & munitionem receperunt.* Antequam venirent in hostium conspectum, quadraginta dies elapsi fuerant, & cùm jam tandem arripuerint arma, statim inglorij verterunt terga, vt externis factis sacer Textus veluti coloribus aliquorum mores adumbrarit, stilumque expressérit. Sunt namque, qui postquam frigidissimis, ineptisque rebus omnem vitam attriuerunt, tandem virtutis tyrocinium aggrediuntur suscipere, sed vanis agitatos timoribus, aut militari disciplina strictos videas statim terga vertere, & ad antiqua redire.

TEXTVS.

Vers. XXV. Et dixit vnus quispiam de Israel: Num vidistis virum hunc, qui ascendit? Ad exprobrandum enim Israeli ascendit. Virum ergò, qui percusserit eum, ditabit Rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israel.

§. XXX.

Validius persuadet inire certamina, deuorare discrimina gloria volatica, quàm diuina.

GLoriæ humanæ ardor, euanidæque ambitionis furor exponit sæpesæpiùs vitam, vt volaticam acquisiuerit gloriam. Miles pectus mucronibus hostilibus objicit, & in gladios audacter irruit, & hoc totum, vt ineat Principis gratiam, & elucretur beneuolentiam. [Quam admirationem quemadmodum comparasti (aiebat Plinius *in Panegyr. de Traiano*) cùm tecum inediam, tecum ferrent sitim, cùm in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium puluerem, sudoremque misceres, nihil à cæteris nisi robore, ac præstantia differens, cum libero Marte nunc cominus tela vibrares, nunc vibrata susciperes, alacer virtute militum, & lætus quoties aut cassidi tuæ, aut clypeo grauior ictus incideret.] Vt compararet sibi admirationem vibratis certa manu pectora objiciebat telis, & vitam hostilibus exponebat spiculis. Pericula namque deuorare gloriæ persuadebat ardor, & plausus furor. Quàm aliter se homines ob inanem gloriam gerunt, quam ob veram honestatem, & solidam semper virtutem. Ecce nullus ex Israelitis non audit Goliath execranda lingua inferre Numini contumeliam, & tamen arripiunt indecoram fugam: *Num vidistis virum hunc, qui ascendit. Ad exprobrandum enim Israeli ascendit*, id est, vt Israelitarum Deum contumeliis oneraret, & audaci lingua referiret. Ita Abulensis *quæst. 15. Quasi dicant: Iste vir in contumeliam Dei Israel venit. Ad exprobrandum enim Deum Israel ascendit, id est, ad vilipendendum, vel dehonestandum Deum Israel venit.* Quid tunc? edictum promulgat Saul, quo filiæ suæ victori nuptias promittit, & diuitias magnas offert: *Virum ergo, qui percusserit eum, ditabit Rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei.* Saul tempus ad speciem terit, dum profert edictum, vt exacuerit militum animum; nam si marcescit vigor, auditis in Deum contumeliis, oblatis non efflorebit diuitijs? Si impellente honestissima

Præliu. Gloria.

Princeps.

cauſa, Deique gloria nullus admiſit duellum, quid intererit ad ædificandum robur edictum? O miſerum! Honeſtius erat deſpicere pericula, dubiaque inire certamina ob honorem diuinum, verùm ea eſt hominum cæcitas, vt vinidiùs ambiant pericula ob humanam gloriam, quàm ob diuinam: ergo nuptias, & diuitias offert, vt quos ad honorem vindicandum diuinum torpere non ignorabat, milites ad bellum accendat. *Hoc Rex* (addit Abulenſis jam datus) *poſuerat in edicto, ſcilicet quòd quicumque auderet congredi cum eo, ſuſciperet illa, quæ habentur hîc.* Diuitias, honoremque promiſit, vt milites pericula contemnerent, & ſolicitiùs arma tractarent, vt quæ nouerat apud homines plurimi æſtimari euanidam gloriam, & volaticam famam.

§. XXXI.

Ea eſt diuina patientia, vt ſibi videatur detrahere, dum diù homines permittit delinquere.

Patientia. Delicta. FAcile Deo eſt peccatores prorſus extinguere, & horrendis ſuppliciis plectere, mavult tamen tempus pœnitẽdi indulgenter concedere, & procaciam iniquorum patientiſſimè tolerare. Florem huius lucis æqualiter ſpargit, temporum componit officia, tributa elementorum dignis, & indignis pendit, ludibria artium, & manuum ſuarum figmenta ſuſtinet adorantes, & eius nomen cum familia perſequentes. Cúmque ob huiuſmodi tolerantiam ſummis debeat elogiis deprædicari, ac ſi nequeat vindictam ſumere, ludibrio ſolet haberi. Opportunè Tertullianus *de Patientia cap. 2. ſuſtinet ingratiſſimas nationes ludibria artium, & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familia ipſius perſequentes, vt ſuæ ſibi patientia detrahat. Plures enim Dominum idcircò non credunt, quia ſæculo iratum tandiù neſciunt.* Adſtipulatur Cyprianus *de Patientia: Qualis Deo, & quanta patientia, quod in contumeliam ſuæ maieſtatis, & honoris.* Itaque ſtupidi Dei patientiam ad eius contumeliam detorquent, & quia diù mavult tenere patientiam, non habere arbitrantur in poteſtate vindictam. Philiſthæus per quadraginta dies Dei nomen cum familia perſequutus eſt, in eamque deuenit audaciam, vt Deo ineſſe non putarit ſe vindicandi potentiam: non credebat diuinitate præditum, quia tanta experiebatur patientia ornatum: *Num vidiſtis virum hunc, qui aſcendit. Ad exprobrandum enim Iſraeli aſcendit.* Abulenſis *quæſt.* 14. ſic legit: *Ad exprobrandum Deum Iſrael aſcendit, id eſt, ad vilipendendum, vel dehonorandum Deum Iſrael venit.* Et vndè Philiſthæo delira hæc audacia, & procax adeò inſolentia? Ex diuina tolerantia, & miſericordia. Putabat amens Deum non poſſe ſe vindicare, quia tot diebus patientiam experiebatur tenere, Redeat datus Abulenſis: *Erat tacitè iſtud in exprobrationem, & vilipendium eius, quia quòd ille vir tot diebus loqueretur improperia coram Iſrael, & nemo eſſet de Iſraelitis, qui ei auderet reſiſtere, nec Deus eum puniret, contumelia magna eſſe videbatur Dei Iſrael.* Falſus Dei diſſimulatione robori ſuo adulabatur, nec videbat vno lapidis ictu patientiam compenſandam, & miſerabili morte immortalem pœnam infligendam. Satius illi eſſet hac in vita plecti, quàm in morte puniri; verùm oculus arrogantiæ tenebris obcæcatus proſequebatur delicta, & Deum non habere arbitrabatur, quibus eum vulneraret tela.

§. XXXII.

Bona politia conſulit ſpeciali priuilegio donare, quem præ aliis conſtat facinoribus efflorere.

Politices. Priuilegiũ. Virtus. PRæmium alit artes, quod ſi deficiat virtus marcet, & animorum vigor torpeſcit. Honor, qui dignis exhibetur, Reipublicæ vtilitati applicatur. [Heri à Senatu (verba ſunt Plinij 7. *epiſt.* 7.) Vectritio, principe auctore, Spurinnæ triumphalis ſtatua decreta eſt: non ita, vt multis, qui nunquam in acie ſteterunt, nunquam caſtra viderunt, nunquam denique tubarum ſonum, niſi in ſpectaculis audierunt: verùm, vt illis, qui decus iſtud ſudore, & ſanguine, & factis aſſequebantur. Nam Spurinna Bructerum Regem vi, & armis induxit in regnum, oſtentatoque bello, ferociſſimam gentem, quod eſt pulcherrimum victoriæ genus, terrore perdomuit.] Ius ratioque exigebat, vt præ aliis æterno ſtatuæ nobilitaretur honore, qui trucem adeò gentem præ cæteris denicerat laborioſo certamine. Dum Vectritius Princeps nobiliſſimo præmio egregia Spurinnæ facta honorauit, ad ſtudioſè imitanda validiſſimum calcar adhibuit, nam dum vnius virtus dignis priuilegiis remuneratur, aliorum animus exacuitur. Hinc eſt, quòd Saul gigantem illum, inſolentem belluam vulneranti ſpeciale circa tributa obtulit priuilegium: *Virum, qui percuſſerit eum, ditabit Rex diuitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei, & domum patris eius faciet abſque tributo in Iſrael.* Eo tempore ingenui etiam pendebant Regi tributa: ergo voluit priuilegio gaudere vincentem monſtra; nec enim fas erat, vt cæteris exæquaretur ſoluendo, qui cæteros antecederet depræliando. Opportunè Abulenſis *quæſt.* 15. [Omnis Iſrael ſoluebat tributum Regibus, nec erat ibi aliqua excuſatio generoſitatis, ideò quamquam Dauid eſſet de optima tribu Iſrael, ſcilicet Iudã, & veniret per lineam primogenitorum ipſius ſtirpis, tamen pater ſuus ſoluebat tributum, & ſic de omnibus aliis Iſraelitis.] Exiguum erat, quod pendebatur tributum, ſed erat magnum non pendere, priuilegium: Ergo decreuit benè politicus Saul victori hoc nobile priuilegium, vt contra immanem irruerent aduerſarium. Quis enim non detrectaret anceps adeò certamen præ aliis ſubire, ſi crederet poſt triumphum nullum præ aliis ſibi dilargiendum priuilegium? Singularis honor ardorem exacuit, & certamen adire eloquit. Itaque dum Saul factis præcellenti filiam ſponpondit, & à tributorum oneribus liberauit, optimæ politices formam præſcripſit, & Reipublicæ, Principibuſque imitandum exemplum præbuit.

§. XXXIII.

Parens ſtudioſiùs debet filiæ ſponſum quærere virtutibus exornatum, quàm natalium luminibus expolitum.

Parens. Filia. FRequentiùs filiæ à parentibus vir quæritur nobilis proſapiæ luminibus decoratus, quàm egregiis virtutum factis expolitus; cùm tamen virtutis ſtudioſus ſibi nobilitatem procudat, & majorum ſolùm ſtemmatis nobilitatus factis degeneret, & quam hæreditariam acceperat, claritatem ſæpiùs infuſcet. *Lacon quidam dines* (aiebat Stobæus *cap.* 73.) *bono, & pauperi adoleſcenti filiam elocauit, qua de re, cùm à cognati reprehenderetur, dixit: Ego mihi genetum comparani, quem diuitem potius, quàm pauperem futurum expectem.* Virtus prouentuum origo fœcunda eſt, honeſtate familiæ tranquillitas acquiritur, faſtu, elationeque ſæpeſæpiùs euertitur, & fugatur. Honor profectò natalium ſplendet rutilus, ſed honor à virtutibus veniens eſt felicior, & clarior. Ob id Saul filiam ſponderat non clariſſimis natalium ſplendoribus præcellenti, ſed virtute propria de immani bellua triumphanti: *Virum ergo, qui percuſſerit eum, ditabit Rex diuitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei.* Et cur non apponat conditionem, ſi nobilibus ſcilicet fuerit parentibus ſatus, & ſtemmatis majorum decorus? Dabitne filiam vincenti, etſi regia origine non exorto? Dabit (inquit Abulenſis *quæſt.* 15.) ſi vicerit, nam cum immani hoſte congredi, & Rempublicam in libertatem aſſerere, eximium erat virtutis, & roboris teſtimonium: ergo ſtudioſiùs curauit filiæ ſponſum, qui virtutum luminibus eluceret, quàm qui natalium ſplendoribus irradiaret. Præeligenda eſt, ſi concinnis moribus expolita, ſanguinis claritas; at ſi vitiis ſordeat, poſtponenda Dauid, qui è nobiliſſima ſtirpe prognatus erat, originem factis reddidit illuſtriorem; verùm etſi non adeò decoratus eſſet origine, ſibi jam procuderat nobilitatem actione: ergo Saul, vt filiam locaret, nobi-

litatem

litatem non expressit, sed virtutem exambiuit: *Hoc Rex posuerat in edicto, scilicet, quòd quicumque auderet congredi cum eo, susciperet illa, quæ habentur hîc.* Se præconialiter gerenti filiam spopondit, & gloriosis actionibus præcellenti destinare grande commodum sibi credidit.

TEXTVS.

VERS. XXVI. & XXVII. Et ait Dauid ad viros, qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel? Quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis? Referebat autem ei populus eundem sermonem, dicens: Hæc dabuntur viro, qui percusserit eum.

§. XXXIV.

Prudentiæ congruit in rebus magnis fidem vni, aut alteri faciliter non adhibere, sed plurium consensu firmare.

Fides. Prudentia. QVi facilè credit, sæpè ingemiscit. Inter aulicorum fluctuantia verba prudentia se continet, & fidei firmitatem requirit. Plurimis eadem referentibus non credere, tribuitur insaniæ, vni soli, aut alteri ad aggrediēda magna fidem præstare, vertitur imprudētiæ. Quæ à Principe decreta, sæpè referuntur constuprata, & variis interpretationibus aucta, aut minuta. A pluribus est inquirenda promissorum veritas, ne post anxios labores ingemat delusa credulitas. *Mimicè Philosophi* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap. 46.*) *affectant veritatem, & affectando corrumpunt, vt qui gloriam captant.* Consonat Clemens Alexandrinus *lib. 3. Pædagogi cap. 11. Cauponantes veritatem.* In palatiis, aulisque inueniuntur plures, qui alios ad sibi vtilia inflamment, & magna à Rege promissa præmia asseuerent: hi mimicè affectant veritatem, eamque adulterant, provt illis expedit, aut ad periculum declinandum, aut ad commodum consequendum: ergo non facilè his adhibenda est fides, quia, fine jam assequuto, quæ affirmarant, negant, aut diuersis modis adulterant. Retulerant Dauidi quidam promissum à Rege præmium reportanti de bellua illa triumphum. Dauid vti prudens, quia referenti vtile non ignorabat, si quis aggrederetur certamen, voluit solicitiùs veritatem inquirere, & plurium consensione firmare: *Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc?* Iam promissa audierat; verùm noluit citò credere, sed iteratis interrogationibus prudentiæ consulere. *Cùm Dauid suprà audiuisset* (inquit Abulensis *q. 17.*) *quid daturus esset Rex viro percutienti Goliath, quare rursus quærebat de hoc?* Iam respondet: *Aliquis dicet, quòd Dauid nimis desiderabat præmia, quæ Rex proposuerat viro pugnanti, ideò volebat sæpè sibi repeti.* Si facilè credens promissum à Rege illud præmium, de hoste reportare fuisset aggressus consequi triumphum, forsitan qui retulerat, à se dicta interpretaretur, & Dauid tunc ingemiscret delusus, quia credulus: ergo repetita inquisitione voluit veritatem firmare, ne post certamen aliter contingeret inuenire. *Referebat ei populus eundem sermonē* (inquit Hugo) *quem priùs retulit vnus solus.* Prudentia erat ad rem adeò magnam tentandam vni non credere, sed à plurimis inquirere. Adstipulatur Caietanus: *Certiorem reddi se ipsum quærebat Dauid de præmio, quem audierat.* Discè res magnas infirma fide non tentare, sed omnem solerter dubietatem depellere.

§. XXXV.

Nonnulli eâ industriâ vtuntur, vt censeas obtemperare, etiam in his, quæ ardentissimè constat ambire.

Obedientia. ambitio. Iactantia. INdustria ea solet arte res disponere, vt à superiore videatur præceptum, quod non dubitatur votis ardentissimis expetitum. Obedientia quærit planum, qui solicitat sibi commodum. *Meum est* (aiebat Tertullianus aduersus Psychicos *c. 13.*) *vltrò officium facere Domino, sic indicare illius. Non tantum ei obsequi debeo sed & adulari.* Verè obsequens superioris non solùm amplectitur jussa, sed honestè adulans etiam exequitur indicata. Qui verò, quod ipse exoptat variis artibus sibi effecit imperari, obedientiam constat eludere. Sæpè jam diximus in heroicis sanctorum virtutibus nostros defectus aliquando delineari, & veluti coloribus pingi. Desiderabat Petrus ad Christum marinis pressis vorticibus peruenire, & juberi voluit id ipsum, quod concupiuit: *Si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni.* Iussus venit, sed vortices calcare jussum quæsiuit. Innuit aliquomodò in Catena. Augustinus: *Concupiscit velociter ad eum ire.* Quod ipse cupiebat, obedientiæ voluit adscribi, & fortassis pati incepit naufragia, quia ad speciē non erat hæc obedientia perfecta. Dauid, quæ sæpius audiuit, sæpiùs rogauit: *Referebat autē ei populus eundē sermonem.* Cur toties, & à tot fuerit scisciatus, inquirit Abulensis *q. 17. Cùm Dauid suprà audiuisset, quid daturus esset Rex viro percutienti Goliath, quare rursus quærebat de hoc?* Iam respondet: *Faciebat ista ex industria: desiderabat enim pugnare cum Goliath, quia Deus mouebat eum ad pugnandum, & quia non esset sibi fas pugnare, nisi Rex hoc iuberet, captabat modum, vt Rex iuberet ei pugnare.* Itaque ipse honestè desiderabat prodire in campum, sed industriè disposuit, vt prodire juberetur. Plures imitatores Dauid reperies intentione non adeò candida, sed simili industria: sic res disponunt, vt videantur eis in rebus obsequi, quas inueniuntur ardenter desiderare; voluntatem sequuntur propriam externam tamen obedientiæ inducunt laruam. *Captabat modum vt Rex iuberet ei pugnare.*

Math. 14. v. 28.

§. XXXVI.

Quantumvis à Deo interius motus, tutiùs procedes à superiore etiam iussus.

Obedientia. Inspiratio. OBedientia iter tutissimum ac planum est, quæ si desit, occurrere solent scandala, & adurgere pericula. Aliquando contingit Dei homines interno afflatu pulsari, & cœlesti pulsu moueri; prudentes tamen obedientiæ quærunt suffragium, & securissimum tutamentum, vt qui diabolicas norunt technas, & callidas verentur argutias. *Obsequij disciplina* (aiebat Tertullianus *de Patientia c. 4.*) *morigera subiectio est.* An à Deo pulsus illi prouenīant, morigera declarat subjectio, nā à se ipso gubernari haberur præsumptio. Vt Lydius aurum, sic obedientia examinat internum illum conatum. Petrus, etsi interno spiritu se moueri sensit, vt inusitata per marinos vortices via celeriter ad Christum contēderet, ab obedientiam tamen recurrit: *Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas.* Interno fuisse impulsu motum tradit in caten. D. Thom. Chrysostomus: *Concupiscit velociter ad eum ire.* Insolitum ad iter aggrediēdum intus mouebatur, sed ne dum indiscretè per vortices marinos incedit, aut acri tēpestate jactetur, aut elatis fluctibus absorbeatur, vti ad anchorā, confugit ad obedientiam. *Credidit* (scribit Hieronym. in cat.) *se posse facere per voluntatem magistri, quod non poterat per naturā.* Itaq; etsi interno incitaretur pulsu, vt calcaret æquora, ad magistri tamen, & superioris recurrit mandatum, ne, si nouum iter ingrederetur injussus, ingemisceret fortè naufragus: dum obedit, manum inuenit auxiliatricem, & profundam pelagi calcauit voraginē. Dauid etiam, cùm cœlesti contra gigantem armaretur impulsu, tantisper expectauit, vt superioris obarmaretur mandato, & sic indubius processit de triumpho: *Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc?* Non scisciatabatur ignota, sed, vt à Rege mitteretur, hac vtebatur honesta industria. Opportunè Abulensis *q. 17. Deus mouebat eum ad pugnandum, & quia non esset sibi fas pugnare, nisi Rex hoc iuberet, captabat modum, vt Rex iuberet ei pugnare.* Internis, cœlestibusque adurgebatur stimulis, & tamen armari voluit superioris mandatis, & dum sibi ipsi non fidit, prudentiam coluit. Internus spiritus ad obedientiæ lydium est examinandus; quod si nonnulli fecissent, à veritate non aberrassent; at dum existimant cœlesti spiritu se moueri, inneniuntur cæcis erroribus implicari. Ergo Dauid, Petrusque, vt depulerint om-

nem fallaciam, recurrerunt ad obedientiam.

§. XXXVII.

Prudens, etsi Principi ardenter desideret inseruire, solicitè curat omnem ambitionis suspicionem vitare.

SAtis non est exhibere obsequia, sed curandũ, ne vel leui aspergaris ambitus nota. Iosephũ Putiphar emit: *Emit eum Putiphar eunuchus Pharaonis princeps exercitus.* In Iosephi honestis factis agnoscit Philo lib. de Ioseph. aliquos egregia facta ambitione aliqua innubilãtes, & popularem auram sitientes. Ipsum audi: *Rectè dicitur vendi hunc hominem, nam qui auram populi captans concionaturus locum superiorem ascendit, sicut venality seruus fit ex ingenuo.* Itaque vt Ioseph egregia in Rempublicam opera conferens, & vtilitati publicæ inseruiens luxit generalitati prouidus, & tulit etiam notam, quia venditus; ita illi, qui ob Rempublicam aggrediũtur certamina, aut magnatibus debita impendunt obsequia, etsi resplendeant strenui, obmurmurantur sæpè ambitiosi. Ob id prudens, qua prodesse poterit, non abscondet industriam, sed omnem fugiet ambitionis vmbram, aut querelam. Dauid in confligendo cum belluis confessus est peritiam, sed ambitiosi vitare curauit notam: ferarum domitor, ouiumque tutor, vt gigantem vidit sacrilego ore Deum, populumque exprobrantem, in certamẽ prosilire decreuit, & quod victori præmium dilargiendum interrogauit: *Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel? Quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* His interrogationibus, verbisq; ostendisse certaminis se amore incẽsum tradit Abulẽsis q. 17. Quod si inquiras, cur se regiis oculis non præsentarit, sed vocari, & introduci voluerit, respondebit curasse omnem ambitionis suspicionem effugere, & ob id detrectasse certamen petere: *Quia ipse non audebat comparere coram Rege petens singulare certamen, quia iuuenculus erat, voluit, vt magis eum Rex introduci faceret ad se. Hoc autem putabat euenturum, si frequenter apud multos de populo illa quæreret, & sic factum est.* Si Dauid Regis se conspectui ingereret, & puerulus ad certamen licentiam deposceret, aliqualem temeritatis, aut ambitionis suspicionem subiret, si à Rege verò ascitus certamen susciperet, eiusmodi suspicionem vitaret: ergo prudenter adeò se gessit, vt inuicto robore prosterneret inimicum, & ascitus fugeret ambitum: *Voluit vt magis eum Rex introduci faceret ad se.* Nulla cautela superflua est, nam leuissimis conjecturis ducitur temeritas, vt arrodat gloriosa facta, & suspicax, vt denigret famam, inuidia: ergo à Rege jussus palatium intrauit, & sic Reipublicæ salutem attulit, vt linguam liuori occluserit.

Gen. 39. v. 1.

Ambitio. Princeps. Prudens.

TEXTVS.

VERS. XXVIII. Quod cùm audisset Eliab frater eius major loquente eo cum aliis iratus est contra Dauid, & ait: Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia vt videres prælium descendisti.

§. XXXVIII.

Inuidus non expectat veritatem examinare, sed vmbratilem culpam anhelat verbis asperrimis referire.

Inuidus. Veritas.

TErtullianus *in Apologetico cap. 7.* argute probat Ethnicos odio in Christianos sic furere, inuidentiaque sic obcæcari, vt mallent iniquè suspicioni credere, quàm veritatem inquirere. *Si semper laternus quomodò proditum est, quod admittimus? immò à quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis non vtique, cùm vel ex forma omnibus mysteriis silentij fides debeatur.* Ethnici videbant Christianos ab eorum solemnitatibus semotos, à gaudiis exules: ergo dictitabant vti lucis refugas latere, & variis criminibus pollui; vtque possent suppliciis durissimis plectere, nolebant veritatem examinare. Adnectit Septimius: *Vt nemo recogitet, num illud primum os mendacium seminauerit: quod sapè fit aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non noua, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate.* Ac si dicat: cùm fama sæpè mendax inueniatur illam, non vultis coarguere, sed vestræ suspicionis arbitrio credere, quæ fides probabili fundamento non nititur, sed à maleuolentia, & inuidia exoritur. Quod Dauid etiam expertus est; nam cùm à patre ejussus, & alimenta fratribus afferens ad castra peruenisset, Eliab non expectauit causas aduentus inquirere, sed durissimis verbis, quam ipse fingebat, culpam aggressus est castigare. Dum rogat aduentus causam, fatetur se ignotare, dum antequàm aduentus audiat rationem, vulnerat, asperrimis verbis inuidentiam noscitur prodere. *Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium descendisti.* Si scit, cur interrogat, & si interrogat, quomodò scit? se scire jactabat, vt verbis durissimis referiret, quod interrogabat, vt nosceret. Innuit Caietanus: *Parum refert contumelias has discutere, quæ ex irato pectore non absque inuidia proficisci videntur.* Dauid legitima oues causa reliquerat, aduentaratque, sed frater noluit inquirere, ne comperta veritate nequiret Dauidem carpere: ergo vt euomeret liuorem respuit eruere veritatem: satis illi fuit falsa suspicio, vt asperrima in Dauidem verba jactaret; nam inuidis satis est apparens culpa, vt effundant audaci lingua venena.

§. XXXIX.

Nonnulli tenaciter adeò adhærent euanidæ suspicioni, vt possent indubiæ fidei.

PLurimum mali credulitas nimia affert, plurimũ mali suspicio fallax, præcipuè si animus non bene affectus, & oculus pestilenti liuore suffusus. Tunc enim minimè fundatis conjecturis ea tenacitate fidem præstamus, qua fidei indubiæ assentire possemus. *Tollenda ex animo* (aiebat Seneca *lib. 2. de Ira cap. 24.*) *suspicio, & coniectura fallacissima irritamenta.* Quod in oculos incurrit, aliquando fallit; putabat ille cæcus, cùm homines occurrerent, ramosas arbores se videre. Nunquam deest, præcipuè si animus non benè affectus, aliquod apparens suspicioni argumentum, cui lubenter assentitur liuor, aut odium. Aduentarat Dauid à patre delegatus, & onere onustus in Martialem campum. Eliab fratrem conspexit, & vti superbum, & gloriæ cupidum ambire certamen non dubitauit: *Ego noui superbiam tuã, & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium descendisti.* Eliab passus fuerat repulsam, Dauid vnctionis fuerat assequutus gratiam: ergo non benè in fratrem animatus ob vnctionem superbire existimauit, adeóq; fixè adhæsit suspicioni, vt indubiæ posset fidei. Ita Hieronymus apud Hugonem.: *Hieronymus dicit, quòd Eliab credebat Dauid de vnctione superbire.* Expende illud, *Credebat*: nullum erat suspicionis fundamentum, & tamen Eliab de Dauidis superbia nullum admittebat dubium; ac si de fide esset, indubiè credebat, quod non bona affectio dictabat. O quoties veluti fidei veritatem amplectimur, quod animo maleuolo fingimus: citò, tenaciterque opinioni accedimus, nec illam arguimus. Dauidem ad castra attulit obedientia, sed Eliab, etsi frater, aduentasse credidit superbiæ nequitia: *Credebat Dauid de vnctione superbire:* Adde: si iniqua semel animum suspicio intrauerit, non facilè expungi, quantumuis veritas se oculis ingerat, & actio ipsa veritatem defendat. Suspicati sunt Christi æmuli esse Samaritanum, adeóq; fixè suæ opinioni adhæserunt, vt sibi de veritate comperta plauderent, & cogitationem suam veluti certissimam proderent: *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu?* Iudæi liuoris febri æstuantes adeò cæcum deuenerunt delirium, vt existimarent Christum

Sulpitius Cassian.

Ioan. 8. v. 48.

Christum esse Samaritanum, & licet de resurrectione audierint differentem, quam tenaciter Samaritani negabant, maluerunt suspicionem suam veram credere, quàm sententiam visis contrarijs moribus retractare: *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu?* Notauit Origenes *in Catena D. Thomæ: Dignum est quærere, quomodò cùm Samaritani sæcula futura denegent, nec animæ durabilitatem acciperent, ausi sunt Samaritanum dicere Saluatorem, qui de resurrectione, & iudicio tot, & tanta edocuit.* Quæ Christus edocebat, euidenter non esse Samaritanum probabant: verùm pertinaciter adeò omni fundamento destitutæ adhæserant suspicioni, vt sibi de comperta veritate blandirentur auribus refragati, & aduersus visa cæci.

§. XL.

Bonus frater fratrem studet à periculo eripere, & audaciam refrænare.

Frater. Periculum. Audacia.

A Fraternitatis lege discedit, qui fratris fouet audaciam, implet, qui periculorum amouet contingentiam. Aliquando iuuenes cupidine gloriæ, aut desiderio vindictæ in eas se difficultates conijciunt, vt facilè nequeant expediri, immò opus sit magnis discriminibus implicari. Tunc prudens frater non approbabit sententiam, nec oblato patrocinio fouebit audaciam, sed blandè à temeritate abducet, & à discrimine liberabit. *Hunc* (aiebat Seneca *lib. 4. de Beneficijs cap. 27. natura ad auaritiam impellit; hic libidini, hic vino deditus est, aut si nondum deditus, ita formatus, vt in hoc illum mores sui ferant.* Sic aliquis formatus est, vt cæco impetu gloriam exambiat, & se periculis ingerat: ergo huius ingenium non est fouendum, sed refrænandum. Aduentarat Dauid in castra, & de præmio victori dando solicitè plures scisciatus certamen indicabat ambire, & velle se contra gigantem procedere: ergo Eliab maior eius frater in ipsum inuectus est, vt à sententia auerteret, & grandi adeò periculo eximeret: *Quare venisti, & quare dereliqui ipaucula oues illas in deserto?* Eliab procurasse inexpertum puerum, quem amore certaminis incensum videbat, à sententia arcere, & discriminis occasioni eripere tradit Iosephus apud Glossam, cuius verba sunt: *Fratribus ait paratum se esse cum hoste pugnare. Cui senior interminatus est præsumptionem habere eum, dicens, & inexpertum huius officij iussit ad patrem, & pascua remeare.* Consonat Lira: *Timebat, ne fatuitate iuuenili exponeret se periculo.* Non erat fratris fouere audaciam, inijcere stimulos ad periculosam gloriam, sed corrigere ardentem, & refrænare cæco ardore sibi discrimina maturantem: ergo dum se asperè cùm illo gessit, fraternitatis iura seruauit. Et quidem fratri maiori imputandum erat, si res è sententia non cederet, puerulum non frænasse, sed rem supra vires tentare permisisse. *Putabat* (inquit Abulensis *quæst. 17.*) *eum velle pugnare cum illo, quod erat super ætatem Dauid, ideò irascebatur nimis, quia ad eum pertinebat curam agere pro Dauid, quia erat minimus fratrum suorum.*

§. XLI.

Nonnulli, vt suo liuori blandiantur, si externam nequeant actionem sugillare, satagunt intentionem abrodere.

Actio. Intentio. Liuor.

INuidentia internis flammis aduritur, & continuis cruciatibus distorquetur. *Inuidia ipsa* (aiebat Stobæus *cap. 38.*) *suis telis conficitur.* Et Eschylius ibi: *Perpaucis hominum hoc ingenium est, vt amicum fortunatum sine inuidia colant.* Hinc est, quòd inuidus, vt dolori suo medeatur, cùm externa nequit infuscare, ad interna soleat confugere: iniquis suspicionibus intentionem prædamnat, & animi candorem tetra lingua sugillat. *Cæterùm* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap. 1.*) *inauditam* (veritatem) *si damnent, præter inuidiam iniquitatis etiam suspicionem merebuntur alicuius conscientiæ nolentes audire, quod auditum damnare non possunt.* Ethnici, quia Christianorum nequibant facta reprehendere, iniquis adnitebantur suspicionibus obscurare, & erat illis suspicio doloris delinimentum, & malignitatis suffragium. Non ignorabat Eliab Dauidis aduentus causam, quia iam se à patre cum muneribus missum declararat; verùm liuoris cæca perspicacia internam Eliab se nequitiam intentionis asserit præcallere, & superbiam nosse: *Ego noui superbiam tuam.* Aduentus causam jam fuisse scisciatum tradit Abulensis *quæst. 18. Dicendum, quòd Eliab sciebat ad quid venerat.* Eliab fratribus de patris mandato attulisse subsidium Dauid nequibat arguere: ergo ad intentionem recurrit, vt quæreret aliquod solatium liuori: itaque maluit suspicioni adhærere, quàm Dauidis obedientiam mirari: *Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium, descendisti.* Acsi dicat: Quamuis te pater noster mitteret, eius præcepta contemneres nisi certaminis gloriam ambires; exteriùs implesti obedientiam, sed interius foues nequitiam: *Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium, descendisti.* Hanc esse horum verborum sententiam tradit datus Abulensis: *Quasi dicat, quòd non venisset, vt compleret patris iussionem, sed magis quod ipse se ingessisset ad veniendum, vt videret bellum. Et iste est sensus, quem intendit litera.* Iam Eliab fuisse inuidentia adustum tradit Chrysostomus apud Glossam: [Fratres eius non ferentes fortitudinem spiritus, prouocati sunt in inuidiam, & dicunt ad eum: Non alia de causa venisti, quàm vt bellum videres. Non venisti nostri causa, vt nos inuiseres.] Externa fratris opera nequibant arguere: ergo ad intentionem recurrunt, quæ vt oculos fugit, sic iniquis interpretationibus patet. Eliab à deprauata intentione liuori suo quærebat suffragium, quia ab externa actione petere nequibat subsidium; hic enim est inuidentium, odientiumque mos, intentionem scilicet abrodere, si nequeant opera externa infuscare.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXIX. & XXX. Et dixit Dauid : Quid feci ? Nunquid non verbum est ? Et declinauit paululum ab eo ad alium : dixitque eundem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut prius.

§. XLII.

Probus exhibet maioribus reuerentiam, etiam cum asperis verbis prouocant iram.

Maior. Reuerentia. Verba. Ira.

ÆTatis maioritati exhibenda est reuerentia, quamvis hac, aut illa causa aduersus senes flammescat ira. Ratione corrigendus est senex, aut certamen cum illo prorsus vitandum. *Temperatus sit sapiens* (aiebat Seneca *lib. 2. de Ira cap. 17.*) *& ad res fortius agendas non iram sed vim adhibeat.* Rationis vis adhibenda est, vbi cum sene contendis, & prudenter adeò, vt ipse modus atteſtetur impensam ætati reuerentiam, nec sapiat exoculatam audaciam. Quod si spes correctionis non affulgeat, satius est occasionem præcidere, & materiem certamini non ingerere. Dauid fratrum iunior à maiori durissimis verbis corripitur, & ad iracundiam prouocatur: *Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui:* plus tamen obtinuit apud illum ætatis maioritas, quàm verborum asperitas Blandè, modestèque respondit, & se prudenter subduxit: *Et dixit Dauid: Quid feci? Nunquid non verbum est? Et declinauit paululum ab eo ad alium.* Nouerat Dauid in leones insurgere, vrsos discerpere, & tamen respondit blandè, ne maiorem fratrem videretur minus reuereri, aut debitum naturæ officium denegare. *Vide huius prudentiam, & mansuetudinem* (inquit Chrysostomus) *nihil temerarium, aut asperum eis loquitur, sed reprimens eorum flammam, & demulcens inuidiam: numquid, inquit, vidistis me arma arripere, aut adornari cæteris in acie?* Consonat Iosephus ibi: *Senior interminatus præsumptionem habere eum dicens, & inexpertum huius officij iussit ad patrem, & pascua remeare, qui reueritus fratrem discessit.* Quantumuis Dauidi ratio suffragaretur, non benè audiret, si cum seniori fratre contenderet: ergo vti prudens cessit, & lenibus verbis respondit: verùm etsi ius, fasque sit iuuenes senectutis canos vereri, non ob id debent maiores modestiæ terminos transilire; nam si ætatis abusi priuilegio vrbanitatis, modestiæque limites excedant, occasionem contemptus præbebunt, & iracundiam cæcam armabunt.

§. XLIII.

Si cognati à Dei obsequijs conentur auertere, prudens studebit aufugere.

Cognatus. Virtus.

MVndialis prudentia, & sæcularis astutia tota est in temporalibus suorum commodis procurandis, & quantumuis honesta sint, periculis auertendis. Tertullianus *de Resurrectione carnis cap. 8.* carnem appellauit *Ingenij Dei*

Gen. 11. v. 4.

curam, quasi qui carnem sapiunt, grande Deo negotium ingerant, & suis inspirationibus agmen opponant. Filij Noë vinculis cognationis coniuncti superbissimam turrim conantur ædificare: *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum, antè quàm diuidamur in vniuersas terras.* Ecce cognatorum studium, generis famam æternare, & glorioſa nomina sibi conquirere. Quid tunc Deus? *Confundamus ibi* (inquit) *linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* Cognati cognatos ad vanissimum factum proritabant, & suis consilijs ad sibi nomen faciendum impellebant: ergo Deus quasi vereretur ab huiusmodi studio non cessaturos, ni cognatorum consilia, irritamentaque cessarent linguas confudit, & confusione aures sepsit. Opportunè Philo *de confusione linguarum: Aesi diceret: Muta, surdaque faciamus vitia singula, vt nec loquendo, nec assentiendo damnum dent.* Consanguinitatis impediuit vocem, vt euerterit turrim; est enim cognatorum persuasio dulce contra virtutem venenum, & pro vitijs efficacissimum patrocinium: ergo prudentes, si decernant virtutibus inseruire, hæc cognatorum consilia curant vitare. Dauid à fratribus declinauit, cùm bellum adoriri decreuit: *Declinauit paululum ab eo.* Et cur, vt in gigantem audeat, à fratre declinat. Quia frater remittebat ad pascua, & humana solicitabat augmenta. Vbi vidit puerum pugnæ ardore incensum, & religionis zelo inflammatum, timuit Eliab posse aliquod Dauidi periculum à certamine resultare: ergo à tam honesta pugna procurauit auertere, plus fratris saluti consulens, quàm virtuti prospiciens. Adest noster Sancius: [Non poterat sibi temperare Dauid ab eo æstu, quo flagrabat animus depellendæ ignominiæ ab Hebræorum nomine, & vindicandæ diuinæ gloriæ ab ea nota, quam inussisse videbatur blasphema lingua Philisthæi. Hoc enim illi dolori fuisse maximo, & eam præsertim ob causam velle cum vitæ discrimine causam suscipere communem, ipse significauit.] Mouebatur Dauid ad gloriam Numinis vindicandam, & blasphemam Philisthæi linguam coercendam: Senior frater aggressus est ab illo studio auertere, & varijs rationibus alacrem illum vigorem eneruare: ergo Dauid quantocius discessit, quasi plus sibi præcaueret à cognatorum persuasione, quàm à gigantis certamine. Subnectit noster Sancius: *Ideò erupit quàm potuit festinanter à fratre.* Validæ adeò sunt cognatorum persuasiones ad studium virtutis eneruandum, & temporale commodum persuadendum. Consonat Abulensis *quæst. 18. Cùm vidisset Dauid, quòd increpuisset eum durè frater eius, declinauit ab eo, nam adhuc tenebat eum desiderium pugnandi contra Goliath, & quia frater eius impeduisset eum, si mansisset apud eum, declinauit ab eo.* O sanum consilium, & imitandum exemplum.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXXI. & XXXII. Audita sunt autem verba, quæ locutus est Dauid, & annuntiata in conspectu Saul. Ad quem cum fuisset adductus, loquutus est ei: Non concidat cor cuiusquam in eo: ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.

§. XLIV.

Prudentes nec ostentant iactantiam, nec alijs impingunt notam.

Prudens. Iactantia. Nota.

PLinius Iunior, vt Impetatorem suum cumulatiùs laudaret, aiebat in Panegyr. *Tu tamen maior omnibus quidem eras, sed sine vllius diminutione maior.* Hæc maxima Traiani gloria sine aliorum diminutione fulgere, & sine obscuratione micare. Plures nec superbire sciunt, dum aliorum imminuunt laudes, & inficiantur facinora, vt grandia sibi architectentur elogia, cùm glorioſius sit colossum magnitudine excedere, quàm, vt appareas grandis, destruere. Dauid licentiam congrediendi cum gigante petens vrbanissimis, ac modestissimis verbis est vsus: *Non concidat cor cuiusquam in eo: ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* Non exprobrauit Israelitas stationem deseruisse, & ad gigantis aspectum trepidasse, sed monstrum vinci posse asseruit; quòd si nullus alius certamen arripere velit, ipse alacriter duellum acceptabit. Hunc esse penitiorem sensum tradit Abulensis *quæst.* 18. *Saul, & omnes timebant: Dixit Dauid: Non concidat cor cuiusquam in eo. Quòd cor concidat est, quòd cesset animositas.* Itaque eorum animositatem fouit, timiditatem non reprehendit. Adnectit Abulensis: *Pugnabo aduersus Philisthæum, scilicet, si nullus alius est, qui pugnare velit contra eum, ego ibo, & pugnabo.* Acsi dicat: si alius voluerit certamen arripere, non repugnabo: sed vti præstantiori cedam: at si nullus ob hanc, aut illam causam voluerit prodire in campum, ego lubenter, & alacriter, etsi omnium minimus, admittam cum hoste prælium. Profectò Dauid non minus modestus orationem texuit, quàm inuictus hostem impetiuit. Nulli incussit timiditatis notam, suam non exaggerauit præstantiam, iactantiosis, & fugillatiuis verbis abstinuit, & mirandis triumphis resplenduit, & si fas est dicere, honestam superbiam docuit. Non benè de se sentit, sed conscientiæ suæ suspicionem prodit, qui vt possit fulgere, alios adnititur obscurare.

§. XLV.

Rarum est aulicos apud Regem alicuius strenuitatem deprædicare, vt frequens defectus prodere.

Aulici. Defectus. Stigma.

AMbitio omnia sibi sitienter arrogat, & de aliorum exiguitate sublimitatem suam elaborat, præcipue apud Principem, cuius gratiam ardenter sitit, & à qua cæteros amouere contendit: si quid in alijs egregium, celat, si quid inglorium euulgat. *Nouum est* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 4.) *sub amore Principis custodire modestiam.* Qui Principis obtinuerunt gratiam, modestiæ limites solent abrumpere, & alias iniquis obrectationibus obscurare. Iosephus somnium pincernæ interpretatus obnixè deprecatus est: vt apud Principem eius innocentiam proderet, & interpretandi gratiam referret: *Tantum memento mei, cùm benè tibi fuerit, & facies mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere.* Quid Pharaoni suggerendum erat? Iosephum videlicet esse bonum coniectorem, verum somniorum interpretem. Quid tunc? *Oblitus est interpretis sui*, id est, tacuit, nec quicquam retulit. Compone cum pincernæ obliuione magnatum memoriam, vt tres illos pueros apud Regem accusarent: [Viri Iudæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sydrach, Missach, & Abdenago, viri isti contempserunt, Rex, decretum tuum.] Isti obliti non sunt accusare, ille oblitus est Iosephi magna referre, & fortè ab eadem causa diuersus est exortus effectus. Pincerna distulit sibi soli gratiam exambiens: Chaldæus non distulit, pueros à Regis gratia deturbare discupiens. Notauit Theodoretus *orat.* 3. *Propriam inuidentiam declarant, & Regis accendunt iram, per hæc innuentes, ac tantum non dicentes: Vide quosnam nobis præteleris, quibus Babyloniorum commiseris imperium.* Babylonius, quæ putabat scelera, vt à Regis gratia pueros amoueret, retulit: Ægyptius, ne Iosephus gratiam iniret, tacuit; est enim aulicis de more aliorum magnalia celare, peccata promere. Hinc mirandum est, Dauid alacritatem, animositatemque annuntiatam fuisse Sauli, & fortassis ob id, ab ipsa fama studium refertur proditum, non ab aliquo è magnatum censu vulgatum: *Audita sunt verba, quæ loquutus est Dauid, & annuntiata in conspectu Saul.* A quo annuntiata? Textus auctorem non retulit, vt thesim nostram firmaret. Prodest noster Sancius: *Quid Dauid tanto animo, ac spiritu quæsierit, quid præ se velle videatur, quid ex illius alacritate, atque ardore sperari posset, relatum est ad Saulem.* Dum relator non proditur, famæ vocibus denuntiatum innuitur. Transi modò *ad cap.* 22. videbisque Doeg, Sauli denuntiasse Dauidem à Sacerdote accepisse panem, & Goliath gladium expetijsse: *Cibaria dedit ei, sed & gladium Goliath Philisthæi dedit illi.* Ecce Doeg, quod suspicabatur scelus retulit, de Dauidis animositate, alacritateque tacuit: nam frequens est apud Principes aliorum vulgari scelera, silentio premi magnalia, vt horum ignorantia beneuolentiam non excitet, & illorum notitia maleuolentiam inflammet.

Gen. 40. v. 14.

Dan. 3. v. 12.

Cap. 22. v. 10.

TEXTVS.

VERS. XXXIII. Et ait Saul ad Dauid : Non vales resistere Philisthæo isti , nec pugnare aduersus eum, quia puer es ; hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.

§. XLVI.

Qui magna aggreditur inexpertus , periculis innenitur obnoxius.

Inexpertus. Periculum.

NI miles discat in otio , quo proficere possit in bello se ipsum non habebit in bello, quia se ipsum non exercuit in otio. Animus ad subita non erigitur , immò nouitatis vinculis implicatur. Rarus est , ni priùs fuerit exercitus, qui ad magna reperiatur idoneus. *Si te tyronem nostra iudicia delegissent* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 21.) *si ad examinis truinam venisses incognitus , æstimaremus monendum , quali te prudentia , quo decore tractares : sed omnium crederis intelligentiam habere virtutum , qui exerceri meruisti militia literarum.* Exercitatus pro se habet experientiæ suffragium , contra se inexpertus nouitatis tyrocinium. Dauid robore validus, & diuini honoris Zelotypus eximia alacritate , & inuicta fortitudine exambit cum gigante certamen : *Pugnabo aduersus Philisthæum* ; verùm Saul , etsi eo tempore Dauid exiguæ adeò non esset ætatis , vt nequiret arma tractare , & certamen cum hoste subire , renuit depræliandi concedere facultatem , quia nec armorum peritia instructus , nec bellis exercitatus : *Non vales resistere Philisthæo isti , nec pugnare aduersus eum, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* Illud , *Puer es* non tam referunt Interpretes ad ætatem , quam ad armorum inscitiam : acsi dicat Saul : Te fallit animositas , & alacritas , nam quantumuis iuuentute floreas, & strenuo robore vigeas , ad primum congressum cades propria nouitate illigatus , & peritia hostili impetitus. Hanc fuisse Saulis sententiam tradit noster Sancius : [Cur puer appellatur à Rege , ea puto de causa , quia rudis erat in ea arte cuius tunc studebat speciem reddere , quod ex habitu coniectabat pastoritio , à quo procul abesse solet vsus , & disciplina militaris.] Profectò prudenter coniectabat Saul Dauidem contra se prouocare fortunam , quando armorum inexpertus cum gigante descendere discupit in arenam. Vicit Dauid sed miraculo interueniente , vt ipsum miraculum nobis vtilissimum extiterit documentum. Hoc in certamen ostendit euentus miraculosus , quàm sit necessaria experientia , & quàm etiam strenuis fortibusque officiat nouitas, & imperitia. Iacob à matris vtero luctator strenuus congreditur cum Angelo , & victor triumphis exultat coronatus , & decantanda victoria sæculis celeberrimus : *In vtero supplantauit fratrem suum : & in fortitudine sua directus est cum Angelo. Et inualuit ad Angelum.* Mira res ! homo prævalet , & Angelus ad speciem succumbit , cùm tamen Angelus viribus longè validior , & robore fortior. Ecqua huius triumphi causa ? Quia Iacob ab vtero luctator: & Angelus hoc in certamine tyro. Cessit Angelus , vt suis nos factis erudiret , quàm sit necessaria experientia , & eius quam aggredimur, rei notitia. Huc voco , quod aiebat Chrysostomus homil. de arbor. interdi. *Inimicus citò deuincitur si qui dimicaturus est , prælia meditetur.* Iuuat exercitatio , vt nouitas pauorem non ingerat , & animositas , vt vires foueat. Ergo Saul iure Dauid à certamine arcet , dum armorum indoctum , inexpertumque videt.

Osæ. 12. v. 3.

§. XLVII.

Bonus superior non permittet subiectum vltra vires audere , & se maiora tentare.

Superior. Subditus.

MAgna laudis occasio est (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 18.) *si in causa communi aliquid singulariter videatur impleri. Facit enim vndè commendetur & reliquis , qui tamen & sibi viros se profuisse cognoscit.* Non semel aut laudis ambitio , aut cordis deuotio tentat eximia , & credit ad profectum posse perducere , quæ deficientibus medio in cursu viribus nequibit implere : faciat vndè commendetur & reliquis, qui agnoscitur posse vota perficere , & feliciter, quæ animo concepit, absoluere;verùm cùm non semel aut gloriæ ardor , aut deuotionis feruor plus audeat , quàm robur , aut ætas permittæ, boni erit superioris animi alacritatem agnoscere, sed habenas non laxare : Adnentauit Dauid in castra , vbi cum gigantem illum sacrilego ore in Deum , eiusque populum probra, dicteriaque iactantem audiret , sic diuini honoris zelo inflammatus est , vt certamen anhelarit , & à Rege facultatem petierit : *Pugnabo aduersus Philisthæum.* Saul iuuenis animositate oblectatus est , noluit tamen facultatem concedere, dum putauit rem vltra vires audere : *Non vales resistere Philisthæo isti , nec pugnare aduersus eum, quia puer es :* Prudentiæ erat alacritatem æstimare , & licentiam non concedere. Superiori namque crimini esset dandum , si annueret votis , & puerum obiecisset periculis : donec apparuit se maiora non tentare , facultatem noluit concedere ; vtque prudentiæ fuit recognita , & examinata votis annuere , sic esset imprudentiæ desiderijs anteà non refragari. Opus erat honestissimum , & pietate plenum , ad superiorem tamen pertinebat deuotionis vires expendere, nec audere puerum vltra mensuram permittere. *Iuxta Hebræum habetur* (inquit Caietanus) *Non valebis ad eundum ad Philisthinum istum ad pugnandum cum eo.* Contulit cum deuotione vires , & dum putauit duci potiùs , quàm ratione, animositate , prudenter vetuit , ne decertando periret. Consonat Abulensis *quæst.* 19. *Non dixit Saul Dauid , quòd simpliciter erat ineptus ad pugnandum contra Philisthæum , sed quod nondum erat aptus , quia puer erat.* Itaque neque exprobrauit audaciam , nec concessit licentiam, quia , quod Dauid expetebat , erat laudabile ; superiorem tamen vires cum votis non metiri esset valdè reprehensibile.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXXIV. & XXXV. Dixitque Dauid ad Saul. Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam interficiebamque eos.

§. XLVIII.

Vbi necessitas exigit magnalia sua referre, non est vanitati dandum. sed prudentiæ, ac rationi adscribendum.

Magnalia. Vanitas. Prudentia.

LAus in ore proprio vilescit, immò & audientibus fastidium parit. [Onerabit hoc (aiebat Plinius 1. *epist.* 8.) modestiam nostram, etiamsi stilus ipse pressus, demissusque fuerit propterea quod cogimur, cùm de munificentia parentum nostrorum, tum de nostra disputare. Anceps hic & lubricus locus est, etiam cùm illi necessitas lenocinetur: Etenim si alienæ quoque laudes parum æquis auribus accipi solent, quàm difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio de se aut de suis differentis.] Molesta est oratio magnalia sua referentis, quia præsumptionem olet & fastidium parit; verùm vbi agnoscitur quis sua referre, non plausus, gloriæque ambitiosus sed vrgente necessitate compulsus, tunc laus ad illud vsque tempus compressa non conciliat inuidiam, sed auget gratiam. *Imprudentes illos* (scribit Plutarchus de sui laude) *semetipsos qui laudibus ferunt, censemus, cùm deceret eos etiamsi celebrarentur ab alijs, rubore suffundi.* Adnectit: *At temetipsum citra reprehensionem laudes licet. Primum si depellendæ causa calumniæ, vel criminis id facias sicut Pericles. Atqui infensi estis, inquit mihi, qui ni fallor concedo nemini in his, quæ ex vsu sint, cognoscendis, & exponendis. Amansque sum Reipublicæ, & abstinens.* Adnectit Philosophus: *Non solùm arrogantiam, insolentiam, & ambitionem declinauit de se ipso tunc dicendo præclarè: verum etiam spiritus suos, & granditatem ob oculos ponit virtutis suæ, quæ non succumbendo succumbere facit, & opprimit inuidiam.* Vbi Pericles necessitate compulsus magna à se gesta retulit, oppressit inuidiam, & peperit sibi gloriam. Nec aliter Dauidi accidit. Ne quid vltra fidem dicere videretur, silentio texerat leonem, vrsumque decerpsisse, at cùm expetens certamen pro Dei gloria, & populi salute vidit repelli, suasque vires magni non æstimari, magnalia sua protulit non euanidæ laudis cupidus, sed ad Dei gloriam, & Reipublicæ tranquillitatem duri certaminis studiosus: *Veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* Gesta miranda referre non fuit volaticæ vanitatis, sed eximiæ virtutis. Notauit Chrysostomus apud Glossam: [Coactus fuit vir diuinus hæc narrare, nolens vanam hinc gloriam aucupari, sed vt illi animos adderet, & ne spectaret Rex ad vtilitatem eius sed ad fidem, quæ intrinsecus latebat.] Ni occasio cogeret, egregia facta silentio premeret, at vbi vidit opus esse animos Regi addere, vt posset facta sibi licentia in certamen prosilire, facinora sua retulit, & apud omnes gratiam iniuit; nam vt se sine causa extollere fastidium ingenerat; ita laudes suas modestè proferre ad Dei gloriam beneuolentiam conciliat.

§. XLIX.

Quiquis efficaciter iniuncta peregit, maiora sibi commendari suasit.

CVrandum est publicis actiones personas inserere morum probitate conspicuas, & suffragijs præcedentium actionum approbatas. Quandoquidem est prudentiæ consentaneum deligere, qui pro se habet actionum irrefragabile testimonium. *Munus. Efficacia.* *Maiora sibi facit credi* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 19.) *quisquis efficaciter iniuncta peregerit, quia indubitanter illi aliquid committitur, qui optimè comprobatur, & honestum suffragium est secundi indicij documentum prioris.* Qui se in minoribus laudabiliter exercuit, ad vlteriora disposuit, quia dignus est ad altiora extolli, de cuius probitate, solicitudineque prudenter nequit vllatenus dubitari. Vbi Dauid retulit, quàm solicitè gregem pauerit, quàm viriliter feris restiterit, vbi id indubijs testibus comprobatum, confligere cum gigante ei est incunctanter concessum: neque enim titubare debuit electio circa personam, cuius plures attestabantur industriam: *Pascebat seruus tuus gregem patris sui, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos.* Dauidi fidem adhibuere plures, qui tunc inueniebantur in castris: ergo Saul prudenter, quem sic in minoribus inuenerat approbatum, ad Reipublicæ elegit commodum. Notauit Abulensis *quæst.* 20. *In his, quæ dicebat Dauid, non mentiebatur. Aliqui quoque huius rei conscij erant in castris, ideò animositati eius fides adhibita est, & concessum fuit vt pugnaret.* Vbi constitit egregia onium cura, de laudabili leonibus resistentia, cum magna Reipublicæ vtilitate est Dauid ad altiora electus, & detrimento magno fuisset excluſus; nam qui se in minoribus rectè gessit, eligi ad maiora efficaciter suasit. Et expende, aliquos ex his, qui erant in castris, non Dauidis facta ignorasse, quantumuis ipse modestè hoc vsque ad tempus celauerit, quia nec facinus glorioſum latere, nec in gloriam potest abscondi: & quidem mirum fuit inuenisse veritatis testes, non esset mirum, si inuenisset falsitatis. Adeò corrupti sunt aliquorum mores, vt recusent fidem veritati facere, cùm non abhorreant falsitati suffragium ferre.

§. L.

Mirum eſt, ſi quis cuſtodierit inſe laudando modeſtiam, nec exceſſerit veritatis menſuram.

Laus. Modeſtia.

POterit (aiebat Plutarchus de ſui laude) *aliquando vir politicus iactationem ſui attingere, non vt ſibi aliquam gloriam, vel gratiam venetur, ſed cum tempus, & negotium poſtulat: ſicut aliud, ita de ſe ipſo aliquid veri prædicare.* Fas eſt aliquando proprias laudes proferre, ea tamen lege vt non excuſſerint veritatem: verùm hoc opus, hic labor eſt. Sunt enim rari, qui veritatem aliquibus fucis non expoliant: qui additamentis non augeant, & ad mendacia proſiliant. Hinc mirandus eſt Dauid, qui reportatos de feris referre triumphos coactus non ſolùm tranſgreſſus non eſt veritatis menſuram, ſed mirandam coluit in relatione modeſtiam, ea ſolùm, quæ neceſſitas exigebat, retulit, cætera tacuit: *Apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, & interficiebam eos.* Eccleſiaſticus has Dauidis victorias referens ſic ait: *Cum leonibus luſit quaſi cum agnis, & in vrſis ſimiliter fecit; ſicut in agnis eius in iuuentute ſua.* Si non ſolùm leonem, vrſumque interfecit, ſed leones, & vrſos, eaque facilitate, qua poſſet agnum diſcerpere, aut iugulare, cur decurtauit numerum, & præteriuit vincendi modum? Proferat multos leones ſubiugaſſe, vrſos multos interemiſſe, eaque facilitate, vt potius videretur cum illis ludere, quàm pugnare, quandoquidem ea circunſtantia & dexteritatem proderet, & fortitudinem commendaret. Cur ergo ſibi inuidit, & tacuit? Quia ſatis erat, vt admitteretur ad duellum, proferre reportatum de vrſo, aut leone triumphum, cætera plus videbantur pertinere ad oſtentationem, quàm ad impetrandam certaminis facultatem: ergo ea ſe modeſtia geſſit, vt ſolùm retulerit neceſſaria, & tacuerit ſuperflua. Notauit noſter Sancius: [Suadet Dauid Regi, qui timido erat animo, neque rem hanc arduam, quæ giganteas vires, & audaciam requireret, inexperto belli, & imperito omninò rei militaris committendam putabat, deſperandam non eſſe victoriam: quia rem tentauerat, & felici ſæpè ſucceſſu confecerat, quod non minus roboris, & audaciæ exigebat.] Itaque etſi non ſemel, aut bis, ſed ſæpè de feris reportarit triumphum, eaque facilitate, vt conflictus ludus videretur, retulit, quæ erant ſatis ad obtinendam licentiam, & ſilentio preſſit, quæ adaugere poterant gloriam.

Eccl. 47. v. 3.

§. LI.

Quodammodò diuinitatem videtur attingere, qui pro inualidis non detrectauit cum magnatibus decertare.

Inualidus. Defenſio.

IVs, ratioque cogit, vt, cui cura commiſſa eſt, inermes defendat, puſillos à magnatum iniurijs tueatur, iniquiſque ſe opponere ſtudioſè conetur. *Defenſorem te illius ciuitatis* (aiebat Caſſiodorus 7. *variar.* 11.) *per indictionem illam ciuium tuorum ſupplicatione permota noſtra concedit auctoritas, vt nil venale, nil improbum facere velis qui tali nomine nuncuparis.* Nullatenus de eius ſolicitudine debet audiri querela, qui electus eſt ad tuenda imbecillium iura; verùm neſcias quo infelici fato ſæpè aures miſerorum feriant lamenta, quia eis à potentioribus infertur iniuria, & quod peius eſt, aliquando qui debuiſſet pro parvulis decertare, magnatum ſolet cupiditati blandiri. Non audent magnatibus ſe audacter opponere, qui muneris lege iura debuiſſent tueri; immò ſi effugiant magnatum inuidiam, deſpiciunt miſerorum querelam. Dauid, vt decertandi cum gigante à Rege obtineret licentiam, retulit, dum gregem paſceret, de leone, vrſoque reportatam victoriam; nam cùm gregis ſuſcepiſſet curam, leo magnitudine ſua fiſus rapiebat ouiculam, vt appetitui apponeret menſam, verùm Dauid ſolicitus accurrebat, & cum leonibus decertabat, eorum non timens indignationem ſubire, vt munus quiret implere: *Paſcebat ſernus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* D. Auguſtinus exiſtimat Saulem iure ſuſpicatum fuiſſe, Dauidem virum eſſe diuinum, vt audiuit in ouiculæ, agnique defenſionem iniiſſe cum leonibus bellum, nam etſi munus paſtoris adurgebat, contrarius apud ſæculum mos tardabat. Accipe Auguſtinum apud Gloſſam: *Intellexit Saul, cùm videret audentem puerum, aliquid in eo diuinitatis eſſe, nec illum tenera ætate ſine diuino inſtinctu talia poſſe præſumere.* Nouerat Saul non rarò muneris iniuria, & puſillorum querela morem magnatibus geri, eorumque indignationem vitari: ergo vt vidit Dauidem ſic agnorum curam gerere, vt magnatum violentiæ, audaciæque ſe non detrectarit opponere, diuinum cenſuit, & phœnicis adinſtar ſingulariſſimum æſtimauit.

§. LII

Ne eximias virtutes ſilentio tumulauit modeſtia, Deus prouidenter euulgari facit cogente cauſa.

Virtutes.

OQuantum eruditorum (aiebat Plinius 6. epiſt. 25.) *aut modeſtia ipſorum, aut quies quibus operit, & ſubſtrahit famæ. At nos eos tantum diſerti aliquid, aut lecturi timemus, qui ſtudia ſua proferunt; cùm illi, qui tacent, hoc amplius præſtent, quod maximum opus ſilentio reuerentur.* Vt vanituli, ſuperbique, ſi quid honeſtè fecerint, arroganter iactant, & vt gloriam ſibi acquirant, magnificis verbis exornant: ſic modeſti, humileſque miranda opera ſtudioſo ſilentio tegunt, quia animitus volaticam gloriam effugiunt. Hinc eſt, quòd Deus, ne, quæ alijs poſſunt prodeſſe, heroica exempla humili lateant taciturnitate ſepulta, occaſiones concinnat, quibus honeſtè humilitas pateat, & miranda à ſe geſta ſine vanitate prodat. Paſcebat Dauid patris ſui gregẽ, cùm leonis audacia, vrſique inſolentia puſilli agniculi ſanguine ſaginare appetitum tentarent rapinaque viuerent. Dauid muneris ſui obligatione compulſus animosè irrnebat in feras, & mirandas reportabat victorias; ea tamen erat modeſtia, humilitateque præditus, vt magnalia ſua nullatenus promeret, ſed ora taciturnitate ſignaret. Quid tunc? Gigantis certamen offert Deus, cùmque Saul ægrè ad conce

concedendam Dauidi facultatem ſuaderetur, opus fuit reportatos de feris triumphos reſerare, vt in certamen, ad quod diuini honoris zelus ſtimulabat, quiret proſilire: [Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.] Ni Saul ægrè induceretur ad Dauidi faciendam facultatem, eximiam ille tegeret ſilentio virtutem: ergo Deus eam obtulit occaſionem, vt diuini honoris ardore inflammatus ea detegeret, quæ aliter ſilentiosè præteriret. Notauit Abulenſis *quæſt.* 25. [Quia ſi non reſpondiſſet ſe magnas habere vires, non fuiſſet admiſſus ad pugnandum contra Goliath: oportuit ipſum hoc referare, dicens ſe eſſe robuſtiſſimum, & quod aliquando leonem, & vrſum occiderit: hoc autem erat ad gloriam Dei, & ad vtilitatem populi Hebræorum.] Ni vrgeret charitas, ſe contineret humilitas: ergo diuina prouidentia factum eſt, vt zelus reſeraret, quod aliter modeſtia tegeret. In memoriam venit ſanctus Antonius de Padua, qui haberetur indoctus, ni occaſione hoſpitum prædicare fuiſſet juſſus; verùm Deus, vt cœleſtem detegeret ſapientiam, opportunam obtulit cauſam. [Expertus ſcribo (*verba ſunt dati Plinij*) quod ſcribo. Terentius junior equeſtribus militiis, atque etiam procuratione Narbonenſis Prouinciæ integerrimè functus recepit ſe in agros ſuos, reparatiſque honoribus tranquilliſſimum otium prætulit. Hunc ego inuitatus hoſpitio vt bonum patrem familiæ, vt diligentem agricolam intuebar, de his locuturus, in quibus illum verſari putabam, & cœperam, cùm ille me doctiſſimo ſermone reuocauit ad ſtudia. Quàm terſa omnia? quàm latina? quàm Græca? Nam tantum vtraque lingua valet, vt ea magis videtur excellere, qua cùm maximè loquitur. Quantum ille legit? quantum tenet? Athenis viuere hominem non in villa putes. Quid multa? auxit ſolicitudinem meam.] Ni aduentaſſet Plinius, quem ad ſtudia reuocaret, ſtudiorumque ſolicitudinem perſuaderet, haberetur Terentius ruſticus; aſt Deus Plinium attulit, vt doctiſſimis Terentius appareret litteris exornatus.

§. LIII.

Quæ pro reculis pericula ſubeunt ſæculares, confundunt virtutibus inſeruientes.

Pericula. Virtus. Mundialis.

QVi Dei Mithræ miles initiabatur, recuſabat coronam, amplectebatur libentiſſimè contumeliam. Notauit Nazianzenus *orat. 3. Raptabatur per plateas, protrudebatur per cloacas, crinibus, & alia qualibet corporis parte (admiſta nempè tormento contumelia) ab his trahebatur, qui in Mithræ ſacris huiuſmodi ſuppliciis iuſtè cruciantur.* Vt Mithræ, hoc eſt, ſolis apud Perſas adorati, quis initiaretur miles, variis examinabatur tormentis: Oblatum odoriferum poſtponebat ſertum gladio, vt Deum ſuum hoc promereretur obſequio, quod à diabolo fuiſſe concinnatum (ait Tertullianus *de Corona militis cap.* 15.) vt aliquorum Chriſtianorum timorem confunderet, & ignauiam ſugillaret, quandoquidem non audebant pro virtute, quæ ſolis milites pro futili, ac inani fulgore. Accipe Tertullianum: [Erubeſcite Romani commilitones eius (*Chriſti*) non jam ab ipſo judicandi, ſed ab aliquo Mithræ milite. Qui cùm initiatur in ſpelæo, in caſtris verè tenebrarum coronam interpoſito gladio ſibi oblatam quaſi mimum martyrij, dehinc capiti ſuo accommodatam monetur obuia manu capite depellere, & in humerum, ſi fortè, transferre, dicens: Mithram eſſe coronam ſuam.]Itaque miles reſpuebat coronamentum, & percutientem præferebat gladium, vt conſtaret ſe pluris æſtimare coronam, vt Deo ſuo offerret, quàm vt capitè geſtaret. Adnectit Tertullianus: *Agroſcamus ingenia diaboli idcircò quædam de diuinis affectantis, vt nos de ſuorum fide confundat, & iudicet.* Mithræ miles militem Chriſti confundebat, quandoquidem alter reſpuebat facere pro virtute, quæ exambiebat alter pro vanitate. Dauid etiam omnes Iſraelitas confudit, cùm pro ouicula decertaſſe cum vrſis, & leonibus retulit: *Conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam:* Ecce Goliath in Deum deteſtabili ore jaciebat contumeliam, quin eorum aliquis admitteret pugnam: ne ſalutem, vitamque diſcrimini viderentur exponere, certamen recuſabant inire: *Cùm vidiſſent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valdè.* Iſraelita refugit pro Dei gloria conflictum, cùm Dauid, ne ouiculam perderet, cum leone pugnam ſubiret. Notauit Abulenſis *quæſt.* 21. *In hoc ſignificatur maxima animoſitas, & confidentia Dauid, quia pro re parua exponebat ſe magno periculo.* Magna erat Iſraelitis confuſio audire pro recula cum leonibus decertaſſe puerum, cùm pro Dei honore recuſabant conflictum. Dauid erubuit ſe ſubſtrahere laudando certamini, quando ipſemet pro recula cum leonibus ſe expoſuerat grandi diſcrimini. O quot recuſant exiguos pro virtute labores, qui pro ſcortis, pro diuitiis, pro honoribus animam non verentur periculo exponere, & labores anxios ſubire!

§. LIV.

Plures, ne paterentur leuia, inciderunt in grauiſſima.

PLures inuenias, qui facillimè exaſperentur, & iraſcantur, non expendunt, quàm multis ira nocuerit, & quàm magnas calamitates attulerit. Iracundiæ leuis etiam ſcintilla flabellatur in incendium deuoratorium ſalutis: nulla celerior ad inſaniam via eſt, & ſæpè ne exigua ſuſtineat, & leuia, cogitur ſuſtinere duriſſima. *Aiacem* (ſcribit Seneca 2. *de ira cap.* 36.) *in mortem egit furor, in furorem ira. Mortem liberis egeſtatem ſibi, ruinam domui imprecantur, & iraſci ſe negant, non minùs quàm inſanire furioſi.* Adnectit Stoicus: *Ad minima mobiles, non ſermone, non officio aditu faciles. Omnia per vim gerunt gladiis, & pugnare parati, & incumbere.* Gladiis ſuccubuerunt hoſtilibus, qui cæco impetu exaſperati ſunt leuibus. Leo, vrſuſque ſuis viribus freti Dauidis inuadebant gregem, rapiebant ouem; ille audaciam agolo conabatur reprimere, & arietem raptum inſtaurare. Quid tunc? Leo injuriæ ducens paſtorem pro agnis ſtare contra ipſum, proſiliebat in pugnam, & *Periculum.*

ſibi factam exiſtimabat offenſam : *Veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* Æquitati erat conſonum ſua Dauidem defendere, & audaciam inſolentem frænare : verùm leo nollebat, cùm poſſet, prædam relinquere, immò exoculatæ iracundiæ flammis ſuccenſus paſtorem aggrediebatur diſcerpere, nec videbat maturari ſibi excidium, dum conflat bellum : *Illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.* Si cùm Dauid, vt recuperaret ouem, baculo leonem percutiebat, non inſurgeret, non periret ; aſt dum leuiter percuſſus majorem fouit audaciam, acceleravit ſibi ruinam. Prodeſt Abulenſis *quæſt.* 21. *Accipitur hic percutere pro quacumque vulneratione, & non pro occiſione, quia infrà dicitur de occiſione, ſed ad percuſſionem quamcumque leuem mouebatur leo, vel vrſus, & perſequebatur Dauid percutientem deferens pecus.* Si leo ouem relinqueret, ſi leuem plagulam toleraret, mortem effugiſſet ; aſt dum impatiens furit, impatientia deperit. Iacuit leo, vrſuſque in fruſta diſcerptus, quia in certamen proſiluit ardenti inſania obcæcatus. Quod leonibus hic accidit, hominibus ſæpè contingit. Sæpè quæ fas, ratioque vetat, aggrediuntur ; quòd ſi quis rationem, legemque opponat, aut eis jure reſiſtat, injuriæ ducunt, & inſaniunt, ſed dum injuſtam arripiunt pugnam, altam, qua pereant, admittunt plagam. Mihi crede : Negotiatio eſt aliquid patienter ſuſtinere, ne cogaris grauiora pati.

§. LV.

Ea parte inardeſcere ſolet pœna, qua perpetratur & culpa.

Pœna. Culpa. Luc. 16. v. 24.

Diues ille purpuratus duriùs linguam præ cæteris membris fatebatur ardentiſſimis aduri flammis : *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Totum corpus exambiebat incendium, ſed grauius lingua experiebatur ſupplicium. Et cur lingua majori pœna mulctetur, & viuidiori flamma exuratur ? Quia lingua (inquit Chryſologus *ſerm.* 122.) prima variis ferculorum ſaporibus oblectata, & ſaporatis delitiis dedita : ergo ibi exarſit incendium, vbi exarſerat & peccatum. Chryſologum audi : [Hæc præcedit ad judicium : hæc anteà deguſtat, & patitur cruciatus : hæc de toto corpore prima ſentit ardorem, quæ cùm prima hic varios delitiarum cibos, & odorata deguſtaret pocula, mandare pietatem noluit.] Lingua quæ præ aliis membris delinquebat, præ aliis etiam membris flammis anhelantibus æſtuabat, vt ea corporis pars grauiori adurgeretur dolore, quæ fallaci indulſerat voluptati. Ob id etiam leonis ora referuntur punita, quia ora priùs quàm alia membra ouiculæ ſanguine ſaginata : *Eruebam de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam.* Quia os rapinæ infectum delicto, os digno etiam puniebatur tormento, vt ibi priùs ſentiret pœnam, vbi commiſerat culpam. Innuit Abulenſis *quæſt.* 21. *Lacerabam ora eorum, apprehendens per vtrumque, ſcilicet ſuperiorem, & inferiorem mandibulam.* Mandibulæ rapiendo deliquerant : ergo mandibulæ pœnam ſentiebant, & lingua, quæ cæteris membris prior rapto ſanguine fuerat oblectata, diſcruciabatur citiùs dolore punita. Sic ſæpè accidit, vt eis homo membris grauiſſimum ſuſtineat dolorem, quibus eſt abuſus ad voluptatem. Oculus Samſoni eſt ereptus, quia Philiſthinæ pulchritudine fuerat oculus oblectatus.

TEXTVS.

VERS. XXXVI. Nam & leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus : erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus quaſi vnus ex eis : nunc vadam, & auferam opprobrium populi : quoniam quis eſt iſte Philiſthæus incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis.

§. LVI.

Sæpè quæ ſuprà vires ad ſpeciem videntur, facillimè ſuperantur.

Diffidit Virtus Tertul. Damn.

NIhil adeò dæmoni curæ eſt ac laruatis terroribus nos illigare, & ne arma contra vitia arripiamus, ſpectris vaniſſimis deterrere : exagerat auſteritatē jejunij, ſalutis fragilitatem, vt dum exiſtimamus in mediis conatibus deſtitutos, iter non aggrediamur, ſed variis fluctuantes cogitationibus immoremur. *Plura ſunt* (aiebat Seneca *epiſt.* 13.) *quæ nos terrent, quàm quæ premunt, & ſæpiùs opinione, quàm re laboramus.* Verum dixit : nam ſæpe ſæpiùs nos ipſi monſtra confingimus, & nunquam ventura inaniter conjectamus : quædam magis angunt, quàm debeant, quædam ante affligunt, quàm debeant, quædam diſtorquent, cùm omninò non debeant, dolorem aut augemus, aut fingimus, aut præcipimus. Prudentia eſt aliquando nobis ipſis placere aduerſus fortunam, manuſque cum illa conſerere, & an habeat, quas oſtentat, vires experiri. Qui nunquam deſcendit in arenam, nunquam arripiet victoriam. Virilis, fortiſque animus certam ſui fiduciam concipit, & cum difficultatibus certamen init. Ecce Dauid, cùm omnes Iſraelitæ ad trucem gigantis conſpectum trepidarent, & ante certamen palmam concederent, benè de cœleſti auxilio præſumpſit, & reportatis de leone, vrſoque triumphis ad pugnandum animos fouit : *Leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus : erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus quaſi vnus ex eis.* Ac ſi dicat : Philiſthæus corporis immanitate inuictas oſtentat vires, ſuperbis minis ingerit Hebræis timores, grandiloquentia, & jactantia promittit cædes : verùm vt fundæ jactu ferarum abegi truculentiam, hanc etiam primo ictu proſternam fortitudinis laruam. Ita Abulenſis *quæſt.* 21. *Animoſitas erat, & confidentia quaſi de facili victoria.* Conſonat Chryſoſtomus apud Gloſſam : [Non Danidem immanitas hoſtis exterruit, non armorum enormitas fregit, aut ſuperbia verborum imminuit, ſed fortiorem cunctis virtus diuina conſtituit. Noli (inquit ad Saulem) noli Rex, formidare, noli eius immania verba, aut armaturam pertimeſcere.

meſcere. Quod minatur, leue eſt, quod loquitur facile, quod oſtentat, mortale. Ego contra illum exeam, ego pugnam contra eum inſtituam, & jactantiam, inſaniamque, Deo mihi dante, conſternam.] Euentus veritatem comprobauit, &, quæ videbantur monſtra, poſſe facilè vinci clariſſimè oſtendit. Vt hinc noueris ob diaboli terriculamenta animo non cadere, ſed triumphos, Deo dante, præſumere.

§. LVII.

Non debet acceptus triumphus otio nos tradere, ſed viuidiùs ad nobiliores reportandos accendere.

Victoria. Otium. QVi cum fortuna colluctatus, vireſque ſuas expertus arripuit palmam, de ipſa palma fouere ſolet deſidiam. Satis eſſe ſibi perſuadet accepta victoria gradum ſiſtere, & triumphis partis gaudere: verùm, vt egregius athleta, quoties cecidit, contumacior aſſurgit, & ipſo caſu acriùs irritatus nouam aggreditur pugnam, vt inhoneſtam aboleuerit notam; ita qui ſemel de vitiis arripuit palmam, non debet ſibi jam placens otio indulgere, ſed ad vlteriores triumphos ardore viuidiori inflammari. *Athleta.* *Quoties cecidit* (aiebat de egregio athleta Seneca *epiſt.* 13.) *contumacior reſurrexit, cum magna ſpe deſcendit ad pugnam.* Ita vt latus dolor boni athletæ animos non debilitat, ſed ad pugnam repetendam ardentiùs inflammat; ita reportata de vitiis palma ad nouos triumphos ineſcat. Huius rei optimum exemplar Dauid adeſt. Iam de leone, vrſoque triumpharat, & dulci mappalibus indulgere otio poterat; verùm accepta palma non illi perſuaſit otium, ſed nobilius inſtiganit ad prælium. Ipſum audi: *Leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus quaſi vnus ex eis.* Expende quæ adjecit: *Nunc vadam, & auferam opprobrium populi.* Ac ſi dicat: Trucidatis vrſis, leonibuſque poteram conquieſcere, & tranquilla pace frui; verùm non ſum ex eis, qui mediocri virtute contenti otia ſectãtur, ſed ex eis, qui honeſtè majora exambientes reportatis victoriis denuò accenduntur. Prodeſt Hieronymus apud Hugonem: *Audaciam ex eo ſumpſerat, quòd ſpiritum ſanctum acceperat, expertus auxilium Dei in leone, & vrſo, & ideò audaciter ſe obtulit ad ſingulare certamen.* Nota illud, *& ideò*, id eſt, acceptus triumphus de vrſo, leoneque inertem non fouit deſidiam, ſed honeſtam proritauit audaciam. Videas nonnullos, qui reportato de aliqua tentatione triumpho apud ſe ſtatuunt conſcientiæ tranquillitate frui, nolunt tamen majora tentare, quos Dauid arguit, & confundit; nec enim contentus fuit pace, victoriaque frui, ſed exambiuit trophæis nobilioribus coronari. Ioannes de egregio milite loquens ſic aiebat: *Ecce equus albus, &, qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Iam vicerat, jam triumphali fruebatur corona, ſed laudanda hydrope noua exambiebat trophæa; ipſa corona ad vlteriores triumphos efficax erat illicium, & ignauum Martiali ardore pellebat otium. *Vincens in Iudæa* (ſcribit Anſelmus hic) *vt vinceret in gentibus.* Certaminis voluit gloriam ampliare, & laudanda ambitione triumphos extendere.

Apoc. 6. v. 2.

§. LVIII.

Iam victricem ſibi auguratur palmam, qui non humanæ laudis ſtudio, ſed diuini honoris zelo inire diſcupit pugnam.

Zelus. Bellum. Palma. IN plura nos pericula impellit ambitio exocculata; & cupido laudis vaniſſima. *Circumſpice tecum ſingulos* (aiebat Seneca *epiſt.* 13.) *occurrent tibi ſenes, qui ſecum maximè ad ambitionem, ad peregrinationes, ad negotiandum parent.* Non quieſcit humanus animus, ſed vbi gloriolæ guttam ſibi promittit, nulli anxietudini parcit. Gloria vanum, & volaticum quiddam eſt, auraque mobilius; & quia fundamentum debile, nunquam aſſurget ædificium ſtabile. Qui honeſta ſequitur, innittitur ſolidis. *Quanto ſatius eſt* (aiebat Stoicus *epiſt.* 123.) *rectum ſequi limitem, & eò ſe perducere, vt ea demum ſint tibi iucunda, quæ honeſta.* Vt ex auium volatu conjectabant aruſpices fauſta, aut infelicia; ita ex actionum exordio præuideri poſſunt infelicia, aut fortunata. Quiſquis euanidæ laudis ſtudio, & furilis gloriolæ deſiderio rem aliquam aggreſſus eſt, ſibi inuidit, & contra ſe fortunam armauit. Quiſquis Dei honorem defendit, quiſquis in honeſtatis, virtutiſque tutelam cum hoſte certamen iniit, feliciter ſibi auguratur, & victrici palma redimitur. De truculentiſſimo, immaniique hoſte ſibi Dauid jam ante certamen promittit triumphum: *Nunc vadam, & auferam opprobrium populi.* Et cur indubiam præſumit victoriam, cùm reliqui omnes hoſtis trepidauerint ad præſentiam? Non ait, congrediar, ſed, *auferam opprobrium.* Ecqua magnæ adeò confidentiæ cauſa? Quia non proſiliebat in campum, vt euanidam ſibi famam conquireret, ſed vt Numinis injuriam depelleret: ergo quia decertabat, vt auferret Dei opprobrium, indubiè jam ſibi promittere potuit triumphum. Adeſt Hugo Cardinalis. *Audaciter ſe obtulit ad ſingulare certamen non tam victoriæ cupidus, quàm vltionis blaſphemiarum Dei, & iniuriarum populi.* Ab honeſta adeò cauſa non potuit celebris non promanare victoria: non ignorabat Dauid gigante deuicto gloriam ſibi fore; verùm non deſiderabat à palma carpere plauſus gloriam, ſed depellere Dei injuriam: ergo, dum religioſè, honeſtéque auſpicabatur bellum, jam ſibi opima, indubiaque promittebat trophæa, quia cœleſtia præuidebat auxilia. Dubius eſt pro terrenis triumphus, durus eſt cum plurimis conflictus; jam vicit hoſtem, quia nihil ſibi exambiens toti Reipublicæ prodeſſe, & Numinis honori optat deſeruire. Quæ Plinius in Panegyri de ſuo Cæſare, ego de Dauide: [Tibi ſalus tua inuiſa eſt, ſi non ſit cum Reipublicæ ſalute conjuncta. Nihil pro te poteris optare, niſi expediat optantibus, omnibuſque annis in conſilium de te deos mittis, exigiſque vt ſententiam ſuam mutent, ſi talis eſſe deſieris, qualis electus es.

§. LIX.

Prudentia conſulit miranda tacere, ne vanitatis ſuſpicionem contingat ingenerare.

Mira Silentium.

INuidia moleſtè audit, quæ comprobantur certiſſima, immò, quia certiſſima, ſibi moleſta. *Recitabatur liber abſolutiſſimus* (inquit Plinius 6. *epiſt.* 17.) *hunc duo, aut tres, vt ſibi, & paucis videntur diſerti, ſurdis, mutiſque ſimiles audiebant: non labra diduxerunt, non mouerunt manum, non denique adſurrexerunt ſaltem laſſitudine ſedendi. Quæ tanta grauitas? quæ tanta ſapientia? quæ immò pigritia, arrogantia, ſimiſteritas, ac potiùs amentia? In hoc totum diem impendere, vt offendas, vt inimicum relinquas, ad quem tanquam amiciſſimus veneris? Diſertior ipſe es, tantò magis ne inuideris.* Exoculata laudis propriæ ambitio, alienæ gloriæparit odium, & ipſis ingenerat amicis faſtidium. Ob id, qui cupit effugere inuidiam, alto ſilentio premit, quæ liuoris miniſtrant cauſam; quod ſi prudentia eſt, quæ oculis comprobantur, quæ manibus tanguntur, occulere, genus dementiæ erit, etſi vera ſint, quæ ad ſpeciem fidem ſuperant, evulgare; nam hæc in publicum prolata referenti non pariunt laudem, ſed conciliant irriſionem, & vndè ſperabantur elogia, demetuntur ludibria. Satis ſit in huiuſcemodi geſtis propria conſcientia, nam veritas non ſolùm reputatur jactantia, ſed audax inſolentia, & irrotata auditori injuria. Non minus diſertus, quàm robore validus apparuit Dauid, cùm reportatos in mappalibus de leone, vrſoque triumphos diù ſilentio preſſit, & ſolùm occaſione vrgentiſſima reſeruit: *Leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus.* Inquirunt Interpretes; cur Dauid hæc certamina nec patri, nec fratribus vnquam retulerit, ſed celarit? Abulenſis *quæſt.* 23. prudentiæ vertit ſilentium: nam ſi Ioſeph factam ſibi per ſomnium à ſideribus adorationem referens durum fouit odium, quid Dauid ſperare poſſet, ſi triumphum evulgaſſet non ſomniatum, ſed verum? ergo, ne ſibi procrearet irriſionem, decreuit ſilentio premere veritatem: *Qui aliquid eminens à Deo recipiunt, debent humiliari, & ſubticere illud: qui autem illud renelat, videtur iactare ſe.* Communem modum excedebant, quæ diuino auxilio armatus Dauid puerulus, & inermis perfecerat, quæ ſi retuliſſet, putaretur audientibus irrogare injuriam, aut ſaltem non exhibere debitam reuerentiam: ergo tacuit, & ſilentio prudenti occuluit. Hanc vtilem politicam confirmat Apoſtolus 2. *ad cor.* 12. vbi ſic ait: *Scio huiuſmodi hominem* (*ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit.*) *quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Adnectit: *ſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me.* Sibi, audientibusque parcebat Apoſtolus, arcana illa ſilentio premens, ne ſi retuliſſet audiens putaret ſe irrideri, & Apoſtolum vana jactare: ergo non ſolùm humilitate eximius, ſed vtili politica ornatus abſtruſa præcordiis myſteria retinuit, & cogente ſolùm neceſſitate evulgauit. *Non ero inſipiens* (inquit Anſelmus ad hunc locum) *in hac gloriatione, licet quibuſdam videar eſſe.* Inſipiens haberetur de ſe eximia adeò & inſolita proferens: ergo ſcandalum vitauit prudenter tacens; nam quæ humanam fidem vidéntur ſupergredi, non ſunt evulganda, ſed conſcientia retinenda.

Inuidia.

2. Cor. 12. v. 3.

§. LX.

Non attendendum quid turba faciat, ſed quid facere ratio iubeat.

TVrba frequenter à ratione deuiat ſpernenda voluptate ducta, aut timore ignauo commota. Pecorum ritu non eunt, ſed ducuntur; hanc qui ſequitur turbam, facilè deerrabit, & longè ab honeſtate diſcedet. Opportunè Seneca *epiſt.* 123. *Inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quod viuimus ad exempla, nec ratione compomur, ſed conſuetudine abducimur. Quod ſi pauci facerent, nollemus imitari: cùm plures facere cœperunt, quaſi honeſtius ſit, quia frequentius, ſequimur, & recti apud nos locum tenet error, vbi publicus factus eſt.* Malè politici prudentiæ ducunt plurimorum exempla imitari, & quamvis honeſtas, veritaſque reuocent, viam, qua gradiuntur omnes, inire. Hinc mirandus eſt Dauid, qui cùm aſpiceret Iſraelitas cæteros ſtationem deſerere, & turpi fuga vitæ conſulere, non eſt ſequutus eorum exempla, ſed ſuſcepit pro religione certamina: *Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis eſt iſte Philiſthæus incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis.* Religio ſuadebat ad blaſphemam coercendam linguam, diſcrimini vitam exponere, terror omnibus perſuaſit fugam inire: verùm is fuit Dauid, vt non attenderet quid turba faceret, ſed quid honeſtas, & ratio exigeret. Hanc vim videtur mihi habere vox illa, *Nunc vadam*, id eſt, etſi omnes fugiant, ego ſingularis in arenam deſcendam, & inibo cum monſtro pugnam. Ad rem Abulenſis *quæſt.* 23. *Ille veniebat quotidie bis ad caſtra Iſrael petens ſingulare certamen, & hoc erat magnum opprobrium totius populi, cùm nemo auderet illud ſuſcipere.* Cùm nemo auderet ſuſcipere duellum, Dauid alacriter proſiluit in campum, ſequutus non multitudinem, ſed rationem. Inter virtutis Tobiæ elogia vltimo loco non eſt ponendum fuiſſe ſequutum non multitudinum veſtigia, ſed legis decreta: *Cùm irent omnes ad Tob. 1.*
vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Iſrael, hic ſolus fugiebat conſortia omnium, ſed pergebat in Hieruſalem ad templum Domini. Recti locum ille error tenebat, vbi communis, & publicus, ſed Tobias à turba receſſit, nec putauit honeſtius, quod vſitatius. Huc voco, quod aiebat dams jam Seneca: *In contrarium pugnemus, & ab imitantibus recedamus.* Æquitas conſulenda eſt, non attendenda turba, quæ frequenter pecorum more non it, ſed ducitur.

Turba. Ratio. Error.

§. LXI.

Qui in Deum execranda iacit dicteria, breui, & miſeranda corruit ruina.

SVnt qui Catholica fide Deum, Chriſtumque Dominum fateantur, ſed fidem ſuam obſcurant cæco iracundiæ ardore execrandas blaſphemias proferentes, aut acri doloris morſu Numinis prouidentiam culpantes. Profectò parum

Blaſphemia. Ruina.

parum distat ab infideli, qui irreuerenter de Deo loquitur, qui prouidentiam causatur. *Quid interest* (aiebat Seneca *epist.* 123.) *vtrum Deo neges, an infames?* Quodammodò exoculatior procacia est, Deum, quem colis, infamare, quàm cæcè non credere. Irridebat Tertullianus ethnicos, quia quos deos colebant, sub hasta venditabant; fatebantur Numina, & despiciebant vti reproba mancipia. Ipsum audi in Apologetico *cap.* 13. *Impij, & sacrilegi, & irreligiosi erga deos vestros deprehendimini, qui, quos præsumitis esse, negligitis, quos timetis, destruitis, quos etiam vindicatis, illuditis.* Pudendum est irreuerenter tractare, & colere, cùm fas esset, quod stabilitur certa fide, confirmare etiam debita veneratione. Vel ethnico ominosa sunt in Deum propudiosa dicteria, quid Christiano? Goliath in Hebræorum Deum probra congerebat, Dauid vt audiuit, exarsit in pugnam, & indubiæ victoriæ pignus habuit maledicam illam linguam: *Auferam opprobrium populi, quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis.* Ac si diceret: etsi Goliath Deum Israelitarum non colat, Deum tamen putat: ergo dum majestatem audaci lingua infamat, stragem sibi maturat. Dei vindex non tam descendo ad pugnam, quàm vt arripiam palmam. Aptè Abulensis *quæst.* 23. *Intelligit Dauid, quòd ex eo quòd Philisthinus iste ausus est maledicere exercitui Dei, tradet eum Deus in manus eius, quia contra Deum loquutus est.* Vt audiuit blasphemum, præuidit etiam supplicium, nec dubitauit cum eo pugnam inire, in quem maledica lingua armabat cœlum, & miserum solicitabat exitium. Nec sua Dauid fefellit opinio, nam fundæ jactu gigantem dejecit; corruit plus internè subuersus, quàm lapidis ictu percussus. Quod si ethnico stragem attulit maledica in Deum lingua, quem non colebat, quàm verendum erit Christiano linguam non continere, & blasphemias in Deum, quem credit, jactare.

TEXTVS.

VERS. XXXVII. Et ait Dauidi: Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi, ipse me liberabit de manu Philisthæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid: Vade, & Dominus tecum sit.

§. LXII.

Quæ humanæ prudentiæ videntur deliria, aliquando cœlesti pulsu probantur superioribus inspirata.

Superior. Prouidentia. Inspiratio.

SVperiori, Principique à Deo electo specialia tribuuntur auxilia, & ad bonum subjectorum regimen, quæ humana ratio non assequitur, salubria dictamina. Multa, si solùm humanæ prudentiæ lance trutinata, cæca putarentur deliria, quæ à Deo inspirata pro salute cunctorum opportuna inueniuntur fuisse remedia. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Id est, vt qui rigat, latices dirigit occultis meatibus, quibus fœcundatæ arbores fructus protulerint; sic Deus cor superioris dirigit, vt subjectis accrescant commoda, & pellantur detrimenta. Ad ea aliquando Deus mouet superiorem, quæ si humanis solùm oculis despicias, aduersari censeas prudentiæ: euentus tamen edocet speciali pulsu dispositа, & cœlesti prouidentia inspirata. Liquet hæc veritas hoc in capite, dum Saulem facultatem fecisse Dauidi cum gigante congrediendi in magnam admirationem animum trahit: *Vade, & Dominus tecum sit.* Omnia, quæ hic concurrere videbantur, facultatem denegare cogebant, nec solùm puero duellum cõmittere imprudentiam, sed insaniam ad speciem esse demonstrabant; is erat hostis, qui solo aspectu pauorem incutiebat, & vel Israelitarum optimos statione de turbabat, eius moles insana, arma Vulcanica, longa certaminum experientia, Dauid è contra pastoritia stola indutus, armorum indoctus, & ætate puerulus. Ad hæc: Ab vnico illo certamine prorsus pendebat aut triumphi gloria, aut seruitutis ignominia, omnium Israelitarum captiuitas, aut libertas. Quæ omnia humanæ prudentiæ lance trutinata, ne Dauid in arenam prosiliret, suadebant; euentus tamen ostendit Saulem facultatem fecisse puerulo luce illustratum, & speciali prouidentia directum. Opportunè Abulensis *quæst.* 21. *Fuit Saul motus, vt hoc non obstante concederet Dauid pugnare, quia Deus inspirauerat ei, vt concederet.* Qui nesciebant superiorem à Deo dirigi, existimarent laborare delira amentia, & amenti prorsus insania, licentiæ tamen concessæ vberrimus fructus ostendit, fuisse cœlesti pulsu inclinatum. Vt hinc discamus erga superiorem facta judicium suspendere, & suffragium temporis expectare. Nil hîc erat, quòd à licentia Saulem non auerteret, & tamen oportuit ad speciem desipere, & Dauidi facultatem concedere. Cùm populus duris serpentum morsibus vreretur, Moyses salutis studiosus æneum constituxit serpentem, cuius aspectus venena sopiret, & cunctis salutem redderet: *Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo: quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Num. 21. v. 9. Oleaster hic ad literam legit: *Serpentem igneum, seu ignitum.* Additque, nil adeò ad speciem sic potuisse venena fouere, aut venenato morsu laborantibus mortem adducere, vt erat ignitus, flammansque serpens. Itaque si Moysis factum humana examinaret prudentia, censeret serpentis constructionem exortam fuisse ab immani odio, aut ab amenti prorsus delirio; effectus tamen Moysem defendit, & gubernatum à numine edocuit: *Sanabantur.* Vndè mortem crederes emanare, constabat vitam effluere. Audi Oleastrum: [Adnotarunt hîc Hebræi æneum hunc serpentem planè morbo contrarium fuisse remedium, ita vt nihil minus, quàm curare morsos à serpentibus posset, sed potiùs illis præsentissimam mortem adferre debebat. Eam enim æris candentis naturam esse dicunt, vt si quis à serpente morsus illud intueatur, statim moriatur.] Humana prudentia consulebat ignitum serpentem oculis non objicere, immò longissimè remouere; successus tamen declarauit Moysem à Deo fuisse edoctum, & reclamante humana prudentia serpentem ignitum fuisse remedium.

Prou. 21. 1.

§. LXIII.

Dilargita à Deo beneficia sunt vlteriorum præsagia, & ni pœnas obicem, pignora.

Beneficium. DEus in modum fontis purissimi à se ipso ad benefaciendum vrgetur; contentus non est dilargitis beneficiis, sed beneficientiæ thesaurum clausum tenere nesciens, posteriorum grauitate obscurat nobiliter beneficia priora. De quodam fonte aiebat Plinius 8. *epist.* 8. [Fons exit, & exprimitur plurimis venis, sed imparibus, eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus, & vitreus, & numerare jactas stipes, & relucentes calculos potes. Indè non loci deuexitate, sed ipsa sui copia, & *Fons.* quasi pondere impellitur. Fons adhuc, & jam amplissimum flumen. Iam amplissimum flumen, qui initio fons, nam à se ipso impulsus latiùs diffunditur, & augetur. Nec aliter largus fons diuinæ munificentiæ: dilargitis beneficiis ad vlteriora impellitur, & , ni obex obstiterit, prouentibus nouis incrementatur. Numinis ingenium nouerat Dauid, qui, vt indubiam sibi promitteret palmam, in se à Deo collatam referebat munificentiam: *Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi, ipse me liberabit de manu Philisthæi huius.* Et quo fidis te de manu Philisthæi liberandum? Quia id est Numinis ingenium, respondet, vt dilargitis beneficiis ad vlteriora quodammodò impellatur, & obligetur. Ergo ex acceptis jam accipienda conjicio, & profero. *Est argumentum* (inquit Abulensis *quæst.* 23.) *à fortiori.* Adnectit: *Qui ergo liberauit de manu vrsi, & leonis, liberabit quoque de manu Philisthæi. Satis tenet argumentum.* Efficax erat ad victoriam persuadendam argumentum acceptum jam à Numine beneficium. Innuit Tertullianus *de Resurrect. cap. 6.* dum in homine Dei imagine quasi in pignore Christum Dominum futurum jam vidit. *Faciamus hominem* (aiebat Deus) *ad imaginem, & similitudinem nostram.* Id est, faciamus hominem, ex quo Christus oriatur vera nostra imago, & similitudo. Accipe Tertullianum: *Limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed & pignus.* Itaque nobilitasse hominem honore imaginis erat vlterioris beneficij pignus, id est, Christi in carne futuri, quasi induisse Dei imaginem jam Adamo fuerit pro vlterioris beneficij pignore, Christi scilicet in carne futuri: *Non tantum Dei opus erat, sed pignus.*

Gen. 1. v. 26.

§. LXIV.

Prudentia consulit ea non omittere, ex quibus nulla accrescit incommoditas, & oriri potest vtilitas.

Prudentia. Vtilitas. Incommodū. PEriti medici in desperatis morbis vltima solent tentare remedia, scientes nullum grauius incommodum posse afferre, & posse insperatam salutem parere. *Ecce par Deo dignum* (aiebat Seneca de Prouidentia *cap. 2.*) *vir fortis cum mala fortuna compositus, vtique si & prouocauit.* Non solùm fortis, sed prudens est, qui ad extremam redactus fortunam, viriliter assurgit, & honestè pugnat, si fortè aliqua prosint remedia, cùm augescere nequeant damna. Res Hebræorum sic erant desperatæ, vt nullus probaretur, qui descenderet in arenam, & contra gigantem arriperet pugnam. Hoc in statu se Dauid offert, & se detriumphaturum confidit: *Ipse me liberabit de manu Philisthæi huius.* Quid tunc Saul? Bona imprecatus, facultatem est dilargitus: *Vade, & Dominus tecum sit.* Hanc à Saule datam licentiam vti prudentiæ consonam tuetur Abulensis *quæst.* 21. Quod si objicias aduersarium in decertando expertum, Dauidem peritia armorum non expolitum, Dauidem puerulum, procerum gigantea mole aduersarium, Goliath Vulcanicis armis instructum, Dauidem prorsus exarmatum, non inficiabitur Abulensis; asserit tamen adeò miseram fuisse Israelitarum tunc conditionem, vt nullum grauius ex hoc certamine oriri potuerit detrimentum, immò resultare quiuerit commodum, ob idque ad prudentiam pertinuisse nullo nouo detrimento vltimum tentasse remedium, & opposuisse illi monstro aduersarium: [Concedere debuisset Dauid, quòd pugnaret, quia ex hoc proficere poterat status Iudæorum, deteriorari autem nequibat: Nam si Dauid prævaleret contra Goliath, exaltarentur Iudæi, sicut factum est; si autem prævaleret Philisthæus, ex hoc non fiebat pejor eorum conditio; quia sicut à principio, si nullus peteret singulare certamen, in acie pugnandum erat: ita si Dauid succumberet, restabat Israelitis, vt ipsi in acie contra Philisthinos pugnarent. Seruitutis conditio proposita sicut ruente Philisthæo, à Philisthinis fugam arripientibus non est obseruata; ita cadente Dauide, ab Israelitis non asseruaretur illæsa, sed res antiquo in statu remanerent: ergo prudenter Saul facultatem concessit, cùm Hebræorum status nequiret esse deterior, & esse posset felicior: est enim prudentis ea aggredi, ex quibus nullum detrimentum potest oriri, & potest commodum aliquod sperari. Cùm Samaria ab hostibus obsessa extrema fame laboraret, nonnulli leprosi, qui extra ciuitatem degebant, prudens consilium inierunt. Hic (aiebant) nulla nobis restant ad mortem effugiendam subsidia: ergo ad aduersariorum confugiamus castra; si pepercerint nobis, vitam lucrabimur; si non pepercerint, quam hic opus est pati, mortem subibimus: [Siue ingredi voluerimus ciuitatem, fame moriemur; si manserimus hîc, moriendum nobis est: venite ergo, & transfugiamus ad castra Syriæ; si pepercerint nobis, viuemus: si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur.] Hoc prudenti consilio in aduersariorum castra properarunt, & à militibus prorsus deserta, & spoliis plena inuenerunt. Imprudentia esset, ne morerentur, mori, prudentia fuit vltimum remedium tentare. Innuit aliquomodò Rabannus apud Glossam: *Leprosi ingressi in castra Syriorum refecti sunt.* Vexatio dedit intellectum, vt optimum inirent consilium, dum nullum nouum ex illa fuga timeri poterat detrimentum, & vitæ sperari quibat auxilium.

4. Reg. 7. 4.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXXVIII. Et induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica.

§. LXV.

Aliquando non sine humano miraculo adaptantur exiguo, quæ dispositа fuerunt magno.

Miraculum Exiguus. Magnus.

O *Regule* (aiebat Plinius 6. *epist.* 2.) *qui ambitione ab omnibus obtinebas, quod fidei pauciſſimi præstant.* Propria, aut aliena ambitione Regulus ab omnibus obtinebat, quod virtus, & sapientia à pauciſſimis impetrabat. Regulus, vt ambitioni suæ adularetur, ad munerum confugiebat præstigias, quibus plurimi persuasi dignitatibus aptum asserebant, & conclamabant. Quæ illi munia injungebantur, eius vires, dotesque quàm longè superabant; verùm præstigiarum prædictarum illusione eius viribus, dotibusque coæquata apparebant. Et quidem quod in Regulo semel, sæpè sæpiùs videas accidere. Pumilioni confertur dignitas, quæ virum magnum, & eximiis dotibus excultum exigat, & nihilominus audies electionem sapienter factam, & eius dotibus, ac meritis jure exhibitam, & ne obstupescas, crede in huiusmodi factis humanum aliquod intercedere miraculum, cuius virtute qui heri exiguus, hodie naturæ terminos est transgressus, & factitiis meritis repentè ornatus. Hunc curiæ morem Hebræorum comprobat fabula; verùm ex ea fabula vtilis emanat doctrina. Saul Dauidem suis vestibus, armisque, vt contra gigantem decertaret, munuit: *Induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica.* Hinc oritur quæstio. Nam cùm Dauid statura procerus non referatur, arma Saulis, qui ab humero, & sursùm supra cæteros eminebat, non videntur adaptari, sed eius staturam multum excedere; & Dauid arma deposuit, non tamen abjecit, quia eius membris non apta, sed quia armorum sibi experientia nulla: *Quia non vsum habeo.* Quomodò ergo quinit arma Saulis induere, & eius vestimentis ornari? Vt hanc difficultatem enodarint Hebræi dicunt, Saulis arma, licet ingenti eius moli accommodata, non sine miraculo ita apparuisse Dauidi commoda, ac si ad eius mensuram fuerint fabricata. Ita Abulensis *quæst.* 24. & noster Sancius: *Somniarunt vestimenta Saulis, licet prius ingenti ipsius moli accommodata, vbi accepta fuerunt à Dauid, sic fuisse illius attemperata corpori, vt pro illius mensura concinnata viderentur.* Itaque Dauid, etsi anteà exiguus, vbi à Rege accepit illa dona, & inaurata arma, repentè ad miraculum excreuit, ita vt jam non videretur corpore inferior, sed æqualis: aut arma, vestesque sic eius corpori sunt adaptata, vt apparerent nullatenus excedentia; hæc enim miracula siue in Dauidis corpore, siue in armis acciderint, quotidiè manu fiunt in palatiis, & curiis, & qui anteà exiguus, jam de Principum fauore ita magnus, vt proceres exæquarit, de magnitudineque contenderit. Quod Rabbini *Eman. de Naxera in Reg.* Tom. II. erga Danidem somniarunt, experientia posse contingere non sine Reipublicæ incommodis sæpiùs, quàm fas esset, ostendit. Dignitas, quæ exigebat meritis, & prærogatiuis procerum, adaptatur exiguo, & heri paruulus, hodiè immetatis augmentis celsus.

§. LXVI.

Principes, dum militibus conferunt honorem, Reipublicæ sollicitant sospitatem.

Miles. Honor. Princeps.

HOnor militibus à Principe impensus laudabilem nutrit audaciam, & docet proprio sanguine mercari Principi gloriam. *Tribuenda est* (aiebat Cassiodorus 2. *variar.* 28.) *iustis laboribus compensatio præmiorum, quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata transitur.* Cadunt militum animi, ni honoris adjiciantur igniculi, & qui ciuicam non sperat palmam, refugit exponere ambiguis certaminibus vitam. *Athletam* (addit Cassiodorus) *populis palma designat esse victorem. Sudores bellicos ciuica corona testatur.* Ni ciuica corona alliceret, miles campum discurrendo non desudaret, nec athleta, ni palma alliceret, cum aduersario manus consereret. Negotiatio est, quidquid militi Princeps dilargitur, quia præmiorum ambitione animus multorum accenditur. Saul, vt Dauidis alacritatem accenderet, regio vestitu exornauit: *Induit Saul Dauid vestimentis suis.* Sciebat Princeps quantos animos indat honor, quantum robur refundat præmium, vtque Dauid animosius iniret dura certamina, honoris adjecit incitamenta. Ita Abulensis *quæst.* 24. *Dauid erat indutus vestibus rusticanis: voluit autem Saul eum honorare, quia pro eo subibat certamen istud: ideò exuit eum veste pastorali, & induit veste sua.* Institutum suum Principis prouidentia non deserit, cùm Dauidis honori profutura disponit; nec enim poterat ad majorem animositatem non concitari, dum non ignorat Principem sui curam habere. Dauidi viribus potenti, quique multa virtutis suæ experimenta præstiterat, novus honor robur addebat, & nouis igniculis inflammabat. Si Dauid se arbitraretur despectum, desponderet prorsus animum. Ille honor, dum acriùs exiuit ad pugnam, lucratus est toti Reipublicæ palmam. O quot Principes, si studiosiùs milites honorassent, decantandos triumphos de hostibus retulissent. Quos miles fouebit animos ante certamen inedia confectus, aut post victoriam obliuioni sepultus? suis inuident prouentibus Principes, dum strenuè decertantibus dilargiri obliuiscuntur honores. Et expende de regali pompa aliquid Saul præcidisse, & vestiret Danidem: suo exemplo edocens, si aliundè non suppetat vel regium ornatum angustandum, vt miles non careat vestitu, & ad decertandum decenti ornatu. Injuria est Principis miles nudus, & inedia semper confectus, & decus Principis est quid de proprio ornatu præcidere, vt possit pro eo decertantes dignis compensationibus honorare.

TEXTVS.

VERS. XXXIX. Accinctus ergo Dauid gladio eius ſuper veſtem ſuam, cœpit tentare, ſi armatus poſſet incedere, non enim habebat conſuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul: Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo.

§. LXVII.

Non valet pugnare acriter contra vitia, qui vltra conditionem ſuam induit pretioſa ornamenta.

Ornatus. Vitium.

SVmptuoſior pompa, comptior ornatus inſidiatur famæ, & pudori: externa in veſtibus laſciuia internæ eſt vapor, & rumor. Florida veſtis ſic de proximo curat diaboli negotium, & virtutis excidium, vt Lacedemones laſciuioſis, & nimium ornatis veſtibus meretrices denotarint, & pudicis matronis cultiorem habitum non permiſerint. Opportunè Clemens Alexandrinus 2. Pædagogi 10. [Laudo ego, & admiror Lacedæmoniorum ciuitatem, quæ ſolis meretricibus floridas veſtes, & aurum mundum geſtare permiſit, à probis mulieribus mundi ſtudium auferens, quòd ſolis meretricibus ſe ornare concederet.] Vt ſolis fulgor oculorum vim eneruat, ſic cultus oculos mentis innubilat: ſe non habebit ad eum vitiis congrediendum prorſus expeditam, quæcumque ſuperflui, & malè augurantis ornatus gerit ſtudium. Iacob, vt omnem à familia ſua impietatem expungeret, ornatus conſuluit modeſtiam.

Gen. 35. v. 3. *Surgite* (aiebat) *& aſcendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo.* Quid tunc? *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Vt ad Deum arriperent viam, abjicienda erant idola vti curſus obſtacula, ſed aurium non videbantur impedire aurea ornamenta: cur ergo denudant? Idola exhibuerunt (inquit Bruno) quia nequibant verſus Deum greſſum explicare, & figmenta vaniſſima retinere: ſe ornamentis etiam exuerunt, ne ſi ornatus pompam retineant, opus ſit ad eam conſeruandam iterum allicere idola. Auris ornata audiet, & quæ non vult audire, non grauatur ſplendidis ornamentis carere. Opportunè ſanctus Bruno in Allegor. Tilmanni: [Veſtimenta mutant, vt anima, & corpore baptizati Chriſtum induere mereantur. *Adnectit:* ſed quare inaures, cum eis infodit, niſi vt nemo vlteriùs in eorum memoria aures hominum ſolicitare præſumat? Sunt enim inaures aurium ornamenta, pro quibus auditus intelligitur. Aures enim, quæ non audiunt, ornatæ non ſunt. Sic igitur Iacob domeſticorum ſuorum aures circumcidens ad deorum laudes audiendas ſurdas, & ſine auditu eſſe volebat.] Vis noſcere, an fœmina aliqua venenatas audiat adulationes, aures conſule: ſi nudas videris, non audiunt; ſi pretioſis oneratas aſpicis margaritis, non dubites alicuius idoli voces auſcultare, & ſe non ſurdas præbere: *Aures enim, quæ non audiunt, ornata non ſunt.* Opus erat, vt qui jam Dei famuli, ſeruitutis conditionem ornatus teſtarentur modeſtia, nam luxus occulta manifeſtabat idola; nec eſſet facilè aures eorum mendaciis obturare, ſi vellent prophano luxu lucere: ergo denudarunt veſtium pompam, vt ad Deum carperent celeriter viam. Hanc veritatem Dauid ſuo exemplo confirmat. Conflicturus cum gigante vitiorum ænigmate, regiis ornamentis induitur; ante certamen ſe ipſum experiri prudenter voluit, & eis impediri ornamentis inuenit: *Non poſſum ſic incedere.* Et quare? Quia ornamenta (inquit) hoſti ſuppetias ferunt, dum roboris vires opprimunt. Itaque non præſumpſit vincere, qui eis ſe vidit ornamentis lucere. Aptè Abulenſis *quæſt. 24.* [Dauid non dubitabat, an ipſe eſſet vir robuſtiſſimus, ſed dubitabat de armorum coaptatione, quia cùm ipſe non eſſet expertus in illis, putauit fortaſſis ſibi non conuenire, & cùm tentaſſet, non potuit aptè moueri.] Ornamenta erant greſſus obſtacula, & victoriæ impedimenta: ergo prudenter abjecit, quia aliter fortaſſe caderet.

§. LXVIII.

Deus nimis cultum, & expolitum in certamine ignorat, intra ſtatus ſui limites ſe continentem ad victoriam ſuppetiis adiuuat.

OMnes reportare de vitiis triumphum diſcupimus, ſed, quibus armis pugnandum ſit ignoramus. Fœmina appetitum non fouens externis fucis, & mendacibus pigmentis, ſed ſe modeſtia, & pudore munita, ſi occurrat certamen, vincet, quia Deus illi ſuppetias feret. Quæ ſpeculum nimis conſulit, quæ formam variis artibus adulterat, Deo, ſi fas eſt dicere, incognita eſt, neſcit, quæ non finxit, & vti alienæ plaſticæ, quæ aliter inderet, robur non confert ad palmam. *Aunt, & de frontibus draconum* (ſcribit Tertullianus *de Habitu mul. c. ...*) *gemmas erui, ſicut in piſcium cerebris lapidoſitas quædam eſt. Hoc quoque deerit Chriſtianæ, vt de ſerpente cultior fiat: ſic calcabit diaboli caput, dum de capite eius cernicibus ſuis, aut ipſi capiti ornamenta ſtruit.* In Chriſtianæ fronte micat, neſcio quid draconis, quo ingenitus decor proſtituitur, & malè nimis cultæ, & politæ indecorè augurantur. Pulſabant virgines illæ, quæ accepto à venditoribus oleo redierunt; verùm, vt extraneis, & ignotis non eſt janua aperta, ſed obſerata: *Amen dico vobis, neſcio vos,* alias nouit, has neſcinit, & ignorauit: ſed vndè omnia ſcientibus, & perſpicacibus oculis hæc ignoratio exorta? Ex ipſis ſanè lampadibus extraneo oleo fulgurantibus. Contenderant, vt ab adulatoribus acciperent aſſentationis oleum, quo ſe expingerent, & lucerent: ergo ea indecora pigmenta mutarant ſic formam, vt ſponſus caſtitatis exactor eas non agnoſceret, & vti extraneas repelleret. Opportunè Auguſtinus in catena: *Non ſunt putanda* (prudentes) *dediſſe conſilium ſed crimen earum ex obliquo commemoraſſe; vendunt enim adulatores oleum.* Et iterùm: *Neſcio vos; ex illa ſcilicet regula, quia non habet ars Dei, id eſt, eius ſapientia, vt intrent gaudium eius, qui non coram Deo, ſed vt placerent hominibus, conati ſunt aliquid.* Vt placerent hominibus, formam à Deo acceptam adulterarunt, & lecythi vnguentarij præſtigiis quadam velut metamorphoſi in aliam formam verterunt: ergo

Cultus Cultus.
Matth. 25. v. 12.

ergo eas Deus non agnoscit, quia in eis non apparet, quod ipse fecit. *In illum delinquunt* (aiebat Tertullianus de cultu fœminar. cap. 5.) *quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine colliniunt. Displicet illis nimirum plastica Dei. In ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Quod nascitur, opus Dei est. Ergo quod fingitur, diaboli negotium est. Diuino operi Sathanæ ingenia superducere, quàm scelestum est.* Dum alius fit vultus, ab artifice non agnoscitur, sed vti extraneum opus reijcitur. Ob hanc causam prudens Dauid tanquam victoriæ impedimenta abiecit Saulis arma; expertus fuerat sibi pastori baculo, fundaque contra feras agenti Deum opem tulisse, & veritus est, ne si alio ornatu contra gigantem ageret, & larua tectum Deus, si fas est dicere, non agnosceret, & suppetias denegaret: *Deposuit ea.* In habitu pastorali agnitus est, in regio ornatu fortè nesciretur. Ad rem noster Sancius: [Neque verò tantum bonus pastor arma reiecit, sed etiam vestimenta, quæ milites magis tegunt, & adornant, quàm pastorem. Neque fortasse Deus suum agnosceret Dauidem, illique patronus, ac vindex adfuisset, si bellicis vidisset, non pastoralibus indumentis instructum, pastori enim potiùs, quàm militi faueret.] Dauidi decenter induto vindex, & patronus in certaminibus Deus adfuit: verùm si regio fastu tumeret, & armorum splendore superbiret, non agnosceret, & ignoto, quas Dauidi, vires non præstaret: ergo prudenter Dauid abiecit ornatum, vt Deo agnitus opportunum sortiretur auxilium. Sine Dei patrocinio nequeunt superari tentationum certamina, & fortassis substraheret patrocinia, si alia esset superinducta persona. Si pauper, & mediocris fortunæ homo intra conditionis suæ limites se contineat, Deo auxiliante, vincet; verùm si transgressus fulgere velit, si opulentam mensam exambiat, si cultum nitidiorem sitiat, jam alius factus facilè corruet, & Deo quodammodò ignotus, quod sortiretur, robur non habebit. Dauid pastoritia funda monstrum deiecit, quia Deus pastori suo, quem non ignorabat, adfuit.

§. LXIX.

Ad triumphos de vitijs reportandos plus iuuant arma propria quàm aliena.

Vitium. Arma

PRosunt iustorum orationes, religiosorum ieiunia, amicorum Dei lachrymæ, vt triumphos de tentationibus, vitijsque reportes; sed plus conducunt propria carnis afflictio, anxia oratio, austerum ieiunium. Non est, si te tuis denudaueris armis, quòd alienis fidas auxilijs. Dives ille, quam linguæ flammam desiderabat sopire, nullatenus restinxit, quia totum negotium Abrahami, Lazarique actionibus commendauit: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Chrysologus perspicaci ingenij acumine huius diuitis desiderium arguit; nam dum non exposcit aquam afferre Lazarum, sed, vt intingat digitum, aduentare, satis sibi proximam fluere innuit: ergo dum non vult ipse manum extendere, sed Lazarum longum itineris laborem subire, fallitur. Chrysologum audi *serm.* 123. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aqua, & non deferat aquam? ergo iuxta te est aqua? etsi iuxta est, quare de proximo non sumis?* Ecce delicatus epulo, purpuratus dives nec digitum proximam vult ad aquam extendere, & vult totum Lazari labori committere. Diuitis huius inuenies discipulos: conscientiam expiare recusant, pauperi clamanti obolum largiri detrectant, & animæ, corporisque salutem assequi volunt religiosorum impensis; iustorum afflictationibus, orationibus assiduis, ieiunijs asperrimis: discupiunt alieno sumptu obtinere, quod proprijs virtutibus debent mercari. Iuuant profectò sanctorum suffragia sed plus prosunt propria, & interna suspiria. Dauid cum immani hoste congressurus Saulis armis induitur, erant, vti regia, affabrè facta; verùm elegit præ aliena hasta propria vti funda, & propria vtens funda, assequutus est, quod non obtinuisset aliena hasta. Quid his Dauid nos edocuit? Satiùs esse proprijs, etsi non adeò validis, armis instrui, quàm alienis exornari: *Deposuit ea.* Ad quæ noster Sancius: *Prostrauit Dauid gigantem lapide, & funda, quem gladio, & arcu, alienis videlicet armis non strauisset.* Alienis fortè non assequeretur palmam, proprijs est assequutus victoriam: vt hinc eluceat plus ad victoriam virtutes proprias conducere, quàm alienas.

TEXTVS.

VERS. XL. Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit aduersum Philisthæum.

§. LXX.

Qui alius, quam status postulat, desiderat apparere, nequibit virtutis causam solerter agere.

Luc. 16. 1. 24.

INæstimabile bonum est virtutibus inseruire; & ad ambitionis, & cupiditatis voces obsurdescere. Quisquis status, conditionisque suæ leges transgreditur, jam se ipsum fastidiuit, & periculo exposuit, sibi ipsi adaptari, nec se alium fallacibus additamentis effingere, sapientis est. *Expectant nos* (aiebat Seneca *Epist.* 75.) *si ex hac aliquando face in illud euadimus sublime, & excelsum, tranquillitatis animi, & expulsis erroribus absoluta libertas. Quæris quæ sit ista? Non homines timere, non deos: nec turpia velle, nec nimia: in se ipsum habere maximam potestatem. Inæstimabile bonum est suum fieri.* Suus non est, qui ambitionis est, nequit se ipso liberè vti, qui siti gloriæ adustus vanitati discupit famulari, quisquis quod natus est, ascitis additamentis discupit adaugere, magnis agnoscitur periculis proximare. *Hæc erit ambitio* (aiebat Tertullianus de Habitu mulieb. *cap.* 9.] *vndè & nomen eius interpretandum, quòd concupiscentia apud animum ambiente nascatur ad gloriæ votum: grande scilicet votum quod (vt diximus) non natura, nec veritas sed, vitiosa animi passio concupiscentiæ*

Status. Virtus.

centia commendauit, & alia vitia ambitionis, & gloriæ; ſic & pretiarebus inflammauit. Non tantò maior ſit concupiſcentia, quantò magni fecit, quod concupiuit. Adnectit: *Saltus, & inſulas tenera ceruix fert.* Vt ceruix grandi onere oppreſſa cogitur oculos ad terram mittere, nec ad cœlum poteſt leuare, vt ſe nequit facilè flectere, & verſus omnem partem ſe vti; ita fœmina libertatem ſuam non ſemel vendidit, vt ceruice ſaltus & inſulas tulerit. Qui in vincula, quantumuis aurea pedes iniecit, greſſum ſtultè ſibi impediuit: currit, & ſalit nullis tricis impeditus, & nullis vinculis illigatus. Ecce Dauid ſe ipſo vtitur facilè, dum armis deauratis non prægrauatur. Paſtor egregiè expeditus decertat ornatu. Oneratus periret: *Tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus.* Cur baculum tulerit, cùm ad certamen non videretur vſui, inquirunt Interpretes. Noſter Sancius exiſtimat tuliſſe, vt ſtatus ſui conditionem oſtenderet, nec quod Deus illi munus iniunxerat, depretiaret. Noluit alius à ſe ipſo videri, noluit humilitatis argumenta tegere, noluit gloriæ ambitione ſe alium mentiri: ergo dum ſe non negat, triumphum faciliùs reportat. Audi Sancium: [Cùm videret Dauid Saulis arma impedimento ſibi magis fore, quà vſui abiecit illa: & cùm paſtor videri mallet, quàm miles baculum aſſumpſit paſtorum inſigne, cuius in eo certamine vſus nullus eſſe poterat: quæ enim lignei baculi contra æream caſſidem, & ferreum corporis tegumentum vtilitas? Ideò autem ſumpſit, vt ſibi in eo etiam duro rerum articulo videretur eſſe ſimilis.] Paſtor voluit haberi, non inauratis armis nobilis æſtimari. Si, vt alius videretur, armorum oſtentaret pompam, funda vti non poſſet, & eo in certamine diſperiret; at paſtor cucurrit, lapide fundam inſtruxit, gigantem iactus dexteritate deiecit, & dum ſtatum à Deo acceptum non erubuit, hoſtem feliciter detriumphauit. Adnectit Sancius: *Nec enim turpe putabat, aut indecorum præ ſe ferre illud miniſterium, aut artem, in qua ipſum paterni imperij obſeruantia poſuiſſet*: Paſcendis ouibus à Deo, patreque deſtinatus noluit paſtoritijs inſignibus denudari, qui diſcupiebat triumphis honeſtiſſimis redimiri: nec ignorabat plures, dum ſtatus ſui conditionem gloriæ ſiti adlaborant tegere, & varijs artibus aliam ſimulare, magnis ſe diſcriminibus exponere: ergo quia tulit baculum, reportauit & triumphum.

§. LXXI.

Sic alienæ eſt conſulendum ſaluti, vt nil detraxeris muneris obligationi.

Munus. Obligatio. Proximus.

SVnt, qui non tam ſe, quàm alios adſpiciant: proprij muneris querela aliorum oblectamenta ſolicitant, & propudioſa commoda anhelant, cùm prudentia exigat ſic aliis conſulere, vt non contingat tibi nocere. *Inſtitutum ſuum* (aiebat Caſſiodorus 3. *variar.* 24. Etſi aliorſum) *prouidentia noſtra non deſerit, cùm ſubiectis ſemper intenta profutura diſponit.* Prouidus alijs diſponit profutura, ſed ita vt inſtituti ſui nulla reſultarit querela. Prudentiæ offenſam irrogat, quiſquis ſui oblitus alterius erroribus adulatur. *Errare mihi videntur* (aiebat Seneca *epiſt.* 73.) *qui exiſtimant Philoſophiæ fideliter deditos contumaces eſſe, ac refructarios, & contemptores Magiſtratuum, ac Regum eorumue, per quos publica adminiſtrantur. E contrario enim nulli aduerſus illos gratiores ſunt.* Cognatus de cognato religioſo queritur, ſi ſacrum otium non deſerat, vt litium ſuorum patronus tribunalibus aſſiſtat; ſi ſuorum non ſuſceperit curam & alleuarit moleſtiam. Vti contumacem arguit Philoſophum diues, ſi familiæ ſuæ cenſuſque adminiſtrationem non ſubeat; crudelem arguit affinis Eccleſiaſticum, ſi vndè eius neceſſitatibus ſubueniat, immò voluptatibus, non acquirat ſolicitus, aut profundat prodigus. Verùm vir ſapiens ſe intra ſtatus ſui limites continebit, & has querulas ineptias deſpiciet. Subueniet inopi, aderit laboranti, ſed ſine ſtatus iniuria, ſine inſtituti querela, malletque, quam profitetur, philoſophiæ ſatisfacere, quàm ſe cauſis, aut litibus immiſcere. Saul vt duro in articulo ei ſuppetias ferret, voluit Dauid paſtoritias veſtes exuere, baculum deponere, armis militaribus adornari, & contra immanem hoſtem inſurgere: verùm Dauid arma abiecit, & deferens baculum pugnam iniuit: *Tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus.* Vti prudens non renuit ſuppetias ferre, ita tamen, vt nil muneri ſuo detraheret, aut omitteret. Paſtoris non erat arma induere, & militem agere, & erat paſtoris, vt licebat, auxilium ferre. Ergo retento vitæ inſtituto inſeruiuit, & Eccleſiæ paſtoribus religioſiſque exemplum præbuit. *Ideò ſumpſit* (inquit noſter Sancius) *vt ſibi in eo etiam duro rerum articulo videretur eſſe ſimilis.* Non fero ſententiam, an expediat Epiſcopos, & animarum paſtores rerum publicarum adminiſtrationem ſubire; aſſero tamen Dauidem noluiſſe baculum relinquere, vt Reipublicæ cauſam ageret.

§. LXXII.

Qui ducitur obedientia, ad reportandos de dæmone triumphos opportuna experitur auxilia.

Prou. 21. VIr obediens loquetur victoriam. Non obediens miſeram experietur ruinam. Galfridus in Allegor. Tilmanni legit, *victorias*, additque: *Verè non victoriam, ſed victorias. Triplicem enim loquitur victoriam de mundo, triplicem de peccato, triplicem de ſe ipſo.* Mundus contra nos arma inſtruit cupiditatis, curioſitatis, & voluptatis. Diabolus inſtigat ad peccatum in Deum, in proximum & in ſe ipſum. Quiſque ergo ſe nimium diligit, contra ſe ipſum pugnat & à prudenti dilectione, & ſalubri exerrat. Quiſquis ſuo arbitrio regitur, diſcrimini exponitur: omnia pericula depellit obedientia, & triumphali donatur palma. Adamus, vbi ab obedientia diſceſſit, ſibi ipſi inuidit; omnia erant peccata, omnia mitia, tranquilla omnia, cùm obedientia imperabat; gemitus, dolor, & mors ipſa inobedientiæ fuerunt progenies, & infeliciſſima proles. Cui conſilia ſua ad virtutem, & perfectionem videntur aptiora, ſpretiſque ſuperioris monitis, aut præceptis, eis paret, ſe ipſum ſeducit; verùm ambitioſè ſtultus, & à recto tramite perit tranſuerſus. Pugnam cum gigante aggreſſus Dauid regia arma depoſuit, & baculum ſecum tulit: *Tulit baculum, quem ſemper habebat in manibus.* Si humanæ hæc ſapientiæ trutina expendas, Dauidem aſſeres deſipuiſſe,

Obedientia. Auxilium Dæmon.

puisse, quandoquidem ad reportandam victoriam aptiora videbantur arma, opportuna non adeò fundâ; euentus tamen ostendit arma non auxilia, sed impedimenta esse; fundam verò, & baculum certum fuisse victoriæ auspicium. Ecqua huius ratio? Quia cum Dauid à patre pascendis esset ouibus designatus, funda, & baculus erant obedientiæ testimonia, & insignia: ergo ad reportandam victoriam conducibilius erat baculo instrui, quàm deserto baculo armis ornari: Dauid contra gigantem non alia arma, sed obedientiæ tulit insignia. *Neque turpe putabat* (inquit noster Sancius) *aut indecorum præ se ferre illud ministerium, aut artem in qua ipsum paterni imperij obseruantia posuisset.* Præclarum sanè documentum filijs eisque, qui religiosum institutum profitentur, exemplum imitandum. Non est alia ineunda via, nisi quam obedientia designauit, si redimiri discupis palma. Dauid vires adderet hosti aliud vitæ modum sibi architectans, & excogitans. Quamuis tibi sapiens & callidus videaris, tibi non fidas; nam quæ videntur plana, tricis sunt plena; obedientia tibi cæca pro te vigilat inoculata, & adducet tibi trophæa. Est enim diabolicæ fraudis venenum tentationis fascinum, & validum ad reportandos triumphos auxilium.

§. LXXVIII.

Crux Christi contra dæmonem validum telum, pro homine opportunum subsidium.

Crux. DOmini crux, vt quæ ab eius membris traxit virtutem, exitialem dæmoni peperit semper calamitatem. Qui crucis signo munitur, jam victoriam sibi auguratur. Coluber veluti effumigatus, & incantatus eius aspectum exhorrescens delitescit, & à pugna exanimatus desistit. Filij Israel, vt mortifera serpentum persensere venena, lachrymosis clamoribus efficacia à Moyse postularunt medicamina: *Ora, vt tollat à nobis serpentes.* Quid tunc? In Num. 21. v. 9. ligno serpentem constructum ostendit: *Fecit ergo Moyses serpentem æneum.* Et jam eius aspectu venena sopiuntur, & serpentes effugantur. Serpentem ligno affixum diaboli fuisse ænigma per crucem interfecti, testatur Tertullianus de Idololatria *cap. 5. Si quis dissimulat illam effigiem ærei serpentis suspensi in modum, figuram designasse Dominicæ crucis, à serpentibus, id est, ab Angelis diaboli liberaturæ nos, dum per semetipsam diabolum, id est, serpentem interfectum suspendit.* Plus contulit, quàm petebant; exorabant serpentes ab eis auferri, & fecit per crucem mori; nam vt qui vita non fruitur, cunctis viribus denudatur, sic diabolicus serpens in demortui modum per Dominicæ crucis signum viribus destitutus est, nec illi jam profuere venena, nec cesserunt fraudum arma; eius astutia per crucem obstupuit, & eius vigor elanguit. Quàm armatus gigas terrorem ingeminabat: verùm puerulus eum despexit, & solo baculi aspectu, ne vllam plagam incuteret, incantauit: *Tulit baculum, quem semper habebat in manibus.* Crux in manu, Christi passio in opere gigantem deterruit, & Dauidem triumphatorem constituit: *Tulit baculum, quem semper habebat in manibus.* O quàm prudenter se Dauid gessit: baculo ostenso, id est, crucis signo gigantem debilitauit, iacto lapide deiecit. Vtrumque oportuit, & lapidem iacere, & crucis signo se præmunire. *In hoc baculo* (inquit noster Sancius) *communiter Patres Christi crucem intelligunt.* Dauid crucem tulit, & lapidem misit, vt reportandi nos triumphi modum erudiret. Nonnulli, dum tentationibus vrgentur, frontem, pectusque repetito crucis signaculo muniunt, quod laudo: oportet tamen manus exerere, ad corporis afflictationem recurrere, ieiunia colere. *Dominus* (teste Propheta) *regnauit à ligno*; contriuit mundi Principem, sed Exod. 7. v. 12. nudus, sed sentibus coronatus, sed clauis transfixus. Et Dauid etiam tulit victoriam, sed baculum ostentans, & lapidem fundæ coaptans. Adde, crucis virtute omnia magica deliramenta compesci, veneficia frustrari, diabolica machinamenta subuerti. Omni studio recurrebat Pharaonis Magi ad magica incantamenta ad diabolica auguria; verùm Dei virga eorum artes & reddit irritas, & ostendit insanas: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Crucis Dominicæ signum fuit Magicorum venenum, & draconum durum excidium. Huc voco, quod aiebat Athanasius de Incarnat. Verbi: *Signo crucis magica omnia compescuntur, veneficia inefficacia sunt, idola vniuersa deseruntur, omnia irrationabilis voluptas conquiescit.* Diaboli audacia est repressa, & Pharaonis magorum veneficia per Aaronis virgam penitus perierunt absorpta: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Ergo ad crucem Domini confuge, vt eludas veneficia, & reportaris trophæa.

§. LXXIV.

Quod frequenter assuetum, non facilè relinquitur, etsi ad certamina sit obstaculum.

Consuetudo. COnsuetudo est altera natura: vtque non facilè natura denudatur; sic etiam ægrè consuetudo dediscitur. Opportunè Plutarchus in *quæst. conuiual. cap. 7. Perturbationes animi omnes, si diutius inhæserint, statum corporis efficiunt prauum. Qui si vim naturæ induerit, à quauis agitatus occasione sæpè & inuitos ad familiaria, & vsitata vitia deducit. Age: timidos spectacula, videbis etiam salutaria formidantes: Iracundos spectabis vel in charissima indignantes pignora: proteruos ne à sanctissimis quidem temperare corporibus valentes. Quippè consuetudo mirè potest ad familiare vitium trahere affectum.* Ratio contra consuetudinem depræliatur; consuetudo contra rationem obnittitur; quo in certamine etsi infelicius, consuetudo assequitur triumphum sæpiùs. Facilè quæ initio vitia in mores transeunt: Vtque quercus diuturnitat annosior eludit securis ictus obstinatior; ita animus, si indurierit, non facilè rationi parebit. Hanc nos veritatem Dauid edocuit arcanis factis, & hictoricis documentis. Arma deposuit, quorum non habebat vsum, & cuius habebat vsum tulit baculum: *Tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus.* Profectò arma erant opportunum auxilium, baculus non dubium impedimentum; nam cùm opus esset lapidem fundæ aptare, impedita baculo manus non adeò facilè fundam instrueret, acsi omni impedimento careret. Cur ergo arma non ferat, quæ esse poterant vsui, & ferat baculum, qui solùm deseruiebat grauamini? O

vtile

vtile nobis documentum! Ad manum erant arma, ſed quia tractandis armis non aſſuetus, eis Dauid non eſt eo in certamine vſus. Paſtoritiam virgam vti impedimentum oportebat abijcere; verùm retinuit, quia aſſueuerat ſecum ferre: *Tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus.* Sic aſſuetus erat ſemper deferre, vt neſciuerit, cùm oportebat, abijcere. Innuit Hugo Cardinalis? *Tulit baculum, &c. id eſt, nunquam habebat in manibus niſi illum.* Ad decertandum in funda, & lapide ratio ſuadebat baculum manu denudare, conſuetudo monebat ferre: ergo prævaluit conſuetudo rationi, & ſecum tulit impedimentum certamini, Mirè hic delineauit Textus, quæ ſæpè contingunt peccatoribus. Adeſt mortis certamen, & conflictus periculoſus cum dæmone. Qui armorum confeſſionis, & ſacramentorum vſum non habet, quantumuis opportuna adſit occaſio, eis armis ſolet grauari, non fulciri: ſi non benè, ritéque conſcientia expietur, ipſis ſacramentis grauatur, & qui ſæpeſæpiùs mente gerit voluptatum delicias, & vanitatum ineptias, eas ſolet adeò mente, animoque fixas habere, vt cùm oporteret, nec ſciat abradere, nec velit abijcere. Verendum eſt voluptatibus aſſueto, ne ſecum vltimo certamine gerat, quod æternæ ſaluti noceat. Ecce Dauid decertaturus tulit baculum, quamtumuis baculus eſſet certamini ad ſpeciem impedimentum.

§. LXXV.

Quod indigenti pauperi oblatum, contra dæmonem opportunum eſt telum.

Eleemoſyna. Pauper.

MIſericordia eleemoſynaque in pauperes collata princeps virtus eſt. Quid gloriouſius, quàm miſerorum poſſe leuare calamitatem, & releuare afflictionem. Qui prudenter ambitioſus, à miſericordia amet honores, & lucroſis ſibi nundinis elucrabitur dignitates. Eleemoſyna ſemper fuit ſerpentis excidium, & veloces præbuit alas, quibus tendamus ocyùs in cœlum. Mulieri illi magnæ aquilinæ datæ ſunt alæ, & draco, qui, decertantibus pro ea Angelis, præſumpſit victoriam, cœlerem deſperatus arripuit fugam: *Data ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum.* Angelicis ſtipatam cohortibus, inſanè quidem, ſed tentat inuadere, alatam cupit effugere: *Abijt facere prælium cum reliquis.* Acris aquilæ pugna cum dracone, vbicumque videt, diſcerpit: ergo aquilinas mulier aſſumpſit alas, vt celeriùs volaret in cœlum, & validiùs percuteret aduerſarium. Huc voco, quod aiebat Chryſologus *ſerm. 8. Miſericordia, & pietas ieiuny ſunt alæ, per quas tollitur, & portatur ad cœlum.* Vbi mulier *miſericordiam induit, totum ſerpentis robur elanguit*; nam miſericordia eſt cœleſte incantamentum, honeſtum contra dæmonem veneficium. In paſtoralé peram lapides Dauid immiſit: *Miſit eos in peram paſtoralem.* Et cur in peram? ſed eſto; quatuor lapides prouidè poſuerit, cur funda quinto non inſtruxit, quando tempus redimere conſulebat, & aduerſarij giganteus greſſus, & verus auſus? In peram miſit: vt pera, quæ egentibus fratribus attulerat alimenti ſubſidium, bellicum contra hoſtem miniſtrat tormentum. In his quinque lapidibus agnoſcit Hugo Cardinalis quinque illos panes, qui oblati ſunt Chriſto, & quibus ſaturatæ ſunt turbæ. Ipſum audi: *Quinque lapides Dauid quinque panes Chriſti.* Panis Chriſto, & pauperi dilargitus erat contra gigantem lapidis duriſſimus ictus. Panis ipſe, quo egenus viuit, eſt lapis, quo Goliath dæmonis ænigma cadit. E pera eductum eſt fratribus alimentum, & e pera contra aduerſarium duriſſimum etiam telum. Opportunè Abulenſis *quæſt. 30. Fortaſſis hoc fecit* (id eſt, peram ferre) *vt ibi portaret aliquam particulam ciborum pro fratribus; quia ſupra dicitur, quòd onuſtus abijt.* Adnectit: *Et tunc viſa eſt ſibi vilis ad ferendum lapides.* Vtiliſſima fuit ad ferendum contra hoſtes duriſſima ſpicula, quia ad fratrum indigentiam ſubleuandam pera effuderat alimenta. Huc voco, quod aiebat datus Chryſologus: *Tunc vincit, tunc triumphat, cùm, dum miſericordia pugnat.* Vbi pro fratribus eſt aſportatum viaticum, ibi eſt inuentum contra gigantem duriſſimum telum, & vndè promanauit fratribus eleemoſyna, orta eſt aduerſario ruina. Deus Ioſue imperat hoſtium equos ſubneruare: *Equos eorum ſubneruabis.* Dum equi ſubneruantur, hoſtiles vires præciduntur. Sed quo gladio equi ſubneruandi? Eleemoſynæ, miſericordiæque (inquit Tilmannus in Allegor. ad Iudith. 13.) *Subneruantur per eleemoſynam.* Eleemoſyna acutus eſt gladius, quo vires dæmonis ſubneruantur, & Ioſue milites lauris ſemper florentibus redimiuntur.

Apoc. 12. v. 14.

Ioſue 11. v. 6.

§. LXXVI.

Quidquid terrenum, ſtudioſè oportet abijcere, ſi cupis triumphum de hoſtibus reportare.

Terra.

GLorioſus ambitus de vitijs, ac dæmone ſtatire triumphos, & triumphales ſemper lauros; verùm qui honeſtè cogitata anhelat implere, caueat, quidquid eius votis agnoſcitur obuiare. In cæleſtis diſciplinæ obſeruatione maxima continetur vtilitas, & de terrenorum deſpectu inuicta exoritur animoſitas. Opinionem inter homines amplificat verus terrenorum deſpectus, & contra dæmonem eſt bellicoſus, & terribilis apparatus. *Robuſtius* (aiebat Caſſiodorus 8. *variar. 26.*) *inimici noſtri vincuntur moribus bonis. Quia quos ſuperna protegunt, felices aduerſarios habere non poſſunt.* Dæmon contra nos arma à noſtris ſæpiſſimè appetitionibus mutuatur, & noſtris nos deſiderijs aggreditur. Qui aliquid terrenum diſcupit, ſe non tenet, jam partum obſcurabit triumphum, & ſordida cupiditate obarmabit aduerſarium. *Cùm illi* (Romano Imperatori) *ob virtutem, & benè geſtam Rempublicam* (inquit Seneca 7. *de Beneficijs cap. 7.*) *tantum agri decerneretur, quantum arando vno die circuire potuiſſet: non eſt, inquit vobis eo opus ciue, cui plus opus ſit, quàm vni ciui.* Adnectit Seneca: *Quantò maioris viri putas reſpuiſſe hoc munus, quàm meruiſſe? Multi enim fines alijs abſtulerunt, ſibi nemo conſtituit.* Qui generosè omnia deſpiciebat, egregiè pro Republica decertabat. Noſtris inſanis appetitionibus illigati, affectionum vinculis impediti nequimus cum nudo prorſus hoſte, non dico vincere, ſed congredi; Dauid vt contra immanem hoſtem pugnaret, limpidiſſimos elegit lapides de torrente: *Elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides*

lapides de torrente. Et cur non de agro, sed de torrente, quando non minus duros poterat ager offerre, quàm flumen? Quid opus est tempus eligendo insumere, quando fundæ aptissimos in agro poterat reperire? O vtilem nobis doctrinam! Elegit de torrente, quia continuis aquarum excursibus plus indurati (inquit Abulensis) *& nulla tellure sordidi.* Si è campo sumeret, aliqua terræ pars inhæreret admixta, & ipsi lapidi agglomerata: ergo studiosè curauit nihil terræ secum deferre, quia sciebat vel modicam terram triumphos aliquando impedire. Audi Abulensem *quæst.* 28. *Isti erant lapides valdè duri, & vocantur limpidi, quia non erant habentes admixtionem terræ glebosæ, vel arenosæ, aut calcis, quia huiusmodi lapides infirmi sunt, & facili ictu in partes minutas desiliunt.* Si lapides tellurem haberent admixtam funda rotati fortè desilirent in partes, sicque & manus frustraretur iactu, & hostis nullo læderetur istu: ast dum nulla terræ admixtio lapidis duritiem enerauit, hostis, quantumuis armatus, corruit. Historiæ coloribus nos edocuit scriptura, quàm oporteat, quidquid terram sapit, à se abijcere, cupientem de vitijs, & dæmone triumphos nobilissimos reportare. Christi discipulos video, apud Lucam decantandis de hoste victorijs redijsse ad Dominum coronatos: *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo:* alibi audio dæmonem expellere non potuisse confessos, Luc. 10. v. 17. & causam scisitatos: *Quare nos non potuimus* Matth. 17. v. 18. *eycere illum.* Si alibi non possunt eijcere quomodò alibi referuntur calcare? aut si apud Lucam possunt proculcare, cur apud Matthæum nequeant expungere? Quia alibi non leges pedes discalceatos, & alibi prorsus nudos: *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.* Vbi omnem solicitudinem, curamque abiecerunt, hostem facillimè subiugarunt. Notauit Ambrosius in Catena D. Thomæ: [Nihil Dominus in nobis mortale vult esse. Mortale enim, atque terrenum calciamentum Moyses iubetur soluere, cùm mitteretur ad populum liberandum. Calceamentum abijcere est, vt Interpretibus placet, omnem terrenarum rerum solicitudinem, curamque prorsus amandare: ergo pes omnium terrenarum rerum studio denudatus non solùm serpentis venena non sentit, sed victor atterit; vbi pes non refertur nudus, ad nostram eruditionem nec refertur triumpho coronatus. Vt sic noueris contra dæmonem depræliantì opus esse quidquid terrenum à corde expungere, & superbia honesta calcare.

§. LXXVII.

Etsi aliqua speciali virtute cum hoste sit congrediendum, à cæteris auxilium est implorandum.

Virtus. Damon. NOn sæpe hostis humani generis nititur omnes virtutes subruere, nec in arenam contra omnes audet descendere. Arma contra castitatem aliquando producit, aliquando contra humilitatem desæuit, quia scit per partes perueniri ad totum: verùm etsi hanc, aut illam virtutem impetat singularem, cum callido, versutoque aduersario contendens non solùm ad eas virtutes tuendas arripiet arma, sed à cæteris etiam implorabit subsidia. Non resplendet perfecto triumpho, qui libidini non cessit, si tumore inflatis-

simo superbiuit omnibus debet virtutibus communiri, qui discupit triumphum cumulatissimum reportare. *Bonitate,* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 5.) *constantia glorioſi, in amicitia proni, ad odia sumenda difficiles: ita quod maximum felicitatis genus est, cùm multæ probarentur esse potentiæ, inuidiam illos persequentium contigit non habere.* Si vna, aut altera virtute fulgerent, nequirent persequentium vitare inuidiam, aut reportare de inuidia palmam: verùm dum omnium virtutum luminibus contigit resplendere, vitarunt inuidiam, & glorioſam reportauere victoriam. Ecce Dauid vnico lapide gigantem prosternit, & tamen de torrente quinque desumit: *Elegit sibi quinque limpidissimos lapides.* Inutile prorsus videbatur pluribus prægrauari, cùm sat esset fundam vnico communire. Cur ergo quinque eligit qui vnico vincit? Quia cùm omnia in figura illis contigerint, & in lapidibus fuerint designatæ virtutes (inquit Hugo) nos Dauid docere voluit omnibus debere se virtutibus communire, qui aliqua speciali hostem discupit subiugare; nam etsi vni specialiter sit adscribenda victoria, ad victoriam oportet cæteras præstare subsidia. *Quinque lapides Dauid sunt, scilicet cognitio sui, dolor amissi, pudor commissi, timor supplicij, spes æterni gaudij.* Adijcit: *His prosternitur Golias caput diffidentium.* Dauid vno lapide deiecit, sed, vt deijceret, quinque tulit: non erant quatuor lapides superflui, immò ad victoriam opportunatissimi: cùm gigantis arrogantia in campum prodit humilis pastoris modestia; verùm suppetias tulerunt humilitati quatuor lapides pera inclusi.

§. LXXVIII.

Periculosum est temporis angustia necessaria perquirere, tutum prouidenti anteà sagacitate disponere.

Prouidentia. Tempus. Mors.

SIc ordinandus est dies omnis (aiebat Seneca *Epist.* 12.) *tanquam cogat agmen, & consummet, atque expleat vitam. Pacuvius, qui Syriam vsu suam fecit, cum vino, & illis funereis epulis sibi parentauerat, sic in cubiculum ferebatur à cœna, vt inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur. Acta est vita, nullo non se die extulit.* Hoc, quod ille ex mala conscientia faciebat, nos ex bona faciamus. Qui ad funus necessaria prouidenter disponit, prudentiæ, & vtilitati inseruit: insanus est, qui incipit viuere, cùm proxima occasui vita jam videtur discedere. Inter cætera mala hoc quoque stultitia habet, quòd semper inchoat vitam, perficit nunquam, longa sibi sæcula putat restare, & omnia sibi promittit posteà disponere. Occurrent tibi aliquando senes qui tunc ambitiosi limina magnatum terant, & dignitates, citissimè relicturi, exambiunt, cùm jam mors pulsat, & infirmitas grauat *Intelliges* (aiebat Seneca *Epist.* 13.) *quàm fœda sit hominum leuitas, quotidiè noua vitæ fundamenta ponentium, nouas spes etiam in exitu inchoantium.* Sibi promittunt instante jam morte futurum tempus ad animum expiandum, ad testamentum conficiendum, ad, quæ conscientiam grauant, declarandum; verùm sæpè morborum anxietatibus impediti, & horrido mortis aspectu obturbati, quàm niterentur falsis, infeliciter ostenderunt, & dolore amicos

exulcerarunt. Aliter se Dauid gessit: cum immani hoste congressurus priùs per otium lapides de torrente elegit durissimos, fundæque aptos: *Elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem.* Inquires, cur tempus triuerit in quærendis, eligendisque lapidibus; quando in campo frequenter habeantur ad manum? Noluit prouidus angustias certaminis expectare, veritus (inquit Abulensis *quæst.* 29.) ne aut deessent, aut non adeò essent iactibus opportuni; fortè si jam præsente aduersario in quærendis lapidibus tempus consumeret, imparatum impeteret, & subigeret: *Accepit lapides, priùs quàm iret ad bellum, quia fortè postea, quando pugnaret, non reperiret lapides in loco, & interim posset eum percutere hostis. Vel fortè non reperiret lapides conuenientes sibi in loco; egebat enim durissimis, vt dictum est, quia percussurus erat ferro velatum.* Dum per otium deligit, dum protidenter reponit, tempus decertando necessarium non substrahit, & dum opportunos lapides habet ad manum, citiùs, & certius prosternit inimicum. Quid si in campo aut lapides non inueniret, aut inuentus lapis duritie necessaria careret? Profectò tunc imprudentiæ pœnas solueret, & aduersario triumphorum occasionem præberet: ergo cum sæuissimo hoste decertaturus tibi consule, nec eis temporis angustijs fidas necessaria te habiturum ad manum, quia plures hac stulta fiducia perierunt delusi, & ab hoste subiugati.

TEXTVS.

VERS. XLI. Ibat autem Philisthæus incedens, & appropinquans aduersum Dauid, & armiger eius ante eum.

§. LXXIX.

Peccatores suis passibus infaustam maturare solent sibi fortunam, & infortunij præbent materiam.

Peccator. PEccatoris calamitas ab eo ipso sumit exordium, dum suis sæpè gressibus solicitare solet excidium. *Vadis huc, & illuc* (aiebat Seneca *Epist.* 28.) *vt excutias insidens pondus, quod ipsa iactatione incommodius sit.* Adnectit: *Quidquid facis, contra te facis, & motu ipso noces tibi.* Nesciunt plures quietè viuere, nec intra domus limites se continere, & dum incontinenter deambulant, varias sibi calamitatum occasiones concinnant. Dum arroganter incedunt, dum otiosa loquuntur, sibi aduersarios architectantur. O quot violenter non occumberent, si se continerent. Ante quàm referatur Philisthæi casus, refertur incessus: *Ibat autem Philisthæus incedens, & appropinquans aduersum Dauid.* Ibat castra egressus tumido adeò incessu, superbo adeò modo, vt omnes offenderet, & manus contra se armaret. Anteà retulit scriptura sacra gigantem tumidissimè incedentem, & vt Dauidem læderet, propinquantem, quàm retulerit iactum, & ictum, vt noscas ipsum cædem sibi maturasse, & suis gressibus perquisisse. Aptè noster Sancius: *Superbus significatur incessus ab homine, qui nihil timeret, & præ se reliqua despiceret.* Nonne vidisti aliquos solo incessus modo alios exasperantes, & vultus supercilio offendentes? Ex horum grege erat Philisthæus toruitate exasperans, & incessus superbia irritans. Vt vidit Dauid appropinquare, & vti puerulum limis aspicere, funda dexterè circumacta lapidem iecit, & fronte infixit. Ab ipsius incessu desumptum est calamitatis exordium, & vultus torum supercilium erat non dubium infortunij præsagium. Superbum fumo comparauit Oseas: *Sicut fumus de fumario.* Nam vt fumus oculos offendit, & fastidium omnibus gignit; ita superbus, vanusque, incessu, verborum fastu, oris despectu omnes offendit, & fumi adinstar, dum ascendit inflatior, disparet celerior. Vanitatis, & superbiæ fumus ad certamina prouocat, & discrimina sibi conciliat: ante quàm miser casus, refertur ventosus fastus & incessus, vt compertum fuerit gigantem suis gressibus ad calamitatem tetendisse, & vel pueruli manum contra se armasse. Psaltes, vt superbum casui quàm proximum edoceret, sic aiebat: *Non veniat mihi pes superbiæ.* Et cur non pedes, sed pes superbiæ? Quia qui pedes habet, potest consistere; sed qui vnico tantum monetur, nequit non cadere: ergo superbiæ is est gressus, quem statim sequatur casus. Opportunè Euthymius: *Veluti qui propheticis oculis illorum ruinam cerneret.* Ex ipso superborum incessu casum prædixit, & veluti vnico pede innixos non posse consistere edocuit: ergo sacer Textus vbi gigantis depinxit incessum, adesse monstrauit casum.

Oseæ. 13. v. 4.

Psal. 35. v. 12.

TEXTVS.

VERS. XLII. & XLIII. Cùmque inspexisset Philihæus, & vidisset Dauid, despexit eum. Erat enim adolescens, rufus, & pulcher aspectu. Et dixit Philisthæus ad Dauid: Nunquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus Dauid in dijs suis dixitque ad Dauid: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & bestijs terræ.

§. LXXX.

Sæpè qui hostis vires superbo deprætiat contemptu, corruit inopino casu.

Hist. Diodor. QVi ad bella Martia contendunt, morum nesciunt custodire mensuram, & tumidam ostentare solent superbiam: de præsumptione assumere se putant vires, & sibi plaudunt, dum aduersariorum arma despiciunt; verùm dum tumidiùs inflantur, & arrogantius superbiunt, miserabiliùs, turpiùsque ruunt. *Quo tibi maximè places* (aiebat Menander apud Stobæum *cap.* 22.) *id ipsum te pessundabit, nempè opinio, qua tibi aliquis esse videris: perdidit enim alios etiam infinitos.* Infinitos perdidit rumor, & arrogans confidentia, inanis fastus, & periculosus aduersariorum despectus. Experti sunt plures miserandam ruinam, quia indubiâ sibi promiserunt victoriam. Ex huius censu erat Goliath, qui

qui Dauidem puerulum, & inermem conspicatus non solùm triumphum sibi promisit, sed de inualido adeò aduersario tulisse victoriam fore sibi credidit ignominiam: *Cumque inspexisset Philisthæus, & vidisset Dauid, despexit eum.* Superbo tumore inflatus non videbat, quàm durum sibi esset cum illo puerulo bellum, & quàm proximum miserandum excidium; verùm dum obcæcatus insolentiæ tenebris, & supebiæ caliginibus confidentiùs agit; celerius perit. Notauit Chrysostonus apud Glossam: [Irrisit ætatem, irrisit arma; irrisit & puerum. Irrisit, inquam, ætatem, sed non intellexit in Dauid esse Dei virtutem. Irrisit & puerum, nec tamen sciuit dimicare in puero Dominum. Lapides, & fundam irrisit, sed vno se lapide moriturum nesciuit.] Si cautius sibi consuleret, si prudentiùs posse sibi adesse periculum cogitaret, fors gressum acceleraſſet, & hastam in puerulum contorsisset; ast dum pugnam ludicram arbitratur, funda percutitur; vt suo nos docuerit exemplo nullum hostem fore despiciendum, nec bellum vllum ignauè fore tractandum. Plures, dum suis virtutibus nimium confidunt, & cum exiguis ad speciem tentationibus manus conserunt, audaciæ experiuntur pœnam, & miserandam subeunt ruinam. Dum filij Israel Haiensium contemnunt vires inopinas patiuntur stragem. *Quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes pauciſſimos.* Quid tunc? Indecorè fugiunt, & corruunt: *Statim terga vertentes percussi sunt à viris vrbis Hai, & corruerunt ex eis triginta sex homines.* Si hostes timerent, acies instructas prouidenter opponerent, & vires omnes vtilissimè exererent: ast dum indubiam sibi promiserunt victoriam, concesserunt hostibus palmam, vt suo nos cautelam edocerent exemplo. *Castigatus est omnis populus* (inquit Theodoretus apud Glossam) Consonat Procopius: *Populus ad pietatem redditur instructior.* Inopinus casus ostendit, nullum inimicum fore despiciendum, sed contra quemcumque omni cautela pugnandum.

Iosue 7. v. 3.

§. LXXXI.

Sæpè manu inuenitur imbecillus, qui verborum fastu superbus.

Superbus. Fastus. Manus, Pugna.

VIr prudens, & strenuus non effutit verba grandiloqua, & eximiam fortitudinem venditantia; manu loquitur fortitudinem non lingua mentitur vigorem; & quidem verborum arrogantia sæpesæpiùs exoritur à manus inertia. *In vultu* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 9.) *& in voce cognoscimus seruientium moves. Si facies tranquilla, si vox moderata suggesserit.* Adnectit: *Speculum siquidem cordis hominum verba sunt.* Ipsis in verbis veluti in speculo animi apparet vigor aut languor. Qui dura iactat verba, qui ante certamen superbo fastu sibi promittit spolia, jam sibi malè auspicatur: indecorè vertet terga, aut miserabili cadet ruina. Audi quid sibi Pharao promiserit: *Dixit inimicus Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Audisti blaterantem audi fugientem: *Dixerunt Ægyptij: Fugiamus Israelem.* Confer cum verbis facta, citò terga verti, qui tanta sibi promisit; alius à se ipso est inuentus in certamine, qui audaci adeò inui-

Exod. 15. v. 9.

Iud. 14. v. 25.

ctum robur ostentarat sermone. Huc voco Bernardum *lib. 5. de consider. ad Eugenium: Docuerunt linguam suam grandia loqui, cùm operentur exigua.* Quam mentiretur fortitudinem lingua, fuga ostendit indecora. Et quid aliud nisi terga vertere sperari potuit à magniloquo, & superbo? *Maledixit Philisthæus Dauid in dijs suis: dixitque ad Dauid Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & bestijs terræ.* Qui canum ventres pro sepulchro minabatur Dauidi, cessit statim certamini. Notauit Chrysostomus apud Glossam: *Vsus magno verborum fastu tumultuabatur, armaturamque suam omnem mouebat, ac arma exerebat.* Primo ictu corruit, qui magnam adeò fortitudinem verbis tumidissimis ostentauit. Verba insanam ostendebant audaciam manus contestatæ sunt inualentiam. Nec aliter accidere solet in literarum certaminibus. Qui verborum iacit spicula, qui iactat contumelias, non tam ducitur rationis pondere, quàm iracundiæ rabie. *Præuaricatio est* (aiebat Plinius 1. *Epist.* 20.) *transire dicenda.* Modestiæ limites transilire, non dicenda proferre, præuaricatio est, & qui sic irascitur, alium non arguit, sed se arrogantiæ, ac insolentiæ conuincit. Quid tunc? Prudens intra modestiæ metam se continet, & voce remissiore rationem profert. Procella ingens scapham, qua Apostoli nauigabant, inuadit, ventus adsibilans terrorem incutiebat, & nauis vndique concussa fluctuabat. Quid tunc Dominus? Modico verbo continet elementum, & ventorum frænat impetum: *Imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.* Ventus procellam excitabat; sæpè namque superbiæ, & vanitatis excitat procellas ventus; edocuit verò Christus tunc modica voce vtendum, & virtute, ac ratione turbulentum mare frænandum. Audi Basilium Seleucienſem *orat. 22. Modica voce ingens elementum refrænabatur.* O quàm confunditur, & frænatur audacium verborum procella voce modica, & ratione efficacissima!

Matth. 8. v. 26.

§. LXXXII.

Maledicta, & execrationes absque ratione iactæ non solùm indecoræ, sed proferenti nociuæ.

Maledictæ. Dicteria.

DIcteria in alios iacere, commendare dæmonibus, maledictinibus onerare mulierculas rum est proprium; à viris tamen aliquando non inuenitur alienum. Sunt, qui leuissimis causis exasperati furijs deuouent, maledicta congerunt, & terra lingua offendentem repercutiunt. Hoc vitium ingenuo indignum, & à modesto prorsus extraneum: *Prima semper irarum tela.* (aiebat Saluianus *lib. 3. de gubernat. Dei*) *maledicta sunt, & quicquid non possumus imbecilla, optamus irati ac sic in omni animorum indignantiũ motu votis malis pro armis vtimur.* Pro armis vtimur maledictis irati, sed in nos ipsos conuertimus arma, quia maledicenti stragem sæpèsæpius maturauere dicteria. Vt vidit gigas Danidis alacritatem, & congrediendi cum ipso ardorem, ad maledicta confugit: *Maledixit Philisthæus Dauid in dijs suis.* Textus, quæ fuerint maledicta non expressit, sed Interpretibus exponenda reliquit. Noster Sanctus sic explicat: *Adigat te Baal ad infernas vmbras, aut Mars exsaturet tuis carnibus canes & coruos.* Quid tunc Dauid: Prophetico, vt placet Interpretibus, spiritu ei prædixit ruinã, sibiq; victoriam: *Dabit te Dominus in manu mea, & percutiãte, & auferam caput tuum à te.* Non

dubitauit Dauid maledicam illam linguã sibi auspicari miserum casum, & iactis maledictis accelerandum excidium. Audi Seleucienſem *orat.* 15. Dauidis nomine: *Maledicam illam Philisthæi linguam victoriæ pignus teneo.* Dum in Dauidem congerebat Philisthæus execranda maledicta, contra se ipsum imprudenter vibrabat tela: diabolum resonabat semper lingua: ergo repentino infelicique casu tradita est dæmonibus anima. O quàm oportet à maledictis abstinere, ne dum diabolus labia incipit possidere, ad reliqua sibi esse ius possit veraciter allegare. Philisthæus imploratis furijs, inuocatis dæmonibus deliquit, ipsis, quos inuocabat, dæmonibus traditus perijt.

TEXTVS.

VERS. XLV. Dixit autem Dauid ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gladio & hasta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodiè.

§. LXXXIII.

Qui humanis fidit, citissimè corruit, qui diuinis auxilijs vincit.

Fiducia.

QVantum humanæ demeris confidentiæ, addes securitatis victoriæ: vera fides & in Deum alacris confidentia cœlestia sibi asciscit auxilia, contra quæ prævalere hostilia non possunt arma. Egregiè fallitur, qui opem sibi à creaturis promittit; in Deo collocanda est confidentia, si indubiam discupis adipisci victoriam. *Quisquis Deo credit ex animo* (inquit Philo *lib. de Præmijs*) *in nulla re creata, corruptibilique collocat fiduciam.* Adnectit: *Cæterùm opinionum stabilitas, vel vacillatio vel hinc liquet, quòd probabilibus tantum argumentis nituntur, & verisimilibus: omnis autem similitudo fallax est, cùm sit imago tantum rei, quam simulat.* Humana prudentia, dum verisimilibus coniecturis credit, frequenter fallitur, & sera agnoscit pœnitentia, quàm leuibus inniteretur exoculata fiducia. Philisthæi spem in gigante collocarant, vt qui immetatis corporis viribus, & validis armis reliquos longè vinceret, & excederet. Dauid Deo innixus in campum descendit cum bellua decertaturus. Quid tunc? Cesserunt lapidi arma, & Philisthinorum perijt fiducia: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* Euentus probauit, quàm euanidis Philisthæus inniteretur delusus, & quàm solidis Dauid cœlesti fiducia armatus. Prodest Theodoretus apud Glossam: [Cum ea fiducia profectus Dauid spe non fuit frustratus: sed cùm esset nudus vicit armatum, & qui pascebat oues, eum, qui erat exercitatus in bellis, & trophæis, & qui erat paruus, & iuuenis, eum, qui tanta se iactabat magnitudine.] Nil adeò Philisthæis nocuit ac in gigante fiduciam collocare, & ab eo sibi victoriam, & felicitatem promittere. Dauidi erat subsidio ipsa Philisthinorum vana fiducia, & omninosissima confidentia. Galea, quæ diù caput oppresserat, cessit lapidi, & solùm apta fuit oneri. O quanta subeunt onerosa ambitiosi, vt quid à magnatibus consequantur, sed post non modicos sumptus post anxia spe tortos animos se tardè agnouerunt delusos, & fucatis argutijs falsos. Adde non solùm humanam fiduciam eludi, sed contrarijs prorsus euentibus distorqueri. Non sine ingenti sumptu Balac celebrem conduxit ariolum, fidens eius augurijs, & delusorijs incantamentis aduersariorum vires enervandas, & impediendas: *Ne cunctaris venire ad me, paratus sum honorare te, & quidquid volueris dabo tibi. Veni, & maledic populo isti.* Num. 22. v. 16. Adductus magis expensis Balaan benedictionem populo impertitus est, & Balac complosis manibus acerrimum, quo vrebatur, dolorẽ ostendit, & magnis sumptibus armasse contra se inimicum agnouit: *Complosis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus è contrario benedixisti.* Num. 24. v. 10. Expende humanæ exitum fiduciæ. Balaan credebatur patronus, & inuentus est inimicus; Israelita non confidebat magicis incantamentis, sed virtutibus solidis, ergo hic sine labore potitur palmam, illè carè emit ruinam. *Cui contingit* (prosequitur datus Philo) *omnia corpora de sublimi despicere, & soli Deo constanter inniti certissima fiducia; is verè felix, & ter beatus censendus est, secundum præmium natiuam virtutem sectanti & sine pulueris iactu palmam auferenti, contingit gaudium.* Israelitis in Deo confidentibus per ipsa media à Balac quæsita contigit gaudium, Balac humana confidentia, suisque artibus adauxit sibi lamentum. Vt discas soli Deo fidere, & spebus humanis prorsus renuntiare.

§. LXXXIV.

Iesu nomen est dæmonis incantamentum, & ineluctabile excidium.

DE Quæstore aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 4. ipso nomine felicitatis gestare præsagium, & felix cunctis auspicium. *Quæstore iusto innocentum conscientia sit secura, improborum tantum vota reddantur anxia, & cum malis furripiendi spes tollitur, studium bonis moribus adhibetur. Vnicuique propria custodit, pecunia continens, æquitatis profusius, nescius decipere, promptissimus subuenire.* Itaque nomen illud malis erat terror, bonis auxilium. Quodsi ab eo nomine tot bonis nascebantur solatia, & iniquis tot lamenta, quid de Iesu nomine, quod est super omne nomen, non sperauerint iusti, non exhorruerint peruersi? Giganti Vulcanicis armis protecto Dauid Domini nomen obiecit: *Ego venio ad te in nomini exercituum*, & nomen Domini prælatum contra gigantem fuit telum. Notauit Hugo: *In nomine Domini, id est, in virtute nominis Domini.* Huius virtutis effectus retulit quædam paraphrasis à nostro Sancio allata. Ipsum audi: *In illa hora splendor vultus Philisthæi mutatus est, & compages lumborum eius dissoluta sunt; & genua eius adinuicem collidebantur, & gladius eius cecidit, & lignum hastæ eius confractum est.* Vt coluber fumo, veneficioque incantatus torpescit, & viribus destitutus nec pestifera euomere queit venena, nec tortuosa explicare vestigia; sic gigas ille Dei nominis sono elanguit illigatus, & veluti fascino validissimo, aut incantamento præpeditus: vt in hac dæmonum imagine prænoscas, quod dæmonibus contingit, verè. Inuocato contra eos Iesu nomine, viribus destituti obrigescunt, nequunt

queunt exitiale venenum promere, quia efficaci vi coguntur torpere. Ecce vbi nomen Domini resonat, gigantis robur elanguet, vigor lasseſcit, manus riget, oculus tabet. E contrariò prolatum nomen Dauidi adauxit robur, vigorem refudit, & triumphum attulit: Petrus vt claudi vestigia reformaret, vt salutem refunderet, ad Iesu nomen confugit, vti ad myro-
Act. 5. v. 6. & 4. v. 18. thecium, & salutis thesaurum: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Nec mora jam bases consolidatæ, & gressus expliciti. Notauit Bernadus *in Allegor. Tilman. ad 4. cap. lib. 4. Reg. De ore Petri tanquam fulgur egrediens claudi vnius corporales plantas solidauit, & bases, multosque spiritualiter cæcos illuminauit.* Iesu nomen reformauit naturam, pedes resculpsit, & virtutis hostes fulguris adinstar percussit: & vt noueris quanta sit huius nominis virtus, & efficacia, attende Hebræorum principes non vetasse Apostolis mira patrare, sed Iesu nomen proferre: *Ne docerent in nomine Iesu.* Doceant, claudos consolident, dum ab huius prolatione nominis abstineant; nil enim dæmoni, & veritatis inimicis adeò acerbum, vt Iesu nomen prolatum.

TEXTVS.

VERS. XLIV. & XLVII Et dabit te Dominus in manu mea & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cœli, & bestijs terræ: vt sciat omnis terra quia est Deus in Israel. Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta saluat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras.

§. LXXXV.

Perfecti solùm Dei suspirant honorem, sed lucrantur sibi laudem.

Perſtius. Laus. Hunt.

EPicurus apud Senecam *Epist.* 29. aiebat: *Nunquam volui populo placere, nam, quæ ego scio, non probat populus, quæ probat populus, ego nescio.* Felix, qui, quæ populus probat, non exambit; felix, qui exambit, quæ populus sitire non nouit: totus est, qui sæculo viuit; in æternanda sibi laude, in stabilienda memoria, in adaugenda laboriosis artibus fama virtutem aut incuriosè colit, aut despicit. Adnectit Seneca: *Quis enim placere potest populo, cui placet virtus?* Cui sola placet virtus, popularem despicit auram, contemnit fauorem, sed vt desertè Plinius *in Panegyr. Plerumque bonorum, malorumque causæ sub diuersa specie latent.* Sub laudis, & humani plausus contemptu vera laus latet, & dum honestiùs fugitur, securiùs tenetur. E contrà, sub gloriæ desiderio contempus delitescit, & dum auidus factus, & splendor quæritur, effugatur. Tuta honores quærendi ars est. Deo honorem dicare, & eius laudem solummodò ambire. Ex hoc studio non potest non resultare discupienti honestum lucrum, & famæ augmentum. *Ad locum, vndé exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Negotiatio est acceptos latices origini pendere, vt nouis possint incrementis promanare. Elisæus origini salem dicauit, vt vndæ ab ea acciperent, dulcedinem, & saporem. *Malis artibus* (datum audis Senecam) *popularis fauor quæritur: similem te illis facias oportet, non probabunt, nisi agnouerint. Cæterum si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si intrante te clamor, plausus, & pantomimica ornamenta obstrepuerint, si tota ciuitate fœminæ te, puerique laudauerint quid ni ego tui miserear, cùm sciam, quæ via ad istum fauorem ferat.* Potuisset addere: Et quo fine desinat hæc via. Operosum est, etsi malis artibus non acquiratur, humanum conseruare plausum: nam popularis fauor est aura mobilior, & fumo inanior. Quidquid Dei honori impenditur, impendenti applicatur; vnde honesta ars est totam Deo ex animo adscribere gloriam, vt æternaueris tibi famam Saul fornicem constrixit triumphalem gloriæ ambitiosus: *Nuntiatum est Samueli eò quòd venisset* Sup. cap. 15. v. 12. *Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem.* Verùm Dauid cunctarum vrbium plausibus præponitur celebratus: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Et cur Dauid maiorem sibi acquisiuerit plausum, cùm nullum in acquirendo adhibuerit studium. Ob id ipsum (inquit Basilius Seleucensis *orat.* 15. *Dauid omnia gratia tribuit.* Eum audi quo studiò ad se certamen rapuerit: *Vt sciat terra quia est Deus in Israel.* Dum nullam ex victoria gloriam exambit, immortalem famam acquirit. Adest noster Sancius: [Optat igitur Dauid non ex hoc certamine aliquid sibi dignitatis accrescat, sed vt omnes Ecclesiæ, id est, omnes populi, & linguæ, siue in Syluis degant, siuè ciuili cultu se se intra septa contineant, cognoscant Deo, vt inimicos saluet, & inimicos funditus extinguat, non opus esse ferro.] Dauid totam Deo gloriam adscribit, Saul sibi: ergo Dauid æternauit sibi famam, & Saul graui sumptu quàm citò marcescendam quæsiuit gloriam. Huc voco, quod aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 47. *Patitur hoc improuida mortalium plerumque conditio, vt eum ladere putatur, consulat, & cùm consulere videtur, affligat, sed illud magis est eligendum, quod prodesse cognoscitur.* Putares Saulem sibi consulere fornicem struendo, Dauidem nocere sibi omnem à se gloriæ ambitum amandando; verùm Dauid elegit, quod profuit, Saul, quod sibi nocuit, elegit. Infra cap. 18. v. 7.

§. LXXXVI.

Diuino amore inflammatus ad extrema terræ eius discupit notitiam extendere, & gloriam diuini nominis propagare.

Dei gloria. Perſtius.

PVdet Dei Zelotypos à mundialis gloriæ ambitiosis vinci, & angustioribus limitibus contineri. De Alexandro aiebat Seneca *lib.* 1. *de Benefic. cap.* 13. *Homo gloriæ deditus, cuius nec naturam, nec modum nouerat, Herculis, Liberique vestigia sequens, ac ne ibi quidem resistens, vbi illa defecerant.* Pudebat Alexandrum ab Hercule in dilatando nomine vinci, & vltra Herculis vestigia non progredi. Peragrarat Hercules orbem, vt cunctis gentibus afferret victoriam, Alexander mundi castra anhelabat disrumpere vt augeret ambitiosissimè famam *Quid*

enim illi simile habebat (adnectit Seneca) *vesanus adolescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit: orbem terrarum transiuit non concupiscendo, sed vindicando. Quid vinceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum, marisque pacator.* Hercules nulli labori pepercit, vt homines barbaros justitiam edoceret, & agrestibus moribus liberaret. Hunc Alexander proposuit vincere, euanidæ gloriæ plumis alatus, non virtutis ardore adustus: ergo quod tumor Alexandro, Dei honor persuadet zelotypo; immensa trajecit maria, cum feris hominibus colluctatur, ad soli ignotas contendit terras, & hoc totum, vt Dei notitiam ingerat, & Numinis gloriam augeat. Ex horum censu erat Dauid, qui duro se obtulit certamini, & ad speciem grandi se exposuit discrimini, & hoc non vt angustis solùm Israelitarum finibus Dei irradiaret gloria, sed vsque ad vltimos terræ limites perueniret etiam notitia: *Vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israel.* O quàm feliciter eius extendebatur desiderium, nec vllis concludi patiebatur terminis votum! Notauit, vt suprà vidimus, noster Sancius: [Optat igitur Dauid non vt ex hoc certamine aliquid sibi dignitatis accrescat, sed vt omnes Ecclesiæ, id est, omnes populi, & linguæ, siuè in syluis degant, siuè in ciuili cultu sese intra septa contineant, cognoscant Deo, vt amicos saluet, & inimicos funditus extinguat, non opus esse ferro.] Dei nominis, virtutisque notitiam vsque ad vltimos fines ambiuit extendere, & Alexandrum honestè vincere. Puderet Dauidem Dei gloriam arctioribus limitibus includere, cùm suam felici temeritate sic Alexander procurarit extendere.

§. LXXXVII.

Qui solùm Dei causam aggreditur agere, indubiam sibi potest victoriam promittere.

Victoria. Virtus.

ITa nos gratia vestræ pietatis oblectat (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 8.) *Vt quidquid ad decorem nostrum potest proficere, libenter a vestris velimus partibus postulare, quia talia vobis diuina tribuerunt, vt & vos eius affluenter muneribus abundetis.* Qui solùm certamen init, vt Principis sui quærat honoris augmentum, sine rubore exigit, quæ necessaria sibi videntur ad triumphum, & quia non ambigit de præstandis à Principe auxiliis, sperare potest hostilibus fore denitandum trophæis. Dum Numen honesta homini inspirat vota, jam suggerit arma, nec potest, qui pro eius gloria solùm decertat, opportunis affluenter auxiliis non abundare, quibus valeat hostem deuincere. Ecce Dauid indubiam, vel ante certamen, canit victoriam propheticus non vanitulus: *Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cœli, & bestiis terræ.* Fuisse hanc indubiam prophetiam tradit Lira: *Ex hoc patet, quod super hoc diuinam reuelationem habuerat, quia futurum contingens certitudinaliter prænuntiat.* Non dubitauit Dauid se assecuturum victoriam, vt qui Dei ageret ritè causam: non inibat certamen cupidus, in arenam non descenderat ambitiosus, sed diuini solùm honoris zelo inflammatus: ergo veluti sibi jure debita jam testabatur auxilia: *Ego venio ad te in nomine Domini.* Notauit Caietanus: *Manifestat; quòd tanquam Dei causam agens procedit aduersus eum.* Aduersus Philisthæum procedebat Dei honoris vindex, fideique patronus: ergo dum tuetur Dei causam, jam prophetico spiritu prædicit victoriam, vt certum nobis sit non defraudandos victoria, quicumque solummodò æquitatis decertauerint causa, nam ipsa causa veluti de jure impetrat opportuna à Numine auxilia, & cœlestibus auxiliis suffultus nunquam est victoria fraudatus.

TEXTVS.

VERS. XLVIII. & XLIX. Cùm ergo surrexisset Philisthæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid, festinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philisthæi. Et misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda jecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte: & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram.

§. LXXXVIII.

Ea contra vitium distantia pugnandum est, vt possis euertere, non ferri.

Prium. Pugna. Distantia.

QVisquis virtutis discipulis eius se addixit scholæ, scit à vitiis abstinendum. Quisquis vlteriùs profecit, nouit non solùm abstinendum, sed cum vitiis etiam pugnandum; parum illi videtur vitiis non inici, ambit lauris, & acceptis triumphis coronari, alios edocet, ne mirentur contemnenda, ne aniùe infectentur volatica, & quia nosceit in lubricis facilem esse casum, ea loca eligit, vndè possit contra vitia decertare, & eorum spiculis non ferri. *Ille, qui Philosophiam in remedium sum exercuit* (inquit Seneca *epist.* 111.) *ingens fuit animo, plenus fiduciæ, inexuperabilis, & maior aduersi.* Qui veram exercet Philosophiam, sic se diuinis præceptis munit, sic sanctarum se legum obseruantia defendit, vt insanæ appetitionis adsultus eludat, & omnem cupiditatibus aditum claudat; verùm si jam virtute profecit, & alios ab errore liberare desideranit, cautus prouidet, ne dum à fluctibus alios conatur extrahere, ipsum contingat obduci. *Talis est* (prosequitur Seneca) *verus, & rebus, non artificiis Philosophus. In edito stat admirabilis, celsus, magnitudinis veræ.* Itaque in edito se collocat, vt pugnam cum vitiis ineat; ita distat, vt veluti extra vitiorum degat aleam; ita cum vitiis pugnat, vt arripere queat victoriam. Dauid contentus non est magnis virtutibus enitere, sed de gigante illo vitiorum ænigmate aggressus est detriumphare. Ad hoc ergo certamen Saulis armaturam repudiat, & lapidibus, ac funda se obarmat: *Tulit vnum lapidem, & funda iecit.* Iam si quæras, cur elegerit fundam, respondebit Abulensis *quæst.* 26. delegisse, quia distans à gigante fundæ jactu poterat eum prosternere, & gigantis hasta eo interuallo

nallo dissitum nequibat attingere. Ergo sic dispositit pugnam, vt distans nequiret feriri hasta, & posset aduersarium sternere instructa lapide durissimo funda. Itaque gigantis hasta locum, vbi Dauid stabat, non attingebat, lapis verò funda jactus majorem amplectebatur sphæram, & prosternere quibat illam proceram molem, arrogantiæque statuam: *Oportebat, vt Dauid haberet aliquod genus armorum, quo similiter à longè stantem posset percutere Philisthæum, & ad hoc fuit conueniens funda.* Qui parùm cautè se vitiorum peste tabidis immiscent, eadem peste solent infici, aut saltem pestifero halitu euigorari; sibi nocent, vt aliis proficiant. Hos Dauid strenuus agonotheta suo certamine edocet, sic contra vitia decertandum, vt protegaris distantia, & ferias industria: ergo prudens animarum zelus sibi priùs consulet, & sic ad curandum alios accedet.

§. LXXXIX.

Plures Christi crucem fugiunt, vt saluti consulant, & amittunt, quia fugiunt crucem.

Manifestatio. Salus.

EO homines errore frequentissimè ducuntur, vt quæ nocere arbitrantur saluti consulant, & quæ consulere putant, affligant. Sic desipiunt, vt existiment voluptatibus vitam protelari, & salutem delitiarum exundantia foueri; egregiè tamen falluntur, quia quantum à ratione discedunt, tantum calamitatibus proximant. *Hi, qui voluptati tradidere principia* (inquit Seneca *de vita beata cap.* 14.) *vtroque caruere. Virtutem enim amittunt: cæterùm non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet; cuius aut inopia torquentur, aut copia strangulantur.* Subjungit Stoicus: *Euenit autem hoc nimia intemperantia, & amore cæco rei; nam mala pro bonis petenti periculosum est assequi.* Iræ insania inflammatus periculosum sibi negotiatur gaudium, gloriæ ardoribus æstuans cõtra se armat odium, & maturat etiam ambitionis tormentum: qui libidinibus indulget, vitam breuiat, aut infirmitatibus fœdis labefactat. Itaque quòd existimatur antidotus, est pestilens morbus, & indè exoritur calamitas, vnde sperabatur felicitas; diù, feliciúsque plures vixissent, si insanas affectiones frænassent: nam, vt ferarum venatio cum labore, periculoque exercetur, & earum possessio non solùm est solicita, sed etiam periculosa, cùm sæpè recrudescat toruitas mitigata, & possessorem dilaniet fera; ita voluptas sumptibus magnis acquiritur, & anxiis solicitudinibus, ac periculis possidetur. Sibi viuit, quisquis rationi paret. Lapis à Dauide jactus in gigantis fronte refertur infixus: *Percussit Philisthæum in fronte, & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram.* Augustinus historiam moribus adaptans inquirit, cur frons percussa? respondetque, ideò durè icta, quia crucis signaculo nullatenus tecta. Eius verba sunt apud Glossam: *Videte, fratres, vbi Dauid Goliath percusserit. In fronte vtique, vbi crucis signaculum non habebat.* Subjicit: *Baculus crucis typum habuit.* Frons (inquit Augustinus) crucis Domini signo solet muniri; verùm Goliath vti superbus, & deliciosus Domini crucem respuebat, & omnem carnis mortificationem ignorabat: ergo cùm respuit crucem, sibi maturauit stragem. Si à superbo verborum fastu abstinuisset, si insanum gloriæ ardorem frænasset, non caderet pueruli manu percussus, nec disperiret indecorè prostratus; verùm dum arrogantia tumet, dum immetatè superbit, miserabiliter cadit. Dauid manu baculum gestans, hoc est, Christi mortificationem in suo corpore circumducens, produxit vitam, acquisiuit coronam, & sibi æternauit famam. Cæco rerum amore caligantes impingimus, & dum inhiantes ad fucata vitæ commoda celeriùs, & auidiùs tendimus, plus distamus. Qui eximia fortitudine videbatur æternus, citò gigas corruit, quia crucem, hoc est, carnis mortificationem animitus respuit: *Cecidit in faciem suã super terram.* Iterùm Augustinus: *Videte, fratres, vbi Dauid gigantem percusserit. In fronte vtique vbi crucis signaculum non habebat.* Si habuisset, vulnus vitasset.

§. XC.

Crucis Dominicæ signum tutum Christianis propugnaculum, & fatale dæmoni excidium.

Voluptas.

OVes agenti Moysi Deus flammescenti rubo objicitur, & contra Pharaonis potentiam, & contumaciam bellator fortissimus delegatur. Moyses imperium conabatur extrahere, veritus mortem incurrere. Quid tunc Deus? Baculo munit, & victoriam offert: *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Et quod in baculo auxilium, vt Moyses Magorum versutias, & Pharaonis tyrannidem valeat superare? Nonne satius esset obarmare timentem Martiali apparatu, & copioso exercitu, vt animos resumeret, & conflictum cum adeò truculento, & potenti aduersario non detrectaret? O expende (amabo te) in Ægyptiis dæmones adumbrari, crucem in baculo: ergo si baculo Moyses obarmetur, jam Pharaonis robur euigoratur, quod rei probauit euentus; nam virga deglutiuit serpentes, & nequissimorum attriuit vires. Redeat datus Augustinus: *Baculus crucis typum habuit.* Crucis vmbra deuorauit dracones, crucis vmbra Pharaonis confregit vires, crucis vmbra tenebrarum prostrauit acies. Vt noueris, quàm magnum nobis à signaculo crucis subsidium, & quàm exitiale dæmonibus sit tormentum. Dauid etiam huius veritatis est testis. Contra Goliath baculum deligit, aurata, & bellica arma deponit, & adeò baculus efficax fascinum contra giganteas vires fuit, vt ad eius conspectum & robur defecerit, & caput plagam admiserit: *Tulit baculum, quem semper habebat in manibus.* Dum Dauid cruce obarmatur, gigas prosternitur. Ita apud Glossam Augustinus: *Hoc signum præsidium est amicis, obstaculum inimicis.* Itaque quoties cœlesti nos signaculo armamus, dæmonis frontem durissimo ictu percutimus; est enim illi durum spiculum crucis signaculum: ergo crucis armaturam indue, vt de diabolo reportes triumphum, & de eius aciebus laurum.

Crux.

Exod. 4. v. 17.

§. XCI.

Quæ peccatores perpetrauere delicta, videntur contra ipsos operari miracula.

Peccatum. Miraculum. VT vipera lethale venenum in ipsam conuertit matrem, & infelicis prolis ortus est genitricis occasus: sic culpa, quæ idem sortitur ingenium, à parentis incipit clade. Ratio hebetatur, prudentia de mentis arce dejicitur, & quod mireris magis, eis contra artificem viribus prævalet culpa, vt patrare videatur miracula. *Gemite* (aiebat Seneca *de vita beata cap. 21.*) *& infelicem linguam bonorum exercete conuitio, instate, commordete, citius multò frangetis dentes, quàm imprimatis.* Qui exacuit contra virtutem dentes, ei non intulit plagam, sed propriam momordit linguam. Qui, vt sibi consulerent, ad vitiorum confugerunt castra, miranda contra se sunt experti prodigia. Ecce Moyses virga fluuij latices sanguineos vertit in horrores, Pharao recurrit ad Magos, vt calamitatem leuarint, sed incantamentis, & maleficiis aquam in sanguinem conuerterunt: *Fecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis.* Exod. 7. v. 22. Mira res! cùm ab ingenio discordent incantamenta, & miracula, sic contra Pharaonem armantur, vt, idem quod miracula, efficiant incantamenta. Expectares ascitos Magos aquam in sanguinem versam suæ reddituros naturæ, &, quæ supererant, vndas inficiunt sanguine. Itaque quos Pharao vocauit in auxilium, expertus est miraculis ad speciem incrementasse tormentum. Vt hinc constet peccatores proprio labore in se arma conflare, & calamitatem augere. Notauit Theodoretus in Exodum. *quæst.* 18. *Mutabant aquam in sanguinem, sed aquam in pristinam naturam reducere non poterant.* Ecce malitia contra Pharaonem æmulatur omnipotentiam, omnipotentia aquam in sanguinem commutauit, & quam pro se Pharao adducit, magia in sanguinem etiam aquam conuertit. Nec aliter Goliath accidit: Æream galeam fabricarat, vt contra lapidem tueretur frontem; sed galea miraculosè à se ipsa recedit, & frontem nudam relinquit: *Infixus est lapis in fronte eius.* Non potuit sine miraculo lapis fronti galea durissima tectæ infigi, sed galea, vt frons exciperet ictum, est quodammodò operata miraculum. Prodest Lira: *Dicunt aliqui, quòd ferrum galeæ cessit lapidi miraculose.* Ecce miraculosè cedit ferrum, vt frons exceperit ictum, & qui existimabat galea frontem muniri, expertus est prodi: fiunt namque à perpetratis culpis quædam ad speciem miracula, vt digna peccatores ferant supplicia.

TEXTVS.

VERS. L. & LI. Prævaluit Dauid aduersum Philisthæum in funda, & lapide, percussumque Philisthæum interfecit. Cúmque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum, præciditque caput eius. Videntes autem Philisthiim, quòd mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.

§. XCII.

Vitia prædicatione, & opere debellantur, aliter rarò abscinduntur.

Philosophia dogmata. MVltum ad virtutem, & sanitatem conducit vitia carpere, & eorum peccatoribus fœditatem ostendere. Alij namque ad castra se pœnitudinis conferunt, alij agere prænè intermittunt, à sacris concionibus, si prorsus non sani, sanabiliores redeunt. [Vitia eius (aiebat Seneca *ep.* 29.) etiamsi non excidero, inhibebo: non desinēt, sed intermittent: fortasse aurē & desinent & intermittent, si intermittendi consuetudinē fecerint. Non est hoc ipsum fastidiendum, quoniam quidem graniter affectis sanitatis loco est bona remissio.] Zelotypus concionator, dum virtutis tutum iter ostendit, auditorum alios ad lachrymas mouet, alios, ne prosequantur insaniam, detinet. Indigent quidam calcari, nec sine irritatore se ad virtutem recipient. Prosunt salutaria verba, & honesta consilia; salutaria verba dixi, id est, non meretricio cultu splendentia, non inutili labore expolita: habere debent plus efficacitatis, quàm splendoris: verùm vt verba victoriam asciquantur, opus est, vt concionatoris operibus adjuuentur. Si idem apparet in actione, ac suggestu, verbis suis indidit efficaciam, & confidenter cum sceleribus pugnam. Quàm bene Seneca *epist.* 75. [Philosophia ingenio non renuntiat: multum tamen operæ impendi verbis non oportet. Hæc sit propositi nostri summa: quod sentimus, loquamur, quod loquimur, sentiamus. Concordet sermo cum vita. Ille promissum suum impleuit, qui, & cùm videas illum, & cùm audias, idem est.] Idem erit, si tumidè se non ostendat, planumque exambiat, si egregiis commendarit factis, quam virtutem extollit verbis. Dauid verbis cum incredulo disputarat, religionem veri Numinis extulerat, sed in lapide, & funda prævaluit, & triumphum tulit: *Prævaluit Dauid aduersum Philisthæum in funda, & lapide.* Lingua virtutem commendauit, sed victoriam manus obtinuit. Notauit Hugo Cardinalis: *In funda, & lapide, id est, prædicatione, & opere.* Verba à factis mutuantur efficaciam, & accipiunt sæpè energiam. Si alius est prædicator in factis, quàm appareat in verbis, parùm proderit verbis, quia euigorat verba factis: vt è contrà: si exercet, quod dicit, efficaciter persuadet. Sponsæ labia vittæ coccineæ comparāit sponsus;

Sicut

Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Vitta coccinea non solùm scit splendere, sed nouit etiam ligare. Non erat eloquium inconditum, sed decenti resplendebat elegantia, ligabat tamen animos grata violentia. Notauit Gilbertus *serm.* 24. *Ea enim labia ligant, & rutilant.* Iam si quæras vndè habuerint ligandi efficaciam, respondet: *Concepta in corde charitas, quasi ignis, flammigerans coccineo colore labia insicit, per quæ erumpit.* De charitate labia illa flammantia verba proferebant, & audientes illigabant; fortasse vittæ adinstar non ligarent, nisi de cordis charitate flammescerent; ast dum opere exercet, quod sermonibus persuadet, à vitiis grata violentia prorsus auertit, & virtutes amplectendas facillimè persuadet.

§. XCIII.

Si aliquam partem nudam præsidio relinquas, laborem in tuendis cæteris labefactas.

Ostiolo. Integritas. Præsidium.

VT Martia bella gerentibus cura est, ita omnem hosti aditum laboriosis substructionibus præcludere, vt nulla parte queat de statione milites deturbare; ita cum vitiis bella gerentibus solicitè cauendum est, ne cui pateat accessus, nam si irrumpat, continget casus. Alacriter incumbendum est ad præcidendam hostis confidentiam, ad eneruandam audaciam. [Quale est rogo (aiebat Cassiodorus 1. *variar.* 17.) in laboribus propriis esse, cùm durissimas mansiones hostis cogitur sustinere? Ille imbribus pateat, vos tecta defendant, illum inedia consumat, vos copia prouisa reficiat. Sic vobis tutissimè constitutis, hostis vester ante euentum certaminis fata patietur perditoris.] Ante euentum certaminis animos prorsus amisit, qui aduersarium solerter vndique vallatum conspexit: at si aliqua parte intuetur præsidio nudum, ea inferet durissimum bellum. In funda, & lapide prænaluit Dauid aduersus Philisthæum: *Percussum Philisthæum interfecit.* Quæres, quomodò potuit percutere, quem adeò munitissimis armis constabat armari? Crura munichantur ocreis, pectus lorica squammata, manus hasta, humeri clypeo, caput galea. Quomodò ergo sibi persuasit Dauid lapide prostrandum, & proprio gladio occidendum? Quia Goliath (inquit noster Sanctius) etsi reliquum corpus munitissimis armis texerit, eam galeæ partem, quæ frontem tegit, leuauit, & præsidio nudam reliquit: ergo, vt vidit Dauid aliquam partem armis nudam, promisit sibi victoriam. Sanctium audi: [Volunt non curasse Goliath quid contra moliretur Dauid, quem vtpotè inermem, inexpertum belli contemnebat, atque ideò non curasse partem illam apertam relinquere, cui infixus est lapis. Goliath, cùm in reliquas partes tuendo laborasset, exiguam illam frontis partem munire despexit, nudamque reliquit, sibi persuasus nullum ob id detrimentum imminere: verùm vbi aliqualis hosti aditus patuit, dextera in illam manu lapidem direxit, & inimicum prostrauit, & quidem gigantis ruina nobis attulit vtilissima documenta. Plures virtutibus se communire studeant; non tamen sic vitiis omnem præcludent aditum, vt aliquem sensum non reliquerint præsidio nudum: aut vagantur oculis, aut patere adulationibus permittunt aures, aut nimis palato indulgent, & humanæ salutis hostis ea parte subruere aggreditur, vtque est expertus, & callidus, eò collimat spicula, & solet reportare trophæa: ergo omnes aditus præcludat vigilantissimè prouidentia, si cupit vitare ruinam, & hostis frustrare audaciam.

§. XCIV.

Custodes Angeli nobis sua præsentia vires inspirant, & dæmonum versutias eneruant.

Angelus. Dæmon.

PRouida decreuit antiquitas Præfectos vigiles designare, qui pro generali salute ciuitatem discurrerent, & quietem interturbantes arcerent. Illis commissa erat fortunarum securitas, ciuitatis tranquillitas, dormientium sospitas. Illis commissum erat, vt si quem ciuium impetendum esse sentirent, suis armis, ac vigiliis defenderent. Quod munus Angelis custodibus constat mirè conuenire, & eorum solicitis vigiliis aptari. *Securus somnus* (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 8.) *te vigilante carpitur, & molestia nulla sentitur. In pace positus sumis de nocturno fure victoriam.* Non solùm Angelorum curæ applicandus est nocturnus somnus, sed in certaminibus etiam triumphus; eorum perspicacia insidias detegit, eorum prouidentia technas eludit. Itaque à sanctis Angelis diaboli audacia reprimitur, astutia confunditur, robur eneruatur. Hanc veritatem Dauidis triumphus suffulcit. Dum puerulus vicit gigantem, dum armis nudus armatum: *Præualuit Dauid aduersus Philisthæum in funda, & lapide.* In antiquitatibus Biblicis, quæ Philoni adscribuntur, legitur, gigantem morti jam proximum vidisse Angelum ferentem Dauidi suppetias, retulisseque eam sibi ruinâm prouenisse non solùm à Dauidis dexteritate, sed ab Angeli ope. Gigantem audi apud nostrum Sanctium: *Respiciens allophylus vidit Angelum, & dixit: Non solùm occidisti me, sed qui tecum aderat, cuius species non est sicut species hominis.* Omnia ista Rabbinorum existimantur deliramenta, ab ipsis tamen erui potest certa doctrina, custodes scilicet Angelos nobis in certamine adesse, &, vt reportemus victoriam, juuare. Eliam dormientem Angelus excitauit, & allato cœlesti pabulo ab imminentibus periculis exemit. Dormientem Iacob eius gregis Augmenta Angelus edocuit, &, vt placet D. Thom. *ad Gen.* 30. Virgarum Philosophiam ostendit. Itaque magnum affectum, & reuerentiam nostris debemus custodibus, quorum auxilio prælia vincimus, quorum armis quietum somnum carpimus, quorum consiliis etiam temporalia adaugemus. Ingratus sanè est, qui patrono suo nec gratiarum exhibet officium, nec vllum venerationis obsequium.

§. XCV.

Adeò exoculata est inuidia, ea est ambitionis audacia, vt etiam veritati euidentissimæ refragentur, & denegare adnitantur.

Veritas. Inuidia. Ambitio.

QVod oculis ingeritur, quod meridiana luce clarius esse cognoscitur, non eget aliis fulcimentis, aut testimoniis, ea tamen est inuidentiæ audacia, ea est ambitionis cæca superbia, vt ipsi luci tenebras moliantur offundere, & aggrediantur veritatem euidentissimam tumulare, aut in quæstionem adducere. *In oculis eius,* (lunæ) scribit Plutarchus *de Iside,* &c. *pupillæ in plenilunio compleri; atque explicari videntur; contra deduci, inopacarique luna senescente.* Adlatratores non defuerunt, qui in lunæ oculis defectum deprehenderent, non quem ipsa haberet, sed quem ipsi ei impingerent. Itaque etsi luna nullas in se admittat tenebras, non defuerunt, qui in eius clarissimis oculis obscuras deprehenderent vmbras. De Ioue scribit Eudoxus fuisse claudum, & ab Iside accepisse gressum. Audi Plutarchum: [Memorat de Ioue Eudoxus fabulari Ægyptios, quòd cruribus eius concretis, cùm non valeret ingredi, præ verecundia in solitudine egisse. Isin diffisis, & diductis his corporis partibus rectum, & integrum incessum præstitisse.] Itaque Iouem etiam, quem credebant numen, non rectis gressibus incessisse promulgabant, & claudicasse fingebant. Vt noueris humanæ temeritatis audaciam, & audacis liuoris insolentiam. Hinc est, quòd Dauid Philisthæi, quem dejecerat, caput prouidenter præcidit, manuque gestauit: *Tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum, præciditque caput eius.* Cur caput præciderit, rogant Interpretes, quandoquidem in jam demortuum arma vertere, videbatur sæuitia, & feralis sugillari poterat truculentia. Aliqui apud Abulensem *quæst.* 35. respondent præcauisse, ne quis inficiaretur victoriam, immò in quæstionem verteret pugnam, voluisseque maleuolentiæ audaciam frænare, inuidentiæque technas præcauere, quandoquidem absciſſum caput erat irrefragabile testimonium, &, ni caput occluderet odium, tentarent victoriam vertere in dubium. [Aliquis dicet, quòd Dauid abscidit caput in testimonium, quòd ipse occiderat eum, & tulit illud coram Saule, sicut facere solent milites singulari certamine pugnantes, cùm dejecerint hostes; capita enim eorum, vel linguas abscindunt, ne quis alius vsurpare sibi valeat illam victoriam: & posteà hæc in testimonium victoriæ habitæ exhibent.] Ea est aliquorum insolentia, vt quæ intuentur clarissimè oculi, inficientur maleuoli; vndè nulla cautela superflua est, vt eorum deliria vitentur, aut retundantur. Quod si conspicua, & omnibus luce clariora opus fuit suffulcire allato capite, ne quis auderet in quæstionem tunc vertere, aliquo elapso tempore timendum erat, ne aggrederentur variis commentis eludere, aut veritatem prorsus inficiari: ergo Dauid habere voluit inconcussum testimonium, vt qui liuoris, ambitionisque non ignorabat ingenium.

§. XCVI.

Non exigua gloria triumpho adaugetur, si hostis ipsius armis oppugnatur.

Hostis. Arma. Victoria.

GLoriosum est armis sibi gloriam comparare, & inimicos subigere: honesta est victoria, quæ de robore venit, & decantandus est triumphus, qui denicto hoste nullis nebulis agnoscitur obscuratus. *Excellenter videtur* (aiebat Cassiodorus 1. *variar.* 30.) *de pulsato triumphasse, qui victor pronuntiatur à judice.* Qui accepit victoriam nullis dolosis artibus procuratam, aut iniquis fraudibus initam, sed legitimè, & propriis viribus comparatam, meretur plausum; verùm qui eius armis hostem perdomuit, magnam triumphis gloriam adjecit. Iam Dauid lapide hostem prostrarat: *Prænaluit Dauid aduersum Philisthæum in funda, & lapide,* & nihilominus ipsius gigantis gladio caput præcidit, vt triumphus resplenderet plenior, & augustior: *Tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum.* Ignorabat Goliath arma contra se ipsum fabricasse, & in Dauidis subsidium attulisse; verùm suo gladio periit, quò ei major infamia, & major Dauidi accresceret etiam gloria. Notauit Gregorius apud Glossam: *Golias cum gladio, Dauid cum pera pastorali venit ad prælium, sed Dauid Goliam suo occidit gladio. Nos quoque, qui sumus membra veri Dauid, hæreticos suis sententiis vincimus.* A peccatore accepit Dauid, dum Christi figuram gerit, arma, quibus eum affligat, & feriat, & quæ pro se existimabat oblectamenta, in dura conuertuntur supplicia. Cùm sacer Textus retulisset Banaiam duos leones occidisse: *Percussit duos leones Moab.* Vt eius commendaret robur, adjecit tempore niuis tertium in cisternæ angustiis occidisse: *Ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna in diebus niuis.* Laude dignum fuit leonem vincere, sed tempori non cedere, niuium algore non tepefieri, mirandum: eo tempore est aggressus pugnam, & assecutus victoriam, quo alij socorum quærebant subsidia, & confugiebant ad tecta; & post hæc aliquid Textus inuenit, quo fortitudinem ampliùs commendaret, videlicet ab hostili manu hastam extorsisse, & ea vsum vita ptiuasse: *Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam; itaque cùm descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægyptij, & interfecit eum hasta sua.* Eius armis hostem interemisse sumptuosius fortitudinis fuit elogium, & ablata hasta celebrandum trophæum. *Ostenditur eius alia probitas* (inquit Lyra) *de interfectione cuiusdam Ægyptij.* Immortale fuit Banaiæ elogium, Ægyptij hasta ei intulisse mortis plagam, & reportasse victoriam. Est enim repetitis acclamationibus dignus, qui hostem suis armis ferit, & vincit. 1. Reg. 23. 20.

§. XCVII.

§. XCVII.

Prudentia est fugam arripere, si fortissimos etiam miserabiliter videas cadere.

Fuga. Prudentia.

PRudens alieno eruditur scandalo, & edocetur fugere similia pericula. *Graue est sapienti* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 20.) *offendere, vbi alterum reperit incidisse.* Vt virtutis præmia animos nobiliter inflammant, & ad similia valenter stimulant; ita improbitatis casus prudentem incutit metum, & admonet vitare periculum. Contrariis rebus plerumque medicina succedit, & vitalis calor fouetur, si frigus pestiferum depellatur. En prostrato Goliath reliqui Philisthinorum milites celerem arripiunt fugam, nec ausi sunt descendere cum pastore in arenam: *Videntes autem Philisthiim, quòd mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.* Et cur è tot militibus nullus audeat cum Dauide decertare, sed omnes fuga conentur sibi consulere? Profectò quod quisque fugit, fuit prudentiæ, non ignauiæ. Conspexerant Goliath omnium fortissimum, & armis validissimis obarmatum eo in certamine miserabiliter corruisse: *Videntes, quòd mortuus esset fortissimus eorum.* Ergo sibi fuga prouida consuluerunt, quandoquidem exoculata esset audacia infirmiores ambire prælia. O vtilem, doctrinalemque fugam! Dementia est nosse virtutibus obarmatos, & longa meditatione munitos huic, aut illi occasioni succubuisse, & imparibus viribus similem occasionem non fugere, sed vincendam sperare. Quomodò resistet imbecillus, vbi corruit strenuus, aut præsumet quomodò victoriam, intuitus fortissimorum ruinam? Goliath casus aliorum honestauit fugam, & commendauit prudentiam. Profectò si plures aliorum attentiùs considerassent stragem, periculosam frænassent audaciam, & infirmis nixam corrigerent confidentiam: verùm dum alienis nolunt casibus erudiri, probantur sibi inuidere. *Fugerunt* (inquit Lira) *territi diuino iudicio.* Magnitudo momento prostrata, suprema moles primo ictu dejecta, mors omnibus inopina, consuluit ad tutiora confugere, & periculum declinare. Nauis, quæ inflatissimis velis, & prosperis ventis nauigabat, momento absorbetur, & sibi promittet scapha, si eandem viam tenuerit ad portum feliciter appulsuram, & nullis turbinibus concutiendam? Philisthæi hac in parte prudentissimè se gesserunt, dum intuiti eorum fortissimi casum, contrarium tenuerunt cursum.

TEXTVS.

VERS. LII. Et consurgentes viri Israel, & Iudâ vociferati sunt, & persequuti sunt Philisthæos vsque dum venirent in vallem, & vsque ad portas Accaron, ceciderunt que vulnerati de Philisthiim in via Seraim, vsque ad Geth, & vsque ad Accaron.

Eman. de Naxera in Reg. Tom. II.

§. XCVIII.

Strenuo satis non est hostem fugare, sed conatur prorsus atterere.

Hostis. Strenuus.

QVod pertinaciter studes (aiebat Seneca *epist.* 5.) *& omnibus omissis hoc vnum agis, vt te quotidiè meliorem facias, & probo, & laudo.* Laudabilis est pertinacia, si vitia non desinat insectari, & virtutes ad perfectum producere: verùm plures contenti sunt vitiis resistere, non aggrediuntur triumphare. *Mihi certè* (inquit Plutarchus de non irascendo) *idem accidit, postquam bis, vel ter occurri iræ, quod Thebanis. Qui vt semel impulerunt eos, qui inuicti habebantur, Lacedæmonios, nulla post in pugna eis succubuerunt.* Honestum est non cedere, sed honestius victricem palmam reportare. Multum profuisse in virtutum schola existimas, quia ambitione non raperis, quia libidinibus non sordidaris, sed adhuc in limine versaris, ad vlteriora tendendum est: satis non est non ambire, sed opus generosè ista, quæ miramur, contemnere: satis non est iram frænare, sed opus mansuetudine prorsus expungere. Sanctissimus noster Parens Ignatius erat ingenio fernido, & viuido, verùm ita se vicit, vt à medicis haberetur (latinitatis pace) phlegmaticus. Israelitæ, deuicto Goliath, Philisthinorum castra fugarunt; verùm contenti non sunt hostes effugare, sed aggressi prorsus atterere: *Persequuti sunt Philisthæos.* Noluerunt iterùm redire ad certamina, sed se omni perturbatione eximere perfecta victoria, & quidem voto respondit successus, & plurimis attritis aduersariis cumulatior resplenduit triumphus: *Ceciderunt vulnerati de Philisthiim in via Saraim.* Notauit Abulensis *qu.* 35. *Postquam viderunt Israelitæ, quòd fugiebant Philisthini, persequti sunt eos.* Subdit post pauca: *Toto cursu Israelitæ à tergo sequebantur occidentes plurimos.* Detritis hostibus pace fruebantur tranquilla, abactis tantummodò, semper maneret Respublica timoribus agitata: ergo maluerunt laborem amplecti, & perfectam sibi tranquillitatem mercari. Si Gedeon leonem solùm effugasset, nec occidisset, fauorum non potiretur dulcedine, nec sine metu posset incedere eo tramite; at securus eandem repetiuit viam, quia consummatam adnisus est reportare victoriam. Animos exere, vt extinguas penitus vitia, quia aliter instaurabunt anxia bella, quantumvis magna ad speciem intercedat distantia. Dum Philisthæi cadunt trucidati, Israelitæ degunt securi, aliter eos periculi vrgeret anxietas, & instauratis post fugam viribus eos adurgeret periculosiùs hostilitas.

§. XCIX.

Dum periculum vrget, nulla fugæ interponenda est mora, & abjicienda prorsus rerum terrenarum sarcina.

Periculum. Mora. Sarcina.

PLures exambiunt pericula eludere, sed aut nectunt moras, aut secum graues deferunt sarcinas, quibus præpediti, periculis inueniuntur obnoxij: ergo dum tempus imprudenter trahunt, obsidentur, aut terrenorum sarcina prægrauantur. Loth nolebat aduri flammis, sed

dormitantes oculos à luce auertebat prolixis morulis. Ni Angeli pia violentia extraxiſſent, flammæ forſitan vſtulaſſent. Plures, dum ſe ad veram Philoſophiam recipere tardant, impedimenta multiplicant: plures, dum à corde cupiditatem penitus non projiciunt, & aliquid ſecum ferunt, nequeunt inuolare, & in tuta ſe recipere. *Ad virtutem contendimus* (aiebat Seneca *epiſt.* 75.) *inter vitia diſtricti.* Placet virtus, ſed cupiditas detinet, & gradum promouere impedit: placet ad virtutem inuolare, ſed neſcimus terrenis vinculis expediri. Opus eſt, vt hoſtilia eluſeris arma, omnem moram abrumpere, & concupitis non prægrauari. Philiſthæi, vt viderunt grande ſibi imminere periculum, immorati non ſunt in ſupellectilibus colligendis, ſecumque aſportandis, vt qui nouerant ſaluti ſuæ nocere quamlibet moram, & ſarcinam: *Fugerunt omnia relinquentes, & celeriter inuolantes. Quid tunc? Perſequuti ſunt Philiſthæos, vſque dum venirent in vallem. Et reuertentes filij Iſrael, poſtquam perſecuti ſunt Philiſthæos, inuaſerunt caſtra eorum.* Non ignorabant Philiſthæi, ſi in vallem ſe conferrent, periculis eximendos: ergo toto conatu arripuerunt fugam, & ne præpedirentur, omnem deſpexerunt diuitiarum copiam; eſſet namque periculoſum in colligendis vaſis immorari, & in fuga ſarcinam ferre. Notauit Abulenſis *quæſt.* 36. *Si manſiſſent aliquandiù in caſtris, irruituri erant Iſraelitæ ſuper eos, ſed non expectauerunt, quod apparet; quia nihil ſecum ferentes fugerunt.* Adnectit: *Nihil enim expectauerunt Philiſthiim, ſed illicò, vt mortuus eſt Goliath, fugerunt.* Si aliquam moram traherent in colligendis diuitiis, ab hoſtibus impetiti perirent: ergo, vt in vallem ſe poſſent conferre, decreuerunt nullatenus immorari, nec quid de ſuis rebus ſecum deferre: ſuis factis nos edocentes oportere aliquando ad eludenda pericula nullam moram ponere, & terrenis ſarcinis non grauari.

Matth. 24. v. 17. *Qui in Iudæa ſunt* (aiebat Chriſtus) *fugiant ad montes: & qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua; & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam ſuam.* Dum mora in tollendo aliquid trahitur, ipſa mora occaſio fugiendi amittitur, & periculo tempus conceditur. *Eligibilius erat* (inquit Chryſoſtomus *in Caten. D. Thom.*) *nudo corpore ſaluari, quàm intrare domum, vt tolleret veſtimentum, & occidi.* Plures, dum ambierunt veſtem, aut pompam, extremam ſunt experti miſeriam. Eligibilius eſt nudos ſaluari, quàm ornatos, aut onuſtos perire.

TEXTVS.

VERS. LIII. Et reuertentes filij Iſrael, poſtquàm perſequuti fuerunt Philiſthæos, inuaſerunt caſtra eorum.

§. C.

Sæpè victoria non conſummatur, quia in colligendis ſpoliis milites detinentur.

Victoria. Milites. Spolium.

Animoſa alacritas, & in pugnando ſtrenuitas non ſemel triumphos non abſoluit, quia ad ſpolia intempeſtiuè inhiauit. Vitrum margaritis emit, immò margaritum è manibus ſinet elabi, vt vitro pellucido poſſit vti, quod videre eſt in hiſtoriis. Ea nonnulli alacritate decertarunt, vt hoſtiles acies de ſtatione turbarint, & arripere fugam coegerint: verùm hominum victores ab ſpoliis victi ſunt, & qui debuiſſent fugientes hoſtes perſequi, ſpoliis acquirendis intenti occaſionem inuitantem ſpreuerunt, & gloriam labefactarunt; dum immorantur, ſæpè aduerſarij collectis viribus iterarunt pugnam, & non ſemel reportauere victoriam: *Præter hanc cauſam* (aiebat Seneca *lib. 3. de Benefic. cap. 3.*) *alia quoque ſunt, quæ nobis merita nonnunquam maxima velant. Prima omnium, ac potiſſima quòd nos ſemper cupiditatibus occupati non quid habeamus, ſed quid petamus inſpicimus, non id, quod eſt, ſed quod appetitur intenti.* Maxima merita vilibus aliquando cupiditatibus obſcurantur, aut euertuntur. Quid glorioſius, quàm eximia fortitudine hoſtem non ſolùm fugare, ſed prorſus atterere? Aſt aliquando delira cupiditas, dum immaturè detinetur in colligendis ſpoliis, ſe inuitantibus priuat triumphis, nec videt ſi hoſtibus concedantur ſpatia, inſtauranda ab eis duriſſima bella. Prudens priùs adoritur inimicum, quàm auferre cupiat ſpolium, & jam integram adeptus victoriam, potitur ſine diſcrimine prædam. Proſtrato Goliath caſtra deſeruerunt Philiſthæi diuitiis plena, & ſalutem veloci quæſierunt fuga. Quid tunc? Hebræi, etſi diuitibus allicerentur ſpoliis, abſtinuerunt prudenter præda, vt plena fruerentur victoria: jam hoſtibus attritis, jam triumphis acceptis diripuerunt caſtra, & copiola tutò acceperunt ſpolia: *Et reuertentes filij Iſrael, poſtquam perſequuti fuerant Philiſthæos, inuaſerunt caſtra eorum.* Prudenti, ac recto ordine proceſſerunt, nam, attritis jam aduerſariis, tutum erat in manibus diripiendis immorari, & periculis eſſet plenum, aduerſario ſoſpite, in acquirendis ſpoliis detineri; ea namque mora, dum tempus hoſti concederet, triumphum imprudenter amitteret. *Si immanerent ſpoliis* (inquit Abulenſis *quæſt.* 36.) *permitterent hoſtes impunes effugere. Finita autem perſecutione redierunt per vias, quibus perſequuti fuerant Philiſthinos, & collegerunt ſpolia occiſorum.* Attritis jam hoſtibus, poterant ſine ſolicitudine colligere trophæa, & periculoſum eſſet hiare immaturè ad trophæa, & inuitanti primari victoria.

TEXTVS.

VERS. LIV. Assumens autem Dauid caput Philisthæi attulit illud in Hierusalem; arma verò eius posuit in tabernaculo suo.

§. CI.

In curijs, palatijsque necessaria est mortis memoria, quia ibi frequenter fallax vitiorum illecebra.

Curia. Mors.

IN curijs palatijsque vt insidiosus fastus viget, sic memoria mortis elanguet. Dum magnates magna fortuna vsi, Numinis adinstar coluntur à cæteris adorati, se tam magnos, quàm audiunt, arbitrantur, & dum adulatoribus credunt, falluntur. In curijs generosa exorti vena proprio splendore obcæcantur; & fortunæ prosperitate efferuntur. Nil oculis occurrit, quod mentem non fascinet, & à veritate deuiet; ornatus splendor, mensæ delitiæ, copiosa satellitij pompa non solùm nutriunt superbiam, sed insaniam: ergo ibi, quia frequentior irrepit obliuio, mortis est opportunior recordatio. Ad rem Petrus Damianus *lib. 7. ad sæculi Principes Epist. 19. Confœderanda sunt quippè aduersum te & prosapia generis, & flos ætatis, venustas formæ, & memoria facultatis; ad euitanda sanè istorum tela certaminum nullus mihi videtur validior clypeus, quàm meditatio mortis.* In regijs palatijs & formæ viget studium, & ambitionis inflammatur desiderium, & insanarum appetionum glisicit delirium: ergo opus est ante oculos aliquid habere, quod mortis memoriam ingerat, & quàm nitamur caducis, admoneat. *Hominem se esse* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap. 33.* de Imperatore triumphante loquens) *etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur; suggeritur enim ei à tergo: respice post te, hominem memento te.* Adnectit: *Et vtique hoc magis gaudet tanta se gloria coruscare, vt illi admonitio conditionis suæ sit necessaria, reuocatur, ne se Deum existimet.* Tumidè adeò superbia inflatur conditionis suæ oblita, vt monimentis egeat, ne se mortalitatem exuisse præsumat. Plinius *lib. 33. cap. 1.* sic scribit: *Cùm corona ex auro Etrusca sustineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat. Æquè triumphantis, & serui fortasse coronam sustinentis.* Ferreus annulus conditionis ingerebat memoriam, ne celeberrimus triumphi plausus aliquam foueret insaniam. Philisthæi caput in Hierusalem infertur: *Assumens Dauid caput Philisthæi attulit illud in Hierusalem*, cuius, dum Interpretes causam inquirunt, varias rationes reddunt. Alij aiunt, illuc illatum caput, vt nobilissima vrbs insigni adeò spolio fulgeret; alij, vt eo virtutis testimonio timorem Dauid aduersarijs incuteret; alij, vt vultus qui anteà deturbabat militarem stationem, horridam aspiceret maciem. Noster Sancius existimat ibi caput allatum, vt Iebusæi, qui editissimam arcem habitabant, & eo munimine fisi se extra fortunæ aleam positos præsumebant, gigantis casu edocerentur, quàm citò robur lassescat, quàm temporis momento altiando corruat, quàm subitò in contrariam fortuna opulentissima transeat. [Vt Iebusæi, qui ciuitatis arcem in sua potestate diù retinuerant, & nunc etiam obstinato consilio tuebantur, ex eo facto dicerent expugnari posse arcem illam arte, atque natura munitam.] Itaque vt culmina possidentes posse ruere non ignorarent, gigantis casus clamabat industriæ munimine, & fortunæ fauore circumvallatos, quàm citò in nigras fauillas reduci, & aduersis successibus circumuolui.

§. CII.

Prudens, & benè politicus ad honorem Principis consecrat, quidquid aliter inuidiam sibi conciliat.

Politicus. Princeps.

TAntò diuinitati plura debemus (aiebat Cassiodorus 8. *variar. 24.*) *quantò à cæteris mortalibus majora suscepimus.* Qui à Deo plura suscepit, ea debet eius honori dicare, ne sibi adscribens, stultè ambitiosus debeat audiri: vt etiam qui apud Principem discupit vitare calumniam, debet omni solicitudine linguacem impedire inuidentiam; aliter namque captiosas sustinebit calumnias, & calumniantium astutas technas. Dauid à Saule delectus ad ineundam cum gigante pugnam in Hierusalem caput attulit post feliciter acceptam victoriam: *Assumens autem Dauid caput Philisthæi attulit illud in Hierusalem.* Et cur Bethlehemita propriam ciuitatem trophæis adeò gloriosis non exornarit, sed eam gloriam Hierosolymæ obtulerit? Quia, vt benè politicus, respondet Abulensis *quæst. 38.* non solùm studuit obligationi satisfacere, sed calumniam semper effugere. Si caput in Bethlehem duceret, non deessent aulici, qui apud Regem eum criminarentur vti regalis honoris incuriosum, & sui nimis auidum: ergo in Hierusalem, quæ in Beniamin sorte, detulit, quia cùm Saul à Beniamin originem traxerit, in eam ciuitatem deferre, erat gloriam Principi procurare: [Dicendum, quòd fuit positum in Hierusalem propter duo, Primò, quia ipsa erat nobilissima vrbs totius regni Irael. Secundò, quia erat in tribu Saulis, ideò propter honorem Regis ibi poni debuit.] Deferendo caput in Hierusalem triumphum Principi adscribebat, & honori eius dicabat: Si in Bethlehem afferret, non deessent, qui causarentur omnem sibi triumphi arrogasse gloriam, & feciisse Principi irreuerentiam: ergo vt benè politicus sic triumpho vsus est, vt æmulationis occluderet ora, & inuidiæ eluderet prorsus studia. Factis edocuit ita prospera fortuna vtendum, vt calumniam omnem effugias, & inuidentium linguam obmutescere facias: Nulla (mihi crede) in curijs est superflua cautela, nulla attentio inuenitur otiosa, quia quidquid potest applicari crimini, candidæ non adscribitur intentioni.

§. CIII.

Plurima ei necessaria sunt arma, qui præ cæteris resplendet fortuna.

Felicitas. Arma.

AD tuendam fortunam alia fortuna opus est. Quisquis luxit, inuidentiæ telis se obiecit. *Quare frequenter cacumina montium feriuntur?* rogat Seneca *lib. 2. Natural. qu. cap. 58.*

Iam respondet: *Quia oppositа sunt nubibus, & è cœlo cadentibus per hæc transeundum est.* Nubes, dum cupiunt vlterius inuolare, ægrè ferunt à montibus impediri: ergo fulmina iaciunt in montes, vt sibi viam sternant, & obicem tollant. Quisquis splendore, altitudineque cæteros supergreditur, inconcussus esse non potest. Nullus perniciosior hostis est, quàm qui, vt inuidentiæ sopiat tormentum, prodit in campum. Liuorem, maleuolentiam, inuidiam nulla diligentia vitat, felicitas nulla edomat, nulla patientia frænat: sed curandum est omnem occasionem præcidere, & sagaci industria frænare. *Sacrificabant* (inquit Tertullianus *in Apologetico cap. 35.*) *pro salute Imperatoris, & genium eius deierabant alij foris, alij intus.* Coniurauit in Antonium Cassius, Niger, & Albinus in Seuerum conspirarunt. Daniel fauorem Principis assequutus, à Chaldæis est delatus, ac feris obiectus. Itaque quisquis eminuit, inuidentiæ, quod feriret, ostendit. Hinc discès, cur Dauid, qui anteà arma repudiarat, modò in tabernaculo suo posuerit: *Arma verò eius posuit in tabernaculo suo.* Anteà in tabernaculo degebat armis nudo, jam verò satagit giganteis armis communire tabernaculum. Ecqua huius causa? Quia anteà pascendis gregibus destinatus, jam verò & gener Regis futurus, & ciuitatum plausibus celebratus: ergo prudenter arma in tabernaculum tulit, quia armis jam eguit. Opportunè noster Sancius: *Quandiu durauit triumphus, & spectari à populo licuit, immania illa feri hominis arma fuerunt in tabernaculo Dauidis.* Ad tabernaculum Dauidis confluebant plures, vt repetitis plausibus celebrarent victoriam, sed faustis acclamationibus aliorum infamabant etiam inuidiam: ergo se armis muniuit, & quàm sit felici necessaria armatura edocuit: dum pastor degebat imperturbatus, jam felicitate splendens, & dignitatis culmina possidens armis egebat, ne iaceret deiectus, etsi nequiret florere inconcussus.

TEXTVS.

VERS. LV. & LVI. Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner Principem militiæ: De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Abner: Viuit anima tua, Rex, si noui. Et ait Rex: Interroga tu, cuius filius sit iste puer.

§. CIV.

Ab aulicis, palatinisque ornatu splendido fulgens agnoscitur, sollocè indutus despicitur, aut ignoratur.

Aulici. Ornatus.

PAuci sunt, qui se eximant ab hoc errore; non æstimant hominem ob interna, & solida, sed ob extrinseca, & volatica: qui splendenti ornatu fulgent, quos supra turbam lectica inaurata suspendit, ab omnibus agnoscuntur, & magni habentur. Venerationem sibi conciliat felicitas personata, & limis adspicitur, depretiaturque virtus interna. Rarus est, qui ad animum oculos dirigat, cùm totus populus externis nitoribus plaudat. Opportunè Seneca *Epist. 80. Equum emturus solui iubes stratum, detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant, hominem inuolutum æstimas.* Adnectit: *Vides illum Scythiæ, Sarmatiæque Regem insigni capitis decorum? Si vis illum æstimare, totumque scire qualis sit, fasciam solue, multum mali sub illa latet.* Latet non semel sub veste splendida malignitas, inuidentia, libido, rapacitas, & tamen plus ad exhibendam reuerentiam credimus ornamentis, quàm factis. Dauid dæmonem melodia depulerat, Regem à dura exagitatione liberarat, diuini honoris zelo, & inuicta animi fortitudine certamen cum gigante admittit, & tamen nec Saul, nec Abnerus agnoscunt, aut sciunt: [Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner Principem militiæ: De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Abner Viuit anima tua, Rex, si noui.] In Regis præsentia adstiterat, cùm aulicis egerat, & tamen quis sit non scitur. Quærunt Interpretes quid fuerit in causa, vt nec à Saule, nec ab Abnero, aut ab alio quopiam noscceretur? Varias varij rationes afferunt & literæ conformes, & moribus adaptandis perutiles. Abulensis *quæst. 40.* ex habitus mutatione existimat accidisse. Anteà, vt palatio adstaret, reiectis pastoritijs indumentis fulgebat politiori cultu, & floridiori resplendebat ornatu; modò, vt qui solùm ad afferenda fratribus edulia aduentarat, rusticano, pastoralique amictu apparuit indutus: ergo ob hanc causam ab aulicis fuit incognitus: *Aliquid ad hoc conferebat mutatio habitus: nam cùm steterat priùs Dauid in conspectu Saulis, erat in habitu famulorum Regis, nunc autem erat in habitu pastorali.* Cùm ipsa vestium mutatione mutabitur aut ignorantia, aut notitia; nullus veste agnoscebat sordidum, omnes ornatu agnoscebant splendidum; vt videas hominem sæpè æstimari, aut despici non ob animo insita, sed ob corpus circunstantia: exteriora ad se oculos trahunt ornamenta, & venerationem conciliant sibi stipantium turba. Idem erat Dauid sollocè pastoritia indutus, & cultiori amictu ornatus; verùm dum habitu fulget, ab omnibus agnoscitur, dum sordet, ab omnibus ignoratur.

§. CV.

Facilè Princeps per se assequitur; tardè, aut nunquam, quod ministris committitur.

Præmia celeriter mittenda.

ALacriter incumbendum est Principum iussis, & obtemperandum sine dilatione mandatis. Debitum dominis obsequium laboris tædium deberet excludere, & à Principe iniuncta placendi desiderio compleri; verùm de more aut laboris tædio differuntur iniuncta, aut varijs causis mittuntur in futurum mandata. Hinc est, quòd Abundantium magnis Theodericus laudibus exornarit, quia citò sibi commendata perfecerit. Ipsum audi apud Cassiodorum 5. *variar. 17. Iudicio nostri, electionique respondens ostendisti, quàm fuerit indubitata perfectio efficacissimis imperasse, quod quæritur. Renuntias illicò completum, quod vix credi poterat inchoatum, vt penè quanta velocitate nauigari* solet,

solet, constructio nauium tanta sit celeritate completa. Nec solum verba narrata sunt: obtulisti oculis nostris subitò classem syluam, hominum domos aquatiles, exercituales pedes, qui nullo labore deficiant, sed inconcussos homines ad destinata perducant. Laude fuit dignissimus minister ad perficienda sibi imperata adeò expromptus, vt nec patientiam defatigaret, nec spes inbentis eluderet, cum sæpè ministri lentè exequantur iussa, & imperantium defatigauerint desideria. Ea fuit Dauidis alacritas, & ad decertandum cum gigante animositas, vt eius prosapiæ agnoscendi ardentissimum Principi ingesserit desiderium: *De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner?* Interrogatus Abner, se prorsus nescire confessus est: *Viuit anima tua, Rex, si noui.* Saul, vt solicitè inquirat, præcipit: *Interroga tu, cuius filius sit iste puer.* Aliquo tempore elapso, giganteque jam detrito iterum Dauid Regis conspectui obijcitur, & de qua stirpe descendat, à Principe interrogatur: *De qua progenie es, ò adolescens?* Dauid vnico verbo respondit, & Principi satisfecit: *Filius serui tui Isai Bethlehemitæ ego sum.* Otiosa profectò videtur interrogatio. Si jam Abner accepit ad inquisitionem mandatum, quid opus est iterum interrogare? aut si interrogare est necessarium, quomodò Abner facile adeò non est exequutus præceptum? Res facillima erat, non modicum tempus elapsum, & adhuc Princeps dubius, quousque ipse inquisiuit, & nouit. Ecqua huius dilationis fuit causa? Ministro inquisitionem præcepisse. Accepit Abner mandatum, sed distulit afferre responsum. Saul per se ipsum quæsiuit, & citò, quod desiderabat, agnouit. O quàm morosi esse solent in mandatis exequendis ministri, quàm facilius obtinent, quod per se ipsos tractant Domini. *Quia non cognouerat suprà Saul cognationem Dauid* (inquit Abulensis *quæst.* 41.) *quando quæsiuit ab Abner, nunc ipse per se inquirit.* Subijcit: *Quæsiuit Saul de progenie, in quo intelligebatur tam tribus, quàm familia, & domus. Dauid autem vnico verbo respondit ad omnia hæc.* Quo vsque ipse inquisiuit, non nouit, & statim nouit, quia ipse inquisiuit. Vt certum sit Principes, dominosque per se ipsos facillimè perficere, quod commendatum ministris tardè, aut nunquam solet expleri.

§. CVI.

Si strenuorum, virtutibusque excellentium apud Ministros, & Principes fuerit ignorantia, in occasum verget Respublica.

Princeps. Minister. Ignorantia. Strenuus.

CVm manifestum sit præmijs artes enutriri, & subiectorum animos commodorum augmentis erigi, grande Reipublicæ est detrimentum viros strenuos à ministris dignitatum fastigia occupantibus ignorari, & à Principe etiam nesciri. Quomodò enim promouebitur ad vlteriora, quem sepelit ignorantia? Et quomodò resument animos, qui intuentur egregijs factis decoratum, & dotibus mirandis excultum, non solùm dignis compensationibus non præmiari, sed de eo apud Principem, & ministros nullam notitiam haberi? *Maiora* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 26.) *de conspectu Principis populi sumunt, quàm de largitate beneficia consequuntur. Nam penè similis est mortuo, qui à suo dominante nescitur, nec sub aliquo honore viuit, quem Regis sui notitia non defendit.* Vir strenuus ob Principis ignorantiam otio permissus, aut præmijs dignis non exornatus & Principi affert iniuriam, & cæteris infundit ignauiam. Dauid abegerat cantu dæmonem, ab impurato spiritu liberauerat Principem: & tamen quis sit à Rege nescitur, & ab eius ministris ignoratur: *De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Abner: Viuit anima tua, Rex, si noui.* Qui ab omnibus videbatur agnoscendus, vt qui mira peregerit. & hostem truculentum detruserit, similis erat demortuo, & à memoria prorsus elapso. Dauid à Saule nescitur, & post tot egregia præstita obsequia ab Abnero etiam ignoratur. Quàm longè erat Saul à decernendo debita Dauid præmia, quando iacebat sepultus tanta ignorantia. *Saul, & Abner ignorauit Dauid apud eum diutius commoratum*, inquit Hugo. Subijcit: *Fortè propter exagitationem spiritus mali factus erat Saul labilis memoriæ.* Malo spiritu agitabatur, qui nec recordabatur merita, nec dilargitus fuerat præmia condigna. Non erat sanè mentis, qui virum adeò strenuum ignorabat, & suæ sospitatis artificem non agnoscebat. In desperationem solent adduci, qui postquam Martiali in campo exposuerunt vitam, & fregerunt inimicorum audaciam, nullam sui apud Principem, aut eius ministros notitiam reperiunt, & qui sint, interrogantur: ea namque ignorantia prodit; quam nulla sit solicitudo agnoscendi egregijs facinoribus præcellentes, & ad salutem Reipublicæ decertantes; in occasum regnum vergere hæc Saulis attestabatur ignorantia, & ministrorum insciti: *Propter exagitationem spiritus mali factus est Saul labilis memoriæ.* Discant Principes dignorum non obliuisci, si bono discupiunt spiritu gubernari; nam Saul impurato spiritu exagitatus dignoscitur, dum tanti viri oblitus refertur.

§. CVII.

Vel vmbra offensæ tenaciter memoriæ infigitur, obsequium è memoria Principum facillimè labitur.

Offensa. Memoria. Obsequium.

DIgnum hoc (aiebat Cassiodorus 2. *variar.* 28.) *homini reddere, qui per honesta cognoscitur obsequia placuisse.* Hoc, quod ratio persuadet, fastus spernit. Sæpissimè non tribuitur iustis laboribus compensatio, quia superbia sibi credit debitum, quod exhibetur officium. Affectant homines ignorare officia, cùm è contra, si leuis alicuius offensæ apparuerit vmbra, fixa tenaciter nunquam excidat à memoria. Satis est malè fundata suspicio, vt infligere pœnam suadeat; satis non est multiplex obsequium, vt vel saltem memoriæ inhæreat. Dauid ouiculas suas relinquit, & dæmonem expulsurus aduentat: Sauli adstat quocumque tempore exagitetur, nec vllis vigilijs, aut labori parcit, vt diabolicus furor abigatur; verùm repetita adeò obsequia, & præstita officia quàm citò à memoria auolarunt, nec vllum sui vestigium reliquerunt: *De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner?* rogat Saul. Hic ipse, dum plauditur à mulieribus, in eam suspicionem deuenit, vt existimarit Dauidem gloriam illam exambire: *Quid ei superest nisi solum regnum? Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa* Infra cap. 18. v. 8.

illa, & deinceps. Inquires, cur Saul, quam ſibi Dauidis plauſu irreuerentiam factam exiſtimauit, longo adeò temporis interuallo conſeruauit: *A die illa, & deinceps*, & Cytharæ memoriam citò adeò expunxerit? Si memoriæ fixus adeò perſeuerauit plauſus, quomodò citò adeò elapſus eſt è memoria concentus? Profectò ab eadem cauſa recordatio, & obliuio exorta. Quidquid Dauid in ſui obſequium fecit, non arbitrabatur memoria retinendum, ſed ſuæ magnitudini perſolutum; at plauſum ſibi ingratum decreuit punire, nec à memoria paſſus eſt elabi. Innuit noſter Sancius: *Illud hic obſeruandum propono morali, atque Chriſtiano Philoſopho, quàm leuem gratiam pro ſuis benefactis ſperare debeat ab homine mortali, quantumuis ille dinitys ſit, & dignitate potens: eſt enim in potentibus maxima infirma, & futilis (ſi tamen vlla eſt) beneficiorum memoria.* Adnectit: *Non propter aliquam Dauidis incuriam, aut arrogantiam in loquendo, ſed propter aliorum ingrata verba in triumphali plauſu; ſic illum animo inſequutus eſt hoſtili, vt æternas in eum, certè ad mortem vſque, inimicitias aluerit.* E memoria radicitus auolarunt, quæ Dauid ei exhibuerat officia, nunquam tamen à recordatione exciderunt deprædicata à mulieribus Dauidis elogia, quia in laudibus Dauidis ſuperbiſſimus, & ventoſiſſimus homo, neſcias quam ſuſpicabatur offenſæ vmbram, cùm obſequiorum non attenderit experientiam.

§. CVIII.

Magnates ſolicitiores ſunt de proſapiæ, & familiæ augmentis, quàm de Reipublicæ ſint periculis.

Magnates. Proſapia. Reſpublica.

MVltis titulis mirandus Moyſes, vtpotè qui omnium, quæ hominum animos ſolicitant, deſpectu nobilitatus, ſapientia eruditus, miraculis rarus. Mihi tamen maximam admirationem facit, dum incrementa ſibi à Deo oblata renuit accipere, vt Reipublicæ ſaluti quinerit prouidere: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* Si alius eſſet Moyſes, ſplendorem proprium ſitiret, & populi ſalutem contemneret; verùm naturæ terminos ſupergreſſus ſe ipſum neſciuit, vt populum aſſeruaret. *Ex miſericordia* (inquit Interlinearis) *Suppliciter orat pro populo.* Propria commoda poſtpoſuit, & communia commoda ambiuit: ergo non minus reſplenduit prodigioſus, dum non ſitit propria incrementa, quàm dum contra Pharaonem operatur miracula. Non ſic Saul: cùm vrgentiſſima populum diſcrimina premerent, de ſtirpe Dauidis Abnerum interrogauit: *De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens, Abner?* Cùm omnes grandi diſcrimine anxij penderent, cùm eo in certamine totius Reipublicæ ſeruitus, aut libertas conſiſteret, potius videbatur interrogandus militiæ Princeps ad ſolandam anxietatem de pueri valentia, & robore, quàm progenie; & tamen qui militiæ magiſtrum circa pueri electionem non conſuluerat, modò, quæ ſcire ad Abnerum non ſpectabant, interrogat. Iam ſi inquiras, cur Saul adeò fuerit ſolicitus de natalium origine, quando populus grauì adeò adurgeretur terrore? reſpondebunt Patres, de originis nobilitate fuiſſe ſolicitum, quia filiam ſuam Dauidi poſt certamina deſtinarat, & verebatur, ne eius proſapia næuo aliquo ſordeſceret deturpata, aut deturparetur obſcura. Itaque totus erat in familiæ ſplendore, non in populi diſcrimine. Ita Lira: *Fecerat proclamari, quòd filiam ſuam daret ei, qui Philiſthæum percuteret, vt dictum eſt ſuprà, & ideò volebat ſcire, ſi eſſet de bono genere.* Inclyta progenies pertinebat ad familiæ Saulis claritatem, robur ad populi pertinebat ſalutem: ergo, vt frequenter accidit, Saul non tam curabat populi ſoſpitatem, quàm familiæ ſuæ ſplendorem.

Exod. 32. v. 10.

TEXTVS.

VERS. LVII. Cùmque regreſſus eſſet Dauid percuſſo Philiſthæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule caput Philiſthæi habentem in manu.

§. CIX.

Ni apud Principes interceſſerint patrocinia, aditum non inuenient facilè merita.

Princip. Merita. Patrocinium. Aditus.

BEneuolo debet aſpectu ſuſcipi, qui ſalutis publicæ cauſa agnoſcitur laborare. Honos alit artes, & dum virtus digna æſtimatione muneratur, ſtudioſè ab omnibus exambitur. *Non poterunt vota veſtra differri* (aiebat Caſſiodorus 10. *variar.* 20.) *quando intereſt, quod merentur, audiri.* Optimus Princeps non differt ſeruientis vota, quando egregia remunerationem exigunt merita, & glorioſa facinora, verùm neſcias quo fato apud ſæculi Principes plus obtineat adulatio. Miles; cuius inuictum animum tot atteſtantur ora, quot inflicta in corpore videntur vulnera, regio conſpectui apparere prohibetur, & aditus paraſito non denegatur. Opus eſt præcellenti duci, vt ad principum poſſit venire conſpectum, magnatum perquirere patrocinium. Dauid inuicto animo difficile adierat certamen, monſtrum proſtrarat, & antè quàm populus ſeruitutis ſubiret iugum, depulerat; & cùm ſpectares Saulem triumphatori læto vultu occurſurum, aut ſaltim quod anteà, vt audiret melodiam fecerat, per nuntios ad ſe euocaturum, non ſolùm victrici palma non honorauit, ſed in tentorio manebat à conſpectu ſemotus, & otio traditus. Repetere poſſet Dauid Sauli quod datus ſuprà Caſſiodorus: *Nunc implete promiſſa, vt rem tenere faciatis, cui ſpem certiſſimam contuliſtis.* Gigantis caput geſtabat, ſed aditum, vt ſe Regis oculis præſentaret, non inueniebat. Quid tunc? Sanè ni Abneri inueniſſet patrocinium, ad Regis tam citò non deueniſſet conſpectum: *Cùm regreſſus eſſet Dauid percuſſo Philiſthæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule caput Philiſthæi habentem in manu.* Non videbatur opus introduci, cui debebat Rex obuiare, nec opus videbatur patrocinio, quando fas erat aduentanti occurrere ingenti gaudio; verùm ni Abner caput aduerſarij manu geſtantem introduceret, foris remaneret. Notauit Abulenſis *quæſt.* 41. *Tulit eum Abner, & introduxit coram Saul, iſtud fuit ad honorandum Dauid propter victoriam, quam habuerat; nam percuſſo Philiſthæo erat Saul in tentorio, Dauid autem*

autem valebat introire ad eum ferens caput Goliath, & non liceret ei, niſi quis introduceret illum: ideò Abner, qui erat Regis familiariſſimus, & potentiſſimus, vt honoraret Dauid, introduxit eum coram Saule. Cam hædum attulit, cùm aures cantu oblectaturus aduenit, non eguit Abneri patrocinio, & modò caput Philiſthæi geſtanti non licebat introire, & in conſpectu Principis apparere: *Dauid volebat introire ad eum ferens caput Goliath, & non liceret ei niſi quis introduceret illum.* Cum omnia oſtia aperienda, cùm victoria repetitis plauſibus celebranda ſtaret Dauid ante limen diù detentus, ni Abneri fuiſſet patrocinio introductus, & quidem ea jam Reſpublica in occaſum vergebat, dum egregios, ac inuictos milites ſic tractabat. Caueant ergo miniſtri, Principeſque, ſi diſcupiunt efflorere Rempublicam, eximijs reſplendentium virtutibus diuexare patientiam, & ſtrenuorum militum exaſperare fidelitatis conſtantiam.

TEXTVS.

VERS. LVIII. Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, ò adoleſcens? Dixitque Dauid: Filius ſerui tui Iſai Bethlehemitæ ego ſum.

§. CX.

Inuidus egregijs actionibus prælucentis nomen recuſat audiri, nec ſuſtinet plauſu debito celebrari.

ETſi egregia, honorandaque facta, & magnæ fortitudinis argumenta exigant repetitis, fauſtiſque acclamationibus celebrari, ab inuidis plauſum non poterunt extorquere, immò inuidi plus obmuteſcit lingua, quò plus inuidioſi reſplendet gloria. Nihil aures æmuli ſic conuulnerat, vt nomen audiri, & acclamationibus populi celebrari manifeſta affectat linor ignorare, & de affectatione aliquale ſibi ſolatium ſatagit quærere. Nihil non tentat: vt vanis artibus dolorem ſopiat. *Nihil enim ſecurum* (aiebat Caſſiodorus 10. *variar.* 28.) *nihil poterit ſtabile reperiri, ſi ſemper inuidentium vota ad illicitas accedere permittantur inſidias.* Non conquieſcet linor, ſi præclara poſſit lumina tumulare, & gloriosè geſta obliuionis tenebris ſepelire, aut relationem ſaltem vitare. Proſtrato Goliath Dauid redibat, eius iuuentus extollebat triumphum, multiplicabat elogium, cumque immane illud caput manu geſtans in Saulis deueniret conſpectum, Saul ignorantiam affectauit, & nomen non protulit: *Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, ò adoleſcens?* Non ait, ò egregie victor, ſed *adoleſcens*, non inquirit nomen, de mirabili non loquitur triumpho, nec debito reportatam victoriam celebrat plauſu, ſed ad friuola ſermonem conuertit, & de rebus ad triumphum non ſpectantibus agit. Saul tetris adeò jam liuoris flammis adurebatur, vt nec de victoria agere, nec victoris nomen voluerit audiri. Notauit Theodoretus apud Gloſſam: *Inuidia eum mouit, vt non ſciret, vndènam eſſet* Inuidens non ſolùm non celebrauit victoriam, ſed recurrebat ad proſapiam, ſi poſſet odium aliquem inuenire defectum.

§. CXI.

Prudentia eſt ſilentio tegere, quæ ruborem magnatibus poſſunt incutere, aut animos irritare.

QVi cum magnatibus agit, funambulos imitari debet. Res eſt multis difficultatibus implicata cum ob naturæ, ac poteſtatis ſplendorem tumidis conuerſari: trutinanda ſunt verba, meditanda facta. Opportunè Nazianzenus *orat.* 1. *Quemadmodum ſublimi, & pendulo fune gradientibus hac, vel illac deflectere minimè tutum eſt, nec quælibet parua inclinatio parvum periculum affert, verum eorum ſalus, & ſecuritas in æquilibrio poſita eſt, ad eundem quoque modum vtramuis in partem quiſpiam ſiuè ob vitium, ſiuè ob imperitiam propendeat haud leue periculum ipſi.* Si magnatibus blandiaris, notam adulatoris incurres; ſi ab eorum ſententia diſcedas, ſubibis indignationem; ſi glorioſa aliorum geſta referas, illatam ſibi quærentur notam; ſi ab eis non benè geſta in memoriam adducas, exiſtimabunt offenſam, & durè punient audaciam. Tota ſolicitudine curandum eſt, ne ab æquilibrio deflectas, vt periculum euadas. Dauid proſtrato jam gigante, cùm à Saule de progenie interrogaretur: *De qua progenie es, ò adoleſcens?* Pauciſſimis verbis reſpondit: *Filius ſerui tui Iſai Bethlehemitæ ego ſum.* Et cur non referat ſe eſſe Dauidem ipſius quondam armigerum, & cytharædum? Nonne Saul in eius notitiam deueniet melius, ſi referat à ſe præſtita obſequia, quàm patris cunabula? Cur ergo hæc reuocare refugit in memoriam? Si nomen ſuum proferat, & à ſe geſta etiam referat, non ſolùm reſpondebit ad quæſita, ſed ei conciliabunt Principis beneuolentiam obſequia: ergo nomen ſuum prodat, & quæ in eius obſequium egerit, in memoriam adducat. O prudentiam! O eximiam politices normam! Si Dauid (inquit Abulenſis *quæſt.* 42.) cytharam in memoriam adduceret, Saulem à dæmone exagitatum in memoriam reuocaret, & recordatione offenderet: ergo benè politicus, & prudenter cautus verbis neceſſarijs ſatisfecit, & quidquid afferre poſſet rubore, tacuit: *Sufficiens erat hoc, ideò Dauid conuenienter reſpondit.* In modum per funem gradientis verba librauit, ne reſponſis contra ſe inflammaret iram, dum renouaret antiqui ſtatus, & conditionis memoriam. Sua Dauid breuitate edocuit, quàm ſit vtile paucis verbis vti, & longos cum magnatibus ſermones non texere: *Sufficiens erat hoc, ideò Dauid conuenienter reſpondit.* Plures, dum non animaduertunt hiſtoriam aliquam cum dedecore alterius eſſe coniunctam, impingunt, & contra ſe inflammant iram, imprudenter oſtentant & ſæculorum notitiam. Dauid diſertè adeò ſe geſſit, vt offenſam prorſus vitaret, & ſui modeſtè notitiam inderet.

Prudentia. *Rubor.* *Magnates.*

CAPVT XVIII.

1 ET factum eſt cùm compleſſet loqui ad Saul: anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam: 2. Tulitque eum Saul in die illa, & non conceſſit ei vt reuerteretur in domum patris ſui: 3. Inierunt autem Dauid, & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quaſi animam ſuam: 4. Nam expoliauit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta ſua, vſque ad gladium, & arcum ſuum, & vſque ad balteum: 5. Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quæcumque miſiſſet eum Saul, & prudenter ſe agebat: poſuitque eum Saul ſuper viros belli, & acceptus erat in oculis vniuerſi populi, maximèque in conſpectu famulorum Saul: 6. Porrò cum reuerteretur percuſſo Philiſthæo Dauid, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſrael, cantantes choroſque ducentes in occurſum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris: 7. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia: 8. Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis eius ſermo iſte: dixitque: Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt niſi ſolùm regnum? 9. Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa, & deinceps: 10. Poſt diem autem alteram inuaſit ſpiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus ſui: Dauid autem pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies, tenebatque Saul lanceam: 11. Et miſit eam, putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete: & declinauit Dauid à facie eius ſecundò: 12. Et timuit Saul Dauid, eò quod Dominus eſſet cum eo, & à ſe receſſiſſet: 13. Amouit ergo eum Saul à ſe, & fecit eum tribunum ſuper mille viros: & egrediebatur, & intrabat in conſpectu populi: 14. In omnibus quoque vijs ſuis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo: 15. Vidit itaque Saul, quòd prudens eſſet nimis, & cœpit cauere eum: 16. Omnis autem Iſrael, & Iudâ diligebat Dauid: ipſe enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos: 17. Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea major Merob, ipſam dabo tibi vxorem: tantum modò eſto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper eum manus Philiſthinorum: 18. Ait autem Dauid ad Saul: Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio patris mei in Iſrael, vt fiam gener Regis: 19. Factum eſt autem tempus, cùm deberet dari Merob filia Saul Dauid, data eſt Hadrieli Molathita vxor: 20. Dilexit autem Dauid Michol filia Saul altera. Et nuntiatum eſt Saul, & placuit ei: 21. Dixitque Saul: Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſthinorum. Dixitque Saul ad Dauid: In duabus rebus gener meus eris hodie: 22. Et mandauit Saul ſeruis ſuis: Loquimini ad Dauid clam me: dicentes: Ecce places Regi, & omnes ſerui eius diligunt te. Nunc ergo eſto gener Regis: 23. Et locuti ſunt ſerui Saul in auribus Dauid omnia verba hæc. Et ait Dauid Num parum videtur vobis generum eſſe Regis? Ego autem ſum vir pauper, & tenuis: 24. Et renuntiauerunt ſerui Saul, dicentes: Huiuſcemodi verba loquutus eſt Dauid: 25. Dixit autem Saul: ſic loquimini ad Dauid: Non habet Rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia Philiſthinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis: Porrò Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philiſthinorum: 26. Cumque renuntiaſſent ſerui eius Dauid, verba, quæ dixerat Saul, placuit ſermo in oculis Dauid, vt fieret gener Regis: 27. Et poſt paucos dies ſurgens Dauid, abijt cum viris, qui ſub eo erant. Et percuſſit ex Philiſthijm ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea Regi, vt eſſet gener eius. Dedit itaque Saul ei Michol filiam ſuam vxorem: 28. Et vidit Saul, & intellexit, quod Dominus eſſet cum Dauid. Michol autem filia Saul diligebat eum: 29. Et Saul magis cœpit timere Dauid: factuſque eſt Saul inimicus Dauid cunctis diebus: 30. Et egreſſi ſunt Principes Philiſthinorum: à principio autem egreſſionis eorum prudentius ſe gerebat Dauid, quàm omnes ſerui Saul, & celebre factum eſt nomen eius nimis.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. I. Et factum est cum complesset loqui ad Saul : anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.

§. I.

Quisquis dotibus relucet eximius, virtutem adnititur honorare ab inuidentia prorsus alienus.

Iob. 5. v. 2. *Virtus. Sanctus. Inuidentia.*

VErè stultum (aiebat Iob) *interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.* Inuidentia paruulorum est vitium, & qui gloriam nequeunt sibi laudandis actionibus comparare, alienæ adnituntur diminutione conquirere, aut saltem eorum gloriam tetris vaporibus tegere. Qui alterius prærogatiuas liuido abrodit dente & excellentiam tumulare studiosè satagit, manifestè eis se dotibus carere ostendit. Dilertè Gregorius *lib. 5. Moral. cap. 31. Paruulus est, qui liuore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quod eo minor sit, cuius inuidia torquetur.* Qui magnus, & glorioſis factis conspicuus, inuidentia non inuenitur infectus, nec ad celebrandos dignos laudis anarus. Hinc est, quòd Ionathas hostium domitor, & populi salutis assertor, vt vidit Dauidem nobili adeò de gigante triumpho coronatum, non solùm non inuidit, sed tenerè dilexit, & regijs vestibus exornauit: *Dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Non ægrè tulit Dauidis plausum, non oculis liuore suffusis aspexit triumphum, immò miris laudibus extulit, & inuenem regijs muneribus exornauit. Prodest Hugo Cardinalis: *Ionathas dilexit Dauid, vir bellicosus videlicet iuuenem aptum pugnis.* Ionathas per scopulorum prærupta incedens hostilia inuaserat castra, & mirabili resplenduerat victoria: ergo non inuidit, sed impensè triumphatorem dilexit; est enim proprium glorioſis factis splendentium, & miris dotibus ornatorum probos, excellentesque diligere, vt paruulorum mediocriumque eminentibus inuidere. Cum homo in omnia animantia potestate vteretur liberè, & innoxia frueretur voluptate, ad inuidiam excitatus est dæmon, & serpentem induens improbè meditata perficere aggreditur: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus.* Et cur nobiliori, generoſiorique animali diabolus non vtatur, & suo liuori aduletur? Aquilinus se vestiat plumis, leonis animalium Regis speciem induat, non colubri per terram corpus trahentis, & turpiter abreptantis. Eam (inquit Basilius Seleucienſis formam induit, quæ inuido conueniebat; ipsa se prodebat inuidia, & quàm, sit paruulorum vitium, testabatur assumpta forma. *Ictus inuidia* (Seleucienſem audis *orat. 3.*) *serpentem efferatus induit, post aeris rectionem serpentis rector constituitur, turpi facinori turpiter abrepens.* Tellure reptabat, qui alienis dotibus inuidebat; ni enim reptaret, alterius felicitati non inuideret. Opportunè datus suprà Gregorius: *Nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret.* Ionathas non doluit, sed plausit, quia egregijs factis splendebat ornatus, & reportatis triumphis decorus.

§. II.

Mirè sibi alliciunt animos egregiè facta, si humili decorentur modestia.

MOdestia est virtutum ornamentum, & beneuolentiæ illicium. Quisquis de benè gestis se iactauit superbus, inuenitur cæteris fastidioſus. Humilitas est virtutum condimentum, liuoris alieni fascinum; non potest non diligi, qui post egregia facta omni constat præsumptione nudari. *Talem Metelli in Asia* (inquit Cassiodorus 9. *variar.* 25.) *talem Catonis in Hispania legimus fuisse ducatum, qui plus de sua disciplina, quam per arma laudati sunt: non iniuriæ, quia hostem congredi varius semper euentus est; indubitata verò gloria morum custodisse mensuram. Quid ergo? Nunquid tali actione præsumens aliqua se elatione iactauit? Dum est familiare hominibus extolli, cùm benè de se cognouerint estimari.* Virtutum omnium sumitur manifesta cognitio, si nulla in corde, aut verbis apparuerit elatio. Iam Dauid gigantem deiecerat, jam celebrandum sæculis triumphum reportarat, & tamen Ionathas tenerrimo eum affectu non dilexit, donec cum Rege colloquentem audiit: *Et factum est cùm complesset loqui ad Saul: anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid.* Videtur arctum huius vnionis vinculum non solùm victoria persuasisse, sed verba. Et cur Ionathas expectarit affatum, vt egregio victori tenerum impendat affectum? Expende Regis alloquentis humilem modestiam, vt pleniùs noueris causam. De progenie interrogatus respondit: *Filius serui tui Isai Bethlehemitæ ego sum.* Non ostentauit se esse Danidem dæmonis quondam victorem & modò gigantis perniciem: morum in tanto successu custodiuit mensuram, & gratam omnibus coluit modestiam: ergo Ionathas non tam illectus est ad Dauidem tenere amandum quàm modestia victoria. Quis non diligeret gigantem deijcientem, & nulla inani se iactatione gloriantem? Notauit Abulensis *quæst.* 1. *Immediatè vt Dauid complenit locutionem, quam habebat cum Saule Ionathas incepit diligere Dauid. Ista loquutio erat, quæ habetur præcedenti capite.* Modestia pueri oblectatus Ionathas impensè dilexit: qui gigantis deiectione meruerat plausum, modesta humilitate, & humili modestia sibi Principis deuinxit affectum. Sibi inuidet iactantioſus, & vanus; nã licet eximia fortitudine reportarit trophæum dum de gestis extollitur, aut fastidium parit, aut odium, & quam merebatur, obscurat gloriam superbia. Si se Dauid tumidus efferret, elatione obscuraret triumphum, & Ionathæ erga se non allexisset affectum: ast dum factis conspicuus, modestiam custodiuit, amari se non solùm persuasit, sed quodammodò coegit.

Facinoris. Modestiæ. Animus.

§. III.

Firma est amicitia à vera charitate exorta, infirma ab vtilitate, aut voluptate prognata.

AN fallax, & deluſoria sit amicitia, an firma & solida ex eius origine censendum est, quæ ob voluptatem cæpit tantummodo dum sordidum offert fructum permanebit:

Amicitia. Vtilitas.

quam proprium persuasit lucrum, aut emolumentum, leui exorta tempestate subit naufragium. Et denique qui sui causa ad amicitiam venit, facilè, si spes desit, abscindet. Aptè Seneca *Epist.* 9. *Qui se spectat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat; quemadmodum cœpit, sic desinet. Qui causa vtilitatis assumptus est, tandiu placebit, quandiu vtilis fuerit. Hæc re floreuter amicorum turba circum sedet, circa euersos ingens solitudo est: & indè amici fugiunt, vbi probantur.* Aliquorum amicitia negotiatio est; necesse est sibi respondeant incrementa, & exordia. Qui ad amicitiam ob eius honestatem, pulchritudinemque accessit, cùm in omni fortunæ euentu causa existat, perseuerabit, immò vbi nullum præter honestatem emolumentum, pulchrior, & commendabilior florebit: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ea est firma amicitia, quæ amicum in Deo diligit, & in eius solùm commodis prospicit. *Indicitur ei præceptum* (inquit Cassiodorus lib. de Amicitia cap. de dilectione proximi, & progres. eius) *quo consortem naturæ suæ diligat vt se ipsum. Quantum enim homo se ipsum diligat, dum modò proximum in mensuram eiusdem dilectionis admittat. Exigit autem amor proximi idem velle, idem diligere, idem appetere, & in omnibus secundum Deum in mutuis voluntatibus consentire.* Secundum Deum amicitia in duobus corporibus vnam quodammodò animam constituit, eamque mors solummodò dissoluere queit. Ob id Scriptura, vt Ionathæ, Dauidisque amicitiam commendet, ait: *Dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Vt anima nisi morte interueniente à corporis vinculis non dissoluitur, sed quauis in fortuna arctissimè vnitur; ita Dauid jam erat Ionathæ pro anima, quin fortunæ varietas vinculum potuerit dissoluere, aut corda mutuis dissensionibus separare. Prodest Lira: *Id est, coniuncta indissolubili glutino charitatis.* Charitatis glutino ita anima Ionathæ Dauidis animæ inhæsit vt nec improbis patris consilijs potuerit abiungi, nec procellosis calamitatum voluminibus naufragari.

Matth. 19. v. 19.

TEXTVS.

VERS. II. Tulitque eum Saul in die illa, & non concessit ei, vt reuerteretur in domum patris sui.

§. IV.

Bonus Princeps studiosius Reipublicæ solicitabit augmenta, quàm propria commoda.

Princeps. Respublica.

PRinceps Dei gerit vmbram, & ad generis humani designatur tutelam. Qui sibi solùm attendit, dignitatis decus innubilat; qui se, suaque generalitati postponit, laudem sibi æternandam parat. *Diem Domine, quo seruasti imperium, dum suscipis* (aiebat Plinius 10. *Epist.* 53.) *quanta mereris, lætitia celebranimus, precati deos, vt humano generi, cuius tutela, & securitas saluti tuæ inuisa est, incolumem, florentemque præstarent.* Non dubitabat Cæsar Reipublicæ tutelam, solicitudinemque laboriosam, saluti suæ incommoda allaturam; ast dum suscepit imperium, salutem postposuit, & generalitati prouidit. Optimus gubernator sui non obliuiscitur; sed debito loco ponit, vtilitatemque postponit saluti Reipublicæ, & quidquid generalitatis deseruit commodo, solicito procurat studio. Prostrarat Dauid gigantem, sed ea animi florebat modestia, vt parta jam victoria redire expereret ad mappalia; verùm Saul non permisit, sed regalem secum tulit in aulam: *Tulit eum Saul in die illa, & non concessit ei, vt reuerteretur in domum patris sui.* Inquirunt Patres, cur Saul, qui anteà redire ad pascua permiserat modò nullis exoratus precibus redeundi facultatem faciat? Si melancholiæ morbo diuexatus redeundi fecit licentiam, quæ modò causa, vt votis non annuerit, sed fixè secum semper habere decreuerit? Quia anteà (inquit Abulensis *quæst.* 7.) Dauidem secum retinere sui erat commodum singulare retinere modò bonum erat commune: ergo licet, vt Dauidis annueret desiderio, propria se priuauerit vtilitate, vt generali prouideret saluti. Dauid anteà Principem cantus melodia recreabat modò apparuit strenuus adeò miles, vt Israelitarum propugnaculum, & aduersariorum agnosceretur excidium: ergo modò retinuit, nec abire concessit. *Nunc cognouerat Saul ex bello præterito, quòd Dauid esset vir valdè strenuus in armis, ideò ex hoc putauit eum sibi necessarium, cùm semper haberet aliquem conflictum contra hostes.* Hostes atterere erat totius Reipublicæ ingentissimum lucrum: morbo eius mederi peculiare erat Saulis commodum: ergo licet aliquando propriæ vtilitati cesserit modo quia omni poterat prodesse saluti, nullatenus abire permisit. Superiores, Principesque suis exemplis instruens, studiosius, solicitiusque procuranda, quæ generalitati inueniuntur vtilia, quàm solius rectoris commoda. O quàm aliter solet accidere! Miles despicitur, & cytharædus magnis largitionibus muneratur!

§. V.

Non adeò solicitè procuramus spiritualibus incursionibus occurrere, quàm externorum hostium vires atterere.

VOlaticæ gloriæ sitis adeò humana corda inflammauit, vt solicitè cogat procurare, vndè temporale constat emolumentum oriri. Virtus, quia minoris habetur, securitas eius negligentius satagitur. Facilè est diuina gratia illæsam conscientiam custodire, & tutam à vitiorum incursionibus conseruare, operosum valdè aduersariorum copias euertere, aut vires frangere, & tamen laborem istum solicitè amplectimur, illam solicitudinem imprudenter depretiamus: quibus se munimentis non solicitet humana cautela ab externorum hostium adsultibus custodire, cum despiciat, tentationum telis mortiferis vulnerari? Temporalium sitis nihil non tentat, si possit diuitias conquirere, & nouis prouentibus adaugere. Montium viscera sacra auri fames perscrutatur, beneficio artis intratur in penetrale telluris, naturæ tranquillitas humanis solicitudinibus inquietatur, acquirendi ardor, quod natura occluserat, perspicacibus oculis rimatur, & non sine periculo noua itinera aperire molitur. Intrant homines profundas caligines, à sole exulantes, & dum sub terris inquirunt lucra, lucis amittere solent gaudia: illis aliquādo est ruina excauata anxijs laboribus petra, & cùm facilius sit diuitias virtutis acquirere, negligentes non sata-gūt possidere. Quàm benè Cassiodorus 9. *variar.* 3.

Pitis. Ibidē.

[Decet,

[Decet, vt inter tanta bona, nec illa desint, quæ putantur esse præcipua. Cur enim jaceat sine cultu, quod honestum potest esse compendium? Aurum siquidem per bella quærere, nefas est, per maria periculum, per falsitates opprobrium. In sua verò natura, justitia, honesta sunt lucra, per quæ nemo læditur, & benè acquiritur, quod à nullis adhuc dominis abrogatur.] Virtutis lucrum non est magnis difficultatibus circumseptum, quidquid temporale, magnis est discriminibus implicatum, & tamen margaritum fastidimus, ad vitrum hiamus. Saul etsi variis dæmonis impetitus adsultibus frequenter angeretur, redeundi ad pascua facultatem Dauidi fecit; modò detrito jam gigante, & fugatis hostibus secum habuit: *Tulit eum Saul in die illa, & non concessit ei, vt conuerteretur in domum patris sui.* Faciliùs videbatur modò concedenda licentia, quandoquidem jam pax effloruit hostium viribus fractis, prorsusque abscisis. Cur ergo modò non permittat recedere, si ante concessit abire? Quia modò (inquit Abulensis) Dauidis cognita in hostibus debellandis peritia secum voluit retinere, vt si fortè collectis denuò viribus auderent ad noua certamina prosilire, quiret fugare: ast licet non ignoraret posse etiam se à dæmone iterùm corripi, non curauit Dauidem secum habere: studiosius solicitauit contra externas irruptiones auxilium, quàm contra internas dæmonis inuasiones remedium. Accipe Abulensem *qu.* 7. *Nunc cognouerat Saul ex bello præterito, quòd Dauid esset vir valdè strenuus in armis, ideò ex hoc putauit eum sibi necessarium, cùm semper haberet aliquem conflictum contra hostes.* Itaque hostiles poterat timere conflictus, & dæmonis etiam cruciatus; verùm adeò Saul desipuit, vt non curarit habere semper contra dæmonem remedia, & studuerit solicitè contra Philisthæos retinere secum subsidia. Vt hinc conjicias, quàm aliter se gerant homines in his, quæ spectant ad salutem internam, & ad gloriam futilem, & volaticam.

TEXTVS.

VERS. III. Inierunt autem Dauid, & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam.

§. VI.

Amor aut inuenit, aut facilè æquales.

AMicitia esse nequit nisi inter similes, & æquales: eadem est ad speciem in vtroque amico anima, quàm si dignitatis splendor diuidat, aut aduersitas fortunæ sejungat; amor erat obræcatus, etsi specie amicitiæ vestitus. [Consortium rerum omnium (aiebat Seneca *epist.* 48.) inter nos facit amicitia: nec secundi quicquam singulis est, nec aduersi; in commune viuitur. Nec potest quisquam beatè degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad vtilitates suas conuertit: alteri viuas oportet, si vis tibi viuere.] Nequit sancta, veraque amicitia florere, ni se amicus alteri sic adaptet, vt differentiam prorsus ignoret. Non erat æqualis ordinis, aut dignitatis, qui in amicum ascitus est; nihil interest, ipsa amicitia exæquabit, & alterum alteri parem reddet. Ecce Ionathas vbi Dauidem vera charitate dilexit, inuiolabile cum eo fœdus iniit: *Inierunt autem Dauid, & Ionathas fœdus; diligebat enim eum quasi animam suam.* Si objicias non potuisse inter Dauidem, Ionathamque fœdus constare, quia Dauid pastor, & Princeps Ionathas, diuersa namque vtriusque conditio fœderi videbatur obstare, & amicitiam prorsus impedire, cùm amicitia exigat consimiles, & æquales. Respondebit Abulensis *quæst.* 7. ita esse, & ita inter Dauidem, & Ionatham accidisse. Ipsum audi: [Fuit istud magnum signum amoris: nam fœdus semper ponitur inter illos, qui sunt æquales, vel saltem in aliquo æquales. Inter subditum autem, & dominum non est fœdus de seruanda amicitia, sed de seruanda fidelitate. Adnectit *quæst.* 8. Quamquam essent inæquales, tamen Ionathas ex nimio amore condescendit, vt esset æqualis Dauid, & iniret cum eo fœdus æqualitatis.] Itaque vera amicitia sic pastorem Principi exæquauit, vt, quod impedimentum apponebat conditio, vera superarit dilectio. Iam vna quodammodò viuebant anima, nec vlla intercedebat differentia. Elisæus etsi magnus, vt luci puerum restitueret, se illi prorsus exæquauit: *Ascendit, & incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius.* Si inquiras, quomodò potuerit pedes cum pedibus contendisse, & oculos oculis applicasse, quando ætas, & natura fecerat inæquales? Respondebit Basilius sic eandem ad mensuram Elisæum amore redactum, vt crederes magnitudine non excedere, sed ipsi pueri mensuræ coæquari. Ita Seleucien- 4 Reg. 4. v. 34.
sis *orat.* 10. [Pueri cadaueri se ipsum instratum applicauerit, nam pueri ori suum os imposuit, nasum naso aptauit, faciem facie fulcit, cum pedibus pedes contendit, pectus imposuit pectori, oculis oculos admouit; paucis denique membris singillatim applicata Prophetæ membra vitam conferebant.] Elisæus, vt Christi imaginem ferret, eiusque amorem erga homines adumbraret, sic puero se adaptauit, & vna vtriusque videretur esse mensura; nam amor quos inuenit dispares, reddit similes, & æquales.

TEXTVS.

VERS. IV. Nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad Balteum.

§. VII.

Genus martyrij est cultioris ornatus pompa renuntiare, & latiori cultu carere.

POmpatico ornatu relucere, & cultus oculos ad se fulgoribus allectare ferè omnium studium est. Placendi ardor artes olim ignotas non sine labore didicit, &, quidquid ad politiorem cultum pertinere poterat, cogitauit. *Agenunc* (aiebat Tertullianus *de Habitu muliebri cap.* 1.) *si ab initio rerum, & Milesijones tonderent,* *Ornatus.* *Martyrium.*

derent, & feres arbores nerent, & Tyrij tingerent, & Phryges insuerent, & Babylonij intexerent, & margaritæ canderent, & ceraunia coruscarent. Ab initio homo ab internis dotibus, & virtutibus censebatur; verùm vbi corrupti mores, vbi inflammatæ cupiditates, qualis quisque sit, ornatus ostendit. Quod de Tyro Plinius *lib. 5. cap. 19.* cuivis homini congruit: *Omnis eius nobilitas conchylio, atque purpura constat.* Lacinioſior vestis, pompatior cultus quandam veluti majestatem mentiuntur; vndè ea magnitudinis denudare testimonia, dura esse aliquibus videntur tormenta. Non adeò ægrè fert tumor, & hominum ambitio luridam famem, vt sordidam, & pannosam vestem. Hinc mirandus Ionathas, qui decantando erga Dauidem amore inflammatus regalia denudauit insignia, indubia veræ amicitiæ dilargitus est testimonia: *Expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid.* Hugo Cardinalis existimat vestium denudatione adumbrasse Christi Domini in cruce nuditatem, & mortem. Eius verba sunt: *Tunica Ionathæ humanitas Christi, qua se expoliauit pro nobis in cruce.* Et quid tunicæ expoliationi cum morte Christi commune? Ionathas remansit florida veste nudus, exuit regalem purpuram; verùm nec acri dolorum morsu diuexatus, nec clauis transfixus; at Christus Dominus spinis lancinatus, duriſſimis clauis transfossus, & ipsa vita nudatus. Ita sanè: sed vt noueris, quàm sit hominibus durum tormentum pompaticis vestibus denudari, & à se cultum abjicere, Ionathas Christum Dominum crucifixum expressit, cùm splendido cultui renuntiauit: tanto pretio apud homines habetur florida vestium pompa fulgere, & ornatus splendore micare. Hinc magnis laudibus dignæ sunt fœminæ, quæ Christi amore his gratis sarcinis denudantur, & vilibus pannis vestiuntur. *Exuite vos* (aiebat Isaias) *& induimini, accingite lumbos vestres.* Nullus ignorat ad martyrium cingulum pertinere, dicente Domino: *Alius te cinget, & ducet quo non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum*: ergo Isaias mortem, seu martyrium cum ornamentorum dispoliatione conjunxit, quia fœminis genus martyrij est margaritas deponere, & pretiosas vestes exuere. *Exuite vos* (inquit Lira) *vestibus gloriosis, & confundemini induentes vos vilibus.* Vilibus indui, gloriosis denudari est strictissimo se cingulo premere, & quoddam martyrij genus subire.

Isai. 32. v. 11.

Ioan. 21. v. 18.

§. VIII.

Nescit verus amor quid sibi retinere, sed omnia delicto discupit dilargiri.

Amor.

AMor à poetis & alatus pingitur, & cæcus & nudus. Agamus modò de nuditate. Qui amat, vt augmenta sibi acquirat, amoris prorsus adulterauit ingenium, sic amare negotiatio est; vtque subærata moneta oculis imponit, & mentito pretio fallit; sic eiusmodi amor falsatus est; amatum fallit, &, vt fallat, amoris speciem assumit. Id inter verum, & solùm ad speciem amicum discrimen est: hic se in amicitia respicit; ille solùm respicit amicitiam. Disertè Seneca *epist. 48. Illi homo pro amico est, huic amicus non est pro homine: ille amicum sibi parat, hic se amico.* Qui amicus putabatur, vel pro homine non est, cùm necessitas vrget, abscedit, qui verè diligit, se totum amicitiæ consecrat, & quidquid fortitur, amici commodis applicatur. Vt Ionathas vero erga Dauidem amore efferbuit, nil sibi retinere passus est, omnia Dauidi obtulit, sibi videbatur injurius, ni nudus prorsus remaneret, & generosè omnia dilecto ornamenta præstaret: [Expoliauit se Ionatas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad balteum. Notauit Hugo: Tunicam, & cætera dare Dauid est omnia bona Christo attribuere, & nihil sibi retinere.] Qui amicitia vti inescato hamo vtitur, nescit diligere, sed piscari. Ab amore jàm discíuerat, quæ pomum sibi concupiuit, ardenter amabat, quæ omnia poma dilecto suo reseruauit. *In portis nostris omnia poma: noua, & vetera, dilecte mi, reseruaui tibi.* Omnium pomorum oblatio amorem attestabatur legitimum, & in dilecti sui commodum generosè propensum. De amore potuit gloriari, dum sibi nihil decreuerat retinere; si quid sibi substraxisset, injuriam amori irrogasset. *Omnia* (inquit Hailgrinus apud nostrum Delrium in mixta) *sine infectionis macula, sine corruptionis putredine seruari tibi tanquam grata xenia præsentanda.* Dulcissimum erat diligenti, omnia dilecto offerre, esset quid sibi possidere satis amarum: nam amor nuditate gloriatur, si non denudetur, affligitur.

Cant. 7. v. 13.

TEXTVS.

VERS. V. Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quæcumque mississet eum Saul, & prudenter se agebat: posuitque eum Saul super viros belli, & acceptus erat in oculis vniuersi populi, maximéque in conspectu famulorum Saul.

§. IX.

Miris laudibus eius extollenda prudentia, qui magna prosperitate euectus aulicorum vitauit odia.

Prudentia. Fortuna. Aduersa. Inuidia.

NAucleri peritia noscitur, si inter speculosas syrtes, & procellosas turbinum difficultates sic aurigarit nauigium, vt illæsum appellat portum. Nauem per serenas vndas ducere non est arduum, in turbido regere difficillimum. Inter truculentas feras incedere, & audaciam, & truculentiam reprimere paucis concessum; verùm licet ferarum truculentiam vitare, & turbinis procellam eludere sit mirandum, supra admirationem esse videtur, ad magnam fortunam repentè efferri, & aulicorum inuidentiam, odiaque vitare. Nam dum quisque putat sibi ereptum, quod alterius videt prouentibus applicatum, nescit morum custodire mensuram, sed ad lineris, & inuidentiæ transit insaniam. Miraculi ad instar fuit Dauidem, cùm repentè exuisset virum agrestem, induissetque Principem, sic omnibus placuisse, vt aulicus aulicorum vitaret inuidiam, iniret gratiam: *Prudenter*

ter se agebat. Vis nosse quantum prudentiæ pondus? super viros belli Præfectus: *Acceptus erat in oculis vniuersi populi, maxime in conspectu famulorum Saul.* Eximia fortitudine leonem discerpserat, vrsum lacerauerat, sed majori se prudentia gessit, dum repentinis fortunæ successibus euectus nulla est aulicorum inuidentia pulsatus. Dauidem videtur alloquutus Cassiodorus 2. *variar.* 28. [Placere meministi cunctis, cùm semper diligenda custodis, silentium in secretis: in actionibus efficaciam in obseruationis labore frequentiam, & quod rarum, continentiæ bonum crebra hominum vitia fecerunt, cùm multis præberes officia, nulli tui operam venditabas. Vocabulum Principis nulla sorde maculasti, seruans dignitatem nominis exercitatione virtutis.] Miris facinoribus, & eximiis virtutibus omnium Dauid promerebat gratiam, fuit tamen miraculi adinstar non sustinuisse aulicorum inuidentiam. *Ab eo tempore* (inquit noster Sancius) *quo sublato gigante abstulit Dauid ab Hebræorum populo dedecus, & opprobrium, omnium gratiam, & beneuolentiam sibi demeruerat.* Omnium demeruerat gratiam eximiis factis, assequi tamen fuit rarum, &, vt exprimitur, insolitum.

§. X.

Qui excelsa dignitate exornatus, omnium sibi deuincit animos, si humanitate, comitateque resplenduerit excultus.

Dignitas. Vbanitas.

AD alliciendos animos vrbanitas felix est incantamentum, & mirandum illicium. Tumor, & elatum supercilium abscondit merita, fouet odia. Qui vrbanè conuersatur, plures defectus tegit, qui superbè, adauget: Ad nuptias inuitati, dum se erga inuitantis seruos incitiliter gesserunt, calamitates sibi procrearunt: *Ciuitatum illorum succendit.* Malus ciuis pernicies cæterorum: ciuitas nigros in cineres est redacta, quia inuitati fastosa intumuerunt superbia. Boni, & mali ad mensam admissi sunt: *Impletæ sunt nuptiæ discumbentium*, quia vrbanitate exornati, & moribus politicis culti. Notauit Gregorius in Caten. *ad Luc.* 14. *Cùm de vicis, & plateis ad cœnam quosdam Dominus vocat, illum populum designat, qui tenere legis vrbanam conuersationem nouerat.* Etsi claudicarent, cæcutirentque, comitas, & vrbanitas eis aperuerunt aditum, & inuitati sunt ad conuiuium. Fastus, & tumor homines reddit odiosos, aliisque inuisos. Vndè Eurypides *apud Stobæum cap.* 22. *Grauis factus ex improbi hominis opinione nascitur. Quicumque ciuium vir arrogans fuerit, is neq; amicis, nec toti ciuitati familiarem se præbet, ac affabilem.* Arrogantia, superbiaque cæteros offendit, & abigit: humanitas, & comitas non solùm allicit, sed vi quadam beneuolentiam extorquet. Quod si ad dignitatis fastigium euectus se cæteris affabilem exhibeat, & humanum, omnium sibi deuincit affectum; vtque magnes ferrum, vel reluctantem conciliat animum; Dauid super militiæ viros constitutus, omnibus refertur acceptus: *Posuit eum Saul super viros belli, & acceptus erat in oculis vniuersi populi.* Qua arte Dauid inuidiam vitarit, & omnium sibi gratiam acquisierit, inquirunt Interpretes. Non quia acceptus Regi, cùm apud Principem valere, sit inuidentiæ flammas injicere. Non quia prospera fortuna vsus, cùm fortunatis, & prosperis plures insidientur aut ingenij peruersitate, aut arrogantiæ liuore. Quomodò ergo Dauid Principi acceptus, & dignitate magna constitutus omnium animos sibi deuinxit, & beneuolentiam promeruit? Quia Dauid (inquit Abulensis *quæst.* 11.) idem Princeps, & pastor, quia nulli injurius, quia eximia erga omnes humanitate præditus, & comitate exornatus: ergo humanitas nasci non permisit odia, & sibi allexit studia. Audi Abulensem: [Quamquam haberet honorem, & potestatem, nemini tamen erat injurius, vel onerosus, sed omnes cum quadam benignitate, & mansuetudine tractabat. Hæc autem maximè fauorem comparant viro in potestatem constituto, vndè nemo erat in populo, qui eum odiosum haberet.] Si potestatis tumore elatus se intractabilem, ac inhumanum præberet, non deesset, qui eius exordia in memoriam reuocaret, & mordaci lingua abroderet; at humanus, & potestate in omnium vtilitatem vsus, in se omnium prouocauit affectum, & generalem promeruit plausum.

Matth. 22. v. 7.

§. XI.

Fauor populi acquirit dignitatem generis prudentia, & gestorum fortuna.

MVltum ab auctore operi claritatis, aut obscuritatis accrescit: adulatio plus attendit personam, quàm actionem, ad proferendam censuram: nam frequenter magnaribus exteriùs plaudunt, qui interiùs eorum facta obscuris linguis abrodunt. Idem ac hominibus, contingere videas actionibus. Qui claris majoribus orti, extolluntur, etsi vitiis inficiantur: qui non adeò nobili origine prognati fauorem non assequuntur, etsi egregiis factis strenui. Auctor frequenter nomen dat operi, etsi aliquando nomen opus faciat auctori. *Quàm multum interest* (aiebat Plinius *lib.* 6. *epist.* 24.) *quid à quoque fiat. Eadem enim facta claritate, vel obscuritate facientium aut tolluntur altissimè, aut humillimè deprimuntur.* Æquale factum, si à minori, non sic extollitur; si à grandi, laudibus miris effertur; verùm ad consequendam famam, ad omnem effugandam inuidiam, vtrumque necessarium est, auctoris videlicet claritas, & in gestis etiam prosperitas; nam aduersa fortuna in se animos commouet; auctoris ignobilitas plausum non inuenit: at si vtrumque conjungitur, fama sine obice incrementatur. Dauid omnium sibi gratiam conciliabat. *Acceptus erat in oculis vniuersi populi.* Generalitatis illi beneuolentiam conciliauit, qua se gerebat prudentia, & qua fruebatur prospera in aggressis fortuna. Notauit noster Sancius: *Dato sibi muneri ita satisfecit, vt nihil tentauerit, in quo quis desiderarit studium, atque prudentiam, nihil susceperit, quod non fuerit secundus euentus consequutus.* Si Dauid imprudenter se gereret, satis non esset felix euentus ad illi acquirendam famam, & licet prudenter se gereret, euentus infelicitas illi conciliaret maleuolentiam; at vbi prudentiæ respondit euentus, generalis fuit omnium plausus: popularis namque

namque fauor oritur ex honesta, ac prudenti actione, & ex euentus felicitate.

§. XII.

Prudentia est prosperæ fortunæ mater.

Prudentia, Fortuna.

MEnte præcellens (aiebat Menander *apud Stobæum cap. 3.*) *vates erit plurimarum rerum: causa intelligentia prudens vtique fuerit restitutionis in meliorem statum.* Prudens vatis adinstar mentis perspicacia futura prænoscit, & pericula sæpissimè eludit, in meliorem faciem restituit omnia prudentia, & dum nullis procedit degeneribus affectibus obscurata, opportuna inuenit calamitati remedia. *Neque latis dorsis præditi* (aiebat *apud Stobæum vbi suprà* Sophocles) *viri tutissimi sunt, sed qui rectè sapiunt, illi vbi vis vincunt.* Non prodest robur, si imprudentia fascinetur, at res succedit fortunatè, si prudentia dirigitur. Plures fauorabilis fortunæ cursum impedierunt, dum prudentiæ pendere non fundati, & nimia præsumptione superbi. Plures fortunam sibi acquisierunt prudentia vsi. Dauid omnibus refertur acceptus, & à Principe ad egregia munia delegatus, quia prudentiæ signa sequutus: *Prudenter se agebat: Posuitque eum Saul super viros belli, & acceptus erat in oculis vniuersi populi.* Prudentia illi acquisiuit Principis gratiam, populi beneuolentiam. *De omnibus negotiis* (inquit Abulensis *quæst. 1.*) *erat prudens ad procurandum illa. Et ob hoc erat nimis diligendus, quia esse prudentem est vna pars, & quasi medietas totius esse, & boni humani.* Ita se in negotiis gerebat, vt nec Principis quæreret populi injuria gratiam, nec Principis offensione populi beneuolentiam: funabuli adinstar ita actiones suas librabat, vt in nullam partem deflecteret, nec sibi periculum procrearet. Qui magnatibus adulantur, solent populi in gratiam subire; qui populi famam exambiunt, magnates solent offendere; verùm Dauid ea se prudentia gessit, vt, cautela semper adhibita, vitaret errorem, sequeretur virtutem. De illo scripsisse putes Cassiodorum 8. *variar. 21. Quia cautela semper adhibita erigit sensum, & dum culpam formidat incurrere, sapientibus se vtilitate aggregare.* Ecclesiasticus, vt Moysis excellentes, ac miras virtutes compendio exprimeret, aiebat: *Dilectus Deo, & hominibus Moyses.* Ad Dei euectus est amicitiam, dum humanam animitus despexit gloriam, apud homines inuenit gratiam, dum fide, lenitateque sibi injuncta solerter absoluit, & monstra humillimis verbis placauit. Secum ferebat Moyses principatum, dum prudens virtutibus resplendebat, & munia sine justa querela tractabat. *Prudentia quidem certè* (aiebat Philo *de Nominum, &c.*) *quæ in studioso inest, ipsius solius est principatus, atque haud aberraret ea præditus, si diceret: Principatus meus est prudentia in me sita.* Vt gubernaculum inter confusa procellarum volumina nauim in portum dirigit, vt contectas syrtes euadit; ita prudentia actionum directrix & hominum fugit inuidiam, & lucratur Numini gratiam: ergo Dauid prudentiæ legem sequutus ab omnibus est dilectus.

§. XIII.

Strenuis militibus sine dilatione conferenda sunt præmia, & honoris insignia.

Milit. Præmium.

HÆc est certa gloria, hæc indubitata sententia frequenter meruisse, per quod homines constat ornari: verùm etsi animus hac gaudeat meritorum conscientia, non potest non marcescere, & ab alacritate cadere, si debitis fraudetur præmiis, nam quod irremuneratum relinquitur, depretiari videtur. [Certantes (aiebat Cassiodorus 8. *variar. 22.*) numerosiori corona glorificat: olympicos currus frequens palma nobilitat: sic vel in leuibus rebus glorioſior efficitur, cui frequenter præmia referuntur. De primo denique proiectu potest esse cunctatio: dum multi fallunt Principis animum, quando facile est illudere, cui semper votum est præstitisse.] Dum meritum adhuc dubium, cunctatio in reddendis præmiis non videtur regimini aduersa, verùm si constet, Reipublicæ commodis inuenitur semper contraria. Non repeteret agonem athleta, si accepta sudore ingenti victoria plus temporis insumeret in præmio assequendo, quàm in superando contrario. Labor ad merendum vires non frangit, immò gaudet ipso labore, qui sperat ob laborem sibi debitam dignitatem; verùm si spes dilatione lassetur, si suspensione animus atteratur, rarus est, qui vitam velit discrimini exponere, & certamina noua subire. Dauid, attrito gigante, tribunus efficitur: *Posui eum Saul super viros belli*, eoque honore inescatus nullum refugiebat laborem: *Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quæcumque misisset eum Saul.* Præmiis inescatus ad omnia reddebatur expromptus, nec posset ad explenda Regis properare mandata, si in curia in petendis honoribus prolixa attereret tempora. [Fuit positus (inquit Abulensis *qu. 1.*) super viros belli, quia cùm cognitum esset eum esse virum nimis animosum, sicut patuit in bello contra Goliath, & esse valdè prudentem, ad habendum se cautè in omnibus negotiis, commissa est sibi cura belli, quia ista duo faciunt ducem esse perfectum.] Clarus prudentia, & armorum peritia ad militiæ tribunatum ascendit, & vt vidit merita remunerata, resumpsit animos ad augenda. Vir egregius permitti non debet otiosus, sed dignis præmiis ad noua incitari merita, & ad salubria Reipublicæ inflammari certamina. *Hæc sunt* (aiebat Cassiodorus 8. *variar. 21.*) *quæ in te æstimamus augenda: vt sicut es conscientia præditus, reddaris quoque honore reuerendus.* Qui conscientia meritorum præditus, honore non lucet remuneratus, animum despondet dilatione distortus, & detrectat subire pericula, si nulla ex periculis sentiat augmenta. Moyses æquitatis, rationisque vindex Ægyptium occiderat, innocuum Israelitã à truculenta illa bellua exemerat; opus fuit solùm vertere, & ad desertorum secreta confugere: ibi Deus, vt in Ægyptios armaret, flammanti, illæsoque rogo conspicuus objectus est. *Apparuit ei Dominus in flammæ ignis de medio rubi.* Nec solùm apparuit, sed virga, qua elementis imperaret, instruxit. Cùm Deus sine florida illa flammarum pompa, sine concessa virga potuerit Moysem in Ægyptum mittere, quærunt

Exod. 3. v. 2.

Interpretes,

Interpretes, cur mirabili ea visione eum oblectarit, & in elementa potestate munierit. Varias rationes adducunt varij, verùm Seleuciensis Basilius *orat. 9.* existimat susceptos pro religione labores visione, virgaque remuneratsse, & ad noua incunda certamina animos remuneratione addidisse: *Agenti inter pecora Deus obycitur, & inuisæ visionis præmium pro susceptis religionis causa laboribus condonat.* Poterat Deus vti Moysis Dominus nouos labores adiungere, quin tantum præmium pro susceptis anteà laboribus condonaret: verùm Moyses forsitan impræmiatus non adeò alacriter mandatum expleret; at vbi vidit antè actos præmiari labores, omnes deuorauit difficultates. Et cur recusaret officium, qui experiebatur pro exantlatis laboribus dignum præmium? Impræmiatus forsitan aut imperium recusaret, aut lentiùs expleret: præmium namque difficultates emollit, & mellit. Ergo Dauid à Ionatha honoratus, à Saule super viros belli constitutus, ad quæcumque eum Saul mitteret, pergebat expromptus, absoluebatque fortunatus.

§. XIV.

In benè constituta Republica plus quàm consanguinitatis suffragium, obtinet eximium meritum.

Respublica. Meritum. Cognatio.

MVltum suadet consanguinitatis suffragium, dum quidquid ab affine, aut cognato geritur, præmijs dignissimum reputatur. Maioribus solent lucere affines honoribus, quàm meritis: verùm in benè constituta Republica plus obtinet virtutum excellentia, quàm consanguinitatis fortuna. *Ideò P. C.* (aiebat Cassiodorus 8. *varior. 22.*) *tot laboribus, tot laudibus clarificato illustri viro Cypriano suggestum quoque Patritiatus addidimus, ne maior esset meritis suis, quàm honoribus nostris.* Noluit optimus Princeps querelam meritis facere, si debitis contingeret honoribus non lucere. Quòdsi meritorum est iniuria debito priuari culmine, quanta erit consanguinitatis solùm titulis postponi: desperat namque, qui non cognatus, dum videtur non posse ascendere ad dignitatem cuectus, & vbi vires præscindit diffidentia, manus euigoratur ad opera: fauendus est præ cognato alienus, si fuerit grandioribus meritis exornatus. Hinc est, quòd Dauid super belli milites fuit Præfectus: *Posuit eum Saul super viros belli.* Verum cum præcedenti capite militiæ Princeps referatur Abner: *Ait ad Abner principem militiæ*, oritur quæstio: Quomodò scilicèt potuit Dauid ea dignitate nobilitari, quando eadem Abner Textus retulit insigniri? Difficultati Interpretum alij respondent, illud munus creatum denuò, vt Danidis victoria dignis præmijs celebraretur: alij Abnero etiam fuisse antelatum, quia factis clarioribus insignitum. Abner Saul erat sanguine coniunctus, Dauid tunc extraneus; nihilominus tamen plus attendit Saul quid exigeret meritum, quàm quid consanguinitatis persuaderet studium. Ita nonnulli apud Abulensem *quæst. 12. Aliquis respondebit, quòd Saul deposuit Abner de principatu militiæ, eò quòd vidit habiliorem esse ad hoc Dauid, cum esset prudens, animosus, & inuenis.* Non est intelligendum, quod Abnerum exaugurarit, vt Dauidem euexerit; ast potuit, vt quem habiliorem experiebatur, militiæ committeret præfecturam, Abnerum ad aliam dignitatem efferre, & negotijs publicis occupare; verùm, vtcumque acciderit, iuxta hanc sententiam collata Abneri cognatione cum Dauidis strenuitate, dignitatem non obtinuit consanguinitas, sed Reipublicæ Danidis vtilis actuositas. Vt hinc discant Principes, superioresque munia impertienda non esse consanguinitati, sed maiori ad illa ritè obeunda aptitudini.

TEXTVS.

VERS. VI. & VII. Porrò cùm reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel canentes, choroque ducentes in occursum Saul Regis in tympanis lætitiæ, & in sistris, & præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.

§. XV.

Vbi ambitio quærit sitienter plausum, inuenire solet despectum.

AMbitionis hydrops ad vlteriorem semper plausum anhelat, verùm vt est cæca, impingit, & corruit. Ne inuideas his, quos felices populus vocat; intus miseri sunt, quantumuis foris splendeant. In aliena potestate felicitatem suam collocarunt, & quia collocarunt, sæpè spebus defraudati ingemuerunt. *Quid id erit* (aiebat Seneca *Epist. 23.*) *nisi vt te exhorter ad bonam mentem? Huius fundamentum quod sit quæris? Ne gaudeas vano. Fundamentum hoc esse dixi: culmen est, ad summa peruenit, qui scit, quo gaudeat, qui felicitatem suam in aliena potestate non posuit.* Non sunt solida gaudia, quæ ab alieno arbitrio pendent, qui aliena expectat suffragia, non solùm est solicitus, sed incertus; sæpè namque quæ teneri videbantur, auolarunt, & sperata deceperunt. Saul decreuit Hierusalem ascendere, secumque Dauid Philisthæi caput manu gerentem adducere, vt sic ab vniuersis, per quas transibat, ciuitatibus iteratæ, faustæque acclamationes ei vti eximio victori penderentur: *Porrò cùm reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel canentes, choroque ducentes in occursum Saul Regis.* In Hierusalem ascendere voluisse Saul plausus ambitione docet Abulensis *qu. 14. Saul ibat per omnes vrbes Israel; hoc autem esse potuit ad indicandum magnum gaudium ex victoria habita contra Philisthinos, & ad ostendendum caput Philisthæi per omnem terrã Israel vt ex eius magnitudine indicaretur magnitudo victoriæ.* Itaque Saul voluit victoriæ, quã acceperat, ostentare magnitudinem, vt sic sibi maiorẽ populi elucraretur fauorem; verùm spebus frustratus est; nam Danidem prætulerunt, & sumptuosiori plausu celebrarunt: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Displicuit Sauli sermo, quia se videbat postpositum, vbi sperabat eximijs plausibus celebrandum. Sic enim solet ambitus maturare sibi tormentum, vbi adaugendum putabat elogium. Leuitæ cuidam seruus, vt ad vrbem Iebusæorum declinaret, persuadere conatus est: *Declinemus ad vrbem Iebusæorum.* Non assensit Leuita, Iudic. 9. v. 11.

Ambitio. Despectus.

Leuita, sed ad Gabaa, aut Ramà contendit; ibi ciues ei contumeliam inferre conati sunt: *Educ virum, qui ingressus est domum tuam, vt abutamur eo.* In vxore illusus est, quam tradidit, vt violentiam redimeret. Stephanus in Allegor. Tilmanni moribus adaptans historiam, ait plures auersari Iebus, hoc est, humiliratem, hiareque ad Rama, quæ sonat excelsum; hic tamen inuenire pro plausu contumeliam, pro laude injuriam: *Nota, quòd Leuites non vult manere in Iebus, quod interpretatur cõculcata, sed in vrbem Rama pertransiit, quod sonat excelsum, & ibi illuditur ei.* In Rama nitere voluit excelsus, & ibi ingemuit illusus; plausus in contumeliam mutatus est, vt notum omnibus fuerit, plausus, celsitudinisque siti æstuantem suis sæpè votis experiri contrarium, & plausum commutari in despectum.

§. XVI.

Plures, cùm nolint æmulari ab aliis gloriosè facta, ardenter inuidere solent elogia.

Inuidia. Elogium. Facinus.

PLures sunt, qui potiùs, quàm sequantur, probent honesta, & reddita honestis factis exambiant ardenter elogia; sibi ipsis molesti sunt, dum iter auersati culmen suspirant. *Fac, oro te, Lucili charissimè* (aiebat Seneca *epist.* 23.) *quod vnum potest te præstare felicem; discice, & conculca ista, quæ extrinsecus splendent, quæ tibi promittuntur ab alio: ad verum bonum spectа, & de tuo gaude.* Nesciunt quid velint, cúmque laus è virtute exoriatur, sic desipiunt, vt renuant virtutem amplecti, & velint laudem potiri. Quæ extrinsecus splendent, discupiunt, eorum originem non attendunt. Dauid cum gigante certamen init, ictu prosternit, eius gladio caput abscindit, & tamen Saul glorioſis factis quæ honestè æmularetur, non inuidit, sed cùm Dauidi debitus redderetur honor, liuore tabuit: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Rediti plausus Saulem perculerunt, & ad inuidentiam amarissimam prouocarunt: *Displicuit in oculis eius sermo iste.* Non displicuit Sauli certamen detrectare, sed displicuit postponi. In tumultu erat, cùm gigas in Dei populum jactaret probra, cum gigante congredi recusauit, amplioribus, aut eisdem ac Dauid acclamationibus celebrari expetiuit. Notauit Abulensis *quæst.* 12. *Licèt non inuideret Saul propter victoriam, quam habuit contra Goliath, immo ex ea nimis gauisus est; inuidit tamen in eo quòd cantabant mulieres de eo propter victoriam.* Itaque Dauid & glorioſis lucebat trophæis, & debitis celebratur encomiis, verùm Saul, quod inuidis frequens est, non angebatur, quòd similibus factis non eximius, sed quia similibus laudibus nullatenus celebratus: gesta honestam non pepererunt inuidiam, laudes procreauere maleuolentiam: virtutes namque minoris habentur, laudes, populique fauores insatiabili siti exambiuntur. Zara cùm totus fuerit in acquirenda purpura, manum retraxit à diuidenda maceria: [Vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: Iste egredietur prior. Illo verò retrahente manum egressus est alter. Dixitque mulier: Quare diuisa est propter te maceria.] Noluit Zara in diuidenda maceria laborare, coccino maceriam diuidenti jure debito voluit frui. Itaq; ab opere diuisit gloriam, & fratris non imitatus virtutem, virtutis concupiuit splendorem. Innuit Hugo hic: *Manum retraxit, quia ab operatione defecit.* Fratri operis laborem reliquit, laudem operis sibi rapuit. Ergo Saul respuit conflictum, sed conflictus inuidit plausum.

§. XVII.

Laus rarò exæquat meritum, sugillatio excedere solet erratum.

Meritum. Laus. Mensura. Error.

PRofusior esse solet hominum malignitas in arrodendo, quàm in laudando. Si quid gloriosè gestum, temperatis laudibus extollitur, si quid erratum cẽsuris durissimis carpitur, dolosa in hac re vtuntur homines statera; laus meritum non exæquat, culpam frequenter excedit obmurmuratio. Dauid aliquale bellici ardoris indicium dedit, dùm sæpiùs quid giganti victori daretur interrogauit. Eius frater, quam præsumebat audaciam, verbis acerrimis carpsit: *Ego noui superbiã tuam, & nequitiam cordis tui.* Quid tunc Dauid? Grauiorem meritò sugillationem conquestus est: *Quid feci, nunquid non verbum est?* Ac si dicat: etsi minus prudenter interrogauerim, graui adeò sugillatione non debui corripi. Transi modò ad victoriæ plausum. Decem millia vicisse dicitur: *Dauid decem millia.* Si Iosephum cõsulas, & Interpretes, inuenies plusquam triginta millia ex Philisthæis deuicto gigante cecidisse, & tamen decem millia referuntur. Ad hæc: Non solùm Dauid inimicos deuicit, sed suis anxio timore perterritis vitam refudit, ignominiamq; propulsauit. Quæ omnia nec plausibus celebrata, nec, vt fas erat, æquis elogiis sunt repetita. Quod si inquiras, cur solùm decem millia Dauidi dederint respondebit noster Sancius, & reprehensionem suprà meritum auctam, fuisse laudem diminutã: [Aliquid majus cantare de Dauid jure poterant optimo puellæ psaltriæ: nempè non solùm multis hominum millibus ademisse vitam, sed etiam millibus sociorum plurimis spiritum, & vitam reuocasse, & ideò illorum fuisse interitum, horum vitam.] Itaque cùm potuerint canere non solùm hostibus ruinam attulisse, sed suorum vitam reuocasse, tacuerunt de vita reddita, & non parum præciderunt de plaga incussa; est enim veluti ingenitum humanæ naturæ vitium laudanda parciùs efferre, errata amplissimè sugillare. Moyses Ægyptium occidit non sine justa causa: *Percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Factum hoc ita ab aulicis condemnatum est, vt Princeps eum conaretur occidere: *Quærebat occidere Moysem.* Hic idem Moyses maria diuisit, traduxit populum, monstra placauit, miranda fecit, nec audio à filiis Israel, vt fas erat, laudibus celebratum. Quod si rationem inquiras, respondeo promptiores esse homines ad exagerandam culpam, quàm ad exæquandam laudibus gloriam. Notauit Philo *lib.* 1. *de vita Moysis*: [Patulas aui aures impleuerunt plurimis calumniis, hinc indè insusurrantes, vt de amittendo principatu redderint solicitum: dicebant enim: Te ipsum aggredietur, nihil mediocre sapit, semper molitur aliquid, ante tempus ad regnum aspirat, aliis pollicetur, alios territat, indemnatos interficit.] Interfectus re erat vnus, plures relatione; augetur namque frequenter, quidquid conciliat inuidiam, vt minuitur quidquid gloriam.

Exod. 2. v. 12.

§. XVIII.

§. XVIII.

Omnis comparatio est odiosa, & litium fœcunda vena.

Comparatio

ALienæ laudes frequenter gratas aures non solent inuenire, quia plures de alterius luce vmbram sibi arbitrantur procreari, & nescias quam injuriam, inferri; verùm tunc exasperatur durius ambitio, cùm facta collatione alium intuetur præferri, seque postponi, tunc namque, vt quam sibi illatam credit, propulsarit injuriam, de præferentibus, aut de sibi prælatis sumere disponit vindictam. Post gigantis ruinam Sauli, Dauidiq; numerosus occurrit puellarum chorus musicis instrumentis instructus. *Cùm reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel, cantãtes, choroseque ducentes in occursum Saulis Regis.* Vt Regem sonoris cantibus honorarent, occurrisse notauit Abulensis q. 14. quod & Textus expressisse videtur, dum ait: *In occursum Saul Regis.* Itaque honorem Regi exhibere exambiebant, sed ab intentione labia discordabant, nam facta Saulis cum Dauidis gestis conferentes, Saulem quidem laudarunt, sed Dauidem prætulerunt: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Si vnum, aut alterum extulissent, inuidiam non inflamassent; verùm dum facta conferunt, dum Dauidem præferunt, Saulem exasperant, & Dauidi periculum creant, nam fœminæ non minus lædunt laudando, quàm persequendo. Elias ob mulieris odiũ arripit fugam, Dauid declinauit ob mulierum benevolentiam contortam lanceam. *Istæ fœminæ* (inquit Abulensis) *exibant in occursum Saulis ad honorandum eum, quia erat Rex: & non dicitur, quod exibant in occursum Dauid, & tamen cùm cecinerunt, multò magis laudauerunt Dauid in cantu suo, quàm Saulem.* Itaque puellarum animus erat Regi plaudere, eiusque victoriã efferre, & quia, quod à subjectis rectè geritur, Principum laudibus applicatur, candido animo, imprudẽti tamen modo Saulem postposuerunt, & comparatione irritarunt: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Hæc puellarum cantinela Sauli non gratulatoria fuit: sed molesta, vt qui discuperet totam illam victoriam suæ prudentiæ, atque virtuti, non Dauidis dexteritati, aut robori adscribi: ergo vt se vidit postponi, iracundia exarsit, & exasperatus ingemuit. Profectò puellæ imprudenter se gesserunt; nulla facta comparatione, etsi totam victoriam Dauidi adscriberent, Regis animum non offenderent; verùm cùm de alterius diminutione alterius adornarunt elogia graui exulcerarunt injuria. Notauit Abulensis jam datus. [Verum est, quòd illæ mulieres fuerunt insipiẽtes, quia non debebant magis honorare Dauid, quàm Regem, etiamsi Dauid hoc mereretur: ideò si voluissent eum nimis honorare, potuissent aliter canere, scilicet attribuentes totam victoriam Dauid, & nihil loquentes de Saule, & tunc fuisset major honor Dauid, & non fuisset aliquod dedecus Sauli, quia dedecus ex comparatione apparuit, cùm daretur aliquid de victoria Sauli, sed major pars decuplò fuerit attributa Dauid.] Aliena elogia frequenter non placent; verùm si alterius diminutione cudantur, vertuntur in tela, & qui ita laudat, altissimè vulnerat: ergo puellæ insipientes fuerũt, quia cùm nulla facta comparatione Dauidem potuissent extollere, maluerunt Regem collatione nimis offendere. Si quis laudandus fuerit, sine alterius diminutione laudetur, nam qui postponitur, irritatur. Collatio litium esse solet copiosa vena, & jurgiorum causa.

TEXTVS.

VERS. VIII. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste: Dixitque: Dederunt Dauid decem illia, & mihi mille dederunt: quid ei superest nisi solum regnum.

§. XIX.

Culminibus elati ferè semper timoris anxietate concussi.

NIsi omnia ista, vndè rixa oriri solet, despicias, non poteris tranquillitate gaudere. Ægrum interna solùm febris molestat; felicem alienæ pestes affligunt, cupiditas insidiatur, spes deturbare adnititur, acquisitus populi fauor invidiam nutrit, & dum aliorum animus variis his cupiditatibus distorquetur, trepidus, ac suspectus semper felicis animus quatitur. *Circumspiciendũ nobis est* (aiebat Seneca *epist.* 14.) *quomodo à vulgo tuti esse possimus. Primùm nihil indè concupiscamus, vndè rixa est inter competitores: deindè nihil habeamus, quod cũ magno emolumento insidiantis eripi possit.* Cùm dignitatum culmina possidentes habeant, quod magno concupiscentis emolumento possit adiri, nequeunt acri cogitationum turbine non jactari, & anxio timore non concuti. Quascumque aduersæ fortunæ minas expauescunt felices, & auro copiosus furis, etiam vbi periculum non est, veretur audaciam, & appropinquare timore illusus grassatorum præsumit armatam copiam. Vt vidit Saul populi erga Dauidem fauorẽ, & gratulatoriam puellarum audiuit cantinelam, vereri incepit auferendam sibi coronam: *Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei super est nisi solum regnum?* Iam incipit calamitatem sibi præsagire, & molestissimis conjecturis vrgeri. *Meditabatur* (inquit noster Sancius) *illud tantum in posterum reliquum videri, vt illi à toto populo, qui cantatricum verba, triumphalemque plausum probasse videbatur, regnũ traderetur.* Itaque dum conjicit gratulatoriam illam cantinelam sibi suspectam, fuisse à populo approbatam, veretur aliquid vlteriùs moliendum, & contra dignitatem communi assensu tentandum. Adeò tristia conjectabatur, vt nequiret frui animi tranquillitate, qui videbatur culminis splendore nitere, dum ab aliis sibi persuaserat exambiri. Iacob placidè tabernaculis morabatur: *Habitabat in tabernaculis*: sed vt matri obediret, frui primogeniti jure solicitauit, & jam timore concutitur, & longi itineris laboribus diuexatur: *Fuge ad Laban fratrem meum in Haran.* Et cur modò fugiat, qui anteà timere non nouerat? Quia jam dignitate fruebatur, quam frater sibi exambiebat; nec enim sine timore poterat possidere, quæ cupiditas suspirabat. *Haurientium sitim concitant* (aiebat Seneca *epist.* 15.) *& inuitant specioſi apparatus.* Nil anteà habebat Iacob, quod alienam incitaret cupiditatem. Iam illi fugere est opus, quia aliena ambitio incutit illi timorem, & secretò disponit necem.

Culmen. Amor.

Gen. 25. v. 27.

Gen. 27. v. 43.

TEXTVS.

VERS. IX. Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa, & deinceps.

§. XX.

Si degeneri affectu exagitetur animus, deprauatur etiam oculus.

Affectus. Oculus.

OCulorum præſtigiæ cordis affectiones ſunt; vtque illuſoriis, magiciſque artibus, quæ rectæ, magorum virgæ tortuoſi apparebant dracones, & venenati ſerpentes; ita opera æmuli, quantumvis honeſta, inuidenti venenata apparent, & tortuoſa; viſus corrumpitur, perſpicacia deprauatur, oculorum pupillæ tranſuerſim aguntur, & jam adulteratis oculis diuerſum colorem indunt objecta, & diuerſa de objectis efformantur judicia. *Quidam hoc genere valetudinis laborant* (aiebat Seneca *lib. 1. natural. quæſt. cap. 3.*) *vt ipſi ſibi videantur occurrere, vt vbique imaginem ſuam cernant. Quare? Quia infirma vis oculorum non poteſt ne proximum quidem ſibi aërem prærumpere, ſed reſiſtit.* Quod corpori, & animo accidere crede. Superbiæ, inuidiæque aër ita reſiſtit; vt homo nil, niſi ſe ipſum aſpiciat, & quid ſibi vtile, ſiuè per fas, aut nefas ſolummodò attendat. Saul, antequam degeneri deprauaretur affectu, aſpiciebat eximiam Dauidis prudentiam, reportatam de gigante admirabatur victoriam, in ritè abſoluendis officiis ſibi injunctis agnoſcebat ſolertiam; verùm, vt eius plauſibus animus eſt immutatus, jam aſpectus nullatenus rectus: *Non rectis oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa.* Iam prudentia videbatur aſtutia; dexteritas jam calliditas; jam erat hoſtis, qui anteà miles; inuidentiæ namque præſtigiis omnia demutauere colorem, & diuerſam tranſierunt in qualitatem. *Circumloquutio eſt dictionis Hebraicæ* (inquit Caietanus) *ſonantis, ſi dici licet, oculator: ita quod legendum eſſet: Et fuit Saul oculator Dauidis à die illo, & deinceps: inuidia ergo vitium odij deſcribitur.* Iam oculus non videbat, ſed obſeruabat, quia inuidentiæ humore corruptus, & odij caliginibus obſcuratus. Phariſæi vbi liuore correpti, & recta oculo-

Matth. 15. v. 14.

rum perſpicacia referuntur priuati. *Cæci ſunt.* Miracula Chriſti illis videbantur commenta, & inita cum dæmone pacta: quod ſani oculi magnis plauſibus miraculum extollebant, idem liuidi commentum execrandum dehoneſtabant. *Inuidia* (aiebat Nazianzenus *orat. 26.*) *tabes poſſeſſorum, virus, ac rubigo eorum, qui ea exagitantur.* Conſonat Zeno *ſerm. de liuore:* [Iſti tales magnanimum quemque virum proterum vocant, conſtantem verò, ac patientem ſine ſenſu doloris appellant, ſobrium acerbum dicunt, juſtum crudelem, prudentem callidum vocant. Prorſus virtutum ſpecies decolorare contrariis, & à malitia ſumptis appellationibus geſtiunt] Inuidia, odiumque confundit ſpecies, & vt ſuæ malitiæ quis plaudat, pro vitiis ſugillat ipſas virtutes. Dum Saulis ſerenus animus, Dauid cenſebatur ſtrenuus, jam peruerſarum paſſionum motibus agitatus delirat oculus.

§. XXI.

Vnum vitium alterum parit, & partum nutrit.

Vitium.

ALiquod eſſet ſolatium, ſi vitium eſſet infœcundum, ſi vnum aliud non gigneret, ſi noxia ſatis prole careret; verùm, vt alter nexus alteri conjungitur, ex quibus longa conficitur catena; ſic improbitas adducit improbitatem, nec ſcit ſola quieſcere, ſed multis proceſſibus ampliari. *Adhuc in proceſſu vitia ſunt* (aiebat Seneca *lib. 7. natural. quæſt. cap. 31.*) *inuenit luxuria aliquid noui, in quod inſaniat: inuenit impudicitia nouam contumeliam ſibi: inuenit delitiarum diſſolutio, & tabes aliquid tenerius, molliuſque quo pereat.* Si aliquod vitium poſſedit animum, inquietat, & in alterum præcipitat. Hinc eſt, quòd Saul fauſtis Danidis acclamationibus offenſus initio rectis non aſpexit oculis: *Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa, & deinceps.* Inuidia dæmonem vocauit, & à nequam ſpiritu innaſus implacabile odium gerit, vtque Dauidem occidat, telum contorquet: *Poſt diem autem alteram inuaſit ſpiritus Dei malus Saul.* Quid tunc? *Tenebatque Saul lanceam, & miſit eam, putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete.* Quæ priùs diſplicentia parturiuit inuidiam, inuidia odium, odium vibrauit telum. Non nouit vitium vno loco ſtare, ſed peſtes alias & parturiuit, & fouit. Innuit Caietanus: *Inuidia initium odij deſcribitur.* Odium ab inuidia prognatum eſt, ne inuidia videretur ſterilis, ſed filio ſe digna fœcundata, quem ſic enutriuit, vt magnis prouentibus adangeret, & dæmonem pædagogum adderet. Herodias ſputciſſimis paſſionibus tradita in Baptiſtam truculentiſſimum odium conceperat: odium molie-

Matth. 14. v. 3.

batur inſidias, vt caput præcideret, & Ioannem de medio auferret: *Herodias inſidiebatur illi, & volebat eum occidere.* Libido attulit odium, odium peperit homicidium. Prodeſt Auguſtinus *ſerm. 10. in nouiſ. Mulier deteſtabilis odium concipiebat, quod aliquando dato tempore pareret.* Nonne vides, quàm connexa ſint inter ſe blanda carnis oblectamenta, inſana odia, & truculenta homicidia? Ob id aiebat Iſaias:

Iſai. 14. v. 29.

De radice colubri egredietur regulus, & ſemen eius abſorbens volucrem. De colubro regulus, de regulo volucris caſus. Notauit Tilmannus in Allegor. *De ſuperbia Dei contemptus, regulus rex ſerpentum eſt.* Quodvis vitium ſecum habet radicem, quæ deteſtabilem producat fœcunditatem: ergo qui ſe vni vitio tradidit, jam contra ſe multa aſciuit.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. X. Post diem autem alteram inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ: Dauid autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies, tenebatque Saul lanceam.

§. XXII.

Quo passu augescit vitium, crescit etiam peccatoris tormentum.

Vitium. Tormentum.

DIfficultatem vobis querelæ submouemus (aiebat Casiodorus 5. *variar.* 15.) *dum in ipsis cunabulis scelera commissa resecantur.* Si vitio adolendi tempus præbeatur, magnis crementis augetur: quo passu crescit improbitas, & peccatoris crescit calamitas: transuersim actis oculis pro veris falsa censemus, & indè nobis solicitamus auxilium, vndè constat promanare tormentum. Vt amens esset, qui ad leuandum humerum adderet sarcinæ sarcinam; sic amens est, qui, vt aliquod quærat anxietatis remedium, nouis incrementis studet aggrauare delictum. Desertam à gratia Saulis animam nactus dæmon occupauit, & miserandum profectum fecit: *Post diem autem alteram inuasit spiritus Dei malus Saul.* Etsi, qua decebat Prophetam, comitate lyram Dauid pulsarit, hac vice non refertur insania repressa, aut calamitas effugata. Olim Saul aliquod habebat lyræ pulsu leuamentum, hic tormentum expressè non refertur aliquomodò mitigatum. Ecqua huius causa? Quia inoleuerat vitium, & adauctum fuerat peccatum. Ita Hebræus Textus: *Profecit spiritus Elohim malus in Saule.* Quo passu dæmonis profectus, & Saulis etiam adaugebatur cruciatus, & infelix vnius prosperitas erat alterius miseranda calamitas. Opportunè Caietanus: *Vexatio maior significatur dicendo: & profecit spiritus, hoc est impulsus internus in Saule, iusto Dei iudicio malus, vtpotè & nocuus, & ad malum.* Dirius torquebatur, dum malus spiritus maiores vires capiebat, & dum hastam in Dauidem eiaculando acerrimi doloris solicitat medicinam, fouet nocentissimam ægrimoniam. Nonnulli, vt inopiæ, aut alterius infortunij dolori medeantur, ad vlteriora recurrunt crimina, & maiora sibi elaborauere tormenta, vt enim inseparabilis est ardor ab igne, ita & angor ab errore. Non retulit Textus expressè Saulis anxietatem adauctam, quia retulit prauitatem inolitam: est namque idem hominem adurgeri, & culpam incrementari. Dives ille miserrimus, vt linguæ sopiat flammam, ad Lazari recurrit inuidiam: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Quæ adurebat linguam, flamma prodibat ab ardore conscientiæ, & sic errabat dives, vt amplius vulnerando conscientiam niteretur sopire flammam. Opportunè Chrysologus *serm.* 122. *Quod agis dives, non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui, & zelo magis incenditur, quàm gehenna.* Præmiserat: *Quos oculos leuas, ipsi non placant iudicem, sed inflammant, non reportant veniam, sed reatum, exigunt pœnarum culmen, non solamen.* Vt quærat refrigerium, auget reatum; cæcus adeò desipit vt non videat, de reatus cumulo maiori linguam fore vstulandam incendio.

Luc. 16. v. 24.

§. XXIII.

Criminis est effectus prudentiam de mentis arce deturbare, & deteriorem amentia insaniam secum adducere.

AMentia: dum priuat ratione, amentem liberat etiam à crimine; at quæ à vitijs solet oriri prudentiæ, rationisque perturbatio quandam affert insaniam à culpa non liberam. Insaniunt homines fædi amoris tabe correpti, aut pestibus liuoris deliri, ea peragunt, quæ amentes non facerent, à ratione prorsus videntur alieni, cùm inueniantur simul actionum reatibus defædati. *Denuntiatio* (aiebat Seneca *Epist.* 94.) *& castigatio insanos coercuit; de illis insanis nunc loquor, quibus mens mota est, non erepta.* Qui habet exactum iudcium, circa fugienda, petendaque rectam sententiã fert: cui mens erepta, nec fugienda nec petenda discernit; qui verò vitijs obturbatus insanit, non ignorat honesta, sed prorsit ad turpia. Eiusmdi insanos admonitio, & castigatio aliquando coercuit: vndè debemus aut mederi menti ægræ, & vitijs liberare, aut vacantem quidem, sed ad peiora procliuem detinere. Adnectit Seneca: *Inter insaniam publicam, & hanc, quæ medicis traditur, nihil interest, nisi quòd hæc morbo laborat, illa opinionibus falsis. Altera causas furoris traxit ex valetudine; altera animi mala valetudo est.* Mala animi valetudo & delinquit, & insanit; quæ à morbo contrahitur, amentia insanit, sed non delinquit. Saul in Dauidem, quem præsentem agnouerat, hastam eiaculatur; cumque nullum aliud sibi superesset remedium, ipse aggreditur auferre sibi prorsus subsidium. Quod si huius causam inquiras, respondebit Caietanus contraxisse insaniam non à corporis ægritudine natam, sed à tetro animi vigore productam; *Prophetabat in medio domus suæ.* Quæ verba sic interpretatur Caietanus: *Hoc est, insaniuit ad similitudinem prophetantium aliena à communi ratione agentium.* Itaque insaniuit ad modum insanientium, quia non erat amentia, quæ mentem eriperet, sed inuidentia, quæ rationem turbaret. Et quæ maior à ratione perturbatio, quàm sibi eripere, vnicam medelam contorquendo in Dauidem hastam? Videbis alias prudentes, & exacti iudicij homines, si vehementi aliqua passione obturbentur, ea efficere, quæ nec furiosus tentaret; anima namque passionibus impedita errat quadam insania possessa.

Crimen. Prudentiæ. Insaniæ.

§. XXIV.

Mali spiritus est indicium occulta aliorum publicare, & quasi Prophetico præuisa spiritu asserere.

ORatio vultus animi est (aiebat Seneca *Epist.* 115.) Vt in vultu quisque cognoscitur; sic ex verbis, & sermone haud difficulter deprehenditur. Cordis malitiam, & ærumnosi animi veternum labia produnt. Inspice, & disces quid lateat. Qui de alienis rebus loquitur,

Murmuratio. Spiritus.

vt abroserit famam, qui tenebris additam eulgat culpam, malo spiritu agitari non dubites. Præcordijs venenum occluditur, sed in labijs, quod latebat, dignoscitur. Sunt, qui audaci lingua, & aliorum genealogias adurente eruditionis sibi opinionem faciant, & sapientum gloriolam alienas actiones sugillando quærant. Serpens præ alijs prudens, aut callidus habitus est, quia venenata lingua Numinis generositatem arrosit, & quam ipse gerebat inuidentiam Numini impudenter applicuit: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Et vndè hæc serpentis calliditas? Ab insolenti lingua, à murmurandi libidine, à nimia loquacitate. Quisquis haberet oculos, in ipsa serpentis lingua velut in pulsu, à malo inhabitatum dæmone agnosceret, nec enim nisi diabolus serpentem induisset, ea verba iactaret. Dei facta in examen vocat: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi.* Quæ malitiosè examinauit, iniquis etiam suspicionibus corrupit: *Nequaquam moriemini, sicut enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri.* Profectò oculos clausos habebat Eua, cùm non vidit ad serpentem non pertinere Dei examinare consilium, & interdicti fructus arcanum. Ipsa serpentis lingua internum prodebat nequam spiritum, & in ipsis labijs non dubium apparebat internorum argumentum. Notauit Basilius Seleucensis *orat. 3. Ictus inuidia serpentem efferatus induit* Adnectit: *Humanitatem simulat, cùm ad eadem accurrat.* Eius verba refert Basilius: *Nam quo consilio, dic mihi, cibo Deus interdixit? Quid spectabili re commonstrata vsu priuauit, cui oblectationem hanc recondit?* O quàm egregius secretorum Dei scrutator! ò quàm pius inquisitor! Quid serpenti cum Dei actionibus? quid cum arboris interdicto? Interrogando carpit, inquirendo condemnat, perscrutando sugillat: latere conatur, sed lingua proditur, & quo Serpens spiritu duceretur, ostenditur. Saulem etiam inuidentia sauciatum malignus inuadit spiritus: *Inuasit spiritus Dei malus Saul.* Verùm etsi occulta fuerit inuasio, inuasorem eulgauit locutio: *Prophetabat in medio domus suæ.* Quid est *Prophetabat?* Alienas actiones examinare, iniquis suspicionibus corrumpere, occultanda vulgare. Ita Lira: *Aliena tanquam abreptitius loquebatur.* Sui oblitus aliorum actiones examinabat, & si quid latebat inglorium, iniqua lingua prodebat. Et expende Prophetam dici. *Prophetabat*, quia fortè eum existimabant Prophetam, cùm tam longè à vera distaret Prophetia, quàm proximè accederet inuidentiæ. *Hic non accipitur Prophetia propriè* (verba sunt Liræ) *sed tantum denominatiuè.* Quem debuissent vti lingnacem, & insolentem reprimere, auscultabant vti Prophetam, & prudentiam existimabant veternosam malitiam, & fortassis vt miserum lucraretur Prophetæ plausum, nihil relinquebat inconcussum. Huc apto quod aiebat Philo de confusione linguarum: *Bella gloriatio captare celebritatem nominis ex his, quæ celari debuerant! sunt tamen, qui valdè sibi rebus talibus placent, putantes indè se lucri facere præclaram existimationem apud homines.* Quid verius, quid vsitatius?

Gen. 3. v. 1.

§. XXV.

Insolentia inuidentium verba honestis factis sunt refrænanda, & vota prudentibus actionibus eludenda.

ETsi mereantur, qui bella volunt, puniri, sunt plures, qui velint: audacibus verbis prouocant, iniquis obtrectationibus irritant, & sibi arripuisse videntur palmam, si euerterint alienam modestiam. Nihil illis adeò amarum: vt sibi inuisi virtutem plausibus celebrari, & veneratione suspici: ergo adnituntur occassiones concinnare, quibus virtutem euertant, & quam habebat, æstimationem corrumpant, quod si assequantur, liuori suo egregiè blandiuntur. At si è contra impetitus tolerantia se contineat, & claris operibus virtutem adaugeat, intolerabili dolore sauciantur, & egregiè distorquentur. *Noli vinci à malo* (aiebat Paulus) *sed vince in bono malum.* Ad quæ Anselmus: *Contende cum malo, sed bonitate: ipsa est enim vera contentio, vel certamen salubre, vt sit bonus contra malum, non vt sint duo mali.* Improbus vincit, si quem odit, iustum à virtute exorbitare compellit, vincitur, si scandalum prouocatus in virtutis conuerterit argumentum Saul implacabili odio in Dauidem exæstuans Prophetabat, fortassè eum verbis prouocans, & dehonestans Quid tunc? *Dauid psallebat manu sua sicut per singulos dies.* Ipsa Dauidis armonia Sauli erat viuidissima flamma: ergo contorquet hastam; verùm & teli expectatione frustratus, & Dauidis modestia egregiè ingemuit distortus. *Dicam* (inquit Abulensis *quæst. 15.*) *quòd tunc eum grauius agitauit, quàm prius torquere solebat.* Grauiori tunc dolore agitatus est, cùm non potuit virtutem Dauidis subruere, nec animi mansuetudinem labefactare. Dives ille inflammatos inuidia oculos leuans, cum Abrahamo controuersiam habere desiderauit: *Mitte Lazarum* Patrem vocat, vt eius pietatem carpat, vt qui non misereatur filij, nec guttam solatij exhibere velit dolori. Quid tunc Abraham? *Fili, recordare, quòd recepisti bona in vita tua.* Dum mira Abrahamus enituit patientia, durius discruciata est inuidentis malitia. Notauit Chrysologus *serm. 123. Adhuc voco filium, vt amarius doleas.* Subijcit: *Voco filium, vt in me meæ patientiæ, & in te tuæ maneat pœna.* Aliquale liuor haberet solatium, si vocando patrem, vt sugillaret crudelem, Abrahami patientiam labefactaret; at Abraham suam patientiam illæsam conseruans blandè respondit, & jam dives amariùs ingemuit: *Voco filium, vt amariùs doleas.* Abrahami patientia fuit contra diuitem flamma, quia quam animitùs desiderabat virtutem dolis, & obmurmurationibus obscurare, expertus est illæsam semper nitere.

Insolentia. Inuidentia. Dehonestat.

Ad Rom. 12. v. 21.

Luc. 16. v. 24.

TEXTVS.

VERS. IX. Et misit eam, putans quòd configere posset Dauid cum pariete, & declinauit Dauid à facie eius secundò.

§. XXIV.

Facilius est dæmonem pellere, quàm liuorem mitigare.

Damon. Liuor.

INuidia plus aliquando animam grauat, quàm quòd possit attolli, immò vt pestilens morbus ad se solet remedia trahere, & quibus erat leniendus, recrudescit: sic liuor beneficijs, quibus sedari erat opus, plus gliscit: Non adeò arduum est de diabolo reportare victoriam, quàm de inuidia palmam: diabolus Ecclesiasticis exorcismis effugatur, sed inuidentia ipsis beneficijs augetur: Opportunè Galfridus in Allegor. Tilman. ad *cap.*8. Hierem. *Vsque adeò incurabilis est ista pernicies, vt blandimentis exasperetur, quia vt idem Salomon ait, nihil sustinebit Zelus, quanto enim amplius aut humilitatis subiectione, aut virtute patientiæ, aut munificentiæ laude profecerit, tantò ille maioribus stimulis incitatur, qui non, nisi ruinam, aut mortem eius, cui inuidet, concupiscit.* Liuor donis intumescit, patientia exasperatur, mansuetudine vritur, solo inuisi sanguine conquiescit, & ruina gaudet. Dauid, vt à malo spiritu possessum liberaret Saulem, mira cytharam dexteritate retractabat; cùmque psalmus, & cythara arma sint in dæmonem, aufugit; verùm Saul paululum à dæmonis exitu leuatus telum in Dauidem contorsit, & de medio tollere studuit: *Misit eam, putans quòd configere posset Dauid cum pariete.* Mira res! dæmon pellebatur, & liuor augebatur. Notauit Theodoretus apud Glossam: *Dauid psallens furorem lenichat dæmonis, sed Saulis minimè sedauit inuidiam. Nam quo eum maiori afficiebat beneficio, eò magis properabat eum occidere.* Vides dæmonis vires Dauidico cantu frangi, & inuidentiam Saulis non minui. Et quidem aliæ vitiorum pestes remedia non respuunt: at liuor, si semel animum occupauit, non videtur sustinere remedia, immò ipsis medicaminibus constat venena adangere mortifera. Huius veritatis Dauid non inscius cum diabolo pugnauit, ab inuido fugit: *Declinauit Dauid à facie eius secundò.* Apud Hieremiam, quàm ægrè morbus hic ad sanitatem perueniat, eleganter exprimitur: *Ecce ego mittam serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* In serpente regulo designari inuidiam testatur vbi suprà Galfridus, aitque pestiferum adeò esse reguli venenum, vt penè remedio careat, immò ipsis remedijs gliscat. Ipsum audi: *Sciendum est, inuidiæ morbum difficilius ad medelam, quàm cætera vitia peruenire: nam eum, quem semel veneni sui peste corruperit, penè dixerim, carere remedio. Ipsa namque est lues, de qua figuraliter dicitur per Propheram: Ecce ego mittam serpentes regulos.* Subijcit Galfridus: *Rectè igitur mortiferis basilisci venenis morbus inuidiæ comparatur, quia primus ille omnium venenorum auctor, & princeps.* Si immitteret solùm serpentes, hoc est, dæmones, honestis incantationibus fugarentur; at regulo non est incantatio, vndè difficilius est reguli venena sopire, quàm dæmonem effugare.

Hierem. 8. v. 17.

§. XXVII.

Qui mulierum, præcipuè pulchellarum, etsi præter opinionem laudibus præponitur celebratus, periculis inuenitur obnoxius.

Mulier. Laus. Periculum.

INter competitores rixa est; quòd si quis falsa opinione ductus alium secum competere existimarit, bellum mouebit. Quisquis pulchellæ alicuius ambiuit gratiam, si animum induxerit, posse alterius amore allici, satis est, vt eum implacabili odio insectetur, & quantumuis ab hac cogitatione alienum pertinaciter persequatur: & quidem mulier, teste Seneca in excerptis, cùm sit animal gloriæ, mobilis satis est. *Nihil tam mobile* (inquit) *quàm fœminarum voluntas, nihil tam vagum, Nouimus veterum matrimoniorum repudia, fœdiores diuortio, malè cohærentium rixas.* Cùm multæ à debita fide discesserint, & stilum facilè verterint, amantium animos metus semper inquietat, & licet vanis suspicionibus lacerat. Quod si aliquod verbum in alterius laudem protulerint, erga eum amore teneri putantur, & ab illo solicitari etiam creduntur; & quamuis laudatus prorsus à cupidine inueniatur alienus, amassium suspicio irritat, & quidquid ad eius commendationem pertinet, vehementer exasperat. Itaque quisquis plausu celebratur, odio vti competitor habetur, & quia laudatus, riualis existimatur. Veritatem hanc (etsi ob aliam causam) fœminæ Dauid celebrantes edocuerunt. Nam Saul, vt laudes audiuit, eam ad insaniam peruenit, vt Dauidem totis nisibus de medio tollere sit conatus, & ni diuina innocentem gratia seruarit, fuisset infeliciter assecutus: *Misit eam, putans quòd configere posset Dauid cum pariete.* Huius odij, inuidentiæque causam puellarum erga Dauidem plausum, & fauorem extitisse constat ex Textu: *Præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Vbi à fœminis vidit celebratum ira incanduit, & oculis non rectis aspexit: *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa.* Profectò Dauid sibi plausum non solicitarat, nec ea cantica composuerat, satis tamen fuit à fœminis dilaudari, vt Saul nisus fuerit de medio tollere. Notauit Chrysostomus apud Glossam: *Donemus non rectè fecisse mulieres. Quid hoc ad Dauidem? neque enim ipse composuerat cantionem, neque eas iusserat dicere. Proindè etiam si indignandum erat, mulieribus oportuit indignari.* Mulieribus ob fauorem erga Dauidem indignandum erat, non Dauid, vt qui nec ambierat gratiam, nec solicitarat beneuolentiam; verùm satis fuit à fœminis celebrari, vt Saul ei intentauerit mortem, & afferre fuerit conatus perniciem. Quod si laus nec exambita, nec procurata sic Dauidem discriminibus obiecit. Quod periculum afferet laus, & fauor, si varijs artibus, & comptis versibus procuratus, & emptus? Amasius, si alterum laudari audiat, suspicionibus vritur; si audierit maritus, jam honori insidias veretur. Vt discant mulieres præcipuè maritatæ solùm maritum laudare, ne contingat suspicionem fouere. Ecce Dauid hasta impetitur, quia à fœminis dilaudatur.

§. XXVIII.

Sæpè, qui totum negotium feliciter absoluerunt, non recusant laudis participem, qui exiguas, aut nullas attulerunt operas, plausus auersentur consortem.

Eximius, Laus Consortium

NVnquam quod ambitioni datur, satis est, præcipuè si quis omnia deberi sibi arbitratur, & insatiabili siti honores conetur. Optimè Seneca 2. *de benefic. c. 26. Nemo non benignus est sui iudex, indè est, vt omnia meruisse se existimet, & in solutum accipiat, nec satis suo pretiose æstimatum putet.* Hoc insitum mortalibus vitium oritur ex nimia sui æstimatione, & laudis auiditate; verùm etsi commune sit plurimis, in eis præcipuè solet inueniri, qui claris alios facinoribus non exæquant, nec decantandis gestis sibi plausum conciliant. Qui magnis elogijs dignus, sæpè consortem plausus admittit, qui inglorius totam sibi laudem exambit, & quam non potuit actionibus promereri, delira ambitione adnititur occupare: immò ea amentia ducitur, vt meruisse omnia sibi persuadeat, & si quid alteri impenditur, iniustè sibi subreptum credat: Saul in tumultu terga vertentium erat, cùm Goliath Israelitas ad certamen prouocaret: Dauid hostem strenuus bellator vicit, & à populi ceruice iugum maturè depulit. Triumphus dignis est plausibus celebratus: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* His vocibus adeò Saul est perculsus, vt in Dauid contorserit hastam, qua factam sibi vindicarit iniuriam: *Misit eam, putans quòd configere posset Dauid cum pariete.* Profectò cantus ille non Saulem, sed Dauidem debuisset exasperare, quando quidem cùm ipse solus totam absoluisset pugnam, aliqualem victoriæ Sauli abscribebant gloriam: *Percussit Saul mille.* Si ergo Dauidi sermo hic non displicuit, cur Saulis indignationem inflammauit? Quia Saul vti gloriæ ambitiosus, & ea occasione ignauus (inquit Chrysostomus apud Glossam) certaminis laborem vitauit sed omnem sibi plausum ambiuit. Chrysostomum audi: *Si indignandum erat, Dauidem potius conueniebat indignari, quod cùm solus totum gessisset, alterum haberet laudis participem.* Dauid miris adeò factis resplendens, quique solus bellum absoluit, non recusat laudis consortem, cùm Saul, qui parum, aut nihil egerat animitus plausus respuat participem. Quod aliquando videas accidere. Sunt, qui dedignentur, irascanturque, si quid alteri videant adscribi, quia ambitionis insania omne sibi arbitrantur deberi. Dauid vt strenuus ad laudis participationem admisit Saulem; Saul eo in prælio satis ignauus nullam laudem discupiebat potiri Dauidem; adeò eius erat corruptum iudicium, adeò laudis inflammatum desiderium.

§. XXIX.

A dignitate à Deo solet detrudi, qui dignos præmio liuido persequitur odio.

Dignus. Odium. Præmium.

BEnè antiqua moderatione prouisum est (aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 37.) *vt laboris sui pretia recipiant, qui publicis vtilitatibus obsecundant: ne quis haberetur præteritus, qui probabiliter fuerat actione laudandus.* In moderatoris iniuriam vertitur, si remuneratio dignis laboribus retardatur; verùm esti irremunerati labores Principem deuenustent, odio habiti exigunt à dignitatis culmine detrudi, quando quidem in Reipublicæ perniciem constat dignitatis culminibus eminere, qui odio strenuos adnititur obscurare. Saulem Deus regno priuat, & quantumuis Samuel profusis lachrymis adnitus fuerit reuocari sententiam, Deus passus non est exorari, nec decretum rescindi: *Vsque quo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet super Israel.* Samuel (etsi præter intentionem) generalitati aduersatur, cùm Saulem possidere culmen adnititur. Plures huius reiectionis causæ concurrerunt: verùm inter alias exigua non fuit hastam in Dauidem contorsisse, & implacabili odio de medio auferre tentasse: *Misit eam putans, quòd configere posset Dauid cum pariete.* Dauid grandi pro Republica discrimini fuerat expositus, eius solicitudine ab anxijs angoribus fuerat populus liberatus: ergo telo, odioque Reipublicæ columen impetere, erat à culmine deturbari, dum quem debuisset plurimis nobilitare præmijs, afflictabat virulentissimo odio, suo perniciem afferebat fastigio. Quis enim cum hoste congredi, & pericula auderet subire, dum libertatis assertor, & hostium profligator habebatur odio, & impetebatur telo? Innuit Chrysostomus apud Glossam: [An non par erat Dauidem post facinus ornare titulo domini columnis inscripto, & publicum seruatorem ciuitatis appellare: Qui regni decus, & ciuitatum fundamenta, & omnium vitam opitulante Dei gratia seruauerit? Quod esse poterat aliud beneficium hoc maius? Per illum vicit Rex, ac principatum retinuit. Qui etiam si à suo capite detractum coronam Danidis capiti imposuisset, nunquam parem retulisset gratiam, sed ampliorem debuisset. Sed quam tandem retulit? Ab illo die suspectum habuit.] Ab illo die Dauid cæca sustinuit odia, mortifera pertulit tela. Itaque dum habetur immeritò proditor, libertatis assertor, Saul à culmine deturbatur, quandoquidem nulla grauior Reipublicæ lues, quàm superior in benemeritos de Republica odio inflammatus, & egregijs conspicuos facinoribus persequutus.

1. Reg. 18. Saul. Dauid. Cæli. 15.

§. XXX.

Quos videt diabolus eximijs virtutibus efflorere, persecutione aggreditur à virtutibus deuiare.

QVi eximijs probatur virtutibus emicare, certum est humani generis hostem distorquere. Hinc est, quod solicitè adnititur dæmon excitatis

Virtus. Persecutio. Dæmon.

excitatis persecutionibus virtutem extinguere, aut saltem virtutis studiosum tædio à recto tramite auertere. Cùm Tolonicus miris efflloreret virtutibus, cùm fortissimum bella probassent, & consilia sapientem proderent, hostes nulli laborari parcebant, vt caperent, aut reprimerent. Prodest Cassiodorus 8. *variar.* 10. *Hunc & hostibus capere, & nostris defendere necessarium fuit. Quapropter excitata sunt Gothorum, Francorumque validissima tempestate certamina.* Non adeò in Tolonicum sæuæ excitarentur tempestates, ni adeò eximiæ eius efflorerent virtutes; verùm quia dubijs in rebus eius relucebat prudentia, quia conglobatis hostibus decertando eius agnoscebatur peritia, quia inimicos à suis desiderijs retardabat solertia, tempestatum sunt excitata volumina, si quiuerint fructibus debilitare, aut à recto tramite auertere. Nec aliter Dauidi accidit. Vt vidit dæmon pro fide, religioneque stare, vt pericula vidit intrepido animo pro omnium salute subire, Saulem inuadens contra Dauidem commouit, si posset eius animum persequutionibus frangere, aut saltem tædio erga virtutes afficere. Saul à dæmone possessus hastam contorquet, & Dauidem exerrare compellit: *Declinauit Dauid à facie eius secundò.* Quod modò dæmon per Saulem, sæpè testatur Glossa Moralis tentare dæmonem per magnates. Eius verba sunt: *Sic diabolus potentes huius sæculi studet incitare ad odium amicorum Christi, & non solùm ad odium in corde, sed etiam ad persequendum in opere: in cuius figura Saul voluit Dauid cum lancea perforare.* Itaque dæmon Saulem instigabat, vt hastam potestatis insigne contra Dauid verteret, & totis viribus oppugnaret. Aspicies aliquando viros religiosos iniquis linguis abrodi, & quia virtutem eximiè colunt, durè afflictari; nam diabolus, vt dolori suo blandiatur, pro instrumentis ad hoc opus vtitur magnatibus, & potentibus. Vbi Elias contra Baal Prophetas pro religione pugnauit, Iezabelis odium incurrit, potentia armata desæuijt, & ad desertorum latibula fugere compulit. Ibi Elias vitam tædio habuit, ibi se proiecit, & sub iuniperi vmbra obdormiuit: *Proiecit se, & obdormiuit in vmbra iuniperi.* In hoc Eliæ somno arbitratur Glossa Moralis aliquem in virtute torporem designari. *Tæpor* (ait) *aliquando nominatur in scriptura sopor.* Ad hoc diabolus Iezabelem instigabat, vt Elias persecutionibus afflictatus virtutem relinqueret, aut teperet. Eliæ somnus jam erat dæmoni triumphus. Vicit Elias ab Angelo erectus; verùm in se ostendit quanta dæmon per sæculi magnates persecutionum volumina in Dei seruos excitet, vt ad virtutis adducat tædium, & ad laboris fastidium: cogitur enim, ni diuinum adsit auxilium, animo cadere, qui experitur ob virtutem persecutionibus circumvolui.

3. Reg. 19. v. 5.

§. XXXI.

Sæpè vt prauitatem nostram excusemus, instigatori diabolo adscribimus.

Excusatio. Diabolus. Dæmon.

QVia vitia nobis nequeunt approbari, & quia nolumus relinquere, aliquam excusationem prætendimus, & jam tempori, jam dæmoni adscribimus, quasi perpetremus culpam non tam propria voluntate, quàm diaboli instigatione. *Nos sine duce erramus* (aiebat Seneca *Epist.* 50.) *& dicimus: Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest viuere. Non ego sumptuosus, sed vrbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum vitium, quòd iracundus sum, quòd nondum constitui certum genus vitæ Adolescentia hæc facit.* Adnectit Stoicus: *Quid nos decipimus? Non est extrinsecus malum nostrum: in visceribus ipsis sedet & ideò difficulter ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus.* Studiosa ignorantia morbos nostros detrectamus agnoscere; & externis causis applicamus, quia cupimus dedecus euitare. Alter ait: se à dæmone falsum, alter instigatum, quasi scelera potiùs dæmoni debeant abscribi quàm malitiæ propriæ adsignari. Saul, vt Interpretibus placet, à dæmone liberatus in Dauidem lanceam contorsit. Fugit Dauid: *Declinauit Dauid à facie eius secundò.* Quid tunc? Dauidem conatur reducere, allegans hastam non tam à se, quàm à dæmone contortam, immò sine vlla sui culpa libratam. Ita Lira; *Saul reuocauit eum, fingens quòd non feciſſet ex proposito, nec ex odio, sed nesciens quid faceret agitatus à dæmonio.* Itaque culpam suam dæmoni adscribebat, vt eam leuaret, & Dauidem nouis periculis irretiret. Non ignorabat malum suum ipsis in visceribus insidere, sed malebat dæmonibus applicare. O quoties dæmones iustas de hominibus darent querelas, dum, quæ ipsi malitiosè perpetrant, dæmonibus applicant: si fas est dicere, aliquando excogitatis ad delinquendum artibus dæmonem homines euincunt, & culpam ei applicari volunt. Ecce Saul diabolicæ malitiæ voluit esse, quod suæ erat inuidiæ, & maleuolentiæ. Fabula est, dæmonem culpam suam ei applicanti respondisse, se talia neque excogitasse vnquam, nec inuenisse: ergo te non seducas dæmoni applicando, quod perpetras cæcutiendo.

§. XXXII.

Ita alterius saluti est prouidendum, vt proprium periculum sit vitandum.

Zelus. Periculum.

QVi peste laborantibus medentur, antidoto prouidenter armantur, ne ipsi, dum ab alijs mortiferam propulsare conantur luem, lethalem contraxerint sibi pestem. Vrget charitas, vt discrimini alterius subvenias, sed in rebus animæ prouidendum est, ne & tu subeas. Nonnullis, dum feras conantur venari, dum student mansuefacere, contigit earum morsibus disperire: omni vigilantia, circunspectioneque est opus à vitijs hominem reuocanti, ne, dum alienum solicitat auertere detrimentum, maturarit sibi graue periculum. *Feras cum labore, periculoque venamur* (aiebat Seneca de vita beata *cap.* 14.) *& capturum quoque illarum solicita possessio est; sæpè enim laniant dominos.* Imprudens est, qui vt feritatem mitiget, sibi non præcauet. Moyses à virga in serpentem versa aufugit, ne, dum Israelitas adnititur liberare, mortifero contingat ipsum veneno perire: *Versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* Stephanus in Alleg. Tilman. fugisse ait, ne dum alios liberare ab Ægyptiorum erroribus satagit, ipse à serpente morsus intereat: *In colubrum vertitur, cùm de potestate peccatum egreditur, quod fugere debemus. Vndè quasi à facie colubri fuge peccatum.* Suis nos factis edocuit. Moyses, proximis subueniendum, sed omne peccatum solerter vitandum. Moysem Iotheri oues pascen-

Exod. 4. v. 3.

tem Philo lib. de Agricultura depingit: *Cauentem ipsi ab omnibus insipientiæ, iniustitiæ, cæterorumque vitiorum laqueis, inducentem verò in eruditionis, virtutumque reliquarum dogmata.* Itaque vt benè quis artem pastoritiam exerceat, priùs à lupinis rictibus debet distare, & ad pascua florida oues perducere. Quòdsi animaduertat graue sibi imminere discrimen, abstinebit, & sibi consulet. Hinc est, quòd Dauid per singulos dies cytharam retractans, vt à dæmonis incursu Saulem eximeret, vt vidit contortis in se telis periclitari, se subduxit, & ad tuta properauit: *Declinauit Dauid à facie eius secundò.* Ad patrem confugit, ad Deum recurrit, ne dum imprudenter alienam solicitat salutem, ipse miseram patiatur ftragem. Notauit Lira: *Nunc iterum rediit ad patrem, ostendens periculum, in quo fuerat.* Prudentiam suam Dauid obscurasset, si vt Saulem à dæmone eriperet, dæmonis se telis exponeret, & exiret diabolicis fraudibus vulneratus, qui ad Saulem venerat medicus. Spiritualibus viris norma eiusmodi factis præscribitur, vt videlicet priùs propriæ perfectioni attendant, ne dum alios adnituntur criminibus liberare, piaculis se contigerit irretire Dauid adest opem laboranti allaturus, sed fugit pericula appetere sibi expertus: *Declinauit Dauid à facie eius secundò.* O bona, & pronida fuga qua diabolica frustrantur tela: *Nunc iterum rediit ad patrem, ostendens periculum, in quo fuerat.*

§. XXXIII.

Detestabilis adeò est ingratitudo, vt quem non pudet dæmonibus inseruire, fugiat ingratus videri.

Ingratitudo.

EO res deuenit vt periculosissimũ sit magna in aliquos beneficia conferre: palam fateri verentur, vt sua potius virtute; quàm aliena consequuti dicantur; rariores in eius officijs sunt, cui plus debent. Benè Seneca *lib. 2. de Benefic. c. 24. Alij pessimè loquuntur de optimè meritis. Tutius est quosdam offendere, quàm demeruisse: argumentum nihil debentium odio quærunt.* Non patitur auiditas quemquam esse gratum, nunquam enim quod datur, ambitioni satis est; verùm etsi argumentum nihil debentium odio quærere magna sit ingratitudo, ideò quærunt, vt manifestam ingratorum notam effugiant; nec enim tam verentur ingratitudinis veritatem, quàm opinionem. Adeò indecorum est notam ingratorum subire, & benefactori non respondere, vt qui non erubescunt alijs vitiorum pestibus infici, ingratorum animitus conentur notam effugere. Hinc solutionem accipit illa quæstio, cur scilicet Saul tandiù iram pectori occulerit, nec hastam in Dauidem contorserit? Si anteà Dauidis familiaritate vtebatur, cur expectarit id tempus, quo cytharam retractaret? Quia Saul nolebat palam ingratus, videri, ideò distulit, quousque Dauid cytharam pulsaret, & contra dæmonem medelam afferret; tunc enim, etsi cantu dæmon pulsus, existimaretur insanire, & à mente alienum hastam vibrare. Itaque si anteà lanceam mitteret, haberetur ingratus; si tunc contorqueret, à dæmone diceretur possessus: ergo inter vtrumque extremum elegit existimari à dæmone possessus, ne palam diceretur ingratus. Ita Abulensis *q. 18. Si emisisset lanceam ad percutiendum eum aliis diebus, quando erat sanæ mentis, videretur hoc agere iniquè; ideò quando nunc à dæmone arreptus, & putaretur ab omnibus insanire, emisit lanceam ad Dauid, vt dato quod occidisset eum, non putaretur ab intentione egisse, sed propter insaniam & nesciens quid ageret; & sic consequeretur intentum, & non argueretur criminis.* Ne apertam ingratitudinis notam subiret, diù indignationem repressit: ab exordio discupiebat Dauidem occidere, verùm expectauit tantisper, quousque à dæmone corriperetur, vt cantu leuatus hastam posset mittere, & infamiam ingratitudinis deuitare, dum præter intentionem Dauidem occidisse putatur, & à dæmone correptus habetur. Itaque non erubuit arreptitij notam, & ingratitudinis erubuit infamiam. Quid enim homini indignius, quàm à feris vinci, & vices benefactori non rependere? Vel bruta beneficia sentiunt, & gratitudinis signa produnt: ergo cùm nec in brutorum censu ingratus admittendus sit, Saul ingrati manifestã opinionem callidus voluit vitare, etsi dæmonem non erubuerit admittere. Adde: omni flagitiorum crimine infectos, & eos etiam, quibus libido delinquendi est, non sic à terra omnium matre excludi, vt eis denegarit sepulturæ beneficium, & quietis aliquale solatium, cùm ingratos ad speciẽ respuat, verita quodammodò contagium, & probrum. Legioni dæmonum immundorum in corde sedem homo miserandus concesserat, & nihilominus inuenit, quo lateret, sepulchrum. *Domicilum habebat in monumentis.* Transi ad Iudam, qui post magistri traditionem laqueo suspensus interijt: *Laqueo se suspendit.* Rabbanus existimat adeò cœlo, tellurique perosum extitisse, vt tellus respueret eum contegere, & cœlum non dignaretur admittere. Audi Rabbanum in Caten. D. Thom. *Suspendit se laqueo, vt se ostenderet cœlo, terræque perosum.* Itaque tellus, quæ immundis spiritibus refertum non excluserat, ingratissimum Iudam non admittebat, quasi crimine sibi dandum existimaret ingrato fauere, & suis visceribus occultare. Adeò est ingratitudo indecora, adeò creaturis omnibus detestanda.

§. XXXIV.

Totum peccatorum studium est delicta committere, & conuinci posse vitare.

NIl studiosiùs homines satagunt, quàm peccata admittere, & opinionem peccatorum vitare; timent posse redargui, non verentur scelestis infici, quasi malum non sit, quod præcordijs insidet, sed quod exterius apparet; haberi peccatores nolunt, esse non respuunt. *His consentiamus* (aiebat Seneca *Epist. 97.*) *mala facinora conscientia flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eò quod perpetua illam solicitudo vrget, ac verbera, quod sponsoribus securitatis suæ non potest credere.* Adnectit: *Ideo nunquam fides latendi sit etiam latentibus, quia coarguit illos conscientia, & ipsos sibi ostendit.* Verum dixit; verùm peccatores non timent à conscientia redargui, sed ab hominibus conuinci; non dubitant, quales intrinsecùs sint, quia conscientia illos sibi ipsis ostendit; ad laborant tamen totis nisibus externè sibi dissimiles apparere, despiciunt conscientiam, externam adnituntur vitare notam. Ob id Saul, cùm lethale contra Dauidem visceribus odium aleret, à teli iactu abstinuit, quousque opportuna occasione, & necem inferret, & criminis condemnari nequiret. Arreptus à dæmone Danidis cãtu lenatus est, & vt se sensit leuatũ, hastam in Dauidẽ, quem præsentem nouerat, eiaculatus est: *Tenebat Saul lanceã, & minuebat eã, putans quòd configere posset Dauid cũ pariete.* Si antèquã à dæmone corriperetur, telũ mitteret adularetur

adularetur odio, sed agnosceretur denigratus peccato; at cùm cytharæ cantu leuatus, qui nuper à dæmone possessus, inferebat necem, vitabat criminis opinionem, quandoquidem eo temporis articulo omnes existimarent præter intentionem hastam misisse, & Dauidem vulnerasse. Ita Abulensis q. 18. *Si emisisset lanceam ad percutiendum eum aliis diebus, quando erat sanæ mentis videretur hoc agere iniquè; ideò quando nunc erat à dæmone arreptus, & putaretur ab omnibus insanire, emisit lanceam ad Dauid, vt, dato quod occidisset eum non putaretur ab intentione egisse, sed propter insaniam, & nesciēs quid ageret.* Attentiùs audi, quæ sequuntur: *Et sic consequeretur intentum, & non argueretur criminis.* Itaque Saul crimen amabat, & criminis opinionem fugiebat; desiderabat non posse argui, exambiebat delinquere, vt in se peccantium mores exprimeret. Sunt namque plures, qui per otium meditentur eludere argumenta, & perpetrare delicta.

TEXTVS.

VERS. XII. & XIII. Et timuit Saul Dauid, eò quòd Dominus esset cum eo, & à se recessisset. Amouit ergo eũ Saul à se, & fecit eum tribunum super mille viros, & egrediebatur, & intrabat in conspectu populi.

§. XXXV.

Peccatores ita cæcutiunt, vt animæ detrimenta contemnant, & incommoda temporalia totis nisibus effugiant.

Peccator. Incommodum.

DOlosa adeò statera pensant homines euanida, & solida, vt pluris æstiment, quæ minus valent: si quid de voluptate, aut splendore posse præcidi vereantur, prouida solicitudine anteuertere periculum adnituntur; interna damna non angunt, quantumuis conscientia reclamet, & ad vitanda solicitet. *Lenienda sunt* (aiebat Seneca *Epist.* 40.) *quæ me exterrent, compescenda, quæ irritant, discutienda, quæ fallunt, inhibenda luxuria, corripienda auaritia.* Nil horum raptim debuit fieri: nec enim medicus ægros in transitu curat; verùm sic animæ salus despicitur, vt nec in transitu procuretur, verùm quæ euanida raptim debuerunt tractari, per otium discutiuntur, & si pericula appareant, solerter vitantur. Agnouit Saul Deum à se recessisse, audiuit erga Dauidem populi acclamationes, expertus est eius prudentem solertiam, cùmque Deum sibi reconciliare contempserit, Dauidem à se amouere vigilantissimè studuit: *Timuit Saul Dauid, eò quòd Dominus esset cum eo, & à se recessisset. Amouit ergo eum Saul à se.* Si prudentia grauiori periculo, vrgentiorique detrimento debet consulere, quomodò Saul totus est in Dauidem amouendo, nec curat Deum placare, animum expiando? Amoueat timor, quod suspicatur periculum, sed satagat Deum ad se allicere, quandoquidem eius distantia longè grauius est detrimentum. Proh hominum cæcitatem. Reuerà experitur Dei distantiam & solùm inanibus suspicionibus posse sibi nocere Dauidis arbitratur præsentiam, & cùm totus sit in anteuertendo, quod suspicatur, temporale periculum, nil agit, vt animæ vitarit damnum. *Amouit ergo eum Saul à se.* Et cur Deum à se amotum sibi non conciliet, & trahat? Quia Dei distantia erat animæ periculum, Dauidis præsentia temporale, vt rebatur ipse, incommodum. Adeòque homines parui æstimant Dei recessum, sic satagunt temporale vitare incommodum, vt Saul Dei non solicitet amicitiam, & Dauidis vitet præsentiam. *Putabat* (inquit Abulensis q. 19.) *quòd acciperet regnum fretus fauore populi.* Stabilire Dauide amoto studuit coronam, Numinis despexit absentiam. O quanta solicitudine ascisc itur ad depellendũ morbum medicus, quanto studio contra paupertatem inuigilatur, quanta solertia dignitas exambitur, cum Dei recessus conscientia etiam stimulante paruipendatur, nec de animæ salute curetur.

§. XXXVI.

Peccatores in ipsa felicitate timidis solicitudinibus adurgentur, iusti ipsis in periculis interna tranquillitate fruuntur.

Peccatores. Iusti. Solicitudo. Tranquillitas. Periculum.

QVi se totum virtuti tradidit, supra olympum degit turbinibus impetitus, aut si impetitus, non motus. Procellæ intumescent, venti horrendum sibilabunt; ipse verò infra se omnia adspiciet interritus, & tranquillus. *Talem animum esse nostrum volo* (aiebat Seneca *Epist.* 84.) Adnectit: *Quomodò, inquis, hoc effici poterit? Assidua intentione, si nihil egerimus nisi ratione Suadente.* Si rationi, iustitiæque paruerimus bonæ conscientiæ clypeo protecti, & cœlesti luce manu ducti, fortunæ aduersæ tela frustrabimus, & firmo, fixoque vestigio hærebimus. Qui volaticam felicitatem sitit, solicitudinem sibi adauget; nequit sine solicitudine possideri, quod à multis constat ambiri. Dauid iaculis per insidias iactis impetitur, à Rege potentissimo affligitur, & quamuis audiam prouida fuga subductum, non audio timoris stimulis agitatum. Verùm Saul ipso in dignitatis culmine percellitur acri timore, & anxia solicitudine. *Et timuit Saul Dauid, eò quòd Dominus esset cum eo, & à se recessisset.* Et cur Dauid non expaueat Saul, potestate obarmatũ, & à Domino derelictum? Profectò maior Dauid timoris ad speciem erat causa, Sauli aut leuissima, aut nulla: nam quid Rex potentissimus ab homine priuato vereatur? Et quid priuatus homo à Rege indignatione inflammato, & inuidentiæ flammis adusto non suspicetur? Et tamen Saul in ipso culmine non quiescit internis anxietatibus pressus, cùm Dauid inter ipsa periculorum volumina internè degat tranquillus. Ecquis hoc ait? Ipse profectò, dum canit: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Hoc vnum desiderabat, & expetebat, Deo scilicet placere, æquitatique viuere: ergo cùm hoc bono, Dei auxilio internè nato frueretur, illa, quæ homines horrent, despiciebat, & quæ exambiunt, proculcabat: ergo nesciuit timere, quia didicerat nec ipsam vitam desiderare. Verùm Saul internis dotibus denudatus, & insidiosè exterius splendoribus cæcus nequibat non angi, quia quæ sitienter ambiebant, poterant eripi. Opportunè Abulensis *quæst.* 19. *Credebat Saul, quod præualeret contra eum, ideo timebat.* Itaque in ipso dignitatis fastigio aduersam extimescebat fortunam, & timor afferebat secum tormentum. Virtutis alumni à fortuna non pendent, eorum bona interna sunt; quæ ambitio anhelat, contemnunt, & dum agnoscunt his non posse bonis nudari, nesciunt externa timere.

Psal. 26. v. 3.

§. XXXVII.

Si inuidia ambitioque inuaserint præcordia, quantumuis sibi vtilia alterius auersabuntur augmenta.

Ambitio. Augmenta.

RElinque ambitum (aiebat Seneca *Epist.*84.) *tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum: tam solicita est, ne quem ante se videat, quàm ne post se alium. Laborat inuidia, & quidem duplici. Vides autem, quàm miser sit is, cui inuidetur, sic & inuidet?* Qui ad id peruenit ambitionis delirium, vt solus splendere discupiat, miser est, nam proprijs accrementis distorquetur, si cum aliena gloria esse coniuncta arbitratur. Et quid miserius, quàm eo in statu versari, in quo & calamitas diuexet, & felicitas. Saul Dauidem extimet, & à se amouet. Quodsi rationem timoris inquiras, jam Textus tradit: *Timuit Saul Dauid, eò quòd Dominus esset cum eo, & à se recessisset. Amouit ergo eum Saul à se, & fecit eum tribunum super mille viros.* Dauidem ad dignitatem tribunatus euexisse, vt confligens cum hostibus disperiret, tradit Lira: *Non propter honorem suum, sed vt egrediens ad belli pericula occideretur.* Inquires: Si quicquid gloriæ, triumphorumque Dauid acquirit, in Saulis commodum cedit, cur suspirat Dauid mortem, ex qua ipsi tanta incommoda, & auersatur vitam, ex qua tot, & tam præclara incrementa? Quia ea inuidentiæ phrænesi laborabat (inquit Hugo) vt ob ipsam causam, qua debebat salutem procurare, eius sitiret cædem, & solicitaret mortem: *Eò quod esset Dominus cum eo. Cùm propter hoc potiùs deberet diligere.* Dominum esse cum Dauid idem erat ac in omnibus prosperari, dæmonem cantu abigere, gigantem primo ictu prosternere, hostes in certaminibus atterere, aut profligare. Quæ omnia Saulis erant commoda, quandoquidem hostium deuastatione extendebat regnum, & effugato dæmone potiebatur salutis commodo; ad eam tamen ambitiosus, inuidusque perueniit insaniam, vt suam potiùs eligeret cum Dauidis detrimentis miseriam, quàm cum eius elogijs amplissimam gloriam. Quàm erat miser Saulis status, quando suam ipsius auersabatur fortunam, ne Dauidis audiret elogia. Perbellè noster Sancius: *Quid magis à sana mente alienum, quàm dolere, quòd res tua felicem sortiantur exitum, quia ex tuis commodis alteri aliquid accedit nobilitatis, & gloriæ.* Quoduis Dauidis egregiũ factum Saulis erat dignitatis fulcrum, vtpotè cui inseruiebat, & militabat; verùm sic eius animum duo potentissimi rationis, atque consilij inuaserant hostes, inuidia videlicet, & ambitio, vt mallet suam perniciem, quàm Dauidis laudem. Tribunum effecit, non vt sibi acquireret trophæa, & sed vt pateretur aduersariorum spicula. Cùm damnatis ex aliorum infortunio nullum accrescat commodum, immò, vt Theologis placet, accidentale aliquod resultet tormentũ. Purpuratus ille Lazarum ad infernum adnititur trahere, & guttam aquæ fatetur sitire: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Profectò fabri ferrarij aquæ guttulis solent carbones aspergere, vt vinidior exurgat flamma ea excitata materia; & sic dives desipit, vt petat guttam, qua adaugeat flammam. Et ad hæc: Cùm non cœlesti aqua digitus intingendus fuerit, sed ea Cocyti, quæ iuxta se fluebat, vt notauit Chrysologus, non tam afferret ea aqua doloris solatium, quàm incrementum. Quomodò ergo adeò desipit, vt augere sibi solicitet pœnam, qui vidébatur expetere medicinam? Quia ad eam luoris rabiem deuenerat (inquit Chrysologus) vt mallet sibi pœnam incrementari, quàm Lazari felicitatẽ videre. Ipsum audi *serm.*122. *Vt video, quod agit dives, non est nouelli doloris, sed luoris antiqui, & zelo magis incenditur, quàm gehenna: est graue illis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptus, videre felices.* Itaque dives, vt Saul etiam, ne inuisi videret gloriam, sibi adnitebatur augere pœnam.

Luc. 16. v. 24.

§. XXXVIII.

Sæculi honores sunt intertexti periculis, & quæ videntur commoda, insidiarum sunt retia.

PRæteri (aiebat Seneca *Epist.*84.) *istos gradus diuitum, & magno aggestu suspensa vestibula: non in prærupto tantum illic stabis, sed in lubrico.* Adijcit: *Quæcumque videntur eminere in rebus humanis, quamuis pusilla sint, & comparatione humilimorum extent, per difficiles tamen, & arduos tramites adeuntur.* Quæ videntur alta, prærupta sunt, & arduos, ac periculosos clinos opus est ascendenti superare. Latitat in his itineribus sagax inuidentia, quæ multiplices obtendit insidias, & in hoc lubrico, qui citatior, aut lapsus corruit, aut hæret. Hinc est, quòd Saul teli iactu frustratus maiora Dauidi pericula cogitarit, & ad tribuni dignitatem euexerit: *Fecit eum tribunum super mille viros.* Honoris specie voluisse non Dauidem nobilitare, sed plurimorum hostium telis obijcere testatur Lira. Itaque Saul, quòd iacto per insidias telo non est assecutus votum, modò adnititur assequi, Dauidem efferendo ad dignitatis fastigium. Et quidem non vnum jam spiculum, sed multa in illum collimabantur: milites heri pastorem, hodiè Principem non laturos credidit: Magnates captiosas technas, vt deturbarent, obtenturos sperauit; aduersarios acrior oppugnaturos præsumpsit, & ob id ad tribunatum euexit, quasi jam chiliarchus grauius haberet periculum, quàm dum declinauit telum. Notauit Lira: *Fecit eum tribunum, non propter honorem suum, sed vt egrediens ad belli pericula occideretur.* Nouit nullam dignitatem carere competitore, & certamine: ergo multis prætulit, quo citiùs aut hostilibus iaculis pereat confossus, aut inuidentiæ, ambitionisque adsultibus deturbatus. Tribunatus videbatur laboris præmium, & erat structum à maleuolentia periculum. Qui Dauidem spectarent super mille viros tribunum, putarent fortunatum; qui rem acutioribus oculis introspicerent, inuenirent hostilibus telis obiectum. *Vidi impium* (aiebat Psaltes) *superexaltatum super cedros Libani, & transiui, & ecce non erat.* Et cur adeò citò esse desiit, qui exaltatus adeò resplenduit. Iam respondet Ezechiel: Quia videlicet nunquã desunt rapaces aquilæ, quæ cedro insidientur, vt viridantiũ floriditas frondium aut arescat, aut marcescat. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. Summitatem frondium eius auulsit.* Duo expendenda occurrunt. Cur scilicet aquila solis cedris aduersetur humilium fruticum oblita? Et cur micantium

Ezech. 17. v. 3

micantium frondium summitates tantum aulserit, cætera spreuerit? Lira per summitates dignitatibus efflorentes ait designari: ergo quæ eminebant, frondes sustinuerunt periculũ, & euaserunt, quæ non eminebãt, damnum. *Summitatẽ frondium* (inquit) *id est, Iechoniam Regem, Principes, & personas notabiles.* Itaque summitas, quæ videbatur tutior, aquilinas vngues sustinuit, & elenata cedrus ipsa floriditate, sublimitateque rapacitatem armauit, & quid auferri posset, ostendit. Ergo Saul hoc consilio vsus Dauidem extulit, vt aquilinis rostris objiceret.

§. XXXIX.

Politica sæpè solicitat honoris specie amouere, quæ non sine vtilitate Reipublicæ nouit radiare.

Politicus. Timor.

Sicut incognita velle nosse prudentis est (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 33.) *ita comperta dissimulare dementia est.* Hæc dementia plures, quam fas esset, tenet. Qui Rempublicam administrant, aliquando vident alios strennis factis, prudenti solertia, & in negotiis tractandis dexteritate Principis, & populi fauorem sibi conciliare: Cúmque fas esset horum vti prudentia, in expediendisque negotiis dexteritate, in deterrendis hostibus fortitudine, honoris specie eos fatagunt amouere, quasi vtilitati generalitatis consulant, cùm reuerà fucatis rationibus, & speciosis titulis timori suo occurrant. Saul quasi Reipublicæ studium gerat, Dauidem, quem proprij splendoris verebatur vmbram, amouit, &, vt amoueret, chyliarcum constituit. Videbatur eius merita remunerare, cùm reuerà animus fuerit sejungere: sæpè quibus commissum regimen, generalitatis incommodo ambitioni suæ adulantur, & honorandi strenuos studium mentiuntur. Quia Dauid prudentia, dexteritate, fortitudine populi sibi animos deuinxerat, & fauorem conciliarat, Saul timere incepit, & vt hostibus interimendum objiceret, speciosõ eum titulo honorare disposuit; vt amoueret à curia Tribunum constituit, & militari dignitate nobilitauit: *Amouit ergo eum Saul à se, & fecit eum Tribunum super mille viros.* Tribunum fecit, vt amoueret, non vt honoraret: speciosus erat honoris titulus, sed inuidus animus. Notauit Lira: *Fecit eum Tribunum, non propter honorem suum.* Itaque tribunatus dignitate à curia ablegabat, quò distantia populi fauorem minueret, & hostis impeteret. Eiusmodi namque speciosis fraudibus vtitur politica, & tegitur inuidentia. Petrus, vt vidit Moysem, Eliamque Domino adstare, eis tabernacula cupit construere: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Candida intentione Petrus tabernacula voluit fabricare, sed quod politicis accidit, contigit mirè præter opinionem exprimere. Si tabernacula construeret, tantisper à Christi conspectu, & alloquio separabat, præcipuè si à Domini tabernaculo tabernacula alia distarent: ergo honorem ad speciem exhibens, reapse à latere Domini amouebat, & separabat. Vtebatur Christus familiari Petri consuetudine, videbat modò cum Moyse, Eliaque longa colloquia texere: ergo eos voluit honorare, & honorando disiungere. Huc voco, quod aliorsum aiebat Theophilactus: *Hæc præ nimio timore loquebatur.* Petrus timebat Magistrum mori, sed quod Petrus Magistri mortis timore est aggressus, ne alij Principis fauore vtantur, solet moliri politicus.

Matth. 17. v. 4.

TEXTVS.

VERS. XIV. & XV. In omnibus quoque viis suis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo. Vidit itaque Saul, quòd prudens esset nimis, & cœpit cauere eum.

§. XL.

Mala conscientia, etsi injuriam passus nil meditetur, continuis suspicionibus discruciatur.

Iniurius. Conscientia.

Proprium est (aiebat Seneca *epist.* 97.) *nocentium trepidare.* Hoc sceleris supplicium ab ipso scelere nequit diuidi. Licet enim fortuna nocentem tueatur, acer eius timor nunquam sopitur: sæpè qui accepit injuriam, generosè remittit, nec vllam corde contra nocentem iracundiam fouet; verùm qui nocuit, nunquam fidit, quia putat læsum prudenti cautella opportunitatem vindictæ expectare, & indignationem callidè tegere. Perpetua sceleris conscientiam solicitudo vrget, ac verberat, nec vllis suæ securitatis sponsoribus fidit. Saul in Dauidem, à quo multa beneficia acceperat, contorsit hastam; Dauid fuga sibi consuluit; verùm casu illud accidisse, non praua intentione persuasus rediit: Tribunus prudenter omnia tractabat, & Saulis gratiam sibi promereri animitus studebat: *In omnibus viis suis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.* Verùm Saul prudentem cœpit cauere, & astutum suspicari: *Cœpit cauere eum.* Et cur timorem non sopiat, quando Dauid injuriarum prorsus oblitus ea alacritate inseruit, ac si multis fuerit beneficiis obstrictus, & obligatus? Dauid nec leue indignationis conseruat indicium, nec vllum profert amarum verbum, & nihilominus Saul semper sibi cauet, & timet. Ecqua huius timoris ratio? Quia conscientia sibi ipsum ostendebat, & cùm sciret Dauidem immeritò offensum, nullatenus credebat placatum, immò quantò Dauid majora amicitiæ edebat testimonia, tantò minus eis fidebat Saulis suspicax semper conscientia. Notauit noster Sancius: [Sanè quàm verissimum est, & quotidianis compertum exemplis conscientiam malam timere omnia, neque habere duriorem, aut magis assiduum carnificem, quàm se ipsam, quæ nunquam à metu vacua est. *Subiicit:* Recreare potiùs debuit animum Saulis solicitum, & timidum, Dauidis in rerum administratione prudentia, & in bellorum euentu secundo, ac facili explorata felicitas, sed hausit è medicina venenum, & contra se armari putauit prudentiam illam.] Dauid ab animo, immò à memoria prorsus expunxerat acceptam injuriam, & repetitis obsequiis, officiisque suam erga Saulem testabatur sedulitatem, & amicitiam; verùm Saul sui conscius medicinam conuertebat

in venenum, & vbi non erat timor, trepidabat, & contra se, quæ pro se erant, cautè obarmari credebat. Itaque etsi injurias passus remiserit, Saul, qui intulerat, nunquàm fidit, immò majori solicitudine sibi cauit: *Cœpit cauere eum.* Hinc constat, quam malè firma sit inter offendentem, & offensum amicitia, nam quantumvis offensus remittat injuriam, alter nullatenus remissam credit offensam. Quæ Dauid pro Saulis salute, & gloria strenuè gerebat, Saul astutiam subdolam cogitabat. Esau fratri aduentanti lætus occurrit, ruit in oscula, & se itineris socium offert: *Gradiamur simul, eroque socius itineris tui.* Iacob, etsi comiter, se excusat, & eius consortium vitare allatis variis causis adlaborat: *Præcedat Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius.* Et cur Iacob fratris societatem expaueat? Quia licet Esau benedictionis sibi ereptæ non recordetur, Iacob se eripuisse recordatur, nec credit corde benevolum, quem non dubitat maximo tunc dolore perculsum: ergo sibi cauet, quia timet. Tempestiuè Lira: *Hic consequenter ostenditur eius prudentia in declinatione societatis Esau, quamvis enim amicabiliter eum recepisset: poterat tamen timere.* Itaque quamvis Esau animitus esset amicus, adhuc Iacob erat de eius amicitia suspectus.

Gen. 33. v. 12.

TEXTVS.

VERS. XVI. Omnis autem Israel, & Iuda diligebat Dauid: ipse enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos.

§. XLI.

Plus obtinet à subiectis Princeps dilectus, quàm potestate obarmatus.

Princeps. Subiectus. Amor.

QVi potentiam suam (aiebat Seneca *lib. de clementia cap.* 13.) *placidè, ac salutariter exercet, approbare imperia sua ciuibus cupiens, felix abundè sibi visus, si fortunam suam publicauerit, sermone affabilis, accessuque facilis, qui maximè populos demeretur, amabilis.* Addit *cap.* 19. *Vnum est inexpugnabile munimentum amor ciuium.* Qui à subjectis amatur, degit tutus, & ab eis ardua etiam obtinet non solùm imperio, sed nutu. Hinc est, quod Dauid prudentiam suam commendauit, cùm se amabilem cunctis fecit. Sæpè in certaminibus militibus erat necessariũ vitã exponere, & pro muro corpora objicere; sed Dauidis comitas, & placiditas eis sine imperio suadebat, vt in statione immoti perstarent, & corpora pro muro objicerent. Quid pulchrius, quàm dignitate sic eminere cunctis optantibus, vt si salus tantisper titubarit, non spem alant, sed solicito metu lugeant, nihilque eis tam arduum quod pro Principe non audeant, nil tam pretiosum, quod expendere refugiant? Vbi aduertit Saul ab omnibus Dauid diligi, cœpit timere: *Omnis autem Israel, & Iuda diligebat Dauid: Cœpit cauere eum:* nam quamquam Saul instructissimos pro se haberet exercitus, omnium Dauid sibi habebat deuinctos animos: ergo non imprudenter timebat, si aliquid tentaret, facilè assequuturum, nec tam profutura sibi arma, quàm omnium Dauidi studia. Notauit Abulensis *quæst.* 23. *Hic ponitur causa quare cauebat Saul ipsum Dauid, & quare inuidebat ei, scilicet quia diligebatur ab omnibus, & posset facilè animos eorum concitare ad quæcumque vellet.* Saul excedebat diuitiarum, & armorum potentia, Dauid suorum gratia: ergo veritus est faciliùs quidquid vellet assequuturum gratia, quàm se potentia. Quid non impetraret à subjectis Dauid, quorum animos affabilitate, vrbanitate, facilitateque sibi obstrinxerat, & veluti honestis incantamentis ligarat? Reuerà superior à suis dilectus, est laude dignus, vt commiseratione, quantumvis potestate emineat, suis inuisus, & odiosus. Timor Saulis nobis est pro doctrina, quandoquidem edocet superiorem à suis dilectum facilè assequi, quod aliter ægrè obtineret. Videbis aliquos eo fastu subjectis dominantes, eo supercilio adspicientes, quo vernulas possent. Hi dum potestatem suam affectant ostentare, comprobantur minuere; nam subditi excutiunt jugum, nolunt honestam religiosæ obedientiæ subjectionem transire in asperam seruitutem. Operis præfectus, dum potestate abutitur, & Israelitam tunc sibi subjectum, quasi de lapide emptum mancipium tractat, Moysis indignationem inflammauit, & stragem sibi asciuit: *Vidit virum Ægyptium persequentem quendam de Hebræis fratribus suis.* Quid tunc? *Percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Fuisse percussum de præfectis tradit Philo *lib. 1. de vita Moysis:* causam assignat, fuisse scilicet inurbanum, & nimis rigidum. Eius verba sunt: [Erant inter præfectos quidam efferati rabie, nihil differentes à venenatis, carniuorisque bestiis, humana specie belluæ, sub qua mores ferinos celabant, ferro, adamanteque duriores: ex his vnum immanissimum, quia nihil remittens exacerbabatur etiam precibus, nisi celeriter jussa fierent, pulsans miseros, verberans, excrucians, interemit, fas esse ratus.] Asperitate in se obarmauit iram, ira dignitatis oblita intulit pœnam. A fastu exoriri cœperunt jurgia, à jurgiis præfecti damna. Itaque per fas, aut nefas superioris solent jussis resistere, qui eius modum inceperunt auersari. At si superior suorum eliceretur benevolentiam, non solùm obsequi, sed satagent adulari: ergo imitentur superiores benè politici Dauidis vestigia, & Saulis fugiant exempla.

Exod. 2. v. 12.

§. XLII.

Amor amorem parit, & qui se experitur amari, conatur totis viribus respondere.

PRouerbium erat: *Si vis amari, ama.* Non potest non diligi, qui ad aliorum vtilitatem resplendet, qui solicitat commoda, qui auertit pericula. *Quis ab hoc non, si possit* (aiebat Seneca *lib. 1. de ira cap.* 19.) *fortunam quæque auertere velit, sub quo iustitia, pax, pudicitia, securitas, dignitas florent? sub quo opulenta ciuitas copia bonorum omnium abundat? Nec alio modo rectorem suum intuetur, quàm si diis immortales potestatem visendi sui faciant, interemtur venerantes, colentesque. Quid autem? non proxi-*

mum

mum illis locum tenet is, qui se ex deorum natura gerit? beneficus, ac largus, & in melius potens. Deus, quos regit, amat, eis prouidet, eos defendit, ac iuuat: ergo non potest, qui Deum imitatus gubernat, à suis non amari, & coli. Dauid ab omnibus refertur dilectus: *Omnis autem Israel, & Iuda diligebat Dauid.* Et quæ huius dilectionis causa? *Ipse enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos*, id est, ipse in præliis sic amabat suos, vt in acie primus cæteris esset pro muro, ipse eos spoliis ditabat, & in eis fouendis potestatem suam ostendebat: ergo non poterant non tenerè amare, à quo videbant se diligi Ita Abulensis *quæst.* 22. [Ponitur causa, quare diligebatur Dauid ab omnibus Israelitis, scilicet quia ipse diligebat eos quantum ad omnia, quæ significantur per introire, & exire, vel saltem diligebat eos in bello ingrediendo ante eos. Itaque Dauid amorem suum operibus cõprobabat in bellis primus, in prædis largus, in eorum commodis prouidus. Quis ergo non diligeret tribunum in melius potentem, & suorum vtilitatibus vigilantem? Oues testatur Dominus vocem audire pastoris eas nominatim vocantis, & ad pascua
Ioan. 10. v. 3. educentis: [Oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius.] Adnectit alienum ab his officiis bruta non sequi, sed ab eo fugere: *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo.* Glossa D. Thomæ sic locum interpretatur: *Ante eas vidit quasi in columna nubis, & ignis.* Columna illa populi ductrix ardores temperabat veluti nubis oppanso velo, offusas noctium tenebras luce clarissima depellebat, plana itinera demonstrabat, & manna ad alendam vitam depluebat: ergo vel bruta officia sentiunt, & pastorem columnæ ingenium imitantem sequuntur, eius obtemperant voci, immò blandiuntur nutui: alienum verò non possunt diligere, qui, etsi munus gerat pastoris, re est lupus: ergo naturale est ouibus lupum auersari, pascentem sequi. Dauid non solùm tribuni, sed pastoris munus implebat, & ob id non poterat non diligi, & coli: *Omnis autem Israel, & Iuda diligebat Dauid.*

TEXTVS.

VERS. XVII. Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea major Merob ipsam dabo tibi vxorem: tantummodò esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinorum.

§. XLVII.

Peccatores dæmonis consilia non solùm non respuunt, sed quid de suo, vt perfecerint, addunt.

Peccatores. Dæmon. Consilium.

NOnnulli peccatores diabolo consiliario vtuntur, interiùs cum ipso negotia tractant, & quid agendum deliberant. Eis mutata materia potest applicari quod scribebat Cassiodorus 8. *variar.* 10. [Egit locum meritò publici secreti. Cum ipso prælia, cum ipso negotiorum æquabilia disponebat, & in tantam se similitudinem eius cogitationis adjunxerat, vt causis recognitis, quod ille velle poterat, iste sua sponte peragebat. Ministrando consilium regebat ipse rectorem.] Saul cum dæmone, quem corde hospitabatur, necis Dauidicæ negotium tractabat; ille suis peruersis consiliis Saulem regebat, immò ad necem præcipitabat. Suasit hastam contorquere; verùm Saul aliquid de suo addidit, quo dæmonis consilia perfecerit.: *Saul reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinorum.* Dæmon consulebat necem, assensit Saul; dæmon persuasit hastam contorquere, Saul paruit; verùm cum teli spectatione frustratus esset, per otium meditatus est quid ipse adderet, vt dæmonis consilium perficeret: ergo decreuit non manu sua telum jacere, sed telis aduersariorum objicere. Hoc, teste Hugone Cardinali, denotat verbum illud, *Saul reputabat*, id est, semel, & iterùm animo reuoluebat, & meditabatur, quomodò sic Dauidem irretiret, vt consultam cum dæmone mortem non euaderet: ergo addidit dæmonis instigationi diuturnæ meditationis studium, & exacuit peruersitatis ingenium. Audi Hugonem: *Spiritus suggerebat, vt interficeret Dauid, & ille apud se reputabat, id est, cogitabat, & tractabat repugnando spiritui, dicens: non sit manus mea in eo, id est, non ego occidam eum, sed Philisthæi.* Itaque consensit cum dæmone in morte perpetranda, sed non placuit modus à dæmone inspiratus, id est, manu sua occidere, quia viderat sic consilium non perfici. Ergo de suo aliquid addidit, & nouum modum inuenit, quasi cum dæmone de hac re deliberans diceret: Necis consilium amplector, sed minus benè meditaris huius iniqui consilij perfectionem; ego inueni modum efficaciorem, scilicet pro vno à me contorquendo telo plurima Philisthinorum tela contra eum vocare, mortemque perficere. Ecce Saul vel malitiam dæmonis supergreditur, & quod Diabolus ad speciem non excogitauerat, meditatur. Sic namque aliqui peccatores ingenij perspicacia ad perficienda scelera præualent, vt dæmonem videantur euincere, & astutia superare. Tam longè erat Saul à dæmonis consilio respuendo, vt secum meditatus fuerit aliquid addere, quò faciliùs posset perficere. O quoties dæmon suggerit lasciuiam, vindictam, rapinam, & homo per otium meditatur, quomodò possit dæmonis consilium ita disponere, vt effectum nequeat non sortiri; & quidem aliquando scelesti tales architectantur modos, vt videantur diabolicam malitiam supergredi, & ab eis ipsum dæmonem posse discere.

§. XLIV.

§. XLIV.

Matrimonium non solùm est conjugum honestum vinculum, sed pacis inter olim æmulos seminarium.

Matrimonium.

INstitutio matrimonij humano generi propagando deseruit; vbi pax floret inter virum, vxoremque, vbi se mutua dilectione consociant, vbi vnica quodammodò voluntate consentiunt, cœlestis vitæ reddunt imaginem, & innoxiæ voluptatis beneficio nesciunt exoculatam cupidinem. [Erunt vobis (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 46.) Deo fauente posteri solemniter hæredes, castum matrimonium, gloriosa permixtio, quando quidquid à nobis fieri præcipitur, necesse est, vt non culpis, sed laudibus applicetur.] Laudibus applicatur votiua concordia, & alterius erga alterum solicitudo amoris honesta. Ad hæc: nuptiarum beneficio inter sibi aduersantes pax solet efflorere, & dissidia voluntatum antiqua prorsus expungi. Saul contorta in Dauidem hasta inimicitiarum, & latentis odij clara ediderat argumenta; Dauid se subduxerat, vt appetentia frustraretur pericula, ergo Saul filiam suam offert, vt hoc cognationis vinculo antiqua cessent dissidia, & noua efflorere incipiat animorum concordia: *Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi vxorem.* Ni lateret dolus, innenerat Saul, qua Dauidis exasperationem liniret, & eius sibi animum illigaret. Et repetere posset, quod Cassiodorus 5. *variar.* 43. [Quamvis à diuersis Regibus expetiti pro solidanda concordia aut neptes dedimus, aut filias, Deo nobis inspirante, conjunximus, nulli tamen æstimamus nos aliquid simile contulisse, quàm quod germanam nostram generis Diualis singulare præconium vestrum fecimus esse conjugium: fœminam prudentiæ vestræ parem, quæ non tantum reuerenda regno, quantum mirabilis posset esse consilio. Inter æmulatione dissidentes, & dissidiis variis altercantes celebratum aliquod matrimonium concordiam consolidat, pacem stabilit, & jam cognationis vinculo antiquam æmulationem depellit: ergo matrimonium inter Dauid, & Merob vult Saul celebrari, vt sic antiqua dissidia viderentur penitus aboleri. *Iuxta Hebraum habetur* (inquit Caietanus) *tantum esto mihi in filium fortitudinis.* Itaque matrimonij celebrandi beneficio olim æmulus transibat in filium; hæc enim à matrimonio emanare solent commoda, concordiæ scilicet inter olim dissidentes honesta vincula.

§. XLV.

Quo tempore promittit nuptias, dolosus socer prætexere solet fallacias.

Socer. Nuptiæ.

SOcrates *interrogatus quinam homines pœnitentiam incurrerent* (inquit Stobæus *cap.* 68.) *qui vxores duxerunt, respondit.* Profectò pœnitendum non est vxorem, vt decet ducere, est enim virtutis auxilium, quietis suffragium, amoris filtrum. Verùm quia frequenter qui vxorem duxit, socero non caruit, pœnituit, & se delusum ingemuit. Parentes, vt benè filias collocent, magnis spebus alliciunt generos, copiosas promittunt diuitias, & alia sexcenta, quæ inueniuntur prorsus euanida, aut iniquis fraudibus plena: ergo qui socero non caruit, eius duxisse filiam non semel pœnituit, quia multis se dolis circumuentum, & multiplicibus fraudibus irretitum inuenit. Saul filiam Dauidi offert, quasi eum velit in filium recipere, & magnis honoribus ampliare: *Ecce filia mea maior Merob ipsam dabo tibi vxorem, tantummodò esto vir fortis.* Verùm dum nuptias disponit, & dolum etiam prætexit, quod Textus non tacuit: *Sit super eum manus Philisthinorum.* Eodem tempore nuptiarum offert honorem, & cogitat fraudem. Iuxta Hebræum habetur: *Tantum esto mihi in filium fortitudinis.* Ac si dicat: Qua polles animi fortitudine, quibus flores triumphis, illectus sum, vt majorem filiam meam tecum in matrimonium conjungam: verùm sub his speciosis verbis latebat dolus, & emendi eius cædem eis nuptiis studium. Itaque à dolo cœpit gener, & eosdem, quos offert honores, captiosas detorquet in frandes. Ita Caietanus: *Verba quidem bona, & pulchra, sed veneni plena, quod venenum manifestatur à scriptura subiungente machinationem Saulis, vt videlicet occideretur Dauid à Philisthinis.* Dæmoni Dauidis cædem procuranti tulit suppetias gener, qui eodem tempore offert filiam, & dolosam tegit fallaciam, vt aliquorum socerorum mores exprimeret, qui, dum cogitant de filia locanda, cogitant simul de fraude struenda. Iacob in vxorem dari sibi Rachelem obnixè postulat, prolixos labores offert in sponsalia. *Seruiam tibi pro Rachele filia tua minore septem annis.* Laban placido vultu assentit; immò, quòd filiam eius elegerit, gratias agit: *Melius est, vt tibi eandem, quàm alteri viro, mane apud me.* Si Labani verba expendas, inuenies expressè Rachelem non promisisse, sed de tradenda Lia jam cogitasse. Non ignorabat consuetudinem terræ pro lege esse, vt minores scilicet anteà non traderentur ad nuptias, verùm vt Liam oculis lypientem, quam Iacob non amabat, ei in matrimonium conjungeret, dolum speciosis verbis inaurauit: ergo sine animo adimplendi vrbanè solùm promisit: itaque à dolo socer incepit, &, quæ cogitarat, absoluit. Prodest Abulensis *quæst.* 5. [Non erat consuetudo, quòd si aliquando minor ante majorem matrimonium contraheret, quòd introduceretur major ante minorem, & hoc volnit Laban agere. *Subiicit:* Sed non fuit consilius in hoc Laban, sed magis in fraude sua: ergo non erat taliter consuetudo deposita.] Itaque dum spopondit, fefellit, in excogitatæ patrocinium fraudis consuetudinem terræ adduxit, sed fallaciam adumbratis coloribus texit. Adeò vsitatum est soceros fallere, &, quæ promiserint, non implere.

Gen. 29. v. 18.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Ait autem Dauid ad Saul : Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, vt fiam gener Regis ?

§. XLVI.

Nuptiæ inter inæquales parere solent dissidia, & ingentissima incommoda.

Nuptiæ

SI inter coniuges non intercedat æqualitas, concordiæ vinculum esse solet litium, periculorumque seminarium. Vxor copiosum aurum afferens emisse in seruum maritum credit; genere nobilior maritum limis adspicit, & à maiorum splendore degenerasse filios querula dolet. E contra si vir diues, & maiorum præclara vena prognatus, primo jam amore languente vxorem non solùm fastidit, sed odit. Vndè oritur, vt matrimonium non sit concordiæ vinculum, sed litigantium stadium. Optimè Alexander apud Stobæum *cap.* 68. *Si quis pauper pecuniosam vxorem duxerit, non vxorem, sed dominam habet, cuius famulus est, & seruus.* Ostentat sæpè mulier generis claritatem, allatam auri copiam, maiorum magnitudinem, vt tacitè virum sugillet, & sugillatione exasperet; vndè aut instar serui opus est ora taciturnitate signare, aut si honore capitis frui velit, assidua bella, dissidiaque oriri. Ob id Dauid se prudenter gerens regias ad nuptias honoris auiditate non inuolauit, immò pro animi modestia respuit; *Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, vt fiam gener Regis ?* Non oblitus erat fuisse pastorem, non ignorabat Merob filiam esse Regis : ergo nuptias repudiat, veritus ne habeatur despectui, & tractetur vt seruus, qui debuit dominari maritus. *Vt fiam gener Regis* (inquit Hugo) *filiam Regis accipiens in vxorem. In scandalum, id est, in occasionem mortis.* Magna benè politicus præuidebat Dauid incommoda, magna prudens vates conijciebat discrimina : ergo nuptias recusat, quia disparilitas suspectas reddebat, & status diuersitas non exigua discrimina exorienda prænuntiabat. Consonat noster Sancius : *Oblatum tam ingenuè recusat. Non quòd in vxore aliquid aut damnet, aut improbet, quam nunquam fortassè viderat, sed quia se tanto nomine indignum arbitrabatur.* Timuit pastor audiri jam Princeps ob matrimonium, timuit ab vxore despici, & in seruorum censum numerari : ergo honestam affert excusationem, vt qui non ignoraret matrimonia inter inæquales esse discordiarum fæcundam messem. Cùm Deus hominem de limo terræ creasset, sponsamque de latere, nobiliori scilicet origine construxisset, hanc astutus dæmon machinam contra Adamum excogitauit, Euæ scilicet persuadere, fas non esse ignobiliori obtemperare, & obscura origine exorto subijci : *Eritis sicut dij.* Acsi dicat: Adam de puluere natus Dei vices gerit, & tibi nobilissima origine exortæ imperat. Cur ergo subiectionem subis, quam ipsa natura dissuadet, & disparilitas contradicit ? His verbis Euam fuisse in superbiam elatam tradit Augustinus apud Abulensem hic *quæst.* 6. *Verbis serpentis mulier non crediderat à vera, atque vili re diuinitus se fuisse prohibitam, nisi jam inesset eius menti amor propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio.* Itaque meliori origine exorta præsumpsit, & cum Adamo æqualitatem affectauit : *Eritis sicut dij.* Acsi dicat : Deus nulli subijcitur : ergo satis est, si Adam non adeò nobili vena exortus, tibi non subijciatur, quia maritus, & sitis ambo dij, ille quia vir, tu nobilitatis iure, & originis lege. His vocibus aurem subuertit, & Euæ superbiam fouit; vt ab exordio nuptiarum discamus disparilitatem occasionem superbiæ esse, & astuto serpenti ad seminanda iurgia aditum aperire.

§. XLVII.

Graue onus sibi imponit, qui censu exiguus ducit vxorem delicatè innutritam, & ornamentis pompaticis assuetam.

Maritus. Vxor.

SI quis pauper pecuniosam vxorem duxerit, non vxorem, sed dominam habet, cuius famulus est, & seruus. Quòd si duxerit (aiebat Anaxander apud Stobæum *capite* 68.) *nihil ei afferentem dotis, iterum sit seruus, oportet enim deinceps vnius loco duos alere.* Qui pauper pauperem duxit, notum sibi onus adiecit; quandoquidem crescit sumptus, non census; hoc tamen onus amoris viribus ægrè non fertur. Qui verò duxit delicatè innutritam, & ornatus splendori assuetam, grauem sibi calamitatem asciuit. Vxor namque splendida mensa innutrita, & pretiosis vestibus assueta aut honori meditatur insidias, aut continuas infelicis sortis affert querelas. Itaque si à primo degenerarit statu, sortem suam deplorat, & marito ingentissimas molestias adaggerat. *Mulier sumptuosa res est molesta* (aiebat Mænander apud datum Stobæum *cap.* 69.) *neque sinit maritum pro arbitrio viuere.* Huius veritatis non inscius Saul, cùm Dauidem agnosceret censu non copiosum, vt immortali odio, quod erga eum gerebat, blandiretur, decreuit maiorem filiam coniugem dare, & hac specioſa fraude onus intolerandum imponere : *Ecce filia mea maior Merob ipsam dabo tibi vxorem.* Quid tunc Dauid ? Contectum dolum intuitus, pauperem se confessus est, nutiasque modestè repudiauit, & filiam Regis ducere extimuit : *Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, vt fiam gener Regis ?* Dauid miles, eius cognatio non adeò opulenta, vt magna quiret sperare subsidia : ergo noluit sumptuosam ducens aut honoris periculum, aut vitæ subire tormentum. Huc voco Theodoretum apud Glossam : [Erant ergo nuptiæ insidiarum, non beneficientiæ. (Consonat Abulensis *quæst.* 28. Tetigit Dauid ista tria, quia ista erant sola, per quæ aliquis efficitur dignus magno coniugio, scilicet nobilitas viri, & facultatum amplitudo, & generis excellentia. Quantum ad primum dixit : Quis ego sum ? id est, non sum tam excellentis virtutis.

Quantum ad ſecundum dixit : Quæ eſt vita mea ? id eſt , non ſunt tam amplæ poſſeſſiones meæ , vt mereantur regale conjugium. Quantum ad tertium dixit : Quæ eſt cognatio patris mei ? quaſi dicat : Non eſt tanta excellentia generis mei , vt merear filiam Regis.] Profectò Dauid & genere erat nobilior , & virtutibus exornatior ; verùm prudenter recuſauit nuptias, cenſum cum ducendæ vxoris ſtatu conferens , & grauiſſimum ſibi onus futuram timens. Ducere fœminam ſumptuoſam , quæ ad menſam peregrinas dapes expoſceret , & ad cultum pretioſas margaritas ambiret , non erat quærere vitæ ſolatium , ſed ſolicitare ſibi durum tormentum. Vidi aliquando maritum , qui ſe nobiliorem duxerat , copioſis lachrymis ſortem ſuam deplorantem , nec ſolùm afflictum , ſed quodammodò deſperatum ; nam ad pretioſum exhibendum cultum , delicatumque cibum deſudabat , & nihilominus vxor omnia depretiabat , & limis ſemper maritum aſpiciebat. Ergo aſtutus Saul , cùm teli ſpectatione per inſidias jacti fruſtratus eſſet , aliò vertit animum , & regias nuptias obtulit , non queis Dauidem cohoneſtaret , ſed quibus duriſſimè premeret. Verùm Dauid contectum præſentiens dolum , paupertatem oppoſuit , & Regis filiam accipere recuſauit.

TEXTVS.

VERS. XIX. & XX. Factum eſt autem tempus cùm deberet dari Merob filia Saul Dauid , data eſt Hadrieli Molathitæ vxor. Dilexit autem Dauid Michol filia Saul altera , & nuntiatum eſt Saul , & placuit ei.

§. XLVIII.

Dedecet Virum ingenuum obſequia accipere , & promiſſis non ſtare.

Obſequium. Fides.

INter mundi fluctuantes procellas humana fragilitas ſe nequiret continere , ſi fidei ſolida deeſſet firmitas , & fraudulenta aduerſaretur doloſitas. Fides inter ſocios amicitiam ſeruat , dominis pura integritate famulatur , & nobilitatis reuerentia magnis impenditur. Quod ſi beneficium inuiolatæ fidei latiùs inueſtigaueris , ea innititur ferè omne , quod agitur. *Acceſſit meritis tuis* (aiebat Theodericus Cypriano 5. *variar.* 40.) *cunctis laudibus pretioſior fides , quàm diuina diligunt , mortalia venerantur.* Vt cæteris laudibus fides pretioſior , ita laus , doluſque aliis piaculis deteſtabilior , præcipuè in magnis viris , quorum fides , vt à cunctis habetur inuiolanda , ita affert ignominiam corrupta , tunc præcipuè cùm officia exigunt , & ſponſionibus fallunt ; nam tunc ſibi omnium conciliant odia , immò prouocant arma. Saul majorem filiam Dauid promiſit ea lege , vt ſolita ſtrenuitate tractaret bella : *Ipſam dabo tibi vxorem , tantummodò eſto vir fortis , & præliare bella Domini.* Tenebatur Saul ob certamen cum gigante Dauidi aliquam è filiabus in vxorem tradere , modò majorem , & eo titulo dilectam ei offert , ſi Domini bella gerat. Dauid tempus certaminibus præſcriptum in hoſtibus deterendis , & reportandis triumphis abſoluit. Quid tunc ? Saul fidem violat , & ſpebus eluſis alteri locat : *Cùm deberet dari Merob filia Saul Dauid , data eſt Hadrieli Molathitæ vxor.* Poſt exhibitam à Dauide credulitati reuerentiam , poſt initam cum hoſtibus pugnam non ſolùm oppignorata fides eſt violata , ſed noua irrogata injuria , nam Saul non ſolùm ei filiam negauit , ſed Hadrieli in ſponſam dedit. Notauit Abulenſis *quæſtione vigeſima nona.* [Saul dixerat Dauid : eſto vir fortis ; & præliare bella Domini , & dabo tibi filiam meam in tali , vel tali tempore. Dauid autem præliatus fuerat jam ſæpè , & aduenerant dies illi , in quibus promiſerat Saul ſe daturum filiam ſuam , ideò dare debebat.] Saulis regnum jam inclinatum corruebat , quandoquidem nulla eius promiſſionibus fides poſt officia præſtita , & bella peracta. Eſt enim viro in dignitate conſtituto indignum obſequia ſub ſponſionibus accipere , & obſequiis jam acceptis fidem violare.

§. XLIX.

Diſcruciandi ingenium eſt promiſſis præmiis dignum fraudare , & non merenti conferre.

Promiſſ. Dign.

CVm Rex ſatisfacit , *quælibet dura diſſoluit* , (aiebat Caſſiodorus 3. *variar.* 43.) & è contrà , cùm non ſatisfacit , grauiſſimum dolorem ingerit : munificentiam regalem decet conferre vltra merita beneficia ; immò , quod difficillimum eſt , humanæ ambitionis ſupergredi deſideria ; verùm , vt generoſitas acquirit famam , ſic injuſtitia procudit ingentem notam , ſed omnem doloris ſenſum ſuperat , ſi poſt plurimos labores benemerito promiſſa ad alium videat tranſlata. Saul eo in Dauidem flagrabat odio , vt ſecum ſemper meditaretur , quomodò eum duriùs diuexaret , acriúſque torqueret. Priùs contorto jaculo necem tentauit , ſed poſteà quid durius ad diſcruciandum inuenit , ſcilicet ſub pacto certaminis à Dauide abſoluendi filiam ſuam ei promittere , & certaminibus jam abſolutis alteri tradere : *Factum eſt tempus cùm deberet dari Merob filia Saul Dauid , data eſt Hadrieli Molathitæ vxor.* Matrimonij citò ineundi flagrans deſiderium certaminum contempſit periculum. Dauid acceptis jam de hoſtibus triumphis rediit , ſed quod illi præmium tot titulis debitum , alteri , cuius fama nulla , vidit collatum : ergo hic Saulis animus magis ſe prodidit , & quod à dæmone poſſeſſus tetrum oſtenderat odium , longè ſuperauit. Prodeſt noſter Sancius : [Hic jam ſe magis prodit animus Regis , & quanti fecerit Dauidem , cùm oblatam illi , immò & debitam vxorem alteri tradiderit , quæ ſanè ſingularis fuit injuria , cùm illam non jam à ſpe conjugij , ſed ab ipſo penè complexu diſtraxerit. Mitiùs cum Dauide egit , quando haſtam

haſtam contorſit, aut ferenda erat tunc vita, modò acerbiùs ſe geſſit, cùm non ſine grandi Dauidis injuria tot illi debitum nominibus præmium veluti è manibus eripuit, & hoc, vt alij, cuius nulla facta acceperat fama, traderet. Mori fortiter fert magnanimus, injuria affici ſemper tulit ægerrimè generoſus. Conſonat Abulenſis *quæſt.* 30. *Si Saul promiſiſſet filiam intentione dandi eam, dediſſet conſummato tempore: ſolùm tamen erat promiſſio, vt eſſet occaſio Dauid ad pereundum.* Promiſit, vt dum Dauid ſe impetitum aduertit dolo, dolentiùs ferat, quàm anteà telo.

§. L.

Muta patientia ſaluti auxiliatur, & honeſtè de injurio vlciſcitur.

Patientia. Iniurias.

TOtam huc conuerte mentem, huic aſſide (aiebat Seneca *epiſtola quinquageſima tertia*, loquens de patientia Philoſophiæ nomine) *hanc cole: ingens interuallum inter te, & cæteros fiat. Omnes mortales multò antecedes, non multò te dij antecedent.* Profectò qui hanc patientiæ philoſophiam didicit, magno ſuo commodo ſapiens eſt; prodeſt patientia ad omnem fortuitam vim retundendam. Contortum telum eius lenitate obtunditur, & dum contorquens teli ſpectatione fruſtratur, mirè torquetur. Redeat iterùm datus Seneca: *Munita eſt, ſolidaque, quædam defatigat, & velut leuia tela laxo ſinu eludit, quædam diſcutit, & in eum vſque, qui miſerat, reſpuit.* Hanc philoſophiam mirè Dauid calluerat, cuius muta patientia, & ſæculis demiranda, & Sauli fuit acerbiſſima. Miſit contra Dauidem haſtam, ſe ſubduxit; promiſſam filiam, & multis titulis debitam non ſolùm, quod leuius eſſet, denegauit, ſed alteri dedit: *Cùm deberet dari Merob filia Saul Dauid; data eſt Hadrieli Malathita vxor.* Saul ſtudioſè occaſiones concinnabat, quibus Dauid exaſperatus, prouocatuſque verbis, aut factis indignationem Regis incurreret, & ſeueram pœnam ſolueret; verùm Dauid ſic muta patientia tulit injurias, vt nec verbum protulerit, nec dolori ſolatium querelis quantumvis juſtis quæſierit: non ignorabat eam ſibi injuriam ſtudioſè illatam, vt indignatione efferueſcens Saulis fidem abroderet, & querelis ſolatium dolori quæreret, ſicque Regis iram incurreret: ergo tacendo ſibi conſuluit, & occaſiones prætexentem acerrimè diuexauit. *Solùm erat promiſſio* (inquit Abulenſis *quæſt.* 30.) *vt eſſet occaſio Dauid ad pereundum.* Prudenter ad tolerantiam confugit, & Saulem, qui eiuſmodi occaſiones ad Dauidem perdendum architectatus fuerat, laudabiliter patientia & vrſit, & vſſit, & diuexauit. Iobus id à Deo ſpeciale beneficium teſtatur accepiſſe, ſilentij ſcilicet frænum, cùm diabolus labia intacta circa eius dentes reliquiſſet, cùm eius amici verbis exaſperaſſent, cùm infimæ notæ homines deriſiſſent; nam tacendo honeſtiùs ſe vindicabat, & mirè dæmonem affligebat. *Nunc autem derident me iuniores tempore.* Quid tunc? Fræno ſilentij continebatur lingua, & deridentes ſpe fruſtratos retorta deriſionis referiebat ſagitta: *Frænum poſuit in os meum.* Dum taceret, dum dolorem injuriarum abſcondit, improbitas defatigatur, & veluti injectis flammis aduritur. Huc voco Tertullianum *de Patientia cap.* 8. *Plus improbum illum cædis ſuſtinendo.* Patientia mirè defatigabatur improbitas, & irrito Iobum exaſperandi voto diſſecabatur peruerſitas: ergo Dauid ora compreſſit, & Saulem patientia ſua mirè defatigauit, & torſit.

Iob. 30. v. 9.

TEXTVS.

VERS. XX. & XXI. Dilexit autem Dauid michel filia Saul altera, & nuntiatum eſt Saul, & placuit ei. Dixitque Saul: Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum & ſit ſuper eum manus Philiſthinorum. Dixitq; Saul ad Dauid: In duabus rebus gener meus eris hodiè.

§. LI.

Sæpè quod diaboli nequitia non potuit perfici, fœminarum artibus ſolet abſolui.

QVando maritus vxorem domum ducit (aiebat Theodectus apud Stobæum *cap.* 69.) *non ſolùm, vt videtur, vxorem accipit, ſed vna cum ipſa quoque introducit aut bonum ſibi dæmonem, aut contrarium.* Vxor probis moribus non inſtructa, & tumida arrogantia inflata ipſo dæmone pejor eſt; dæmon namque Eccleſiaſticis exorciſmis fugit veluti ſerpens effumigatus, & excantatus: at mulier ſi ceruicoſa, & nimia ſui præſumptione ſuperba nec ſuſtineri poteſt, nec expungi. Ob id cùm ſæpè ſæpiùs aſcito dæmonis auxilio Saul de medio Dauidem tollere tentaſſet, nec perfeciſſet, ei filiam ſuam Micholem, quam ſibi ſimilem reputabat, ſponſam dare decreuit, & à nuptiis plus ſperauit. *Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum.* Ad quæ Hugo Cardinalis: *Id eſt, in occaſionem mortis.* Iam gratulatur ſibi Saul potentiora contra Dauidem arma inueniſſe, & mediante fœmina promittit ſibi obtinere, quod interueniente diabolo non potuerat abſoluere. Opportunè Baſilius Seleucienſis *oratione decima ſexta. Cùm fruſtratus eſſet expectatione teli per inſidias iacti, aliò vertit animum, inuiſo Dauidi filiam dare vult, non quò exoſum cohoneſtaret, ſed vt filia nuptiis cædem emeret.* Vt ſenſit telum ſuadente dæmone jactum effectu caruiſſe, aliò animum vertit, & quod mediante dæmone non eſt aſſequutus, fœmina interueniente ſibi promiſit, & effectum votis reſponſurum ſperauit. Hac ipſa arte videtur dæmon contra Iobi patientiam vſus. A Deo accepta facultate è cœlo armauerat flammas, ab aere excitarat procellas, è terra inſtruxerat inimicorum inſidias; cúmque illi nullæ artes ſuccederent, ad fœminam confugit, & in maritum armauit: *Dixit autem illi vxor ſua: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua?* Iob. 2. v. 9.

Fœmina. Damon.

Benedic Deo, & morere. Post tot tela expectatione fraudata adhuc diabolus non amisit confidentiam, sed fœminam asciuit in auxilium, sperans assequendum citò trophæum. Tempestiuè Prosper Aquitanicus *lib. 1. de prædic. cap. 22. Mulierem viro suo illo articulo armat, atque per vxorem fortissimum virum suo pulsat ex latere.* Vt acerrimo ariete muri, qui alias machinas eluserant, subruebantur, ita vt patientiam, quam aliis Machinis non potuerat labefactare, penitus euerteret, mulierem armauit dæmon; quasi nil aliud ad euertendam Iobi patientiam sic valeret, vt vxor querula, ingenio aspera, & marito semper aduersa. Mirè Hieronymus *epist. ad Iulianum: Beato Iob post malorum examina vxor pessima reseruata est.* Adhuc post tot examina quid restabat, quo diabolus spes aleret, & de Iobi patientia triumphum reportandum præsumeret, mulier scilicet pessima; at vbi hæc ars non præcessit diabolus prorsus desperauit.

§. LII.

Fraus, dolusque in homine priuato odiosa, in Principibus, & magnatibus execranda.

Gen. 3. v. 14.

FRaus, & dolus ingenuo homine indigna sunt: serpens vbi apparuit dolosus, omnibus fuit inuisus, & execrandus: *Quia fecisti hoc, maledictus & inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris.* Digna mulctatus est pœna, vt à brutorum etiam excluderetur consortio, qui hoc defædatus fuerat piaculo. *Serpentis facie personatus* (inquit Basilius Seleuciensis *orat. 3.*) *insidiosè meditata aggreditur, curatorem imitans.* Turpi facinori: turpiter adrepens inseruiuit, & se omnium execrationi subjecit. Quod si dolus pectora per terram trahentibus inurit notam, quam afferet magnatibus, & Principibus ignominiam? [Priuato homini (aiebat Nazianzenus *orat. in Iulianum*) astutè aliquid facere, concedi fortasse possit; nam qui aperta vi grassari nequit, hic si vafrè, & callidè aliquid faciat, veniam meretur. Imperatori autem cum vi, & potentia superari admodum turpe sit: tum turpius, vt opinor, & sordidius, atque indignius conatus suos, animique intentiones arte occultare.] Imperatori inglorium est vi, armisque subigi, sed sordidius dolosis technis, & artibus superare. Saul regia meruit dignitate mulctari, dum fidem fregit, dum sponsiones corrupit; dum dolosas fraudes pertexuit. Regias nuptias Dauidi offert, non vt eum tot nominibus dignum cohonestarit, sed vt scandala dolosè instruxerit: *Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum.* Dolum specioso titulo inauarit, sed majestatis splendorem nebulis sordidissimis texit. *In scandalum* (scribit Caietanus) *videlicet vt ratione affinitatis exponeret se periculo mortis aduersus Philisthinos, & sic occideretur.* Fraudulentus, dolosusque promittebat honorem, & meditabatur necem: ergo à dignitatis deturbari culmine fas erat, quandoquidem nil Reipublicæ funestius, nil majestate indignius, quàm iniquos dolos meditari, & speciosis nominibus tegere. [Dixit injustus (aiebat Psaltes) vt delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius, quoniam dolosè egit in conspectu eius: vt inueniatur iniquitas eius ad odium.] Alia peccata commiserationem merentur, fraus, & dolus omnium inflammant iram, & exacerbant patientiam. Notauit Glossa: *Vt inueniatur ab ipso eodem, quòd iniquitas sua est habenda odio apud Deum, & omnes homines.* Aliqui volunt, quòd Dauid loquatur hic de Pharaone, qui dolosa fraude populum est aggressus delere, & obstetricum auxilio extinguere: ergo omnibus odiosus periit. Deus ex illa nube torquebat fulmina, Moyses extendendo virgam vorticum armauit naufragia. Dignus erat, qui ab omnibus odio haberetur, dum dignitate fulgens non erubuit fidem sæpè violare, & iniquos dolos disponere.

Fraus. Princeps.

Psal. 35. v. 2.

§. LIII.

Sæpè qui non cessit hostilibus telis, fœminarum est subiugatus Blanditiis.

Famian. Strada.

FŒminarum blanditiæ grauissimum hominibus bellum, nam venustas formæ, dum ad se oculos rapit, animum ferit: labia molli verborum pronuntiatione aures demulcendo prudentiam innubilant, & rationem veluti excantatam eneruant. Tota mulier periculosa illecebra est. Quòd si lenociniorum aduocentur auxilia, animos captiuat gratâ fallacia. *Videntes filij Dei* (aiebat sacer Textus) *filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Qui antequam mulieribus dediti, Dei filij, jam caro: *Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Sethi posteri filij Dei honore potiebantur, & cum Deo initæ familiaritatis ipso nomine ferebant tesseram: verùm qui quodammodò nobiliter degenerarant, & humanam naturam exuerant, fœminas conspicati à dignitate prolapsi sunt, nam ornatus elegantia, capillamenti cultura, & oculorum pellacia eos prolectantes ab virtutis itinere deuiarunt, & rationem intemperantiæ seruam tradiderunt. Ita Basilius Seleucienſis *orat. 6. Formosas conspicati, splendidas, & ornatu florentes, seruamque libidini rationem tradentes, diuina calcant edicta.* Iam qui retrò Dei filij cœlestia edicta transgrediuntur, quia pulchellarum blanditiis euigorâtur. Ob id Saul, cùm immortali in Dauidem odio æstuaret, nec eius necem multiplicibus perficere insidiis valeret, aliò vertit animum, & Michol in vxorem tradita præsumpsit absoluere, quod diabolicis consiliis nequiuerat obtinere. Non ignorabat leonis ferociam edomuisse, vrsi audaciam castigasse; sperauit tamen Dauidem vxoris delitiis, & blandimentis ita eneruandum, & irretiendum vt, quam non intulerat hasta, necem afferret illecebra: *Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum.* Consiliis fortasse cum filia communicatis, plus ab eius illecebris, & blanditiis speraurit. Ita noster Sancius: *Hic ergo formam similitudinis subaudio in hunc sensum, vt sit illi in exitium, & sic ab illa illecebris amatorijs intereat, sicut anteà Dalila blanditijs Samson datus est in manus Philisthinorum.* Quas nec leo debilitare, nec confertum inimicorum agmen

agmen Samsonis potuit vires minuere, Dalila eneruauit illecebrarum fascino, blanditiarum dolo. Ergo Saul idem sperat à filia, si lenociniorum arte, si pellaci oculorum iactatione, si mollissimis verbis eum debilitarit, & in patris manus tradiderit. Vbi Balaam auguria sua sensit irrita, vbi incantamenta effectu agnouit nudata, ad iniquum consilium se contulit: *Dabo consilium.* Quod consilium? Vt videlicet pulchellarum armaret contra Hebræos blanditias, vt opponeret illecebras: ergo dum oculis suam pulchritudinem prostituunt, dum mentito decore animos capiunt, dum blandissimis verbis alliciunt, fortiores se incantamentis ostendunt. Notauit datus Basilius: *Cùm Madianitas acie deuicissent, capti sunt amore muliebri.* Itaque vt obtecto dulcedine hamo capiuntur pisces; ita dum fœminæ amatoria verba protulerunt, Israelitas subiugarunt. Ergo Saul blanditiarum efficaciæ non ignarus Micholem instruit, & eius illecebris subiugandum Dauidem credit. Num. 24. v. 14.

TEXTVS.

VERS. XXII. Et mandauit Saul seruis suis: Loquimini ad Dauid clam me, dicentes: Ecce places Regi, & omnes serui eius diligunt te. Nunc ergo esto gener Regis.

§. LIV.

Qui cum magnatibus affinitatem exambiunt, magnis se tricis inuoluunt.

Magnates. Affinitas.

VT suam conditionem conseruant cuncta manantia, & sapor manet ab origine inditus, nisi per accidentia fuerit fortè vitiatus; aliquando tamen ab origine nobiliter degeneret vnda, si per salubres decurrat meatus, gratague solet dulcedine placere condita, quæ à scaturigine salsa. Hinc est, quòd plures quam, à parentibus non acceperũt, à magnatibus aliquomodò conentur nobilitatem fugere, & cum eis affinitatem contrahere, vt de proxima luce splendorem mutuentur, quo ad altiorem gradum transferantur. *Video* (aiebat Tertullianus *de Anima cap.* 19.) *& hederas, quantum velis, premas, statim superna conari, & nullo præeunte suspendi, quòd malint parietibus inuehi textili sylua, quàm humi teri voluntaria iniuria.* Hædera humili loco nata parietibus inuehitur, vt se promoueat, & acquirat inhærens, quod non acceperat nosceus: verùm aliquando ruinam præsentiens prudenter recedit, & quam exambierat proximitatem refugit, intelligens quanta sibi pericula ea affinitate extruxerit, & quanta sibi incommoda procurarit. Redeat Tertullianus: *Contrà quibus de edificio malè est, vt crescendo recedunt, & refugium sentias, ramos aliorsum destinatos, & animationem arboris de diuortio parietis intelligas contenta sua paruitate, quàm ex primordio prouidentissimi fruticis edidicit, timentis etiam ruinam.* Hædera, quæ de consocio voluit efflorere, sentit aliquando sibi de proximitate imminere perniciem, & recusat affinitatem. Quod hæderis, solet hominibus ambitiosis accidere; cum magnatibus exambiunt affinitatem, vt floreant, & de proximo sibi nobilitatis splendore refulgeant, non præuidentes quantis se difficultatibus inuoluant, & discriminibus ingerant. Saul vt concepto in Dauidem ardentissimo aduletur odio, per sequestros seruos ad affinitatem regalem inuitat, non quo exossum cohonestarit; sed vt periculis facilius obiecerit: *Loquimini ad Dauid clam me, dicentes: Ecce places Regi, & omnes serui eius diligunt te. Nunc ergo esto gener Regis.* Quæ ex hac affinitate Saul sperarit, Textus non tacuit, scilicet ad eius iniurias vlciscendas mittere, ad præcidenda Philisthinorum præputia cogere, & durissimis difficultatibus diuexare: *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis.* Affinitatis lege jam Dauid cogitur contra Saul inimicos insurgere, & eius causam tueri, & dum soceri causam tuetur, magnis discriminibus irretitur. Notauit Caietanus: *Dixit Saul: Dabo eam ei, vt sit ei in scandalum procul dubio supradictum, videlicet vt ratione affinitatis exponeret se periculo mortis aduersus Philisthinos.* Affinitati annexum erat periculum, nec poterat se ab implexis tricis eximere, si ea volebat affinitate gloriari. Itaque hinc constat quantis se laboribus deuouat quisquis cum magnatibus contrahere affinitatem studet, nam non solùm linguis se exposuit, sed etiam magnis difficultatibus implicauit.

§. LV.

Aulici pro veris falsa testantur, & minorum detrimento Principi adulari adnituntur.

Aulici. Adulatio.

FRequens est aulicis mendacijs gratiã magnatum emere, & minores premendo cupiditi Principum adulari: Certamen est quis blandissimè fallat, & fallendo minores violenter opprimat. Rarus fuit Symmachus, dum ita se gessit, vt Principis augeret censum, nec nouum populis excogitaret tributum. Quod difficillimum est, magna integritate se gessit, & generalitati prouidit. Audi Cassiodorum. 2. *var.* 16. *Infatigabili cura, quod difficillimum virtutis est genus, sub generalitatis gratia publica videtur procurasse compendia.* Adnectit: *Sensimus auctas illationes; vos addita tributa nescitis. Ita vtrumque sub admiratione perfectum est, vt & fiscus crescceret, & priuata vtilitas nulla damna perferret.* Ab aulicorum more longè Symmachus distitit, cùm sæpè aulici pauperum incommodo veritatisque detrimento gratiam Principis adnitantur acquirere. Cùm Saulem aulici non ignorarint nouercale in Dauidem odium alere, ei nihilominus adnituntur persuadere à Rege diligi, & in generum exoptari: *Ecce places Regi, & omnes serui eius diligunt te. Nunc ergo esto gener Regis.* Quàm placeret Regi immissa hasta testata est, quàm tenerè serui Dauidem diligerent, obsessio domus conuicit, quandoquidem ni Michol prudenti consilio eriperet, à Saulis seruis interemptus iaceret, & tamen Dauidi Regis persuadent benevolentiam, cùm manifestè solicitabat ruinam, & hoc totum vt sibi Principis acquirerent mendacijs gratiam. Suis factis eiusmodi nuntij expresserunt, aulicos;

ministrosque humilium ruina Principis gratiam mercari, & eius desiderijs blandiri: amorem mentiebantur, & mortem meditabantur, felicitatem promittebant, quo Dauid facilius mendacijs crederet, & credendo periret. Rex id jam tentarat, sed à Dauid non obtinuerat; modò per laruatos amicos iterum tentauit, & facilius obtinuit. Notauit noster Sancius: *Neque enim si Dauid annuisset postulatio à Rege, sequestros interponeret, & quasi paranymphos, qui nuptias illas secretò, & callidè conciliarent.* Sequestri se Dauidis causam agere mentiebantur, & dum eius commoda ad speciem suspirant, technas, & dolos inaurant. Itaque Dauid laruatis amicis credit & discrimen adit.

TEXTVS.

VERS. XXIII Et locuti sunt serui Saul in auribus Dauid omnia verba hæc. Et ait Dauid: Nunc parum videtur vobis generum esse Regis. Ego autem sum vir pauper, & tenuis.

§. LVI.

Qui se maiora appetit, sibi calamitatem adscisçit.

Ambitio. Sapiens. Votum.

VT famis auiditas plus adnititur aliquando vorare, quam vitalis calor valeat excoquere, & indè ingenerat sibi morbum, vndè roboris sperabat auxilium. Ita etiam splendoris, & dignitatis ambitio, dum appetit facultates, vires que excedentia, contra se cæca excitat difficultatum volumina. *Patitur hoc improuida mortalium plerumque conditio:* (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 47.) *vt cùm ladere putatur, consulat, & cùm consulere videtur, affligat. Sed illud magis est eligendum, quod prodesse cognoscitur, nam venena ipsa, si iuuare probantur, accepta sunt. E contrario refugienda est suauitas mallis, quæ inferre dignoscitur læsiones. Finis ergo sapientis est amare, quod expedit: sic nec igitur votum respicit, qui prodesse contendit.* Prudens ambitionis non attendit votum, si ex voto prænoscit emergere posse periculum: manult se salubriter continere, quàm periculosis culminibus eleuari. *Quid necesse est homini:* (aiebat Ecclesiastes) *maiora se quærere, cùm ignoret quid conducat sibi in vita sua?* Etsi quis ignoret quid satius, conducibiliusque sit, omnes scimus vires excedentia onera humeros prægrauare, & gemitus anxietatem exprimere. *Quid prodest* (aiebat datus Cassiodorus) *si quispiam videtur idoneus, & fieri non possit à contractis nexibus absolutus.* Semper speciosus dignitatis splendor, & splendidus culminis nitor aut præcipitio obnoxius, aut casui inuenitur vicinus, sed tunc præcipuè, quando oneri impar vires cum sarcina non confert, sed cæcæ ambitioni credit. Prudens iusta trutina vires, dignitatesque expendit, & recusat adire, quod nequit magnis etiam solicitudinibus conseruare. Dauid à laruatis amicis suadebatur, vt quam illi fortuna occasionem offerebat, elabi non sineret, sed, quàm libenter pater offerebat, sibi in matrimonium, filiam coniungeret, & Regis jam gener ad ampliorem statum transiret: *Loquuti sunt serui Saul in auribus Dauid omnia verba hæc.* Quid tunc Dauid? Fortunam, facultatemque, suam prudenter expendit, eumque honorem cum tenuitate sua non concordare respondet: *Num parum videtur vobis generum esse Regis? Ego autem sum vir pauper, & tenuis.* Miranda hominis modestia, dum se continet, sed mirabilior prudentia, dum scita tegit. Non ignorabat speciosо nomine periculum sibi extrui, Regem sciebat odio cæcissimo aduri, videbat paranymphos Sauli adulari, non ei consulere; omnia tamen silentio pressit, & vt qui eam erga se æstimaret beneuolentiam, paupertatem obiecit, & quæ prætexebantur honoris titulo, pericula euasit. *Suam obtendit inopiam* (inquit noster Sanctius) *& quæ ambitiosos etiam spiritus ab illa cogitatione deduceret. Et tandem addidit, rem magnam esse ad gloriosum illud nomen aspirare, & cum regio sanguine rusticum, & ignobilem commiscere, neque se satis habere, etiamsi paterna bona omninò conturbet, vt tam nobilem sponsam aliquali dote demereri queat.* Non detexit insidiosas sibi strui fraudes, non conquestus est ab amicis parari sibi fraudulentas insidias, sed humilem status sui conditionem obiecit, & ipsum periculum vertit in tutamentum. Quia erat pauper, & tenuis, filiæ Regis in matrimonium adnitebantur coniungere, vt dum familiæ domusque splendorem status exigit, & paupertas resistit, magnis difficultatibus implicetur, & grauissimis oneribus opprimatur: verùm Dauid ab ipso status splendore cum inopia collato est mutuatus responsum, & retorsit dolosæ fraudis spiculum. Etsi ad illam dignitatem (quod difficile admodum erat) elatus non pateretur inuidiam, ad necessarios sumptus conquirendos ingentem subiret molestiam, & anxiam pateretur angustiam: ergo vires expendit, & prudenter respondit. O quanta plures dura non experirentur incommoda, si Dauidis sequuti fuissent vestigia; verùm dum imprudenter vires excedentem statum, aut honorem exambiunt, sub onere miserabiliter ingemiscunt.

Eccles. 7. v. 1.

TEXTVS.

VERS. XXIV. & XXV. Et renuntiauerunt serui Saul, dicentes: Huiusce modi verba loquutus est Dauid: Dixit autem Saul: sic loquimini ad Dauid: Non habet Rex sponsalia necesse nisi tantum centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis. Porrò Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philisthinorum.

§. LVII.

Non tam est filiæ eligendus sponsus facultatibus opulentus, quàm de triumphatis, & expunctis vitiis gloriosus.

ÆTernum est matrimonij beneficium, quo & genus reparatur humanum, & honestum acquiritur cupiditati remedium, verùm sedulo est discutiendus examine, qui in sponsum admittitur, ne dum ambitur, quia facultatum splendore micat opulentus, & maiorum titulis

Nuptiæ.

titulis clarus, sit pestifera lues virtutibus prorsus nudus. *Miserrimum est* (aiebat Eurypides apud Stobæum *cap.* 69.) *muliebre genus, postquam odio haberi capit.* Quid vxori acerbius, & tristius, quàm odio à marito haberi, & indecorè tractari? Quod de vxoribus Eurypides, eodem cap. de viris Stobæus: *Vxorem ducere* (aiebat) *perindè est, ac ter senas, aut ter tesseras fortuitò jacere: nam si compositam moribus acceperis, & catera non molestam, felices habebis nuptias. At si frequenter exeuntem domo, loquacem, & sumptuosam duxeris, non vxorem habebis, sed instructum per vitam infortunium.* Hoc infortunium tam viris, quàm mulieribus post longa etiam examina solet contingere; verùm frequentiùs accidit, quia tam vir, quàm mulier, quæ potiora, non adeò solerter solent discutere, sed cæco impetu nuptias appetere: an dives sit patrimonium, inquiritur, an clara origo, examinatur, qui corporis habitus, quæ formæ dignitas oculis oppansis discutitur: erga virtutem aut nulla, aut tepidior diligentia, cùm tamen matrimonij felicitas filiorum posteritas plus quàm à facultatibus, pendeant à moribus. Dauid paranymphis, Saulisque sequestris nuptias cum filia Regis conciliantibus respondebat, se non posse ad glorioſum generi regij nomen aspirare, vt qui nec facultate copiosus neque æquali nobilitate conspicuus. Quid tunc Rex? se non expetere testatus est in genero diuitias dotis nomine dandas, aut antiquissimæ originis indubias tesseras, sed eam virtutem, quæ vitijs bella inferret, & prauitatem expungeret: *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis.* Si Dauid Philisthinos Dei hostes attriuerit, mirandis virtutibus emicabit: ergo Saul testatur se non ambire generum diuitijs circumfusum, sed detriumphatis vitijs præclarum, & virtutibus eximijs concinnum. Hugo Cardinalis Episcopis Ecclesiarum sponsis hæc verba adaptans sic ait: *Non hoc curat Dominus, vt Prælatus augeat temporalia, sed vt Philisthæos, id est, dæmones interficiat gladio verbi.* Non est in Episcopum eligendus sumptuosus, maiorum stemmatis clarus, si huiusmodi triumphis non resplendeat, & eligendus est, qui virtute excultus, etsi, vt Dauid, tenuis, & pauper. Iosephus apud Hugonem putat Saulem respondisse, se non quærere hominem, cui filiam venderet, sed quem excultum dignis moribus filiæ daret *Discite non me egere muneribus, quibus rebus potiùs venduntur filiæ, quàm nuptijs tradantur.* Qui filias proposuerunt specioso titulo vendere, plus attendunt sponsi facultates, quàm mores. Saul etsi dolosa intentione prudens hac in parte apparuit, quandoquidem non atendit, an Dauid copiosis frueretur diuitijs, sed an reportatis de Philisthæo dæmonis vmbra splenderet trophæis.

§. LVIII.

Cæcâ ambitio exuit naturam, & dedisci parentelam.

Ambitio. Parentela. Natura.

Omnibus (aiebat Seneca *Epist.* 91. *exitus manet, siuè interna vi, flatuque præclusa violenti pondus, sub quo tenentur, excusserint, siuè torrentum in abdito vis obstantia effregerit, siuè flammarum violentia compaginem soli ruperit.* Nil est tutum, quia aut pestifera vi impetitur, aut occulta flammarum violentia aduritur, aut disrupta compagine sepelitur verùm etsi nil à vento à torrente, à flamma inueniatur prorsus immune, industriæ tamen auxilio discrimini aliquando occurritur, & vitatur; ast ambitio, quæ simul & ventus, & fluctus, & ardor est industriam eludit, prudentiam fallit, cautelam effugit. Hinc disces cur Saul in filiæ dotem non capita, sed præputia Philisthinorum exegerit, & popoſcerit. *Non habet Rex sponsalia necesse nisi tantum centum præputia Philisthinorum.* Cur potiùs præputia, quàm Philisthinorum capita, quandoquidem non minor erat vltio, si afferrentur capita, quàm præputia? Ita sanè; sed cùm non ignoraret ambitionis deliria, timuit, ne Dauid præcisis suorum capitibus execranda conaretur assequi lucra: ergo exegit præputia, quibus Hebræi denudabantur, vt periculo occurreret, & iniquæ suspicionis metum auferret. Adest Theodoretus apud Glossam: *Quanam de causa petijt Saul non capita, sed præputia? Improbè cogitans comecit, quod occisis aliquibus sui generis afferret eorum capita, ea de causa iussit afferri sibi præputia: præputium enim indicat aliud genus.* Ex allatis capitibus non erat facilè conijcere, an Hebræi à Dauide iugulati, an Philisthæi interempti: ex præputijs manifestum erat non proprios, sed alienigenas vulneratos; eam ergo partem requisiuit, quæ omnem dubitationem auferret, & dum peruersè de Dauid cogitat, ambitionis ingenium indicat; nam si hic pestilens ardor præcordia adusserit, nil veretur, immò proprio sanguine dignitatis fastigium emere adnititur. Ambitio naturæ leges dedisci, parentelam spernit, humanitatem denudat, vtque assequatur improba vota, fæda perpetrabit delicta. Consonat Basilius Seleucienſis *orat.* 16. *Mores peruersi, cogitatio fraudulenta. Arbitratus est enim Danidem præcisis vel domesticorum capitibus, quod ab inuidia periculum creabatur, furtiuo stratagemate posse propulsare, quando in inimicis, & inimicis formæ discrimen natura nullum figurauit. Vna verò circumcisio ab alienigenis abiungebat Israelem, & legis nota differentiæ signum erat.* Sui similes in Danide mores suspicatus, veritus est gloriæ ardore domesticos etiam pro inimicis habiturum: ergo noto inter Philisthæos, & Israelitas signo suspicioni occurrit, & contra ipsam aliquando naturam ambitioſos furere edocuit.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXVI. & XXVII. Cùmque renuntiassent serui eius Dauid verba, quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis Dauid, vt fieret gener Regis. Et post paucos dies surgens Dauid abijt cum viris, qui sub eo erant. Et percussit ex Philisthijm ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea Regi, vt esset gener eius. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam vxorem.

§. LIX.

Quod improbitas iustis machinatur scandalum, in virtutis Deus vertit elogium, & felicitatis augmentum.

Peccator. Iustus. Scandalum. Felicitas.

VBi nascendi laus, & viuendi gloria debitum inuenire debuit elogium, patitur aliquando inauratum scandalum. Insolitum felicitatis genus est vt quis multæ probetur esse virtutis, quin inuidiam sustineat persequentis. Dauid sic egregijs prærogatiuis, & virtutis dotibus prælucebat, vt publicus eum prosequeretur amor, & necesse erat, Saulem, si alius esset, velle, quod cunctos non ignorabat, optare: verùm quò feliciori prosperitatis euentu firmum erga Dauidem studium ostendebat vaga populorum voluntas, tantò contra eum subdola Saulis militabat improbitas. Nuptias offert regias, quo honorandi Dauidem specie cædem eius disponat, & Philisthæis, quorum allaturum mittebat præputia, tradat: verùm Deus, cui improbitas inuisa, cui virtus grata, quod prætendebat, scandalum in Dauidis vertit elogium: nec enim centum, vt Saul deposcebat, sed ducenta Philisthinorum præputia attulit illæsus, & tanta strage aduersariorum gloriosus: *Percussit ex Philisthijm ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea Regi, vt esset gener eius.* Ne eius esset gener, Philisthæis obiecit, & quia obiecit, eius factus est gener. Centum inimicorum cædes exegit dotis nomine, & Dauid ducenta attulit eximia virtute; vicit malitiam probitas, & callidam fraudem mira strenuitas; & quò plus Saul cogitabat virtutis lucem extinguere, contingebat præter opinionem viuidiùs accendere. Notauit Eucherius apud Glossam: *Saul dissimulator callidus, vt sine insidijs suis Dauidem posset offerre discrimini, statuit eum Michol filiæ suæ nuptijs alligari, si centum sibi allophylorum præputia victor offeret, pro quibus centum ducenta dedit, & vndè creditus est regio perire voto, indè auctus est glorioſiori trophæo.* Scandalum conuersum est in trophæum, & indè resplenduit augustiori victoria, quò mittebatur miseranda perituris ruina. *Commune malum* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 1.) *vestrum iudicamus inimicum, nam ille me iure sustinebit aduersum, qui vobis nititur esse contrarius.* Commune malum erat Saul Dauidis inimicus, quando Dauidis vita omnium erat sospitas, & cædes esset calamitas: ergo Deum Saul sibi sustinuit aduersum, nec passa est cœlestis iustitia dolosam prauitatem prævalere, immò inuitam fecit adaugendis Dauidis commodis, & laudibus inservire: vndè creditus est regio perire voto, indè auctus est glorioſiori trophæo.

TEXTVS.

VERS. XXVIII. & XXIX. Et vidit Saul, & intellexit, quòd Dominus esset cum Dauid: Michol autem filia Saul diligebat eũ. Et Saul magis cæpit timere Dauid: factusque est Saul inimicus Dauid cunctis diebus.

§. LX.

Eximia probatur virtus, quam nequit æmulus dissimulatione ignorare, aut conscientiam corrumpendo minuere.

INuisi virtus æmulis odiosa est; vtque ægris oculis quò lux candidior, inuenitur ingratior, & premunt palpebras, ne quo feriuntur, splendoris florem adspiciant: Sic inuidentia suffusus ægrotat aspectus, non patitur virtutis lumen adspicere, & mauult affectata cæcitate ignorare. *Nil enim securum* (aiebat Cassiodorus *variar.* 28.) *nil poterit stabile reperiri, si semper inuidentium vota ad illicitas accedere permittantur insidias.* Inuidentium solamen oritur de inuisorum ruina, vtque detestabile solatium acquirant, nihil non tentant; actiones peruersa interpretatione denigrant, suspicionibus varijs virtutes infamant, dolosis verbis opinionem constuprant. Hinc est, quòd si aliquando inuidus nequeat non confiteri, inuidiosi virtus probetur non solùm eximia, sed omnibus admiranda. Non rectis oculis aspiciebat Saul Dauidem; ea tamen fuit in debellandis hostibus fortitudo, in tractandis negotijs solertia, in conciliandis sibi omnium animis gratia, vt non potuerit interne ignorantiam affectare, nec externè oculos liuoris tenebris sepelire: *Et vidit Saul, & intellexit, quòd Dominus esset cum Dauid.* Quod Tertullianus de voluptate, adaptari etiam potest liuori; tanta enim est vis liuoris, vt ignorantiam protelet in occasionem, aut conscientiam corrumpat in dissimulationem, aut vtrumque: vndè si nec ignorantiæ affectatæ, nec dissimulationis quæsitæ prosunt artificia, jam inuisi virtutes processerunt vsque ad miracula. Prodest Abulensis *quæst.* 37. *Per experientiam vidit, & intellexit colligendo coniecturam ex factis Dauid, scilicet quod esset Deus cum eo, quia nullus posset talia facere, qualia ipse faciebat, nisi Deus esset specialiter cum eo.* Cùm ea felicitate, ea prudentia se gereret, vt inuidiæ eluderet machinas, & hostiles attereret semper copias: non potuit Saul non fateri specialia Dei auxilia, quando pro linguis, & testibus deseruiebant miranda Dauidis facta. Pauit Christus desertorum solitudine ingentes copias; panis pariebat panem, & de manu Domini saporem cœlestem contrahebat: cùmque liuor sæpiùs alia miracula calumnijs obscuraret, hæc fateri coactus est: *Illi ergo homines cum vidissent, quòd Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta.* Iam non repetunt: *Quia Sabbatha non custodit*; jam non inculcant: *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Sed ignoti retrò sæculis miraculi

Virtus. Æmulo. Inuidentia.

Ioan. 6. v. 14

miraculi euidentiam, nec liuor potuit dissimulatione præterire, nec confictis calumniis obscurare: ergo magna resplenduit virtus, quando velint, nolint æmuli fatentur, & nulla tergiuersatione innubilare admittuntur. Notauit Chrysostomus in Catena Diui Thomæ: *Propheta iam erat apud eos, & Regem eum inthronizare volebant.* Consonat Basilius Seleucensis *orat. 33. Iudæorum loquacitati eripiens accusationem sublatis in cœlum oculis patri hoc præclarè factum acceptum refert.* Id erat miraculum, vt inuidentium lingua obmutesceret ad accusationem, & nequirent labia non proferre laudem. In hunc ergo modum ea erant Dauidis facta, vt Saul nec suspicionibus iniquis posset obscurare, nec conscientiam corrumpendo sibi ipsi dissimulatione blandiri.

§. LXI.

Vxoris conciliatur affectus, si se agnouerit diligi, magnique haberi.

Vxor. Affectus.

QVi coniuges suas non libenter contemplantur (scribit Plutarchus *in præcept. coniug.*) vescentes secum, & bibentes, vt seorsum se ingurgitent, commonstrant eis: sic qui non conuersantur cum vxoribus iucundè, neque ludum, & risum eis participant, docent eas seiunctas ab ipsis peculiares voluptates circunspicere. Quid sperat ab vxore, qui in seruarum censu habet, cuius aures vulnerat, cuius oculos supercilij torsitate offendit, & eius honori insidiari docet. Amor amorem gignit, comitas edocet comitatem, competenti eam honore æstimare, vxoris beneuolentiam accendit Saul pessimis Michol consiliis contra virum armare conatus est, eius nuptiis æmuli cædem emere sibi promisit, & filiæ thalamum contra maritum adornauit: verùm Michol patri mariti prætulit obseruantiam, & claris argumentis ostendit beneuolentiam: *Michol autem filia Saul diligebat eum.* Non ignorabat Dauid Micholem à patre instigari, & in modum sagittæ contra ipsum immitti; verùm, vt erat prudentissimus, sic eam magni habere, diligereque claris argumentis ostendit, vt eius sibi conciliarit beneuolentiam, & officiis meruerit gratiam. Temporis spatia ad afferenda præputia illi constituta breuiauit, vt amoris affectum proderet: nec solùm sponsaliorum nomine petita, sed, vt quàm magni æstimaret nupcias, ostenderet, præputia attulit duplicata: ergo amore capta, & obsequiis delinita sic honesto, teneroque amore est prosequuta Dauidem, vt ignorauerit patrem. *Qui vult habere Michol* (inquit Hugo) *debet dare ducenta præputia.* Præputiorum adauctus numerus testabatur Dauidis affectum, & quanti æstimaret coniugium: ergo habuit Michol non solùm coniugio associatam, sed tenero amore coniunctam. Opportunè Basil. Seleucensis *orat. 16. Aduersus maritum armat vxorem... Illa verò improbato parentis furore virum à iugulatione ereptum fuga dimittit; ita deuicta parentis inuidia suam in maritum charitatem contestata est.* Matrimonij lex erga maritum edocet charitatem; verùm Saul huius legis obliuionem inducere, & filiam aggressus est contra maritum armare; non tamen potuit, quia Dauid tempus sibi præscriptum breuiando nuptiarum testatus est desiderium, dotemque adaugendo magnæ æstimationis protulit testimonium: ergo Michol magni à viro habita, & tenerè dilecta pro Dauid semper stetit, & peruersa patris consilia improbauit. Audies aliquos conqueri viros, vxores se asperas; & intractabiles fuisse sortitos, à quibus si, quomodo se domi gerant, scisciteris, inuenies in famularum censu habere, paruique æstimare; alij continuis iurgiis exasperant, & duris verbis irritant, vnde pro beneuolentia odium exoritur, & vindicta honoris detrimento procuratur. Oppones leues esse iurgiorum causas. Quid interest, si continuæ? Ex leuibus causis, continuis tamen ingenerari solet morbus, qui magnum medicis negotium faciat; & facilius est aliquando pestilenti morbo succurrere, quàm paulatim, & diù inuisceratum depellere. Redeat datus Plutarch. *Nam vt febres medici ex causis natas cœcis, ac minutatim collectis plusquam eas, quæ euidentes, & insignes habent occasiones, metuunt, sic quæ vulgus fallunt, exiles offensiones, perpetuæque, ac quotidianæ mulieris, & viri magis diuellunt, & labefactant eorum contubernium.* Continua exasperatione nutritur odium, vt affabilitate continua beneuolentiæ, & amoris augescit studium.

§. LXII.

Coniugium mutua charitate obarmatum, & concordia mutua munitum, durum dæmoni probatur tormentum.

Matrimonium. Concordia. Dæmon.

OLim prouerbium erat: *Nec Hercules contra Deos.* Vtque frater, qui adiuuatur à fratre, fortis est ciuitas, quam nec maleuolentiæ aries subruat, nec improbitatis machinamentum euertat; ita coniuges, si concordiæ munimine tecti, & beneuolentiæ vinculis colligati in modum castri inexpugnabilis aduersariorum tela eludunt, quia concordiam, & mutuam dilectionem veluti scutum inexpugnabile opponunt. *Non quidem abnuimus* (aiebat Tertullianus ad vxorem *lib. 1. cap. 2.*) *coniunctionem viri, ac fœminæ benedictam à Domino, vt sciremus genere humano, & replendo orbi, & instruendo sæculo excogitatam.* Coniunctio duarum personarum in matrimonio, vtpotè à Deo benedicta, aduersus diabolicas insidias inuenitur armata. Quidquid triste acciderit alteri, ab altero delinitur, quidquid asperum, leuigatur. *Virum* (aiebat Mænander de bona vxore apud Stobæum *cap. 69.*) *magna diligentia curat: infortunatum non deserit, & defunctum sepelit, ornatque familiariter.* Adnectit vtilissimum documentum: *Recipienda tibi hæc sunt, vbi quid ex rebus quotidianis molestum fuerit.* Vbi si quid amarum, beneuolentia dulcescit, si quid iucundum communione plus sapit, dæmon exuritur, & concordia dissecatur. Saul ab exordio Dauidicæ laudis, eum cœpit timere, verùm acriori multò timoris aculeo perculsus est, cùm data in vxorem filia vidit coniugium feliciter processisse, & mutuis se coniuges affectibus adamasse: *Michol filia Saul diligebat eum. Et Saul magis cœpit timere Dauid.* Et cur modò grauiori timore angatur, & maiori angore pulsetur? Quia spes suas vidit prorsus elusas, & penitus artes frustratas. Quid enim diabolus, cuius personam Saul agebat, plus doleret, quàm coniugum pacem, concordiamque, à qua illi bellum, immò & excidium. Notauit Abulensis *quæst. 37. Duo fuerunt hîc, propter quæ Saul timebat Dauid:*

Primum fuit, quia Deus erat cum Dauid, id est, prosperabat omnes actus eius: secundùm, quia filia eius diligebat Dauid: putauit enim à principio, quòd Michol magis diligeret patrem, quam virum, & ideò esset causa Dauid pereundi: nunc autem contrarium acciderat. A coniugio litibus, discordiaque perturbato sperabat subsidium, vtque vidit concordia floridum, mutuis affectibus prosperatum, durum sustinebat tormentum, & imminere sibi iam verebatur excidium. Vbi inter Tobiam, Saramque ritè, castèque celebratur coniugium, refertur diabolus duris vinculis illigatus, & veluti nexibus ferreis constrictus: *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.* Antequàm Tobias vxorem duceret, etsi Angelo viderit associatum, immanis piscis formam induens, aggressus est deuorare, & licèt successu caruerit, adhuc spes non amisit; verùm vbi iuuenem aspexit sanctè honestèque matrimonio illigatum, ingemuit; matrimonium conuertebatur ei in tormentum, quia & coniugalis castitas efflorebat, & morum concinnitas emicabat. *Diabolum ligauit* (inquit Beda apud Glossam) *quia à fidelium læsione cessando compescuit.* Tanta à sancto matrimonio virtutibus promanarunt auxilia, tanta dæmoni detrimenta, vt illigatus iam ingemiscere, & à iuuenem tentando cessaret.

Tob. 8. v. 3.

§. LXIII.

Quò quis virtutibus eximiis excultus, tantò acriùs diabolicis machinis impetitur diuexatus.

Virtus. Tentatio.

IMbellis, etsi conculcetur, relinquitur, cum stante pugnatur, & quò validior fuerit resistentia, eò acrior efferuescit & pugna. Qui se quotidiè meliorem facit, qui per virtutis cliuum intrepido vestigio ascendit, quos in ima valle non sustinebat, acres ventorum flatus sustinebit.

Cant. 6. v. 7. Vbi sponsus columbam cæteris prætulit. *Adolescentularum non est numerus, vna est columba mea, perfecta mea,* tuta petrarum foramina delegit sibi

Cant. 2. v. 14. profugia: *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Et cur columba præ adolescentulis ad petrarum inuolarix tutamina, & maiora quærat subsidia? Adolescentulæ firmis adeò munimentis non includuntur, sed per amœna camporum vagantur, & columba non audet pennas explicare, nec à cauerna discedere. Profectò columbæ vti cæteris perfectiori: *Vna est columba mea, vna est perfecta mea,* accipiter solicitiùs insidiabatur, si posset capere, aut saltem rostro percutere: ergo prudenter munimenta quæsiuit, quia magna sibi tentationum imminere volumina agnouit. *Macerix* (inquit noster Delrius in litera) *ex siccis lapidibus ad munimenta vinearum solent fieri ad repellendas vulpes, & cæteras nocinas bestias. Hic posita pro quouis arte & industria parato refugio.* Columba præ aliis candore, & innocentia resplendens prudenter latitat macerianum tutamine tecta, quia præ cæteris impetita. Quod Dauidi etiam accidisse videbis. Nam vt sensit Saul in dies proficere, plus eum incepit timere, & graniores inimicitias disponere: *Saul magis cœpit timere Dauid: factusque est Saul inimicus Dauid cunctis diebus,* id est, graniores inimicitias gerebat, cuius causam reddit Hugo: *Quia quantò melior fiebat Dauid, tantò magis timebat eum Saul.* Quo passu Dauidis crescebat virtus, Saulis augebatur anxietas, & graniora bella disponebat improbitas. *Iuxta Hebræum habetur* (inquit Caietanus) *Et fuit Saul inimicans Dauidi omnibus diebus. Ecce peius timore, inimicitia odium.* Timor excreuit in odium, odium prosiliuit in bellum; vbi Dauid triumphis glorioſior, & virtutibus exornatior: est enim dæmoni, cuius Saul personam gerebat, proprium in virtutibus politiores acriùs insurgere, & duriora bella mouere.

TEXTVS.

VERS. XXX. Et egressi sunt Principes Philisthinorum: à principio autem egressionis eorum prudentiùs se gerebat Dauid, quàm omnes serui Saul, & celebre factum est nomen eius nimis.

§. LXIV.

In tentationum exordio oportet cautiori se solicitudine gerere, & viriliter decertare.

Exordium. Tentatio. Solicitudo.

QVi primis certaminibus fuerint imminuti, animos deponunt, & futura bella extimescunt. *Mens humana* (etsi aliorsum aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 9.) *facilè suspicatur de quolibet illa, quæ pertulit.* De quolibet suspicatur certamina illa, quæ semel pertulit, & animo cadit: vt è contra locus ambiguo pauori non relinquitur, vbi experimenta probabilia suffragantur. Animos erigunt ad arma, qui à primordio reportauere trophæa. Primordia cuncta pauida sunt; verùm si ab initio arrisit prosperitas, non retardabit timiditas. Hinc est, quòd Dauid vbi Philisthinorum Principes bella adornarunt, solicitè studuit primo in conflictu strenuè se gerere, & contra hostiles acies inuictum robur opponere, vt felix cordium animositatis esset fomentum: *Egressi sunt Principes Philisthinorum: à principio autem egressionis eorum prudentiùs se gerebat Dauid,* id est, viriliùs, & studiosiùs, vt qui benè nouerat à primo conflictu pendere semper aut victoriam, aut ruinam: neque eum fefellit opinio, quandoquidem hostibus pannicum adeò incussit metum, vt sibi æternauerit plausum: *Celebre factum est nomen eius nimis.* Si ignauè tractasset exordia, gloriosa adeò non acquisisset trophæa; ast, dum primo in congressu vires erexit, hostium audaciam fregit, & in fugam compulit. Ita Abulensis *quæst.* 37. *A principio bellorum, à quo Principes Philisthinorum incepernnt egredi contra Israel, Dauid habuit se cum eis viriliùs.* Ne serò pararetur medicina, principiis obstitit, & se prudenti cautela gessit. Qui cùm inimicus tentationum spiculis eum aggrediturr, nec cautus retundit, nec animosus infringit, hostium fouit audaciam, & sibi maturauit ruinam; nam si semel hostis, etsi leui vulnere conscientiam sauciauit, maiora semper præsumet; & è contra, si coactus est pedem referre, timet iterum in campum prodire. *In vtero* (aiebat Oseas de Iacob) *supplantauit fratrem suum, & in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum.* Esau primo congressu deuictus bellum non ausus est instaurare; Iacob, quia strenuè se gesserat, vel cum

Osee 12. v. 3.

cum Angelo non timuit congredi, immò honestè præsumpsit de ipso Angelo palmam referre. Exordia plerumque sunt felicia futurorum auspicia, aut infelicia præsagia. *In vtero matris* (inquit Glossa Moralis) *sese collidunt, quia in moribus dissentiunt, sed boni malos supplantant.* Iacob moribus benè instructus, & virtutibus obarmatus Esau, id est, vitium primis in congressibus supplantauit: ergo successu animatus, brachia cum Angelo conferere non extimuit, & benedictionem extorsit; vt suis edoceret factis, quàm oporteat primis in conflictibus strenuè se gerere, & nulli labori parcere.

§. LXV.

Gloriosum est nobilitatem à parentibus accipere, sed gloriosius laudandis actionibus ampliare.

Origo. Nobilitas. Virtus.

Hic est vir (aiebat de Archemidore patritio Theodahadus 1. *variar.* 43.) *qui genitalis soli relicta dulcedine nobis maluit inhærere, & licèt esset clarus in patria, nostram tamen elegit subire fortunam, superans gratiæ magnitudine vim naturæ.* Adnectit: *Huic ergo tot, ac talibus meritis prælucenti fauete linguis, fauete colloquiis.* Grande inter gentes constat esse præconium, venerandis maiorum nominibus exornari, sed maiore laude dignus, qui nobilitatem suam egregiis factis excoluit, & sibi famam adauxit. In sobole frequenter splendor originis hebetatur, dum torpent aliquando ignaui origine clarâ progeniti, qui verò non solùm originis luminibus resplenduerunt, sed egregiis nobilitatem actionibus adornarunt, quæ à maioribus acceperant, ingenti lucro persoluunt. Dauid nobilitatem à maioribus accepit, sed quam acceperat, tot, tantisque incrementis adauxit, vt eius nomen cunctis gentibus fuerit suspiciendum, & celebrandum: *Celebre factum est nomen eius nimis.* A quo hæc nominis celebritas facta? Ab ipso quidem Dauide hostium terrore, suorum salute. Ita Abulensis *quæst.* 37. *Fuit nomen eius gloriosum, scilicet, quod in omnibus terris laudabatur de aptitudine ad bellum.* Gloria à maioribus accepta magna erat, quia Dauid Iudæ generosi leonis proles legitima, sed intra Israelitarum ea gloria terminos clausa, ast dum factis respondit origini, sic adauxit, vt ad exterorum terras extenderit, & sui nominis laudem magnis processibus ampliarit. Iacob etiam illustre nomen ab exordio sortitus est; verùm dum certamen subit, & ad Angelum prælualet, primi nominis lucem honestissimè tumulauit. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis?* Strenuus luctator grandius nomen sibi fecit, & qui anteà fratrum Princeps, iam Princeps cùm Deo, *Hieronymus* (ita Hugo) *dicit hoc nomen Israel sonare Princeps cum Deo: sic enim Angelum interpretatum asserit, quando dixit: si contra Deum Princeps, vel fortis fuisti*, &c. Dum egregiis factis celebrandum sæculis sibi nomen acquisiuit, suo nos exemplo edocuit gloriosiora esse nomina dignis actionibus comparata, quàm à nobili vena accepta.

Gen. 32. v. 28.

§. LXVI.

Præclara probantur merita, quæ diuersarum gentium approbauere iudicia.

Plausus. Assensus. Meritum.

APud aliquos nomen sortiri, aut fauore, aut fortuna potest contingere; ast de solis meritis venit, apud diuersas gentes habere. *Incipio satis absolutum existimare* (aiebat Plinius 9. *epist.* 11.) *de quo tanta diuersitate regionum discreta hominum iudicia consentiunt.* Dum variæ gentes climate disiunctæ, diuersis moribus, vt regionibus separatæ idem protulerunt iudicium, indubium veritatis est argumentum: ergo cùm Dauidis nomen in omni terra venerandum habetur: *Celebre factum est nomen eius nimis*, quantis resplenduerit meritis, declaratur. Prodest Abulensis *quæst.* 37. *Fuit nomen eius gloriosum, quod in omnibus terris laudabatur de aptitudine ad bellum.* Tam exteri, quàm proprij, tam remoti, quàm vicini militarem Dauidis virtutem dilaudabant, & cæteros bellandi dexteritate longe superare agnoscebant: ergo quantumuis vnius, aut alterius liuor virtutis splendorem conaretur innubilare, & iniquis linguis abrodere, defatigaretur in cassum: nec enim potuit non esse virtute absolutissimus, circa cuius elogia tot gentium non discrepabat assensus. Pharisæorum liuor, gehennale odium, Christum Dominum egit in crucem, miracula sugillabantur delicta, quia affectus liuore inflammatus sic oculos transuersim agebat, vt de rebus sententiam proferrent iniquam, vt veritati prorsus contrariam; verùm ea est veritatis efficacia, vt nulla vi possit extingui, nullis artibus superari. Aër horroribus pro voce vsus odium condemnabat, & virtuti afferebat testimonium, terra insolitis motibus crucifixi confitebatur virtutem: *Ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Omnia elementa crucifixi attestabantur virtutem, & crucifigentium detestata sunt prauitatem: ergo quantumuis furor insaniret, crucifixi virtus resplenduit, &, dum omnium elementorum concordauere indicia Christi Domini deleri nequiuerunt elogia: nec enim adeò distantes eandem proferrent sententiam creaturæ, ni veritatis euidentia persuasæ, & crucifixi Domini virtute compulsæ. Audi Hieronymum in Caten. Diui Thomæ: *Nulli dubium est, quid significet iuxta literam magnitudo signorum, vt crucifixum Dominum suum & cœlum, & terra, & omnia demonstrarent.* Tantis interuallis distantium creaturarum assensus euidens erat veritatis demonstratio, quando nec ingeniorum diuersitas potuit discordare, aut ab vna, eademque sententia resilire. Adstipulatur leo magnus ibidem: *Est autem ad testimonium venerandæ passionis sufficiens signum elementorum inopinata turbatio.* Veneranda refulsit in cruce diuinitas, dum diuersæ adeò creaturæ eandem protulere sententiam, & quibus potuerunt linguis, adnisæ sunt crucifixi proferre victoriam.

Matth. 27. v. 51.

CAPVT XIX.

1 LOQVVTVS est autem Saul ad Ionatham filium ſuum, & ad omnes ſeruos ſuos, vt occiderent Dauid. Porrò Ionathas filius Saul diligebat Dauid valde: 2. Et indicauit Ionathas Dauid: dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter obſerua te, quæſo, mane, & manebis clam, & abſconderis: 3. Ego autem egrediens ſtabo iuxta patrem meum, in agro vbicumque fueris: & ego loquar de te ad patrem meum, & quodcumque videro, nuntiabo tibi: 4. Loquutus est ergo Ionathas de Dauid bona ad Saul patrem ſuum: dixitque ad eum: Ne pecces Rex in ſeruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona ſunt tibi valdè: 5. Et poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit Philiſthæum, & fecit Dominus ſalutem magnam vniuerſo Iſraeli: vidiſti, & lætatus es. Quare ergo peccas in ſanguine innoxio, interficiens Dauid: qui est abſque culpa? 6. Quòd cùm audiſſet Saul, placatus voce Ionathæ, iurauit: Viuit Dominus, quia non occidetur: 7. Vocauit itaque Ionathas Dauid, & indicauit ei omnia verba hæc; & introduxit Ionathas Dauid ad Saul, & fuit ante eum, ſicut fuerat heri & nudiustertius: 8. Motum est autem rurſum bellum: & egreſſus Dauid, pugnauit aduerſum Philiſtiim: percuſſitque eos plaga magna, & fugerunt à facie eius: 9. Et factus est ſpiritus Domini malus in Saul: ſedebat autem in domo ſua, & tenebat lanceam: porrò Dauid pſallebat manu ſua: 10. Niſuſque est Saul configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saul: lancea autem caſſo vulnere perlata est in parietem, & Dauid fugit, & ſaluatus est nocte illa: 11. Miſit ergo Saul ſatellites ſuos in domum Dauid, vt cuſtodirent eum, & interficeretur mane. Quod cùm annuntiaſſet Dauid Michol vxor ſua, dicens: Niſi ſaluaueris te nocte hac, cras morieris: 12. Depoſuit eum per feneſtram: porrò ille abiit, & aufugit, atque ſaluatus est: 13. Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem pilоſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit eam veſtimentis: 14. Miſit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid: & reſponſum est, quòd ægrotaret: 15. Rurſumque miſit Saul nuntios vt viderent Dauid, dicens: Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur: 16. Cumque veniſſent nuntij, inuentum est ſimulacrum ſuper lectum, & pellis caprarum ad caput eius: 17. Dixitque Saul ad Michol: Quare ſic illuſiſti mihi, & dimiſiſti inimicum meum vt fugeret? Et reſpondit Michol ad Saul: Quia ipſe locutus est mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te: 18. Dauid autem fugiens, ſaluatus est, & venit ad Samuel in Ramatha, & nuntiauit ei omnia, quæ fecerat ſibi Saul: & abierunt ipſe & Samuel, & morati ſunt in Naioth: 19. Nuntiatum est autem Sauli à dicentibus: Ecce Dauid in Naioth in Ramatha: 20. Miſit ergo Saul lictores, vt raperent Dauid: qui cùm vidiſſent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem ſtantem ſuper eos, factus est etiam ſpiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipſi: 21. Quod cùm nuntiatum eſſet Sauli, miſit & alios nuntios: prophetauerunt autem & illi. Et rurſum miſit Saul tertios nuntios, qui & ipſi prophetauerunt. Et iratus iracundia Saul: 22. Abiit etiam ipſe in Ramatha, & venit vſque ad ciſternam magnam, quæ est in Socho, & interrogauit, & dixit: In quo loco ſunt Samuel, & Dauid? Dictumque est ei: Ecce in Naioth ſunt in Ramatha: 23. Et abiit in Naioth in Ramatha, & factus est etiam ſuper eum ſpiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat, vſque dum veniret in Naioth in Ramatha: 24. Et expoliauit etiam ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele, & cecidit nudus tota illa die, & nocte. Vndè & exiuit proverbium: Num & Saul inter Prophetas.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. I. Loquutus est autem Saul ad Ionatham filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid: Porrò Ionathas filius Saul diligebat Dauid valdè.

§. I.

Aulicis, quæ Principi placita legum iura.

Aulici.

OMni laude decoratur, qui iustus edicitur, nullum iustitia culta non sublimat, immo sui participes aduersus fortunæ incursus obarmat: verùm politici, aulicique non semel quidquid magnatibus placet, pro lege habent, & conducibilius sibi existimant venalem exhibere

Princeps.

Principibus obseruantiam, quàm debitam legibus reuerentiam: Lex non placet, si gubernatori placito contradicit. *Priscorum terrores,* (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 2.) *fecimus ignorari. Nec extraordinaria quæsiuimus, qui cuncta geri legibus optamus.* Felix Respublica, vbi Princeps cuncta geri legibus exoptabat, nec votum, desideriumque suum obseruandum pro legibus proponebat: infelix esset, si ab aulicis repudiaretur iustitia, vt ambiretur magnatum gratia. Nazianzenus de Republica sub Iuliano loquens hæc graphicè scribit Orat. 1. in Iulianum: *Alios honoribus capiens, nimirum eos, qui nullam aliam legem, quàm Principis voluntatem agnoscebant.* Aulici, Palatinique pro lege habebant Iuliani voluntatem, siue iuri consonam, siue æquitati, & rationi aduersam; quod aulicorum ingenium non ignorans Saul, cum hucusque inuidiam æstu tectam, odiumque in Dauidem dissimulatione latens tandiù in præcordiis non posset premere, familiaribus suis iniustam violentámque Dauidis cædem se desiderare manifestauit: *Loquutus est autem Saul ad Ionatham filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid.* Lex innoxij hominis cædem clarissimè vetabat; verùm quantumuis edictum legis obstaret, credidit Saul ab aulicis necem inferendam, vt qui mallent, quàm exhibere legibus reuerentiam, eluerari sibi Principis gratiam. Notauit Caietanus imperiali eis edicto non præcepisse, sed desiderium tantum intimasse. *Nec dicitur eis, vt occidant Dauidem, sed manifestat eis procurandam esse mortem Dauidis.* Cùm seruis familiariter loquens, quàm se in Dauidem graui odio æstuaret expositit: ergo satis fuit iniquam prodere voluntatem, vt contemnerent legem. Mirè profectò resplenduit erga Dauidem Dei prouidentia, quando Regis voluntas aulicis intimata non fuit effectum sortita. Non ignorabant Dauidis innocentiam, nec Regis ignorabant malitiam; & tamen miraculi adinstar fuit non fuisse adulatos malitiæ, mortem inferendo innocentiæ. Ochozias quinquagenarium mittit, qui Eliam egregium Dei Prophetam vinculis illigarit, aut violentam cædem intulerit. Quinquagenarius edictum non discutit, non expendit, an rationi aduersum, aut consentaneum, immò, vt verius dicam, agnoscens Regis voluntatem, despicit Prophetæ virtutem. *Homo Dei, Rex præcepit, vt descendas.* Et Dei fatetur hominem, & festinat inferre necem, tulit cælestem ardentem flammam, dum veluti legem Regis obseruat amentiam. *Consentaneus erat Regi* (inquit Lira) *in peccato idololatriæ, & punitione Eliæ, & similiter illi qui cum eo erant, & ex hoc Dei sententia erant puniendi.* Legum edicta calcabant, vt Principis mores induerent, & eius desiderium explerent, ea tamen exitialis morum concordia voraci punita est flamma, & qui non vstulati, dum vana idolorum venerati figmenta, ardentissimis decinerescunt consumpti flammis, dum virtutis cultoribus inferre adlaborarunt supplicia. Æquitas despiciebatur, & adulatio quærebatur; verùm dum proculcant adulatores execrandis ausibus iura, tulerunt voracissima incendia, & dum irritis conatibus aulicorum ostendunt mores, ardentes etiam patiuntur ignes: Itaque frequens est aulicis pro lege Principum voluntatem habere, sed etiam ignis cœlestis indignationem subire.

4 Reg. 1. v. 9

§. II.

Mirum est, si filius non aggrediatur legum edicta calcare, vt possit quidquid delirat parens, implere.

FIlij nomen admonet pietatis studium, nec leuis est reatus, si filius parenti non impendat affectum, quando pro ipso pater aliquando non recusat exitium: verùm plus homo debet rationi, quàm patri: si filius iniquum mandatum non absoluat, non deuenustat naturam, immò honorat rationem, cùm se præbet iniustis iussionibus non parentem. *Homo* (aiebat Basilius Seleucienſis *orat.* 3.) *ratione insignitus, electionis potestate ornatus, & arbitrij libertate refulgens concilij vim habet, quæ nulla teneatur voluntatis seruitute, intentionémque habet sui dominam, & inuiolabili gloriatur agendorum electione.* Verùm frequenter filij stultè existimant pietatem colere, si per fas, aut nefas aggrediantur, quidquid parentes iniunxerint, adimplere. Huic thesi adapto, quod aiebat aliorsum datus Basilius: *Si iussus mandatum prætereat, non ideò naturam demutat*, immò si execrandum, illicitumque mandatum contemnat, naturam contemptu honorat: frequenter tamen malunt homines parentum obtemperare iussis, quàm legum, & æquitatis præscriptis. Ionathas patri dissimilis in Dauidem charitatem exercuit, cùm pater cædem perpetrare imperauit; immò optimus filius conatus est patrem ab impiæ cædis auertere decreto, & prudenti mitigare consilio. De Ionatha dicere potuisset Plinius, quod Quinciano scripsit *lib. 9. epist. 9. Qua pietate cum dissimillimo patre viuebat? Quam non obstabat illi, quominus vir optimus videretur, quod erat optimus filius.* Optimus erat filius, quia virtutibus omnibus exornatus. Non vt plures, qui se optimos iactant filios, cùm cœcè patribus obtemperarunt, & sine discretione parierunt. Hæc damnabili consuetudine innixus Saul, quam lex vetabat, Ionathæ filio Dauidis necem commendat, sperans legis reuerentiam anteponendam fore paterni edicti obseruantiam: *Loquutus est autem Saul ad Ionatham filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid.* Ionathas, qui interpretatur columbæ donum, nomen impleuit, & mandata patris non obseruauit, etudiens filios veram esse pietatem, colere potiùs æquitatis præscripta, quàm iniqua patrum mandata. Prodest Iosephus apud glossam: *Saul videns Dauid*

Filius.

Parens.

Lex.

& apud Deum, & apud homines approbari, expauit, & metum celare non valens timore magnarum rerum, id est, regni, & vitæ, ne priuaretur vtroque, cogitauit eum crudeli calamitate perimere; eiusque mortem Ionathæ filio, & reliquis familiaribus delegauit: filius admiratus perturbationem patris erga Dauid, dixit ei secretò voluntatem patris. Ionathas permutationem patris fuit demiratus, sed ipse maiori admiratione fuit dignus, dum patris iussionem non perfecit, sed, vt fugeret, Dauidem admonuit, quando de more filij legum proculcant edicta, vt accepta à parentibus etiam iniqua exequantur mandata.

TEXTVS.

VERS. II. & III. Et indicauit Ionathas Dauid, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter obserua te, quæso, mane, & manebis clam, & absconderis. Ego autem egrediens stabo iuxta patrem meum, in agro vbicumque fueris: & ego loquar de te ad patrem meum: & quodcumque videro, nuntiabo tibi.

§. III.

Optimum consilium est maturè recedere, & captiosas technas eludere.

Consilium Absentia. Dolus.

Quantum possumus (aiebat Senecà *epist.* 14.) *euitemus incommoda quoque, non tantum pericula, & in tutum nos reducamus, excogitantes subindè quibus possint timenda depelli.* Plures sunt, qui mala consilia agitant, qui aliis pericula extruunt, qui insidias dolosas disponunt; quæ si audax temeritas eludere despiciat, corruet. Tuta profugia quærenda sunt, cùm furor insidiatur, & insidias odium molitur. Quid enim stultius, quàm telis te obiicere; vtque tuæ fortitudini falsò aduleris, hostium procaciam felicitare. Qui prudenti cautela se muniunt, qui periculis subducunt, à fortuna non euertuntur, sed eam subiugant; dum prouidè sibi consulunt, imminentes calamitates euadunt. Æstuabat Saul graui in Dauidem odio, captiosos illi obtendebat laqueos, quibus irretitus periret: ergo Ionathas admonet tantisper recedat, ne, si periculum despiciat, corruat: *Obserua te, quæso, mane, & manebis clam, & absconderis.* Si Dauid honori duceret solum non vertere, & animos intrepidos ostentare, premeretur insidiis captus, aut iaceret occisus; at dum Ionathæ prudens obseruat consilium, frustratur odium; persequentis iracundia temporis interuallo deferbuit, & dum inuisi non exacuit indignationem præsentia ad saniora Saul reuocatur consilia: *Per hoc quod Ionathas insinuauit Dauid, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te* (inquit Glossa Moralis) *significatur, quòd Christus frequenter præmonet suos fideles, vt caueant insidias crudeles.* Miser fuit, qui insciis insidias incurrit; imprudens, qui prænoscens contempsit: forsitan superabis, sed quantumuis fulgeas periculosa victoria, notaberis de imprudentia. Fortior erat Iacob Esau, quem vtero supplantarat: verùm vt agnouit Rebecca Esau iram corde alere, doloque obtendere, consuluit fugam, & Iacob consilium sequutus suam commendauit prudentiam: *Consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran, habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui.* Si Iacob suam ostentaret fortitudinem, si sibi crederet inurere fugiendo notam, forsitan dolo periret, & labore tanto acquisitam primogenituram deperderet: ast vbi prudens declinauit periculum, magnum sibi lucratus est commodum. *Docemur hic optimum odij remedium esse* (inquit Oleaster ad mores) *conspectum odientis vitare, quantum possis.* Nec Iacob, nec Dauid valentiæ, fortitudinique suæ detraxerunt pericula declinando, & insidias eludendo. Disce siue animæ, siue corporis pericula declinare, & prouida tibi maturitate consulere. Non est fortitudinis nota sagax cautela, non est honoris nebula prudens fuga. Genes. 27. v. 43.

§. IV.

Bonum consilium est salutis tutamentum, & sæpè securius armis profugium.

Consilium

COnsilium prudens viribus potiùs, & armis esse valentius repetita experientia testatur. *Consilium sapiens* (refert ex Poeta Plutarchus *lib. An seni*) *multas vnum manus superat.* Prudentiam exacuit, lucem refundit, & quod multis manibus nequiret perfici, opportuno consilio solet absolui. Prudenter consulenti adaptari potest, quod de medicina Cassiodor. 6. *variar.* 19. *Ars, quæ in homine plus inuenit, quàm in seipso cognoscit. Periclitantia confirmat, quassata corroborat, & futurorum præscia valetudini non cedit.* Adnectit: *Habetis, quem sine inuidia interrogare possitis: Omnis prudens consilium quærit, dum ille magis studiosior agnoscitur, qui cautior frequenti interrogatione monstratur.* Plus Danidi contulit Ionathas optimum consilium administrans, quàm regalibus ornamentis exornans; nam eo splendore oculis inuidētium obiecit, optimo consilio è manibus aduersariorum eripuit. *Obserua te mane, & manebis clam, & absconderis.* Saul plures contra Dauid manus obarmauerat, seruos placere domino discupientes veluti instructam aciem produxerat; verùm Ionathas maturo consilio improbitatem elusit, & Dauidis vitam seruauit. *Ad hoc fuit Dauid absconditus* (inquit Lira) *vt exploraret voluntatem patris de recepione Dauid in gratiam, vt sic posset in curia absque periculo stare.* Dum consuluit recessum, sopiuit odium, & iam sopito odio euanuit periculi detrimentum. Ionathas interpretatur columbæ donum, & quidem magnum spiritus sancti est donum opportunum consilium. Quid pretiosius, quàm amicum fidelem sortiri, & prudentem consiliarium habere, Verùm quia incidimus in consiliarium, oportet expendere, quas debeat conditiones sortiri, vt valeat optimum consilium præbere. Ionathas exuit quodammodò naturam patri refragatus, ne legi inueniretur aduersus, sic ab ambitione alienus, vt maluerit fidem Danidi seruare, quàm corona tempora redimire. Eiusmodi in consiliarios admittendi sunt, non qui aliis mentiuntur consulere, cùm sibi ipsis inueniantur attendere. Ionathæ ergo salubri consilio Dauid est assequutus salutem, & impendentem euasit calamitatem; at si naturæ affectioni Ionathas obtemperet, si ambitioni, aut cupiditati inseruiret, & specie esset consiliarius, sed re nocentissimus

mus inimicus. Cùm turbæ Christum Dominum sequutæ vsque ad desertorum in via peruenissent, alimentisque indigerent, Philippum consuluit, non quia infinita sapientia adiuuaretur eius consilio, sed vt consultatio inserviret documento: Ioan. 6. v. 5. *Dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Et cur Petrum non roget, qui cœlesti sapientiæ luce falsas de Christo opiniones excluserat, & annorum maturitate cæteris præcedebat? Cur Ioannem, & Iacobum non consulat tonitrui filios, & perspicacia aquilam supergressos? O imitandam nobis doctrinam! Petrus aiebat. Matth. 19. v. 7. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Ioannes, & Iacobus honore cæteros præcedere suspirabant: Matth. 20. v. 21. *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Philippus Deum videre ardenter desiderabat, nec aliquid aliud cupiebat. Ioan. 14. v. 8. *Ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Ergo qui solùm Deum attendebat, in consiliarium electus est. Qui sitit mercedem, qui dignitatis discupit splendorem, consilia suis solent vtilitatibus attemperare, & adulationi inseruire. Audi Hilarium *in Caten. D. Thom. ad Ioan. 14. Non visum negauit, sed ostendi sibi rogauit, neque ostensionem veluti corporalis contemplationis intuitum desideravit, sed demonstrationem intelligendi eius, qui visus est, postulauit.* Itaque Philippus solùm peritiorem Dei agnitionem suspirabat, & cætera contemnebat: ergo hic in consilium vocatur, & præ aliis sapientioribus diligitur; vt noueris ab eis esse petenda consilia, qui adfectionibus repurgati, & cœlestibus solùm intenti. Ergo cùm Ionathas omni terrestri adfectione esset immunis, consiliis Dauidi fuit salutaris.

§. V.

Aliquando gestit commissum sibi secretum prodere, qui debuisset cautus seruare.

Secretum. Proditor. NOn est dubium (aiebat Cassiodorus 6. *variar.* 16.) *ornare subiectos Principis secretum, dum nullis æstimantur necessaria posse committi, nisi qui fuerint fide magna solidati. Publicum est quidem omne, quod agimus, sed multa non sunt ante scienda, nisi cùm fuerint, Deo auxiliante, perfecta.* Quantò plus res desiderantur agnosci; tantò cautiùs debent celari. Quibus committuntur secreta, imitentur armaria, quæ monumenta chartarum ea integritate continent, vt nec æquitati debitam substrahant notitiam, nec curiositati, aut dolo agnitionem præbeant indebitam: verùm non semel accidit, vt solicitis inquisitoribus, quod ore tacetur, vultu prodatur, & susurris inueniatur vulgatum, quod tenendum erat occultum. Saul filio, sibique familiaribus animum suum aperuit, & desiderij secretum commisit: sed Ionathas, qui præ aliis secreto sibi commissa debuisset occultare, Dauidi inuentus est aperire: *Indicauit Ionathas Dauid, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter observa te, quæso, mane, & manebis clam, & absconderis.* Ionathas æquitatem coluit, dum nequitiam Saulis indicauit, honestis tamen factis adumbrauit, qua quotidie experientia docet: ipse à quo putabas secreta obseruantius tegenda, aperit, & gratiam captat eius, cui insusurrat. *Admiratus permutationem patris*, (inquit Iosephus apud Glossam) *erga Dauid, dixit ei secretò voluntatem patris.* Honestum fuit innocenti contectos aperire dolos, ne incurreret mortis laqueos: verùm quia laudandis factis in scriptura adumbrari solent mores degeneres, ea hinc nobis promanat doctrina, videlicèt magna opus esse in secretis committendis cautela, quando qui fidelior, & obseruantior putabatur, aperit, quod illi commissum. Esau, vt liuori suo in fratrem blandiretur, opportunitatem nactus Iacob inferre necem decreuerat: Secretò tanto hæc tractabat, vt solùm sibi fideliſſimis aperiret: *Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater: Dixitque in corde suo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* In corde dixit, quia cum vno, aut altero amico decretum communicauit, & tamen sine dilatione vlla Rebeccæ fuerunt denudata, quæ videbantur operta: *Nuntiata sunt hæc Rebeccæ.* Ab eis ipsis, quibus vti amicissimis animum suum Esau secretò manifestauit ad Rebeccam delatum est. Ita Abulensis ad hunc locum: *Esau non totaliter tacuerat, sed aliquibus amicis suis reuelauerat, vnde peruenit ad aures Rebeccæ.* Aliquis ex amicis tantum alteri credidit, quantùm sibi commissum fuerat, & sub secreti pacto quid corde Esau gereret, declarauit, vnde serpsit notitia, qua Iacob insidias elusit, & fuga matura euasit. Ionathas, qui de rebus sibi secretò commissis tenere debuit silentium, Dauidi Saulis reuelauit propositum. Gen. 27. v. 41.

TEXTVS.

VERS. IV. & V. Loquutus est ergo Ionathas de Dauid bona ad Saul patrem suum: dixitque ad eum: Ne pecces Rex in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valdè. Et posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem magnam vniuerso Israeli. Vidisti, & lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio interficiens Dauid, qui est absque culpa.

§. VI.

Facilè patris sopietur ira, si filius pro tua allegauerit causa.

Ira. Filius. Pater. FIlius, vt qui à patre tenerè dilectus, liberius accedit, & iracundiam fœlicius sopit. *Libertas* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 22.) *verba nutrit, metus autem copiam frequenter intercipit.* Cùm nullus, qua filius apud patrem, libertate resplendeat, etsi intercessor existat, aut verba timore intercipit, aut minus audet: at filius, vt natura coniunctior, patri etiam inuenitur dilectior, sicque faciliùs sibi deuincit affectum, & citiùs impetrat votum. Saul seruis, filióque Ionathæ se Dauidi necem decreuisse manifestauit; verùm etsi plures Dauidis casum dolerent, solus Ionathas aggressus est patris indignationem placare, & Dauidem ab imminenti periculo eripere. Magna fuit Dauidis fortuna, dum pro se filium est sortitus patronum, quia nequibat benignis auribus non audiri, quæ à tanta dignitate videbantur afferri: *Quod cùm audisset Saul placatus voce Ionathæ iurauit.* Vti natura coniunctior, erat etiam acceptior: ergo dum pro Dauid agit causam,

sam, impetrauit facilè veniam : *Loquutus est ergo Ionathas de Dauid bona ad Saul.* Pro Dauide preces grata, eloquentique effusæ lingua inuenerunt gratiam ; alius aut non sopiret iram, aut si sopiret, Dauidi non conciliaret benevolentiam. *Adest semper* (Cassiodori sunt verba) *electa semper sermonum gratia, blanditur auribus, mentem trahit, vtitur perspicuitate facundiæ, qualem de pura conscientia decet emanare.* Tuebatur Ionathas Dauidis causam puritate ipsis in verbis relucente conscientiæ, erat ad Dauidis facta referenda felix memoria, culta facundia : ergo annuit pater indignatione sopita, & respirauit Dauid eius sospitate sacramento firmata. *Ego mane stabo cum patre meo* (inquit Abulensis *quæstione prima*) *& ibi loquar pro te, vt excuseris à morte, & sic parcet tibi.* Non poterat Saul filium confundere, nec Vrbano adeò delinitur eloquio pectoris iracundiam fouere. Hinc magnum peccatoribus solatium promanat, si ad Christi Domini patrocinium recurrant : nam licèt pater duris suppliciis eorum culpas puniendas denuntiarit, licèt mortem decreuerit, si filius intercessor existat ; placabit iram, & impetrabit à Patre veniam. Christus Dominus aduentat, vt Lazarum à mortis vinculis liberet, vitæque reddat, & iam pro reddita vita agit gratias, cùm nondum Lazarus sepulchri esset partus, nec luci vincula abiiceret restitutus : *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Iam agit gratias, quia etsi Lazarus peccatoris personam gerens culparum fœtore contra se prouocaret iustitiam, filius non dubitabat dilargiendam indulgentiam. Quid negaret pater filio deploranti, & pro Lazaro lachrymas offerenti ? *Quia Christus secundum hominem minor erat Patre* (inquit Alcuinus *in Catena Diui Thomæ*) *ab illo petit suscitationem Lazari, atque ideò se exauditum esse dicit.* Iam se exauditum dicit, quia vbi Pater pro Lazaro vidit tantum patronum, postulatis annuit ; & exolui vincula iussit. Igitur Saul indignationem deponit, dum Dauidis causam apud patrem Ionathas agit.

Ioan. 11. v. 41.

§. VII.

Qui mediatoris munus peragit, ostendat se æquitate solùm moueri, affectione peculiari non duci.

Mediator. Affectio.

AFfectus iudicio solet officere ; ratio in æquilibrio est : ergo qui mediatoris agit officium, & discordes voluntates ad amicitiæ adducere cupit vinculum, solicitè curet, ne putetur vlla se affectione duci, sed solùm rationem sequi. Hieronymus *ad Oseæ* 10. affert illud Theofrasti : *Amantium cæca iudicia sunt.* Ad voluntatem alterius flectendam, & cum altero concordandam oportet, vt mediator omni erga alterum adfectionis careat suspicione ; nam si aliquali erga alteram partem adfectione inclinari videatur, iam omnis efficacia orationis despicitur. *Semper iudicio fauor officit*, aiebat Seneca de Tranquillitate *capite primo.* Qui mediatoris erga alterum aliqualem sentit fauorem, iudicio mediatoris non credit : ergo, vt erat prudentissimus Ionathas opportunum tempus expectauit ad Saulis placandum animum, eaque arte vsus est, vt non videretur se ingerere, neque ex affectu, sed ex rationis solùm meditatione, & pondere loqui : *Ne pecces Rex in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valdè.* Omne peccatum vt rationi dissonum testatur effugiendum, nec fas esse, à quo vtilissima accepta obsequia, & à quo sperari possint non exigua officia sine causa de medio tollere, & cunctorum in se inuidiam conciliare. Saul filij alloquio placatus est. *Quod cùm audisset Saul, placatus voce Ionathæ.* Hic vides Ionathæ colloquiis iracundiam sopitam. Transi *ad cap.* 20. vbi cùm rationis etiam causam ageret, non solùm Saul ab ira non temperauit, sed hastam, qua ipsum Ionatham interficeret, arripuit : *Iratus Saul aduersus Ionatham, dixit ei : Fili mulieris virum vltrò rapientis, nunquid ignoro, quia diligis filium Isai ?* Si inquiras, cur alibi ablatis à Ionatha pro Dauide rationibus exasperetur, & mitigetur alibi, respondebit Abulensis putasse alibi nullo erga Dauidem moueri affectu, sed solùm rationis ductu ; alibi verò credidisse Ionatham erga Dauidem nimis propensum : ergo vbi visus est pro æquitate solùm sententiam ferre, dissidentium animos concordauit ; ast vbi alterius causam mediatoris specie fouere credidit, durius, & acrius Saul exarsit. Opportunè Abulensis *quæstione* 1. *Hoc dicturus erat Ionathas non tanquam faciens causam Dauid, vel pro eo se gerens, sed tanquam arbiter & medius ab ipsa æquitate ad loquendum prouocatus, & tunc facilius consentiret dictis eius Saul, quàm si crederet eum procuratorem esse causæ Dauid, quia tunc affectus esset ad illum, & minus creditur homini de aliqua re, quando ad illam affectus est, quia affectio peruertit iudicium.* Itaque si arbiter erga alteram partem intelligatur affectus, quidquid attulerit, creditur non veritate subnixum, sed artificiose fucatum : ergo cùm Ionathas ea prudentia vsus est, vt videretur ab ipsa æquitate compulsus, non affectione aliqua prouocatus iram deliniuit, vbi aliqua suspicione obscuratus contra Dauidem, & contra seipsum etiam indignationis flammas accendit. Vt hinc discant arbitri, & qui dissidentes volunt in concordiam adducere, funambulos imitari, & in nullam partem inclinatione propendere.

Infra c. 21. v. 30.

§. VIII.

Homines non tam abstinent à malè exagitatis rationis efficacia, quàm vtilitatis rhetorica.

RAtione decet cuncta taxari, & ad æquitatis trutinam semper expendi, quandoquidem nihil homini adeò est indecorum, quàm rationis proculcare decreta, & contemnere æquitatis edicta. Qui rationis solum pendere alium à malè decretis auertit, mira eloquentia præluxit. *Si te iudicis suspicio sæua tetigisset* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 21.) *laudando iustitiam leni, ac penetrabili remedio eius animum corrigebat ; obtinens suaui persuasione, quod superiori non potuisses imponere. Quis ergo dubitet illa te diligere, quæ constat voce publica suasisse.* Efficax persuasio æquitate, ac ratione suffulta grande est contra malè decreta obstaculum, & vtile impedimentum ; verum non semper animus, si aliqua passione obturbetur, rationi

Philo. Pittac.

rationi paret, & æquitati consentit: vtilitatis tunc sunt aduocandæ suppetiæ, quia non audet despicere commoda, qui rationis rumpebat fræna. Ob id Ionathas, vt à cæde contra Danidem excogitata patrem auerteret, rationis arma produxit: *Ne pecces Rex in seruum tuum, quia non peccauit tibi:* verùm quasi minus rationi fideret, adnectit: *Et opera eius bona sunt tibi valdè.* In rationis auxilium vtilitatem adduxit, vt qui nouerat sæpesæpius homines suspirare sibi commoda, nec vt fas esset, æquitatis venerari præscripta. Notauit Abulensis *quæst.* 1. *Duo posuit hic Ionathas, quæ maximè sufficiunt ad excusandum aliquem à morte. Primum est innocentia. Secundum vtilitas; nam quando quis innocens est, pro nullo casu occidi debet, quod erat in Danid. Secundum est vtilitas, quæ etiam excusare debet hominem à morte.* Ius, ratioque exigebant, vt innocens Danid non occideretur: verùm Ionathas vti prudentissimus magnam ex eius vita vtilitatem promanare Sauli ostendit, vt si fortè æquitas à decreta morte non abduceret, vtilitas reuocaret. De Ionatha potuisset scribere datus Cassiodorus: *Tantum tibi laudis acquiritur, quantum eorum illic vtilitas incorrupta seruatur.* Magnis laudibus dignus fuit Ionathas, quia dum vtilitatem opposuit, Danidem à cæde exemit: *Placatus voce Ionathæ iurauit.* Vtilitas compescuit iram, demutauit sententiam.

§. IX.

Optimus Princeps obliuionis nescit defectum, sed seruientis merita memoria retinet fixa.

Princeps. Memoria. Meritum. Obliuio.

MEmoria rerum iure vocitatur thesaurus, & magna huius thesauri vtilitate perfruitur, qui fixè conseruat recondita, quæ jam lapsu temporis putabatur deleta: verùm etsi hic thesaurus cunctis sit pretiosus, Principibus est præcipuè necessarius; nequit dignis remunerationibus compensare subiectorum glorioſa facta, si obliuioni iaceant sepulta. *Magnum beneficium* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 22.) *obliuioni nescire defectum, & quædam similitudo verè cœlestium est tempore decursa semper habere præsentia.* Cœlestium similitudinem refert Princeps, qui nullis temporum decursibus cedit, sed à subiectis gloriosè facta voluti præsetia perspicacibus memoriæ oculis semper videt. Quàm dignus erat imperio Ionathas, dum egregiè à Danide peracta ita memoriter retinebat, vt nulla obliteraret obliuionis iniuria, sed vigerent memoria fixa: *Ne pecces, Rex, in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valde; & posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem magnam vniuerso Israeli vidisti, & lætatus es.* Ionathæ immortale erat elogium obliuionis nescire defectum, & magnum Danidi solatium in Principis animo manere fixa, quæ tempore jam præterita. *Ista bona sunt* (inquit Abulensis *quæst.* 1.) *quæ habentur infra, quid egerit Danid pro Israelitis.* Saul ab imperio debuit reijci, dum obliuiosus factus dæmonis arte nec recordabatur Danidis, à quo acceperat sospitatem, & per quem recuperarat salutem; at Ionathas imperio dignus, qui vt Danidis saluti consuleret, eius merita fixa retinebat memoria. Quàm amarum est egregia facta non solùm dignis præmijs non remunerari, sed obliuione altissima sepeliri. Quid sperent milites, qui Reipublicæ pro muro fuerunt, qui hostilibus corpora telis obiectarunt, si eorum Princeps nec sciuerit merita, nec audierit nomina? Deus Moysi flammescenti rubo objicitur, vt mirabili ea visione oblectatus pro religione labores adiret, & Israelitas à durissima, quam patiebantur, captiuitate potenter extraheret. Moyses loquentis secum nomen scisciatur. Cui Dominus: *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.* Exod. 3. v. 15. Acsi dicat; Abraham magna pro me aggressus est, Isaac se aris deuouit, Iacob labores durissimos pertulit: quæ omnia ita tenaciter retinentur memoria, vt nulla temporum deleri possint iniuria. Flammanti splendore lucebat; verùm ne Moyses dictionem extraheret, sed ad labores se accingeret, sibi obsequentium facta retulit, quasi magnum fuerit ad obtemperandum incentiuum temporum decursu egregiè facta à memoria Principis non excidisse, sed præsentia semper haberi. *Ad hoc* (inquit Hugo) *Israeli patrum memoria præponitur.* Si vereri posset Moyses, labores obliuioni fortè tradendos, quantumuis Princeps florenti micaret luminum pompa, forsitan cum Pharaone excusaret certamina: ergo nouerit nullam Principi obliuionem irrepere, quo ardentius satagat inseruire.

§. X.

Vltra insaniam est in eum peccare, qui vt acquireret tibi regnum, vitæ subiuit periculum.

Ingratitudo. Periculum. Regnum.

REmuneratio meritorum (aiebat Cassiodorus 1. *variar.* 42.) *iustum dominantis prodit imperium: apud quem perire nescit, quod quempiam laborasse contigerit. Nam si inopinata tribuimus, quemadmodum negare possumus, quod debemus? Intutum apud nos omnis reponit deuotio, quod meretur* Ingenuum decet meritorum remuneratione nobilitatem testari, & gratitudinis est elogium vel spem officiosi vincere. Quòd si dedecet non munerare, quid erit in beneficium desæuire, & ei, cuius labore accepisti coronam, reddere exoculatam offensam. Saul à dæmone exagitatus Danidis cædem anhelis desideriis ambiebat; verùm Ionathas, vt rationi, & æquitati restituat, in memoriam reuocat quot Danid vitæ subierit pericula, ne è Saulis capite deturbaretur corona: *Ne pecces, Rex, in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valdè, & posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum.* Lenis, & efficax Ionathæ adhortatio menti Saulem restituit, & jam se contra Danidem nullatenus peccaturum sacramento firmauit: *Quod cum audisset Saul, placatus voce Ionathæ iurauit: Viuit Dominus quia non occidetur.* Quantumuis dæmon interiùs ad cædem impelleret, quantumuis Saul liuore insaniret, sententiam demutauit, & se nunquam Danidem offensurum proposuit. Et quæ huius mutationis fuit causa? Reduxisse illi Ionathas in memoriam Danidem vitæ periculo eius propulsasse infamiam, & Goliath attrito firmasse coronam: Non valuit liuore etiam amens, & amentia furens sententiam non retractare, & ab of-

fensis prorsus abstinere. *Posuit animam suam in manu sua* (inquit Hugo) *id est, periculo se exposuit pro te.* Vtu vineres, vt corona fruereris (inquit Ionathas) vitam exposuit, & cum gigante pugnam subiuit: ergo horum recordatione deferbuit insania, & peccandi in Danidem cessauit amentia, quandoquidem nec insanus in eum audet peccare, cui vitam, & coronam sanguinis emptam pretio constat debere. O si peccatores in memoriam adducerent quanta Christus in Dauide figuratus pertulit, quomodo pretioso sanguine ab eis repulerit seruituris infamiam, & emerit regalem coronam. Profectò si hæc mente reuoluerent, ab offensis prorsus cessarent. Ecce Saul, quantumuis à dæmone instigatus, quantumuis insano furore percitus, ab inceptis destitit, & sacramento se, ne iterum peccaret, obstrinxit.

TEXTVS.

VERS. VI. Quod cùm audisset Saul, placatus voce Ionathæ iurauit: Viuit Dominus quia non occidetur.

§. XI.

Peccatores leuissimè pœnitentiæ incubant, obstinatissimè in sceleribus perseuerant.

Peccator. Pœnitentia. Perseueratio.

PEccatores aliquando timore perculsi, aut bono irritatore persuasi pœnitentiam amplectuntur, incipiuntque diuinis sermonibus aures rigare, & ab erroribus antiquis discedere; sed quàmcitò pœnitentiæ pœnitentiam agunt, & se moribus antiquis infeliciter satis restituunt. Notauit Tertullianus *de Pœnitentia capite 6. Dicunt quidem pristinis renuntiare, & pœnitentiam assumunt, sed includere eam negligunt; interpellat enim illos ad desiderandum ex pristinis aliquid ipse finis desiderandi: velut poma, cùm jam in acorem, vel amaritudinem senescere incipiunt ex parte aliqua, tamen adhuc ipsi gratiæ suæ adulantur.* Ipsa scelerum abiuratio illis vertitur in antiquæ repetendæ vitæ fomentum, & qui in delictis longa tempora obstinatè attriuerunt, à virtute ad horam resiliunt. Saul pertinaciter Danidem persequitur; verùm cùm Ionathas in Danidis defensionem multa suggereret, pœnituit, & ne ad antiquos rediret mores, se Sacramento obliganit: *Placatus voce Ionathæ iurauit.* Quàm exiguo tempore honestum hoc virtutis propositum efflorueri, Textus non tacuit: *Nisus est Saul cõfigere Dauid lancea in pariete.* Breui momento resipuit, diù in malitia indurit. Notauit Lira: *Quod cum audisset Saul, placatus voce Ionathæ, scilicet ad horam.* Odium ad horam extinxit, sed citò ad antiquos mores redijt: honestæ resipiscentiæ diuturnam pœnitentiam egit, scelestam produxit. Isaiæ luciferum: *Quomodò cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* interroganti Ioannes respondet: *Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus.* Expende inter serpentem, & luciferum discrimen. Lucifer florenti splendorum pompa exoritur, grato iubare micat, & aspicientes prolectat, sed breuissimis moris eius euanescit fulgor: serpens annos viuit, & exuta pelle se ipsum quodammodò reproducit. Iam si inquiras, quomdò idem veluti ipso in exordio Lucifer extinguatur, quando serpens vel in exitu reproducitur, respondebit Bernardus *ad Isai. 6. in Allegor.* Tilman Luciferum cœlesti radiasse splendore, serpentem exarsisse prauitate: ergo qui cœlestem splendorem citissime fædas in tenebras commutauit, prauitatis venena obstinatissimè fouit. *Vt quid tu, qui mane oriebaris, lucifer, in veritate non stetisti, nisi quia Seraphin non fuisti?* Lucifer vel in ipsis cunabulis, quem splendorem habuit, amisit, venena mortifera serpens pectoribus semper fouit, vt hoc veluti emblemate noscamus, quàm citò virtus deseratur, quàm longis temporum interuallis vitium immoretur.

Isai. 14. v. 12.

Apocal. 12. v. 8.

§. XII.

Facilius sæpè est obtinere à læso veniam, quàm à lædente concordiam.

SÆpè qui offensus laudabili facilitate remittit iniuriam, & delinquentis delictum in magnanimitatis vertit elogium. *Materia est gloriæ principalis* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 46.) *delinquentis reatus; quia nisi culparum occasiones emergerent, locum pietas non haberet.* Gaudet aliquando pietas reatus remissione gratiam augere, & lædentis sibi beneuolentiam mercari: verùm rarò qui læsit, amicitiæ argumentis credit, nec sibi securitatem promittit: vndè operosius est lædentem ad amicitiæ fœdus adducere, quàm à læsis veniam impetrare. Ionathas Danidem multis à Saule insidijs exasperatum, & iniurijs perculsum facilè credidit ad antiquam concordiam reuocandum, & nouis obsequijs, quam exanimo amicitiam coleret, ostensurum; *Vocauit itaque Ionathas Dauid, & indicauit ei omnia verba hæc, & introduxit Ionathas Dauid ad Saul, & fuit ante eum, sicut fuerat nudius tertius.* Non exigit Ionathas à Danide sacramentum, vt quam offerebat, amicitiam veram reputaret, à patre emitti voluit, vt crederet: *Placatus voce Ionathæ iurauit: Viuit Dominus quia non occidetur.* Post offensam Dauid remissam sicut heri & nudius tertius se gerebat; verùm Saul eis sponsoribus non credebat argumentis, sed callidis se præmuniebat versutijs. Dauid omnem ab animo timorem abiecit, Saul suspicionem fouit; læsus fouebat amicitiam, iniurius cautelam. *Iurauit* (inquit Lira) *vt daret Dauid maiorem securitatem.* Maior securitas requirebatur ex parte Saulis, quam Dauid, vt Ionathas non dubitaret veram esse animorum concordiam, quia licet læsus remittat iniuriam, lædens trepidam, & suspicacem confernabat semper conscientiam, & ipsa suspicio veræ officit amicitiæ, nec oblatæ ex animo credit veniæ: ergo Saul iuramentum emittat, & non emittat Dauid, vt constet faciliùs offensum redire ad amicitiam, concordiamque; iniurium verò semper sibi præcauere, & securitatis sponsoribus non fidere. Prudenter igitur Ionathas iuramentum à patre emitti expectat, vt rediisse ad amicitiam præsumat; à Dauid inratam fidem non exigit, quia generosam facilitatem agnoscit.

Iniuriati. Veniæ. Offensi.

§. XIII.

Iustorum verba pro sacramento sunt, sacramenta iniquorum sunt verba.

Iustus. Improbus. Sacramentum. Verbum.

ID inter probum, & improbum discrimen est, quòd probus veretur vel vnguem à lege excedere, & audet improbus proculcare. Ab eo, qui sibi modum legitimæ conuersationis imposuit, promissio simplici verbo facta iurata est, & firma. Ab eo, qui moribus prauis indulget, séper nutat fides data, quantumuis iuramẽtis. Iacob iuramentũ à fratre exegit, quo initum inter se primogenituræ contractum sit firmũ: *Iura ergo mihi. Iuranit ei Esau, & vendidit primogenita.* Non multò post primogenita exambiens, allaturus ex venatione, quo patrem cibet, & primogenita sibi restituat, prodit in campum. Cumque tardis edulijs solùm adeptus sit eiulatum, in futura tempora extendit necis studium: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Si vendidit primogenita, si contractum iuramento firmauit, cur furit iuramenti oblitus, cupiditate inflammatus? Quia emissa ab improbis sacramenta, etsi videantur fidem stabilire, nihil, aut parum firmitudinis inueniuntur augere. Audi Oleastrum hic ad mores: *Facile homines etiam fratribus pacta frangunt.* Ab Esau etiam sacramento stabilita pacta erant illusoria verba. Nec aliter Sauli accidit; nam cùm Ionathas columbæ donum patrem, leuirumque in concordiam conaretur adducere, eius dulci, efficacique alloquio suasus Saul, se Danidem non occisurum sacramento firmauit: *Viuit Dominus quia non occidetur.* Verùm quàm citò sacramentum violarit, contorta in Dauidem hasta cunctis ostendit: *Nisus est Saul configere Dauid lancea in pariete.* Ecce promissio iuramento stabilita, ecce fides sacramento suffulta. Fortè iuramentum emisit, vt Dauid, dum incedit securior dispereat incautior; medicinæ pretium cædem obtulit, & iuratam violare amicitiam contempsit. *Iurauit* (inquit Lira) *vt daret Dauid maiorem securitatem,* id est, iurauit, vt seruaret fidem, sed vt occidendi Dauidem opportunior em sibi disponeret occasionem; securitatem obtulit, sed vt incautum occideret; verba dabat dum sacramenta emittebat; nam vt iustis pro sacramentis sunt verba, sic iniquis pro verbis sunt iuramenta. Semei emisso sacramento tenebatur præfixos sibi terminos non transilire: verùm cùm aufugissent serui, recuperandi eos desiderio accensus, inuolauit iuramenti studiosè prorsus oblitus: *Quare ergo non custodisti iusiurandum Domini, & præceptum, quod præceperam tibi.* Salomon sine iuramento promiserat Semei vitam si se intra præfixos terminos contineret; Semei se non egressurum, vt ex hoc loco constat, sub iuramento promisit: fidem Salomon non violauit, violauit Semei, vt cupiditati inseruiret. *Licuit Salomoni* (inquit Caietanus) *hanc libertatem adimere Semei, accedente præsertim consensu iuramento firmato ipsius Semei:* Semei iurauerat; verùm vbi cupiditas, & dominandi seruis ambitio in iuramentum militarint, Sacramentum violare neglexit, cupiditatis, ambitionisque votis inseruiuit.

Gen. 24. v. 33.

3. Reg. 2. v. 43.

§. XIV.

Sanctorum verbis ea inest efficacia, vt cedat obstinata etiam duritia.

Sanctus. Verbum. Duritia.

ARida siccitas madentis pluuiæ (aiebat Cassiodorus 3. variar. 46.) *beneficium exoptat.* Pluuia lenis arentis duritiem telluris soluit, & grata pro tribulis floriditate, amænitateque vestit. Hanc pluuiæ qualitatem sanctorum verbis inesse cognoscitur, dum eorum beneficio lapidescentium duritia cordium delinitur. Vndè aiebat Moyses: *Concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* Oleaster ad literam legit: *Stillabit vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* Addit: *Stillabit vt pluuia doctrina mea, id est in copia descendet in vos, quemadmodum stillæ pluuiæ: fluet scilicet super vos veluti ros eloquium meum ad faciendum vos fructificare.* Dum iusti, Deique amici verba prudentiæ lance librata proferunt, dum roris lenitate placiditateque æquitatis legis ostendunt, cordis duritiam emolliunt, & obtinent blando, dulcique alloquio, quod censeres desperatum prorsus remedio. Saul à dæmone exagitatus in Danidem furebat, odio nouercali adustus eum viuere audire non poterat, seruorum auxiliares ad inferendam necem manus armabat: *Loquutus est Saul ad Ionatham filium suum, & ad omnes seruos suos vt occiderent Dauid.* Vides odij ardore æstuantem, audi ipsum, ne Dauidem occideret, sacramento se obstringentem: *Viuit Dominus quia non occidetur.* Et vndè orta hæc insperata, & stupenda mutatio? Iam Textus retulit: *Placatus voce Ionathæ iurauit.* Ionathæ lenis vox rationis, æquitatisque luminibus fulgurans paternas tenebras depulit, & roris adinstar cordis duritiem soluit, & in partem contrariam traxit. Audi Liram: *Ponitur reconciliatio ipsius Dauid cum Saul per Ionatham.* Ionathas patris reluminauit intellectum, sopiuit odium, & voluntatis obstinatissimæ deliuit affectum. Est namque sanctorum linguis; & verbis nescio quæ cœlestis efficacia, & efficax energia. Cùm indigeret populus aqua, & arentibus visceribus æstuaret, Moysem repetitis querelis & perculit, & afflixit. Quid tunc Deus? *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Profectò arduum erat durissimum silicem ingenium deponere, & in fontium scaturigines pertransire, & hoc Moysis verbis aut iussus, aut persuasus. Quid iuuat saxeam duritiem alloqui? quid verbis surditatem ferire? Nonne etsi Moyses verba proferat, si lex conseruabit naturam, & duram sui ingenij pertinaciam? O cœlestem sanctorum verbis vim inditam! Loquatur tantum Moyses, & lapis in limpidarum aquarum conuertetur venam, & antiquam deponet duritiam: hæc enim non fabulosa, sed vera metamorphosis est. Opportunè Hugo Cardinalis: *Loquimini ad petram id est, facite de ipsa, quod volueritis. Quasi dicat: Præcipite ei, quod det aquas, & obediet.* In manu Moysis Deus creaturam ponit, eamque admirandam verbis energiam indit, vt silex non jam ardentes flammas euomat, sed dulcissimas ministret vndas: ergo Ionathas columbæ donum dulci alloquio paterni cordis soluit duritiam: & traxit dissidentes animos ad concordiam.

Deutei. 32. v. 2.

Num. 20. v. 8.

§. XV.

Sæpè licita iuramenta violantur, illicita studiosius adimplerentur.

Iuramentum.

APposito iuramento (aiebat Sophocles *apud Stobæum cap. 23.*) *cautior, & diligentior animus sit: à duobus enim sibi tum cauet, & ne lædat amicos, & ne peccet in deos.* Iuramentum fidem stabilit, & suspicionem depellit, nec enim credendus est violaturus fidem, qui Deum adduxit in fideiiussorem, & testem. *Sacramentum oblatum tibi* (scribit Isocrates apud datum Stobæum) *duabus de causis iurato, vel vt te ipsum turpi suspicione liberes, vel vt amicos ex magnis periculis eripias.* Firmata iuramento fides suspicionem depellit, quando enorme est facinus maculari periurio; verùm attendendum est materiæ honestas, ne sacramento emisso firmetur improbitas. Iurant nonnulli necem se patraturos, repetendam vltionem, plagam inferendam; hi iuramenti legibus non tenentur, immò ipsa materia ab impletione impediuntur; nescias tamen, qua homines cæcitate, quod licitè iurauerunt, parùipendant implere, & quod illicitè, studiosè conentur absoluere. Iurauit Saul se exinceps Dauidis mortem non meditaturum: *Viuit Dominus, quia non occidetur.* Citò adeò emissi iuramenti fidem violauit, vt in Dauidem hastam contorserit: *Nisus est Saul configere Dauid lancea in pariete.* Iuramentum manus ligabat, & ne hastam mitteret, persuadebat: sed Saul paruipendit sacramentum violare, & vt adularetur liuori, hastam immisit. Notauit Abulensis *quæst. 4. Disposuit eum persequi post iuramentum.* Inueteratum odium contra datam fidem tentauit necem, & qui emissum sacramentum tenebatur Numinis reuerentia seruare, iurasse solùm videtur, vt duplicaret malitiam, & opportunius Dauidis sanguine fædaret hastam. Aliter in sacramentis illicitè emissis videas contingere. Notauit Philo *lib. de Decalogo: Qui malum propositum iureiurando sanciunt, quid sanctum sit ignorant; iurant se commissuros furtum, sacrilegium, stuprum, adulterium, homicidium, aut aliud simile moxque, ne pariuri habeantur, committunt, quasi non melius. Deoque gratius sit tale periurium.* Melius, Deoque gratius est: dum materia æquitati, legibusque aduersatur, à iuramenti adimpletione abstinere; verùm ea cæcitate, insipientiaque tenentur homines, vt ne videantur periuri, ipsa adimpletione magis probentur scelesti: additur enim culpa culpæ, dum abutitur sacramento, & inconsultè temeritatis sordescit, qui eiusmodi iuramento se obstrinxit. Iam si salutaribus monitis, laudandisque consilijs ab iniquis desiderijs ij arceantur, ne ab insaniæ, arrogantiæque suæ delirio abstineat, detestandis sacramentis se obligant, quasi jam fas non sit resilire, & emissum iuramentum violare. Audi Philonem, [Alij iactatores, & arrogantia turgidi, gloriæque insatiabiliter auidi frugalitatem sibi putant prorsus inutilem. Quòdsi quis submoneat, vt concupiscentijs suis imperent, contumeliam sibi factam existimant: contemptisque monitoribus ruunt in delicias, risu, cachinnisque ludentes in præcepta honesta vitæque vtilissima. His, si res familiaris lauta sit iureiurando affirmant facturos se impensas in voluptates sine parsimonia.] Longè adeò absunt à concinnandi, excolendique mores desiderio, vt temeritatem suam iuramento stabiliant, & jam se iuramenti vi ad delinquendum adactos credant.

§. XVI.

Periurij scelus vt in Numen est audax irreuerentia, sic puniri solet grauissima mulcta.

Periurium.

SI quis iuratus iura violat (scribit Philo *lib. de Decalogo*) *sciat se non pejerare quidem, attamen ea pessundare, ad quæ constabilienda iusiurandum inuentum est: addit enim culpæ culpam, dum sacramento abutitur.* Plures Sacramento abutuntur, & vt iura violent, iuramentis armantur. His satius esset hac in re resilire, quàm iuramentum implere. Alij postquam iuramento iura non violaturos asseuerarunt, facillimè violant, & grauissimo periurij piaculo conscientiam onerant; quandoquidem hæc iniuria Deo facta est. Optimè Xenophontes apud Stobæum *capite 25. Illum* (periurum) *ego nequaquam beatum existimauerim. Diuinum enim illatum bellum, haud scio, qua quis aut celeritate effugere possit, aut quibus in tenebris latere, aut in quo munimento arcere. Etenim omnia diis vbique sunt obnoxia, & æquali potentia reguntur ab ipsis omnia vbinis gentium.* Ægrè fert Deus testem fidei afferri, & iuramentum violari, quando est supremæ maiestatis iniuria fides fideiussore tanto violata. Alij verbis iurant intentione refragante, & ad tegendum dolum emittunt extrinsecis solùm promissionibus sacramentum. *Lingua iurauit* (aiebat Eurypides *apud Stobæum cap. 28.*) *sed iniurata mens est, atque nostra fides omnis confunditur.* Siùe animus à lingua dissentiat, siùe actio sacramentis contradicat nouent periurus non solùm fidem omnem confundere, sed cœlestem contra se Numinis indignationem accendere, & licet à tergo pœna non sequatur peccatum, non dubitet grauissimam imminere supplicium. Audi Hesiodum lib. 2. Ilii. *Opportet fideles in amicitia esse non duplici sententia inquinatum cor possidere, nec periurum sancto iuramento præferre.* Adnectit: *Quis enim ignorat, quod omne malum vindicta sua manet, quamuis enim non præsens pœna sit, nullum tamen lucrum affert dilatio temporis, sed tarditas pœnæ grauitate tandem compensatur.* Hanc Hesiodi veritatem graui Saul suo detrimento confirmat. Iurauit Dauidi se necem nunquam moliturum: *Viuit Dominus quia non occidetur.* An ex animo sacramentum emiserit, dubium violasse certum: *Nisus est Saul configere Dauid lancea in pariete.* Vides lancea vsum ad fidem violandam, sed vide etiam ipsa hasta veluti instrumento grauissimam infflictam pœnam. *Saul incumbebat super hastam suam.* Hasta interijt transfossus, non quàm, vt Dauidem transfoderit, misit periurus telo ipso, quo violauit iusiurandum, tulit supplicium. *Periurus fuit Saul* (inquit Abulensis *quæst. 4.*) *ex hoc iuramento siùe à principio intenderet eum occidere, siùe non.* Grauissimam Dei irrogauit iniuriam sine intentione iurans, siùe ritè emissum iuramentum audacter temerans ergo infelicissimam tulit mortem, nec temporis dilatio

dilatio fuit ad commodum, sed ad pœnarum augmentum. Profectò homines vel ob temporalem pœnam à perjurio debuissent prorsus abstinere, quando ex illatis pœnis manifestè colligitur, quàm huiusmodi culpis Numen cœleste offendatur.

TEXTVS.

VERS. VII. Vocauit itaq; Ionathas Dauid, & indicauit ei omnia verba hęc: & introduxit Ionathas Dauid ad Saul, & fuit ante eum, sicut fuerat heri & nudius tertius.

§. XVII.

Iustus injuriis ad amicitiam redit impetitus, ac si nunquam fuit iniuria affectus.

Iustus. Amicitia. Iniuria.

GRaue malum est inter charas, regiasque personas voluntates discordare, & inimicitias gerere: nec sine nota potuit differre, qui huiusmodi personas ad concordiam valuit adducere. *Non sine invidia nostra geritur* (aiebat Theodahadus Rex apud Cassiodorum 2. *variar.* 2.) *si nobis patientibus affinium clade dimicetur. Habetis omnes per me pignora magnæ gratiæ, non est vnus ab alio segregatus, si quid in vobis delinquitur, meo grauiter dolore peccatis.* Vidit Ionathas inter Dauidem, Saulemque non sine Reipublicæ graui damno dissidia emergere, & jam manifestè Saulis odia prodire, aggressus est prudentissima solertia discrepantes animos concordare; patris iram reuerenti, efficacique alloquio fregit, & Dauidem motum facilitate excultum sine vllo negotio ad iterum seruiendum reduxit: *Introduxit Ionathas Dauid ad Saul, & fuit ante eum, sicut fuerat heri, & nudius tertius.* Hinc maximè Dauidis elucet probitas, morumque facilitas, quandoquidem sicut heri, & nudius tertius se gerebat, quin querelas daret, aut se injustè diuexatum proferret, immò non violandum iterùm credebat pactum, & exambiebat, vt olim, in Saulis gratiam præstare obsequium. Notauit Lira: *Sicut heri & nudius tertius, credens quòd ipsum stabiliter in gratiam recepisset.* Per Dauid non stabat, quominus efflóreret concordia, & vigeret amicitia. Repetere posset, quod olim Vigitis Rex Imperatori Iustiniano scripsit 10. *variar.* 22. [Quanta sit nobis, clementissime Imperator, gratiæ vestræ votiua suauitas, hinc omninò datur intelligi, vt post grauissimas læsiones, & tanta effusione sanguinis perpetratas sic videamur pacem vestram quærere, tanquam nos nemo vestrum putetur ante læsisse. Pertulimus talia, qualia & ipsos offendere possunt, qui fecerunt: insequutiones sine reatu, odium sine culpa, damna sine debitis.] Patriæ liberator hostium territor quærebatur, vt proditor, affligebatur vt reus, & nihilominus Dauid Saulis amicitiam non recusauit, sed exambiuit. Quod si in Dauide Christum Dominum adumbratum agnoscas, miraberis cœlestem mansuetudinem, quandoquidem non reuisat in amicitiam redire, si malitiam peccator velit deponere. Soror, fraterque Moysis contra ipsum linguas armant; & Æthiopissam duxisse obmurmurant: *Locuta est Maria, & Aaron contra Moysen propter vxorem eius Æthiopissam.* Fœdissima lepra fuit obmurmurationis supplicium. Aaron pœna obturbatus Moysen adit, &, vt pro lepra exoret, deposcit: *Obsecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stultè commisimus.* Quid tunc? De mundissimo pectore preces fundit, & in amicitiam redit: *Clamauit Moyses ad Dominum, dicens: Deus, obsecro, sana eam.* Ecce Aaron ad Deum non clamat, & Moyses quasi nullam offensam passus fuerit, salutem solicitat: nam cùm Deus appellatione esset, Deique gereret vmbram, vbi per fratres non stetit, ipse offensam miranda facilitate remisit. *Non immeritò vir Dei* (aiebat Oleaster hic ad mores) *adeò de humilitate commendaris, qui tam facilè omnia condonas, & pro peccantibus in te oras, & obtines, neque solùm orat, sed clamat.* Offensus offendentium agit causam, & patronus reorum solicitat veniam.

TEXTVS.

VERS. VIII. Motum est autem rursum bellum, & egressus Dauid pugnauit aduersum Philisthiim: Percussitque eos plaga magna, & fugerunt à facie eius.

§. XVIII.

Qui se à licitis etiam deliciis continet, optimo auspicio contra aduersarios certamen init.

DEliciæ, vtcumque sint, animos eneruant, & vires contra aduersarios debilitant. Vnde qui agere contra vitia bella exambiunt, ab irritamentis deliciarum studiosè diffugiunt. Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus. *Vna* (aiebat Seneca *epist.* 51.) *Annibalem hiberna soluerunt, & indomitum illum niuibus, atque Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus est.* Cuicumque, si ei militandum est, conuenit voluptates priùs debellare, quo possit bellum omine fausto adoriri: & licet honestis deliciis fruatur, quia sæua quoque ingenia debilitant, emollitur. Vbi Philisthini agnouerunt Dauid recentibus nuptiis occupatum, & belli legibus liberum, collectis vndequaque viribus, instructisque studiosius aciebus in campum prosiliunt, si latam anteà cladem inimicorum strage possint compensare, & contractam maculam cruore aduersariorum diluere. *Motum est autem rursum bellum.* Philisthinos tractasse modò arma, quia sibi persuaserant Dauidem deliciis vacare tradit Abulensis *quæst.* 5. Quòd si inquiras, cur sibi victoriam promiserint? Respondeo existimasse ad bella non egressurum, aut deliciis eneruatum adeò, & nuptiarum voluptatibus emollitum, vt nec illi antiquus vigor, nec ardor, verùm eos fefellit opinio, nam Dauid deliciis noui matrimonij renuntianit, & dum se à licitis etiam abstinet, ea dexteritate oppugnauit aduersarios, vt antequam congressos, videas fugatos:

Incrementum. Detrimentum.

Egressus Dauid pugnauit aduersum Philisthiim, percussitque eos plaga magna, & fugerunt à facie eius. Dum arbitrantur delitiis, occupatum, agmen producunt, & meliorem sibi affuturam fortunam credunt. Vicit Dauid, sed quia ab honestis etiam voluptatibus abstinuit, & in campum prodiit. Accipe Abulensem: *Philisthini mouerunt bellum, quia putauerunt, quòd Dauid non exiret obuiam eis, eò quòd nouiter acceperat vxorem: omnis autem nouus maritus habebat vnum annum, in quo non compellebatur exire ad bellum*, Deuteron. *cap.* 24. *eximit tamen Dauid.* Philisthæi Dauidem ducta jam vxore antiquo crediderunt robore denudandum, nec bella ea contentione tractaturum, quia mallet quàm inuigilare periculosis stationibus indulgere licitis voluptatibus; verùm se abstinuit in campum procedens, & dum renuntiat honestis etiam delitiis, copiosis redimitur trophæis: *Percussit eos plaga magna, & fugerunt à facie eius.* A facie se continentis, & honestis etiam voluptatibus renuntiâtis fugerunt citissimè profligati, & ingenti plaga percussi. Delitiis jam arbitrabantur eneruem, se tamen continuit, vt experirentur fortem. *Nil egregium comparatur* (aiebat Pythagoras *apud Stobæum cap.* 17.) *quod non continentiæ labor præcesserit.* Ergo cùm hæc vel militantibus contra homines sit necessaria disciplina, nobis, quibus militandum est, eo militiæ genere, quo nunquam quies, nunquam otium datur, conuenit strictior obseruantia, & solicitior cautela. Verentur dæmones carnis blanditias contemnentem, & quidquid effœminat, aduersantem, sibi triumphos promittunt, si delitias, & voluptates afferre opportunas suppetias arbitrentur: ergo oportet Dei militi modum imponere, & quantum fas est, ab eneruibus delitiis recedere. *Si quis* (aiebat Seneca jam datus) *sibi proposuerit, quantum operis aggressus sit, sciet nihil delicate, nihil molliter esse faciendum.*

TEXTVS.

VERS. IX. & X. Et factus est spiritus Domini malus in Saul: sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam: porrò Dauid psallebat manu sua. Nisusque est Saul configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saul: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, & Dauid fugit, & saluatus est nocte illa.

§. XIX.

Miserum est indè detrimenta exoriri, vndè debuissent incrementa manare.

Incrementum. Detrimentum.

Detestabilis est quidem omnis iniuria, & quidquid contra leges admittitur, iusta execratione damnatur (aiebat Cassiodorus 4. *variar.* 27.) *sed malorum omnium probatur extremum indè detrimenta suscipere, vndè credebantur auxilia prouenire. Exagerat enim culpam in contrarium versa credulitas, & maius reatui pondus est inopina deceptio.* Feræ officia sentiunt, & homini prodest prostratum elephantem erigere; nam benefactorem suum semper agnoscit, & gratitudinis argumenta frequenter ostendit. Homines verò, præcipuè odio, liuoreque tabescentes, nescias quibus possis artibus promereri; nam impensis irritantur officiis, & exhibitis exasperantur obsequiis, nulla relinquuntur refugia, si impensa accendant indignationem obsequia. Ob id veluti attonitus Dauid aufugit, cùm detritis hostibus, & dæmone lyra pulso sic contra ipsum Saulis furore experitur armatum, vt nil studiosiùs optauerit, quàm de medio tollere, & inflictis vulneribus altis transfigere: *Nisus est configere Dauid lancea in pariete.* O quanta Dauidem periculorum adurgebant volumina! Exteriùs feruebant cum hostibus bella, interiùs cum potenti inuido manebant certamina, & qui intrepido animo contra acies processit hostiles, dolosas fugit inuidiæ fraudes, quasi difficilius fuerit in aula non perire, quàm audaciam consertorum agminum superare. Quæ huius indignationis fuerit occasio, quærunt Interpretes, testanturque acceptam à Dauide de hostibus victoriam in eam Saulem furoris amentiam adduxisse, vt ebibere eius sanguinem procurarit; ad idque hastam fraudulenter contorserit. Ita noster Sancius: [Cùm jam paululum respirassent Philisthini, seque à superiori plaga refecissent, mouent rursus bellum contra Israel, quos iterum Dauid cum plaga, atque ignominia non minori fugauit, & ecce tibi in animo Saulis iterum inuidia, iterum odium, atque iterum in Dauidis interitum noua machinatio.] Certabat Dauidis constantia cum Saulis indurata malitia: Dauid nullis afflictationibus, nullis insidiis, nullis criminibus nullis à virtutis via potuit deflecti; Saul nullis officiis, nullis triumphis, obsequiis nullis potuit deliniri, magnum erat Saulis commodum hostis profligatus, & attritus, sed quia Dauidis crescebat gloria, acerrima illum inuidentiæ adurebat flamma; cruentam machinabatur mortem, & dæmone ad suppetias adscito miseram sibi tentabat stragem. Repetere posset datus Cassiodorus. [Subjecta est vulneri manus, quæ, vt in totum truncata non caderet, januarum percussa robora perstiterunt: vbi lassato impetu coruscа ferri acies extrema perstrinxit. O execrabilem casum! Impugnant hominem auxilium suum, in solatij prosperitate substracta creuit ex defensione necessitas.] Dauidi ex defensione creuit necessitas, eique pro præmio esset defensi non incurrere odium, nec pati telum. O quam durus premebat angor, quando omne deficiebat solatium, & de solatij spe adaugebatur tormentum! Profectò nisi gratia seruum suum eripuisset, teli jactu sublatus fuerit; verùm Deus, qui suæ pericacię præuaricator non est, Saulis machinationes frustrauit, & ipsa frustratione sæuissimam inuidenti pœnam inflixit: quandoquidem Saul acrius, duriúsque distorquebatur Dauidis fuga, quam interni, sæuissimique dæmonis truculentia. Audi Chrysostomum apud Glossam: [Quem non ista vel exactæ Philosophiæ gnarum, animique moderatissimi ad iracundiam excitassent; quem non perpulissent ad occidendum insidias molientem? Nihil tamen horum Dauid tentauit, sed potiùs habuit fugere.] Potius habuit fugere non solùm vt sibi prouideret, sed vt Saulis durius diuexaret; esset namque Saul

mora

mors perlata solatium, Dauidi salus intolerandum erat tormentum.

§. XX.

Mirabilius est, quàm diabolica eludere tela, humilitatem colere felicissima adspirante fortuna.

Humilitas. Fortuna.

MAximè sunt mirabilia, quæ maximè inspectata, & periculosa. Gubernatoris elucet ars, si nauigium vndequaque frementibus procellis impetitum dirigat in portum illæsum: per placidas, & silentes vndas nauigium conuehere non prodit rectoris peritiam; confusa vorticum volumina, horrisonæ tempestates promulgauere sapientiam. *Nequaquam par* (aiebat Plinius 9 *epist.* 26.) *gubernatoris est virtus, cum placido, & cum turbato mari vehitur: tunc admirante nullo illaudatus, inglorius subit portum. At cùm stridunt funes, curuatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus, & diis maris proximus.* Egregium est aduersa procella non vinci, sed mirabilius mihi felicitatum tempestate non superari, sed eundem humilitatis tenorem retinere: humilitas in sordibus non est rara, in fastigiis frequenter insolita, popularis aura inflat, dignitatis splendor oculorum, aciem hebetat, ornatus nitor, copiosi, splendentisque satellitij pompa, vt enorme prudentiæ fascinum, sic actuosum esse solet humilitatis venenum. Hinc summis laudibus Dauid extollendus est. A tuguriolis, & alendis gregibus adductus cytharam pulsabat, & à Saule dæmonem depellebat; cum ætate excreuit probitas, & aucta est cum probitate felicitas. Gigantem vno ictu prosternit, hostes arripere fugam cogit; celebrem fœminarum plausum audit, & nihilominus cùm opus est, vt Sauli medeatur, cytharam retractare non refugit: post teli in eum jactationem Philisthinorum nece regias sibi emit nuptias, & post nuptias mirandas de hostibus reportat victorias; & nihilominus cùm Saul antiquos pateretur cruciatus, non detrectat cantus obsequium, nec erubescit cytharædi exercere officium: *Porrò Dauid psallebat manu sua,* Quid tunc? Saul inuidentia diuexatus, & dæmon psallentis humilitate distortus veluti collatis viribus jaciunt hastam, sed prorsus irritam: *Lancea autem cassò vulnere perlata est in parietem.* Non processit Saulis, nec dæmonis studium, quia Dauid erat humilitatis miraculum, sibi semper in diuersa fortuna simillimus, & nequaquam plausibus, aut triumphis inflatus. O quàm erat Dauidis elogium persuasisse sibi dæmonem facilius esse vitam auferre, quam ab humilitate profundissima deuiare. Accipe Chrysostomum apud Glossam: *Postèa quàm hostes deuicerat, ac filiam Regis acceperat, rursus psallebat Dauid.* Auxilij cœlestis ope ad tantam fortunam delatus retractabat cytharam, & vt antiquitùs cantu procurabat medelam: ergo non potuerunt in eum dæmonis tela præualere, quia tutissima humilitate constabat fulciri. Quā aliter contingit aliis, Si fortunæ fauore dignitatem obtineant, natales denegant, antiqua munia erubescunt, & obscurioris status vel memoriam prorsus refugiunt. Contra hos, vtpotè humilitate non protectos tentationum præparant tela, & magna eos adurgere solent pericula, immò tumore superbissimo inflati contra se omnium ardentissima conflant odia. Dauid, quam olim pastor, etiam Regis gener, & hostium victor, cytharam pulsat, & humilitatem seruat.

§. XXI.

Domum suam præter opinionem labefactat, qui innocentem, ac justum lædere tentat.

Domus. Iustus.

ALiquando homines aut injusto odio inflammati, aut diabolo magistro, & instigatore corrupti in virum omni modestia excultum, omni virtutum floriditate expolitum stomachantur. Nulli nocet, & sustinet virulentissimos aduersarios, & inflatissimos inimicos; qui ni amarent erratum, in hac iniqua affectione ab animo depellenda solertissimum adhiberent studium. Verè, & benè Seneca *epist.* 5 1. *Proiice quæcumque cor tuum laniant, quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis reuellendum erat.* Si cor reuelleretur, vnius morte redimeretur malum; ast si viuente corde hæc insania vigeat, toti familiæ grauissimum noscitur imminere periculum. Qui justi cæde conantur se constabilire, qui adnituntur eius afflictatione firmari, prorsus cæcissimo errore delirant, & in se manus præter opinionem obarmant. Non ignorabat Saul Dominum cum Dauide esse, & omni probitate micare, verùm sic desipuit, vt sibi persuaderet eius nece suis temporibus coronam figere, & magnis anxietatibus liberari: ergo hastam misit, sed quæ in parietem perlata est. Dauidem Saul Numinis patrocinio tectum non læsit, sed propriam domum vulnerauit: *Lancea cassò vulnere perlata est in parietem.* Satis videbatur referre Saulem expectatione teli frustratum, & tamen sacer Textus retulit hastæ in Dauidem missa parietem regij palatij percussum. Intendebat Saul, vt domum suam stabiliret, Dauid necem inferre, sed inuentus est cassò vulnere proprium parietem subruere. *Lancea* (inquit Abulensis *quæst.* 10.) *errauit vulnus, scilicet quia non percussit, & transiuit in parietem.* Paries vulnus excepit, & percussus in facinoris pudendi monumentum remansit. Consonat Basilius Seleucensis *orat.* 15. [Ictum paries excipit, omnibusque facinus indicat. Non enim omnia videns oculus hic curam remisit, neque jactum telum diuinam prouidentiam præuertit. Ita Dauid periculo exemptus est; & lapis funestæ manus monumentum teli sustinuit impressionem atque audacis facti acculator in natura sensus expertè cædis tulit symbola.] Limatum hastæ ferrum regiam domum vulnerauit, Dauidi non nocuit, & Saul præter opinionem inuentus est propriæ domus euersor, dum Dauidicæ cædis probatur iniquissimus meditator; nec enim poterat se non lædere, qui justum excogitabat affligere. Deus, vt Moysi animos faciat, dum contra Pharaonem suscipere bellum jubet, miracula ingentia prodit. Manus lepra inficitur, citissimè à fœda sanie liberatur. Virga jam coluber, serpens jam virga; verùm cùm adhuc Moyses hæreret, rubum voracibus flammis cinctum pro felici Israelitarum auspicio, & funesto Pharaonis præsagio signum offert:

offert: *Hoc habebis signum, quòd miserim te.* Ad rubum referri testatur Lira: *Secundum Hebræos hoc refertur ad præcedentia: ac si dicatur: Visio, quam tibi ostendi in rubo, est tibi pro signo.* Benè sed expendere juuat, quid ad hæsitationem Moysis depellendam hoc signum addat? Grande erat miraculum inualidum fruticem tot flammarum torrentibus non absumi, sed & portentum ingens insensilem virgam in draconem viuum conuerti. Quid ergo peculiare erat in rubo, quò jam moyses non dubitaret Pharaonem confusis verticibus demergendum, & populum liberandum? Aud ex Philone *lib. 1. de vita Moysis:* agnoscit hic auctor in rubo Israelitas, in flammis Ægyptios eorum necem meditantes, & iniquis artibus affligentes. Adeòque indubium est Sanctorum persecutores non posse calamitatem effugere, vt quò Moyses non dubitet Ægyptios vorticibus sepeliendos contra Dei populum ostenderit iniquissimos. *Significabat ardens rubus oppressos iniuria, vrens verò ignis oppressores. Quod autem non exurebatur materia, portendebat non perituros, qui affligebantur inimicorum violentia.* Pharao ignis adinstar Israelitas justos opprimens suæ ipsius calamitatis erat infelix auspicium: ergo videat Moyses justos opprimentem, vt nouerit votum fore irritum, & indubium illi subeundum naufragium. Hanc ipsam veritatem ingenti suo detrimento confirmarunt iniqui illi Danielis accusatores. In leonũ lacũ eorũ consiliis missus est; verũ innocuo adulata est leonum feritas; quod vt Rex agnouit, accusatores cum filiis, & vxoribus leonibus tradidit decerpendos, & quam passi fuerant, inedia compensaretur vberi æmulorum copia: *Iubente Rege adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem, & in lacum leonum missi sunt ipsi, & filij, & vxores eorum.* Dum leonum contra Danielem armant feritatē, crudelem sibi conscisunt mortem: in sanctum, justumq; ferarũ exacuerant vngues, sed ipsi pertulerunt auidos bestiarũ dentes; ita scelus digno, enormique supplicio punitum est, & justa Dei ira in eos efferbuit, qui Danieli inuiderant, & indignationem Regis exulcerarant; se cum totis familiis perdiderunt, vt omnibus liqueret Dei amicos diuexare, mortem esse sibi consciscere. *Danielis accusatores* (inquit Theodoretus *orat. 6.*) *imperauit leonibus cum filiis, & vxoribus proiici.* Quod commoditatis spe tentarant, extremam illis, filiisque attulit cladem, & simultaneam perniciem.

Exod. 3. v. 14.

Dan. 6. v. 24.

§. XXII.

Prudens mauult vitam discrimini, quàm iniquis suspicionibus honorem exponere.

Honor. Vita.

OMnium animis inesse cognoscitur honoris splẽdorem nullis solidatum maculis custodire, & nullam iniquis etiam suspicionibus occasionem præbere. Mori est naturæ tributum, immaculatum ad posteros honorem mittere ingenuorum est votum: dum honor viuat, sereno aspectu intuentur mortem, & odiosa est vita, quàm infamis obscurat macula. Liberius Patritius Regis Odouacris integerrimis parebat obsequiis; & quamvis vt à fide deficeret, & in contrariam partem transiret, multis alliceretur promissis, & pronocaretur præmiis, nobilitatem benè custodiens maluit sustinere vitæ discrimina, quàm alicuius proditionis, infidelitatisve suspicionis aspergi nota. *Sic factum est* (aiebat Theodoricus 2. *variar.* 16.) *vt ei libenter daremus præmium, quia nostrum fideliter iuuit inimicum: qui casu patrocinante contrario tantùm nobis reddebatur acceptus, quantò tunc cognosci poterat indeuotus: Probauimus hominis fidem.* Elegit potiùs fidem illæsam, quàm honoris injuria oblatam gratiam. Hinc fuit, vt ipse contrarius, qui nec muneribus, nec terroribus potuit fidem labefactare, fidelitatem demiratus ampliorem ad honorem conaretur prouehere. Vndè facilè enodatur illa quæstio, cur scilicet Dauid telo jam à Rege impetitus, & multiplicibus implacabilis odij indiciis admonitus lyram prehenderit, & vitæ discrimini se objectarit? *Factus est spiritus Domini malus in Saul: sedebat autem in domo sua & tenebat lanceam: porrò Dauid psallebat manu sua.* Si imminere sibi non ignorabat periculum, cur absentia irarum delinimento non procurauit remedium? Quia cùm jam Saul (inquit Abulensis) fidelitatem conatus esset maledica lingua obscurare, noluit fuga ansam suspicioni confirmandæ præbere: ergo elegit potiùs à discrimine eripere famam, quàm vitam. Accipe Abulensem *quæst.* 10. *Oportebat quòd Dauid ageret alterum de duobus, scilicet, vel quòd fugeret à facie Saulis, recedens totaliter de terra Israel, vel psalleret coram eo, quando arriperetur à dæmone, quamquam timeret lanceæ configi. Recedere autem totaliter de terra Israel, non visum est Dauidi expediens, quia videretur ipse in culpa, & aliquid mali moliri contra Saulem, si nunc recederet, quia erat reconciliatus Sauli.* In eas aliquando aulici deuenire solent angustias, vt nec possint sine periculo stare, nec sine honoris nota recedere. Dauid in scyllam scissurus ceu si vitarit carybdim, aut in carybdim, si scyllam; creditum sibi cytharizandi officium sedulè exercens vitam exponebat discrimini, si fugeret honorem objiciebat inuidentium suspicioni, & Saul opportunitatem nactus fereret multa contra se moliri, & debitæ felicitatis jura violare: ergo elegit Deo fissus Saulis oculos non declinare, vt illæsum possit honorem fidelitatis tueri.

TEXTVS.

VERS. X. & XII. Misit ergo Saul Satellites suos in domum Dauid vt custodirent eum, & interficeretur mane. Quod cùm annuntiasset Dauid Michol vxor sua, dicens: Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris; deposuit eum per fenestram. Porrò ille abiit, & aufugit, atque saluatus est.

§. XXIII.

Ni defœdauerit famam, parum videtur æmulationi abstulisse vitam.

Emulatio.

INuidia (aiebat Dionysius *apud Stobæum cap.* 38.) *res est omnium iniustissima.* Hoc solùm boni inesse liuori cognoscitur, quod eo velati duro sinor carnificæ ipse inuidus discruciatur. *Quantam geni-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nitrix, aut quis genitor (verba sunt Eurypidis vbi suprà) *ingens malum produxit hominibus infaustum, inuidiam?* Inuidia inuido dignum affert tormentum, vt inuiso graue periculum: inuidia edocuit mortem, reseruit ortum, mortiferum inuenit venenum. *Imperans inuidia* (aiebat Basilius Seleucienſis *orat. 8.*) *naturæ persuasit in se ipsam insanire. Inuidia cædis parens honesti studiis semper sauciatur.* Liuor necis parens à primordio mundi fuit; verùm vt processu temporis multa coalescunt, jàm contentus non est acerrimo ariete subruere vitam, sed audet etiam in famam. Detestabilis hic semper crescit affectus, & ipsius vitæ terminos transgreditur constitutos. Cùm Dauid cœlesti patrocinio hastæ elusisset jactum, inuolauit ad domum, si vice medicaminis prodesset absentia; verùm Saul satellites suos armat, eiusque domum cingit, ne pateret ei aditus, quousque sequenti die periret occisus: *Misit ergo Saul satellites suos in Domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur mane.* Odium, liuorque necem in sequentem diem distulerunt, non vt tempus Dauidi indulgerent, sed vt duriùs desæuirent. Si huius dilationis inquiras causam, respondebit Abulensis, voluisse Saulem testibus falsis ascitis id crimen objicere, quo omnium assensu dignus haberetur truci supplicio, quasi parum esset auferre vitam, nisi abstulisset honoris gloriam; nam cùm vita breui internallo finiatur, & post mortem fama perseueret immortalis, voluit contra famam desæuire, vt liuori posset semper adulari, & repetita honoris morte gaudere. Quia non poterat repetere jugulum, repetere voluit contra famam multoties probrum. *Saul* (verba sunt Abulensis *quæst. 11.*) *præconceperat mittere aliquos accusatores, qui eum calumniosè accusarent, & aliquos testes, qui falsè deponerent super aliquo crimine, propter quod Dauid esset reus mortis, & tunc occideretur publicè, & coloratè.* Si tunc missis satellitibus jugularet, auferebat vitam, sed tot triumphis, & gloriosis factis adultam relinquebant intactam famam: si differret tantisper necem, poterat falsis testibus tale crimen comprobare, vt haberetur Dauid majestatis reus, aut patriæ proditor, sicque æterna maneret infamia, & manu carnificis auferretur etiam vita: ergo à se ipsa obtinuit inuidia tantillum tempus concedere, vt eodem ictu posset vitam, & famam detruncare. Christo Domino in crucem inuidentiæ machinationibus acto eminebat titulus, qui eloquenti, etsi muta lingua Regem sæculis testaretur: ergo æmuli non minus torti titulo, quàm Christus cruce, ad Præsidem inuolant de titulo conquesti, & contra crucifixum armati. *Noli scribere Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Si apponeretur, *quia ipse dixit*, denotabatur ambisse regnum, & voluisse sibi furari dominium: ergo contenti non sunt abstulisse vitam, nisi innubilauerint famam. Notauit Chrysostomus in Caten. D. Thom. *Iudæi crucifixo inuidebant. Vndè sequitur: Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum; Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia dixit: Rex sum Iudæorum. Nam hæc quidem enuntiatio est, & communis sententia. Si verò adiiciatur: quoniam ipse dixit, ipsius petulantiæ, & excellentiæ ostenderetur crimen esse.* Visus est eis titulus

Eman. de Naxera in Reg. *Tom. II.*

Ioan. 19. v. 21.

honoris, famæque testimonium omnium sententia exaratum, nihilque se arbitrabantur effecisse ablata vita, si immortalis maneret fama: ergo liuoris diris cruciatibus torti, maculari famam sunt nisi; nam si pertinax odium, & cæca inuidia possedit animum, parum illi videtur mortem inferre, si honorem non assequitur obscurare: ergo Saul simili insania possessus dilatione sibi adulatus est, sperans falsis testimoniis Dauidis obscurandam famam, & vitam carnificis manu præcidendam.

§. XXIV.

Aliquando ipse satelles præmonet reum, vt eluserit prouidenti fuga periculum.

Satellis. Reus. Periculum.

AIudicibus decreta sæpè ad desideratum non perueniunt finem, quia ipse executor solet impedire: *Ordinem seruat nostri iudicij* (aiebat Cassiodorus *9. variar. 6.*) *vt sicut hæc iustitia quæsiuimus, ita te custodire iustitiam præ omnibus sentiamus.* A superioribus injuncta efficaci debent actione compleri, inutile namque est à judice edictum proferri, si variis artibus impediatur absolui. Malè decreta non debent à ministris executioni mandari, si manifestè constet justitiam lædi. Qui malè decreta in mediis conatibus adnititur impedire, & prouida denuntiatione innocuum à discrimine liberare, ipsi judici plus deseruit, quando satius est æquitati repugnantia non perfici, quàm absolui; si tamen apparitor, satellesve, quod eius fidei committitur exequendum, corruptus cupiditate prænuntiat, & impedimentum ipsa prænuntiatione solicitat, judiciaria virtus deficit, & reus, quàs meritissimè debebat, pœnas eludit. Dauid, si æstuantem in Saulis pectore liuoris flammam absentia possit sopire, in domum inuolat non querulus, etsi hasta satis turpiter impetitus. Saul, vt prædam agnouit è manibus elapsam, satellites misit, qui domum arcta obsidione cingerent, & ne fugæ auxilio euaderet pœnam, solicitis vigiliis attenderent. Iam domus veluti oppansis retibus capta tenebatur, jàm ostium custode munitum, jàm regij furoris adimpletum mandatum. Hoc in statu res erant, quando Michol, quid Rex decreuerit, Dauidi nuntiauit, & per fenestram dimisit: *Ni saluaueris te nocte hac, cras morieris.* Michol milites circà domum armatos veluti in statione intuita, prudenti conjectura præsumere potuit patris indignationem, & mariti periculum; verùm mortem in sequentem diem decretam facile non erat prænoscere, aut conjectari. Vndè ergo nouerit celeri, nocturnaque fuga opus esse, si vitæ consulendum, & patris odium frustrandum? Ex ipsis satellitibus, apparitoribusque (inquit Lira) non defuit, qui aut benigna compassione motus, aut regalis decreti sæuitia exasperatus, Micholi, quid sancitum fuerit, cautè prænuntiauit, vt Dauid prænonitus fugam iniret, & Saulis iniquam solicitudinem prouidenter euaderet. *Fortè aliquis de famulis Saul ad hoc missus* (inquit Lira) *secretum aperuit ipsi Michol, vt Dauid per eam saluaretur, qui erat acceptus maxime in conspectu famulorum Saul.* Dauid suspiciendis meritis ornabatur, sic probatus est hostes vincere, vt proprios nunquam cõtigerit lædere. Nefas erat eximiis remu-

randum præmiis addicere morti, & ſalutis auxilium auferre Reipublicæ: ergo qui capiendum præmonuit, jura cuſtodiuit; verùm honeſto hoc facto edocemur, quod iniquis ſatellitum actionibus experimur. Conſulta prudentia decernunt aliquando judices Reipublicæ ſcandala tollere, criminoſum vincire, ſed ſatellites, quorum executioni committitur, aut ſpebus illecti, aut aliis cauſis corrupti capiendum præmonent, & præmonitus aut ſe latebris abdit, aut fugit, & indè emergunt benè decretis impedimenta, vndè ſperabantur auxilia. Dauid decretis cognitis maturam fugam arripuit, & Saulis ſolicitudo prorſus euanuit.

§. XXV.

Nonnulli, cùm non refugiant magnis criminibus infici, detrectant indecoris circunſtantiis criminibus denigrari.

Scrupulus. Scelus.

CRimina, vt quæ æquitati, juſtitiæque ſemper inimica, ſtudiosè debent declinari, cuſtodienda eſt morum menſura, & refrænanda ſuperbia. *Suprà cæteras enim virtutes amicam ſapientibus ama patientiam* (monet Caſſiodorus 10. *variar.* 11.) *erectus ex nobis ſuſtinendo potiùs, quàm vindicando laudaberis: iram vince, benigna dilige; caue, ne major videatur eſſe felicitas moribus tuis.* Patientia humanæ vitæ auxilium, virtutum ornamentum omnibus eſt diligenda; ſunt tamen, qui de impatientia, & audacia adnitantur indecoram conciliare ſibi famam, & pudendam procudere gloriam. Ridebis hos ipſos omnem juſtitiam temerantes, ne exteriori aliqua circunſtantia obſcurentur effugere, & ſolicitè ſatis attendere: glutiunt camelum, exhorreſcunt culicem, refugiunt opinionem ſuam leui aliqua circunſtantia lædere, ſumma non horrent piacula perpetrare. Saul adnititur Dauidem transfigere, ille exoculatam iram declinauit, & ſe in domum celeri greſſu recepit; verùm, vt effectu carens viuidiùs ſemper inardeſcit inuidia, ſatellites miſit, qui per noctem domum vallarent, & mane Dauidem jugulandum educerent: *Miſit Saul Satellites ſuos in domum Dauid, vt cuſtodirent eum, & interficeretur mane.* Inquires, cur moras nexuit, qui ad Dauidis necem impotenter hiauit? Irrumpant in domum ſatellites, hoſtis munimenta confringant, & vitam decumbenti in lectulo auferant, ne, dum protelatur ſpatium, ſæuitiæ maneat deſiderium eluſum. Quid ergo Saul decretam cædem in mane differt? Quia hominem in lecto occidere (inquit Lira) apud Hebræos erat inglorium, & lædebatur occiſoris fama, etſi ſtrage lætaretur ſæuitia, & effuſo ſtatim ſanguine ſolatium reciperet impatientia: ergo Saul attendit externæ opinioni, etiam cum fœdo vacabat crimini. Liram audi: *Nuntij à Saule miſſi habebant in mandatis, vt ipſum vſque manu cuſtodirent, & tunc occideretur, cùm de lecto ſurrexiſſet, quia turpe erat occidere hominem in lecto iacentem.* Iniquum erat hominem de Republica adeò meritum, & regij conjugij honore decoratum, ſuiſque moribus felicitatem ſuam ſupergreſſum, ſatellitum ferro occidere; jacenti in lecto necem inferre habebatur inglorium. Cúmque Saul non refugeret execrabili ſordidari piaculo, attendit, ne opinionem ſuam læderet vindictæ modo, ſuiſque factis mirè adumbrauit aliquos ridiculè ſcrupuloſos; nam amplectentes ſtudiosè execrandas culpas, attendunt quàm maximè ridiculas circunſtantias.

§. XXVI.

Verus amor delectabili dilecti caret præſentia, vt ei ſolicitauerit commoda.

Amor. Abſentia.

IVcunda amati præſentia eſt, aſpectu deliciantur affectus, & animum recreant reciproci afflatus. Qui ſibi attendit, amorem adulterat, & dum quærit voluptatis lucra, degeneris prodit amoris argumenta. *Abiicite lucra* (monebat Caſſiodorus 2. *variar.* 11.) *quæ honeſtam non videntur commendare perſonam, quia illud vos potiùs decet acquirere, quod & famam veſtram poſſit augere.* Michol Caſſiodori præceptum ſecuta charitatem ſuam erga virum mirè commendauit, dum per feneſtram dimiſit: *Depoſuit eum per feneſtram: porrò ille abiit, & aufugit, atque ſaluatus eſt.* Non ſperabat Michol iterùm Dauidis amplexibus frui, aut eius aſpectu oblectari, vt quæ nouerat implacabile patris odium in dies infelicia crementa ſumere, & Dauidem ditione ſua viuere non pati: verùm vt generoſo amore flagrabat, maluit charo pignore priuari, quàm Dauidem patris inſidias ſubire. Si Dauid fugiat, eius Michol carebit præſentia, ſed magna ipſi prouenient commoda: ergo generoſus amor ſui oblitus, amari ſolùm vtilitatibus reſplenduit intentus. Notauit Abulenſis *quæſtione duodecima.* [Voluit eum eripere à morte, quamquam ſatis ipſa putabat ex hoc nunquam virum ſuum ad eam ampliùs rediturum, cùm pater eius quotidiè eum perſequeretur. *Adnectit ſatis appoſitè:* Ex hoc autem laudabilior, quia non eripiebat virum à morte gratia alicuius vtilitatis, vel jucundæ vitæ, quam cum ipſo ſe poſt hæc crederet habituram, ſed intenſo amore, quo in eum ſincerè ferebatur. Viri abſentia durum ſibi ſolicitabat tormentum, ſed intenſo, nobiliſque amore Dauidi opportunum procurabat auxilium; non attendebat amor commoda propria, ſed exambiebat aliena, & quia intensè pura charitate diligebat perſonam, ærumnoſam ſibi ſatis tolerabat abſentiam. Qui ſe attendunt, qui amicitiæ lucra diſcupiunt, amicitiam laruatam gerunt, mentiuntur amorem, ſed exambiunt vtilitatem. Sponſa amorem ſuum commendauit, dum fugere dilectum conſuluit: *Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.* Verba profectò à ſe ipſis diſcordare videntur; teſtatur intenſo amore flagrare: *Dilecte mi*, & fugam adnititur perſuadere: *Fuge.* Amor dilecti oculis excitatus flammeſcit, abſentia dolenter ingemiſcit. Quid amanti durius, quàm placido dilecti aſpectu carere, & interuallis moleſtis diuidi? ergo non expetat, ſi amat, abſentiam, aut generoſi amoris non oſtentet viuidam flammam. *Hic conſummationem contemplationis viæ oſtendit* (inquit Hugo Cardinalis) *non enim dicit tanquam præſentiæ ſponſi tædio*

Cant. 2. v. 14.

tædio affecta, sed quia ex tam familiari sponsi affatu, & præsentia quasi facta est in extasi. Non ignorabat sponsa ex sponsi affatu, & præsentia suaui adeò deliquio animum suum deficere, vt extasi placida frueretur; agnoscebat tamen, si abiret, fruiturum sponsum commodis, & non impetendum dolosis insidiis: ergo dilecti gloriæ sitibunda, & sui ipsius decenter oblita suadet fugam satis sibi molestam, sed affatim sponso glorioſam: *Consummationem contemplationis viæ ostendit; non enim dicit tanquam præsentiæ sponsi tædio affecta.* Non afficiebatur præsentis sponsi tædio, sed eius gloriæ ardentissimo voto: ergo propriæ vtilitatis oblita amorem suum mirè commendauit, dum celeri volatu sponsum ad æterna gaudia properare consuluit: nam generosus, & verus amor se non respicit, sed amato prouidet.

TEXTVS.

VERS. XIII. Tulit autem Michol statuam, & posuit eam subter lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis.

§. XXVII.

Amor in teneri dilecti memoria requiescit, dum eius præsentia caret.

Amor. Simulacrū. Cant. 2. v. 5.

FVlcite me floribus (aiebat quædam tenerè diligens) *stipate me malis, quia amore langueo.* Laudabili impatientia dilecti absentiam non sustinens, florum solatium, & malorum ambit ardenter auxilium. Sed quid flores tam ardenter fulciri expetat, vt amori succurrat? Quod amori à floribus, & malis solatium? Profectò magnum; nam cùm flores malaque dilecti essent imagines, ipso testante: *Ego flos campi*, & ipsa asserente: *sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios*, ne dulci amoris tyrannide prorsus ob absentiam intereat, languorem suum repetitis sponsi simulacris solari exambit, vt dum oculos dilecti præsenti imaginem recreat, animi ægritudinem alleuet: est enim præsentiæ supplementum, imago; dum præsentem quodammodò dilectum oculis objicit, jucundè fallit. *In hac amoris vexillatione stationem suam, ne deserere virium imbecillitate cogatur* (exponit noster Delrius hic in litera) *Subiungit auxily petitionem: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Ac si dicat: Ita crescit in horas dilectio, vt eius vehementiam non feram, nec mihi vigoris quid suppetat. Efficax, promptumque languoris remedium gratiosus esset dilecti vultus; verùm quia paries intercepit aspectum, meis oculis objicite vel distantis simulacrum; sic enim dum imaginis aspectu recreor, faciliùs potero amoris vim sustinere, & deliquium sufsulcire. Sponsam videtur imitatam fuisse Michol; nam cum dura necessitas Dauidis substraxerit, amori blandita, ad statuam Dauidis confugit, vt amori suppetias ferret. *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum.* Huius actionis scopum fuisse Dauidis imagine oculos pascere, testatur Lira: *Tulit Michol statuam ad representandum corpus Dauid.* Suasit amor fugam, sed absentia sancius confugiebat ad statuam. Statua illa, dum Dauid repræsentabat, curam sopiebat; est enim dilecti absentis imago angoris delinimentum, & jucundum sensus ludibrium. Michol, quia tenerè amabat Dauidem, per fenestram deposuit, & vt amori aliquod solatium quæreret, eius statuam ante oculos collocauit.

Cant. 2. v. 3. & 5.

§. XXVIII.

Si fœmina alicuius viri amore corripitur, miris artibus adspicientium oculos illudere conatur.

TAnta est enim (aiebat Tertullianus *lib. de spectaculis cap. 1.*) *vis voluptatum, vt ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem, aut vtrumque.* Sensus Tertulliani nulli obscurus; liceat tamen eis fœminis adaptare, quæ amore alicuius viri correptæ satagunt aliorum conscientiam eludere, & miris artificiis aliquid eludendis suspicionibus objectare. Quæ claris oculis objectantur, contendunt non videri, præstigiisque sensus adnituntur eludere. Honestissimis factis adumbrauit Michol fœminarum ingenia, & prodigiosa artificia. Amabat Dauid, cúmque Satellites in eius domum irrumperent, quo tempus fugienti daret, statuam in lectulo collocauit, & hominem per fenestram dimisit: *Tulit Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis.* Theodoretus apud Glossam ait suppositisse jecur capræ recens jugulatæ, vt imago putaretur eius palpitatione spiritum reciprocare, quo satellitum oculos faciliùs posset eludere: [Nonnulli intellexerunt effigiem, id est, imaginem Dauidis, & eam dixerunt fuisse coopertam vestibus præter aliquas partes vultus: fuisse autem suppositum jecur caprarum, vt eius, qui moueretur, figuram efficeret verisimilem. Aiunt enim jecur caprarum diù moueri.] Consonat Seleucienſis Basilius *orat. 16.* [Persuasit quoque lectulo, vt inualetudinis simulationem adjuuaret. Imago namque in viri speciem conformata, & in lectulo collocata formæ fictione videntes eludebat; vestibus verò subjecto recens jugulatæ capræ jecore res credibilior apparebat. Adhuc enim micans hepar, & supremam palpitationem prodens viri reciprocantis animam speciem dabat eluso sensu oculorum. Talem mulier tragædiam amore viri incensa dare potuit.] Michol honestissimo mariti amore incensa hanc excogitauit tragædiam, vt satellitibus imponeret, sensusque eluderet; verùm non adeò casto amore fœminæ aliquæ similes tragædias componunt, & satellites eludunt; quod videtur, constanter denegant, quod euidenter scitur, argutiis inficiantur, & tandem eis præstigiis mendacia colorant, vt fidem exigant.

Fœminæ.

§. XXIX.

Aliquando qui putantur placidâ frui quiete, anxiâ adurgeri inueniuntur solicitudine.

Fortunatus Solicitudo. Epistola.

QVæ vulgus demiratur, quibus vt beatis inuidet, non semel interna miseria premit, & anxius labor distringit. *Seleucum* (scribit Plutarchus *lib. An seni*) *semper dicere solitum perhibent; si sciret vulgus scribere solùm tam multas epistolas, ac legere quanti laboris sit, nollet in terram abiectum tollere diadema.* Qui collucentem purpuræ ardorem solùm intuentur, qui diademata lapilorum luminibus fulgurantia conspicantur, obstupescunt, eos, qui gestant arbitrati fortunatos, & felicissimos; verùm si fascias soluerent, si chlamydatos intimiùs dispicerent, plus obtupescerent demirati quantum mali, anxietatis quantum sub illa speciosa felicitatis bractea delitescat, & vrgeat. *Castra loco commodo Philippus metaturus* (adnectit Plutarchus) *vt audiuit non esse illic iumentis pabuli copiam: Quæ est, inquit, ô dij immortales, vita nostra? si etiam ad ea asinorum est tempora accommodanda?* splendent heroes, & dignitatum culminibus eminentes copioso satellitio, florenti ornatu, mensa vtuntur opipara, sed sæpè ipso premuntur fastu; quia nesciunt pompam minuere, nec possunt alere. Hinc est, quòd eodem tempore & exteriùs niteant, & interiùs gemant. Iam si quis eminuit, inuidiæ, quo tela collimarit, ostendit. Non sunt, quæ oculis patent, solida, non implent animum, etsi frontem remiserint. Vndè aiebat Psaltes: *Beatus populus, qui scit iubilationem.* Implentur horum aures fastis, repetitisque acclamationibus, sed jubilationis veræ prorsus ignari internis discruciantur angoribus. Quo tempore Dauid per fenestram demissus, noctisque auxilio tectus anxiis gressibus inuolabat, vt mortem effugeret, & inuidentiæ dolos declinaret: collocatum erat pretioso lectulo eius simulacrum, sub cuius pretiosis vestibus capræ jecur supremam palpitationem edebat, & qui intuebatur delusus, placido Dauidem somno quiescere existimabat quietis specie fraudatus: simulacrum oculis ostentabat majestatem, cùm Dauid reapse pateretur solicitam anxietudinem, & quæ videbatur exteriùs vita, interiùs erat mortis palpitatio extrema: *Tulit Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius & operuit eam vestimentis.* Qui aspiciebant, Dauid molli lecto quiescere existimabant, regiis nuptiis nobilitato inuidebant, tot hostium trophæis prædiuitem prædicabant; verùm Dauid exerrabat campis mortis timore agitatus, & anxietudine tortus. Adest Iosephus apud Glossam: *Michol per fenestram deposito, dimissoque Dauide construit lectulum quasi ægrotantis, & & sub sago iecur spirans capræ supposuit.* Consonat, vt vidimus, Basilius Seleucienſis *orat. 16. Micans hepar, & supremam palpitationem prodens viri reciprocantis animam speciem dabat elusoſ sensu oculorum.* Oculi eludebantur, & internam palpitationem arbitrabantur placidam quietem. Inspice perspicacibus oculis, & quos putas fortunatos, interius inuenies miseros.

Psal. 88. v. 16.

TEXTVS.

VERS. XIV. Misit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid, & responsum est quòd ægrotaret.

§. XXX.

Non videtur credibile magnis discriminibus impetitum ignauo somno indulgere, & saluti suæ non consulere.

Periculum somno.

EO *magis vtique indignior* (aiebat Seneca *epist. 49.*) *aliquos ex hoc tempore* (*quod sufficere nec ad necessaria quidèm potest, etiamsi custoditum diligentissimè fuerit*) *in supernacua maiorem partem erogare.* Dignissimus reprehensione est, qui breuem vitam inerti odio deterit, qui ignauo somno consumit: verùm etsi aliqua huic venia esset danda, si cinctus hostibus, si impetitus telis dormiret, dignus esset reprehensione grauissima. Adnectit Seneca: [Demens omnibus meritò viderer, si cùm saxa in munimentum murorum senes, fœminæque congererent, cùm juuentus intra portas armata signum eruptionis expectaret, aut poscceret; cùm hostilia in portis tela vibrarent, & ipsum solùm suffossionibus, & cuniculis tremeret, sederem otiosus.] Iure amentiæ morbo teneri censendus est, qui cùm tellus tremit, cùm hostilia tela vibrantur, cùm muri impactis arietibus subruuntur, aut somno indulget, aut ignauè quiescit. Ob id cùm apparitores Saulis Danidem quærerent, Michol statuam in lecto posuit, nec dormire dixit, sed ægrotare: *Misit Saul apparitores, qui raperent Dauid, & responsum est, quòd ægrotaret.* Et cur responsum non est, quòd dormiret? Quia Michol verisimili responso adnitebatur apparitorum audaciam frænare, studiumque eludere: ergo si dormire assereret, fidem nullatenus inueniret, quandoquidem Dauid armatorum obsidione cinctum, & discrimini magno expositum indulgere somno, videretur ludibrium: ergo respondit Michol ægrotare, ne aut ipsa statim haberetur mendax, aut Dauid amens. *Quæritur* (inquit Abulensis *quæst. 20.*) *quare non respondit Michol, quòd dormiebat Dauid? nam si poterat per simulacrum positum in lecto significari, homo dormiens, sicut homo ægrotans.* Audisti quæstionem, solutionem audi: [Michol non respondit hoc, quia non erat verisimile: nam Dauid ante hoc fuerat quasi in mortis articulo missa ad se lancea, & ob hoc concito gradu fugerat in domum suam: non ergo erat verisimile, quòd talia pericula euadens, quæ tamen non penitus euaserat, in lecto jaceret, tanquam nulla eum cura morderet.] Repentino laborasse morbo erat credibile ob grauem metum, & manifestum jam Regis odium: aut somno indulgere asserere clarissimum haberetur mendacium, ni amentiæ putarent morbo correptum. Quod si is in circunstantiis incredibile videretur somno indulgere, & amentia esset otiari, qua existimas insania teneri homines, qui cùm non ignorent se habere Deum crebris, magnisque criminibus offensum, & dæmonem, vt digna mulctentur pœna, solicitum, quietum capiunt somnum,

somnum, & nullum timoris patiuntur stimulum. Profectò hoc videretur incredibile, ni staret in contrarium quotidiana experientia, & tot dormientium crebra notitia. Michol respondit ægrotare, ne irrideretur, si respondisset dormire.

§. XXXI.

Qui odij, amorisue patiuntur phrænesim, famæ, honorisque non attendunt opinionem.

Amor. Honor.

INfamia imminens virtuti aliquando tulit suppetias, & quos ratio non cohibet, frænat verecundia. *Omnes actiones totius vitæ* (aiebat Seneca *Epist. 76.*) *honesti, ac turpis respectu temperantur: ad hæc faciendi, & non faciendi ratio dirigitur. Quid sit hoc dicam. Vir bonus, quod honestè se facturum putauerit, faciet, etiamsi laboriosum erit, faciet, etiamsi damnosum erit, faciet, etiamsi periculosum erit. Rursus quod turpe erit, non faciet, etiamsi pecuniam affert, etiamsi voluptatem, etiamsi potentiam. Ab honesto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla spe inuitabitur.* Æquitatis discipulus nulla spe, nulla oblectatione ducitur, vt infami crimine polluatur; verùm si affectus transeat in morbum, phrænesis rationi succedit, & quidquid frænabat anteà, despicietur: possunt affectus omnes depranari, & in morbum pertinacem transire, præ alijs tamen amor, & liuor, Si terrenus amor inardescat, mentem prorsus obnubilat, & jam, vt votis fruatur, honorem despiciet. Nec aliter de liuore sentiendum est. Si pertinax, & odio associatus, nil attendet, sed famam, honoremque proculcabit. Saul decreuerat Dauidem interficere, sed aliquo colore quæsito; ob id in sequentem diem mortem distulit, arbitratus facilè esse falsos testes secretò inducere, & grauissimis criminibus reum morte damnare; verùm citò demutauit sententiam, & apparitores misit, qui statim raperent, & occiderent: *Misit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid.* Inquires, cur modò non exambiat colorem ad propulsandam ex illa nece infamiam, cùm anteà non intulerit metu subeundi indecoram notam? Ad quod respondebit Abulensis *quæst. 18.* eis augmentis exarsisse odium, vt jam quodammodo transuerit in delirium. Iam honorem postponit, jam famam despicit, solumque anhelat sanguinem ebibere, & odij ardorem sedare: *Quia erat ardens desiderium, præponebat illud honori suo, & famæ, scilicet non curans, an in executione huius rei infamaretur, vel non; dum tamen consequeretur desideratum à principio tamen, quia fama sua erat sibi chara, voluisset eum occidere per dissimulationem.* Anteà infamiæ timor manus frænabat, & apparenti licet colore odium tegebat; jam verò sic in incendium exarsit, vt nec honorem attenderet, nec infamiam effugeret, dum vota expleret; hi enim affectus, amor scilicet, & odium sic rationem hebetant, sic cor instigant, vt quodam veluti delirio homines ad desiderata assequenda impellant, & famam, honoremque proculcare suadeant: ergo Saul, cui anteà honor in pretio erat, eo nunc cæco odio æstuauit, vt honorem postponeret, & infamiam ex illata morte orituram prorsus despiceret.

TEXTVS.

VERS. XV. & XVI. Rursumque misit Saul nuntios vt viderent Dauid, dicens: Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur. Cumque venissent nuntij, inuentum est simulacrum super lectum, & pellis caprarum ad caput eius.

§. XXXII.

In sequentem diem dilatum propositum non semel euanuit irritum.

Propositum. Dilatio.

OCcasionis opportunitas statim arripienda est, quia irreuocabiliter fugit, & confidentiam stultam torquet. *Ita inuade* (aiebat Tertullianus *de Panitentia cap. 4.*) *ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc te pectorum fluctibus mersum proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit. Rape occasionem inopinatæ felicitatis.* Amens esset naufragus, suæque salutis prodigus, si tabulam nactus, cuius fide eludere posset naufragium, eam amitteret, & non defuturam aliam expectaret, nec aliter à prudentia recedit, qui emergendi à culpis, aut incumbendi honestis properantem occasionem amittit ignauis sibi spebus blanditus, & inertiæ suæ adulatus. Hac in re improborum nos exempla edocent, & confundunt. Saul, dum quod statim fieri poterat, in diem sequentem distulit, elapsa occasione ingemuit: *Misit Saul satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum & interficeretur mane.* Si statim satellites irrucrent, nec differrent, arduum esset Dauidi inuenire profugium, aut fugæ arripere patrocinium; verùm dum Saul, Deo sic disponente, in diem sequentem distulit, occasio prorsus euanuit, inane inuenit simulacrum, cùm sperabat capiendum fore inimicum: *Inuentum est Simulacrum super lectum, & pellis caprarum ad caput eius.* O quàm infructuosè ingemuit Saul cædem protelasse, & perdendi inimicum occasionem opportunissimam amisisse non distulit in annum, non in mensem, in sequentem solùm diem protelauit necem; verùm exiguo eo tempore Michol concinnauit fraudem. Adde Saulem ante decretum morti tempus, explere desiderium solicitè procurasse, sed irritis votis, & illusis conatibus. Vallata domo in manibus præda esse videbatur, & tamē adhuc solicitus misit apparitores, qui Dauid violenter raperent, & adducerent; sed Dauid jam aufugerat, & ossoris dolos frustrarat. Si inquiras, cur decretum morti tempus studuerit breuiare, & statim Dauidem occidi? Respondebit Abulensis, doluisse elapsam occasionem, & aliquam eo tempore concinnandam timuisse fraudem: *Rursumque misit Saul nuntios, vt viderent Dauid, dicens: Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur.* Nec timor vanus; nam dum deferuntur Regis mandata, & à Michol redduntur responsa, tempus fugæ concessum est. Accipe Abulensem *quæst. 22. Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur. Hoc dixit, quia credidit verùm fuisse, quòd Dauid ægrotaret & quia per se venire non poterat, iussit, vt saltem in lecto adduceretur, & hoc vt occideretur; scilicet quòd non differretur occisio eius ad alios dies, quia putabat fraudem sibi fieri ex*

mora. Moræ egit inutilem pœnitentiam, & tardè agnouit occaſionem prorſus elapſam. Itaque ſi, vt excolueris virtutes, velis Saulis facta expendere, breuem illam dilationem inuenies occaſionem penitus abſtuliſſe, & omnem Saulis ſpem fruſtraſſe. O quot, dum inertiæ, aut cupiditati ſuæ blandientes pœnitentiæ occaſionem in futurum tempus protelarunt, morte inopina correpti non inuenerunt: *Putabat fraudem ſibi fieri ex mora.*

§. XXXIII.

Nonnulli contenti non ſunt peccatis inſici, ſed omni immodeſtia oculos ſatagunt oblectari.

Impudicitia Oculus.

ALiqua eſt etiam iniquis modeſtia, qua oculos ſuos reuerentur, & ab eis abſcondere propudioſa adnituntur. *In peditis quoque, & ad omne dedecus expoſitis* (aiebat Seneca lib. 1. natural. *quæſt. cap.* 16.) *tenerrima eſt oculorum verecundia.* Peccator aliquando erubeſcit aſpicere, quod diſcupit perpetrare, eò tamen prouecta eſt hominum inuerecunda impudentia, & impudens prorſus malitia, vt quem natura oculis docuerat horrorem, conuertant in voluptatem: parum illis eſt ſceleribus inſici, ni contingat fœdis, fugiendiſque delictorum aſpectibus oblectari: nolunt tenebras aliquid de voluptate præcidere, immò oculos edocent omnem modeſtiam dediſcere, exuere inſitum pudorem, & haurire indigniſſimam aſpectibus voluptatem. Improbi, cùm qui mali agunt, oderint lucem, nil in tenebris patiuntur latere, ſed in obſcœnarum voluptatum ſuffragium oculos compulerunt indigna adſpicere. *Quid nam homo impurus reliquit* (aiebat Stoicus *vbi ſuprà*) *quod in tenebris faceret, non pertimuit diem.* Saul implacabili odij flamma aduſtus noluit oculis ſuis denegare, quod Regum oculi ſolent horrere. Dauidem in lecto voluit adduci, vt ſe coram occideretur: *Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur.* Et quid neceſſe eſt adduci, cum ipſo in lecto poſſit occidi? Confodiant ſtatim ſatellites, aut carnifices in lecto iacentem, nec differatur ferale odium, quando citiùs queit impleri impium edictum. Immò quia odium erat fœdiſſimum (inquit Abulenſis) deteſtabili ſpectaculo non pepercit, ſed in eius conſpectu occidi Dauidem repetitis vulneribus voluit. Eximia eſſet Sauli voluptas effuſi ſanguinis riuulos ſpectare, repetitis confoſſum vulneribus, ſupremiſque anguſtijs ingemiſcentem audire: ergo occidendum coram ſe inſſit adduci, ne deteſtandis adeò oblectamentis careret. *Quia perſe venire non poterat* (inquit Abulenſis *quæſt.* 22.) *iuſſit, vt ſaltim in lecto adduceretur, & hoc vt occideretur.* Oculos voluit paſcere, aures oblectare, quia ſatis ei non erat delinquere, niſi delictum contingeret ſpectare. Benè aliorſum datus jam Seneca: *Facinus indignum: hic fortaſsè citò, & antè quàm hac videret, occiſus eſt ad ſpeculum ſuum immolandus fuit.* Noua delictorum auctaria pranitas excogitauit, & quod peius eſt, inuenit. In conſpectu Saul immolandus erat Dauid, vt deteſtabile perciperent oculi oblectamentum, & naturalis horror infame verteretur in gaudium. Cùm Nabuchodonoſor ardentiſſimo furore obcœcatus tres illos decantandos ſæculis pueros flammis tradidiſſet, non defuerunt, qui fornaci acce-derent, & oppanſis oculis pueros in cineres conuerſos videre diſcuperent. *Incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis.* Chaldæi, vt inſaniæ adularentur Principis, aut vt inhumanam voluptatem haurirent oculis, fornaci acceſſerunt: contenti non ſunt pueros aduri, ſed eorum voluerunt audire gemitus, ſpectare cruciatus, ne ea voluptate fraudarent aſpectum, & aſpectu promerent odium. Innuit Auguſtinus *lib. 2. de mirabil. cap. 31. In circuitu fornacis quoſcumque proditionis, & interfectionis reos reperit, ignis ille conſumpſit.* Qui prodiderant, ſpectabant, vt oculos paſcerent, & voluptatem hominibus indignam perciperent: ſed actis flamma dignam pœnam ſpectatoribus intulit, & quàm ſit fugiendum oculos indignis ſpectaculis paſcere edocuit. Dan. 3. v. 46.

TEXTVS.

VERS. XVII. Dixitque Saul ad Michol: Quare ſic illuſiſti mihi, & dimiſiſti inimicum meum vt fugeret? Et reſpondit Michol ad Saul: Quia ipſe loquutus eſt mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te.

§. XXXIV.

Sæpè confugitur ad mendacium, quia obligationi ſatisfacere apud improbos putatur delictum.

ODioſa omnis culpa ſordeſceret, quæ nuper dulciſſimum ſponſum duxerat ſi è ſanguinolentis patris manibus Michol non eriperet, nec auxilium opportunum præberet: *Parricidij genus eſt* (aiebat Caſſiodorus 9. variar. 1.) *vt quam vobis fecerat affinem coniunctio Regia, nefandis auſibus in eius vos interitum miſceretis.* Parricidij genus eſſet, ſi Michol, quam inptialis thalamus Dauidi coniunxerat, iniquis artibus parentem improbum adiuuaret, & ſponſum vita digniſſimum irretiret. Ius, ratioque exigebat, vt vxor auxiliaretur marito furore parentis iniquiſſimi reprobato. Verò cùm à patre argueretur, ad mendacia confugit, & mendacijs furentem emollijt: *Quare ſic illuſiſti mihi, & dimiſiſti inimicum meum, vt fugeret.* Si patris querelis facilè potuit Michol reſpondere, teneri ſe iuſta adeò in cauſa parenti præferre ſponſum, & meminiſſe Dauidem eſſe maritum, cur confugit ad commentum, & mendaciorum ſibi aduocauit patrocinium? Profectò queri Saul non debuit, Michol feciſſe, quod honeſta virtutis diſciplina ſuadebat, & matrimonij vinculum obligabat. Itaque nec Saul debuit conqueri, nec Micholi licuit mentiri: verùm adeò improbus, cæcuſque Saul delirabat, vt Michol timuerit matrimonij leges allegare, & ad mendaciorum fraudes non recurrere. Notauit Abulenſis *quæſt.* 24. *Cùm dixit Saul: Quare dimiſiſti inimicum meum, vt fugeret, poterat reſpondere Michol, quòd hoc licebat ei, quia erat vir ſuus, & tenebatur eum diligere plus quàm patrem, & omnes alios, cùm ſcriptura dicat Gen. cap. 2. Propter hanc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ,* *Mendacium improbis. Obligatio. Diſſim.*

suæ, & erunt duo in carne vna. Et sicut hoc dicitur de viro respectu fœminæ, ita etiam intelligendum est de fœmina respectu viri. Adnectit Tostatus: *Dicendum tamen quòd Michol noluit sic respondere, quia ista responsio, quamquam esset iuridica, erat dura, & cuicumque patri etiam non irato videretur intoleranda, præcipuè cùm Saul esset animo concitatus, & habita parua occasione contra filiam, puniuisset eam.* Michol tulisset durum supplicium, ni confugeret ad mendacium; quia licèt matrimonij iura seruare esset sanctum, apud Saulem esset delictum, eò namque deuenerat improbitas, vt legem obseruare esset culpa, & puniretur grauissimâ pœnâ: *Licet Michol* (prosequitur Abulensis) *habuisset veram, & iuridicam responsionem, verba tamen sua quodam mendacio colorauit, quia sic ei expedire visum est.* O quàm miser erat illius Reipublicæ status, quando effugiebatur pœna delicto, & incurrebatur, legis diligenter obseruato præcepto.

§. XXXV.

Sagacitate opus est ad concinnanda mendacia, alioquin fraus apparebit manifesta.

Mendacium. Sagacitas.

NOnnulli ad mendacia confugiunt, vt sibi prouideant, & irati indignationem consopiant; verùm industria opus est; nam si mendacium malè coloratum appareat, iram non temperat, sed inflammat. *Probabilis oratio* (aiebat Mænander *apud Stobæum cap.* 12.) *vim, quam veritas, habet aliquando maiorem, & persuadendo vulgo aptiorem.* In mendacio, quod semper fugiendum, probabilitatem Mænander desiderauit, vt efficaciam ad persuadendum haberet; nam si imprudenter concinnetur, manifestat fraudem, & non assequitur finem. Querebatur Saul, quòd Michol inimicum eius dimisisset: *Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum, vt fugeret?* Illa, cùm respondere posset, se inimicitias inter maritum, patremque prorsus ignorasse, immò Dauidem Regis amicum, ab eoque dilectum credidisse, vt qui fuisset ad dignitatum fastigia euectus, & regijs nuptijs nobilitatus, non obtendit ignorantiam, sed id se feciisse asseruit, vt interminatam mortis effugeret pœnam: *Et respondit Michol ad Saul: Quia ipse locutus est mihi: dimitte me, alioquin interficiam te.* Etiam ad mentiendum intellectu est opus; nam cùm telo impetitus in domum se Dauid recepisset, non erat fide digna vxoris ignorantia: ergo callidiori est vsa cautela. Notauit Abulensis *quæst.* 25. *Non erat verisimile Michol ignorasse, quòd Dauid esset hostis Saul: ideò, si sic respondisset, existimaretur fraus.* Michol non poterat ignorare Dauidis fugam, animi trepidationem, cordis eius solicitudinem; non poterat ignorare domum milite copioso obsessam, non poterat ex tot tantisque coniecturis indignationem patris non coniecisse, non poterat per fenestram dimittere patris amicum: ergo cùm tot indicia, immò & testimonia ignorantiam oppugnarent, cautè, prudenterque confugit ad factas sibi minas, ne aperto mendacio contra se irritati parentis accenderet potius flammas. Ad mentiendum etiam necessaria est intellectus perspicacia, ne contra auctorem militet fraus aperta. Irridet Augustinus scribarum, Pharisæorumque cæcitatem. Militibus ad Domini sepulchrum custodiendum appositis persuaserunt æmuli, vt à discipulis corpus Christi sublatum euulgarent, cùm ipsi somno indulgerent: *Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Dum adstruere conantur mendacium, imprudenter publicant dolum. Quomodò ergo, si dormiebant, venisse discipulos agnouerunt, aut quomodò, si adstantes fuerant intuiti, erant oculi somno prægrauati? Ad hæc: Si designati erant ad solicitam vigiliam, quomodò somni admiserunt ignauiam? ant si aduerterunt discipulos, quomodò permiserunt furtum inertes? Notauit Remigius etiam *in Catena D. Thomæ. Si custodes dormierunt, quomodò furtum viderunt, etsi non viderunt, quomodò testes fuerunt? Et ideò quod voluerunt, facere non potuerunt.* Plus dormiebat infelix astutia, quando adnitebatur colorare mendacium, quia manifestabat dolum: dormientes adhibuit testes, & quos adhibebat, vt facerent fidem, aperiebant manifestissimè fraudem. Matth. 28. v. 13.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Dauid autem fugiens saluatus est, & venit ad Samuel in Ramatha, & nuntiauit ei omnia, quæ fecerat sibi Saul: & abierunt ipse, & Samuel & morati sunt in Naioth.

§. XXXVI.

Ad sanctorum patrocinia, & sacra loca confugiat, qui sæculi contra se potentiam sentit armatam.

Sanctus. Patrocinium. Persecutio.

FElix querela est (aiebat Cassiodorus 9. *variar.* 4.) *quando leges pietate superantur & beata conditio subiectorum, si cognoscant illum alijs misertum, quem & sibi optant esse propitium.* Dauidi non erat felix, sed amara querela, cum nullibi ei viuere permissum esset, sed indè immerito adaugeret sibi periculum, vndè ingens sperare debuerat præmium; optimo consilio ad Samuelem confugit, non ambigens fore sibi propitium, quem vel iniquissimi Saulis, fusis pro eo precibus, non ignorabat fuisse misertum: ibi amaras, iustasque de Saule dedit querelas, quandoquidem cum, recens coniugatus, legis priuilegio honestè cedens hostiles repulisset adsultus nihilominus ad mortem quærebatur acsi patriæ proditor, ac morum auersor. Samuel, qui Dei iussu Dauidem inaugurarat, humanè recepit & benignè fouit, ad sanctorum se conferens patrocinia, grauis adeò calamitatis Dauid opportuna inuenit remedia: *Dauid autem fugiens saluatus est, & venit ad Samuel in Ramatha, & nuntiauit ei omnia, quæ fecerat sibi Saul: & abierunt ipse, & Samuel, & morati sunt in Naioth.* Inaugurationem Dauidis Samuel sibi vendicabat, sicque fugientem, ac afflictum in suam tutelam recepit, & mærorem deliniuit. *Ante puluinar Iouis* (aiebat Plinius *in Panegyr. Traianum* alloquens) *adoptio peracta est, qua tandem non seruitus nostra, sed libertas, & salus;*

salus, & securitas fundabatur; sibi enim dij gloriam illam vendicarunt. Dauidicæ vnctionis vendicabat sibi Propheta gloriam, & defendere tenebatur iustissimam eius causam. Nec profugum sua fefellit opinio; sic namque in sanctorum consortio, patrocinioque securus degit, vt licet Saul militum armatas manus miserit, licèt ipse exæstuans rabido furore contenderit, nulla ei industria profecerit, nec tam sacro patrocinio, consortioque munitum aut potuerit capere, aut lædere. *Cognoscens Propheta Regis iniustitiam* (inquit Iosephus apus Glossam) *Ramatham ciuitatem reliquit, & deducens Dauid ad quendam locum, commorabatur ibi cum eo.* Iam Dauid sanctorum patrocinio respirabat securus, qui alibi periculis semper obnoxius. Iam Sauli nullæ succedebant artes, quia pro Dauide Samuel, & Prophetarum chorus fundebat preces. Consonat Abulensis *quæst.* 30. *Credendum est, quod fecerit Dauid vt Samuel consuleret pro eo Dominum, quid agere deberet.* Vbi Samuel Deum pro Dauide consulit, vbi patrocinio suo defendit, vbi lateri suo adiungit, Saulis nil valet potentia, nil dolosa prodest industria, vt nouerit, qui varijs tentationum fluctibus iactatur, qui multimodis periculis adurgetur, ad sanctorum confugere patrocinium, & eorum orationis exambire validissimum tutamentum.

TEXTVS.

VERS. XIX. Nuntiatum est autem Saul à dicentibus: Ecce Dauid in Naioth in Ramatha. Misit ergo Saul lictores vt raperent Dauid, qui cùm vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, & Prophetare cæperunt etiam illi.

§. XXXVII.

Ea est diuina misericordia, vt quos impietas auxiliares sibi delegerat, inopinè rapiat, & cœlesti spiritu imbuat.

Misericordia. Impius.

V*Incitur natura* (aiebat Cassiodorus aliorsum 9. *variar.* 3.) *dum eam meliorat industria.* Sed vtiliùs vincitur, dum eam cœlestis meliorat gratia. Quæ, vt supernis afflatibus prorsus adscribatur, tunc aliquando solet meliorari, cùm maiori impetu ad prauitatem videbatur recurrere. Spiritus, vbi vult spirat, vtque cœlestis suæ benignitatis argumenta prodat, sibi eos aliquando rapit, quos auxiliares sibi mundus delegit. Tunc aliquando homines cœlesti contingit spiritu inflammari, cùm virtutibus bellum agnoscebantur inferre. Balaam à Balac ascitus, & ad cõgerendas in populum maledictiones expromptus ad desertorum abdita tendit, vt ibi iniquis ritibus colat dæmonia, & mercedẽ cultus recipiat auguriaj; ibi tamen à Spiritu Dei correptus prorsus inuenitur mutatus: *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Balac mutatum hominis studium demiratus conqueritur: *Dixitque Balac ad Balaam: Quid est hoc, quod agis? Vt malediceres inimicis meis vocaui te, & tu è contrario benedicis eis.* Quid tunc Balaam? *Nunquid aliud possum loqui, nisi quod iusserit Dominus?* Acsi dicat: Animus meus erat tibi adulari, & euanidis spebus à dæmonibus inquirens auguria, blandiri, sed ipso in itinere cœlesti Spiritu afflatus accepi verissima oracula: vt tibi auxiliarer, contendebam ad desertorum latebras; verùm Dei spiritus me rapuit, inopinèque imbuit. Adest Lira: *Quasi dicat: Eius virtuti non possum resistere, & in hoc coactus fuit profiteri virtutem diuinationum, & auguriorum nullam esse.* Confessus est diuerso se studio tetendisse, sed Dei spiritu correctum, & immutatum. Nec aliter Saulis ministris accidit. Ramatha contendebant ardenti desiderio explendi Saulis iussa, & Dauidem rapiendi exoculata violentia: verùm cœlesti spiritu repentè afflati despexerunt iniquis Saulis iussionibus parere, & Dei Prophetas conati sunt imitari: *Misit Saul lictores, vt raperent Dauid, qui cùm vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, & Prophetare caperunt etiam ipsi.* Quàm ab animo discrepabat euentus: tendebant prædatores, & inuenti sunt repentè Prophetæ, spiritui aduersabantur studia, sed meliorauit studia cœlestis gratia. Opportunè Rabanus apud Glossam: *Dum aduersari Christo cupiunt, habent in ore sacramenta legis, & Prophetarum ad Christi testimonium.* Dauidi Christi personam agenti reddunt testimonium, qui tendebant inferre bellum, vt nostræ thesis veritas eluceſcat, scilicet sæpè Dei benignitate immutari, qui sæculo adnitebantur seruire.

Num. 23. v. 10.

§. XXXVIII.

Sæpè non bona intentione adeuntes templa cœlesti luce illustrantur, & ibi auditis concionibus ad virtutem erudiuntur.

VBinis Deus lucis suæ florem spargit, vbiuis virtutis semina solitant pullulare, vbiuis conscientia peccatores solet admonere; verùm sacris in locis peculiaris lucet energia ad virtutum semina confouenda, & studia melioranda. Iacob virtutem coluit ab exordio, & tamen in Dei domo cœlestia penitiùs agnouit, & quidquid terrenum, generosius contempsit: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Non ignorabat Iacob Dei immensitatem omnia replere; verùm confessus est ibi speciali titulo hominibus adesse, & Angelorum circunstantiam assistere: *Non est hic aliud nisi domus Dei.* Quæ explicans hic Oleaster ad mores sic ait: *Vigilat super nos indefessus ille diuinæ prouidentiæ oculus mittens, & remittens administratorios illos spiritus, qui nos custodiant in omnibus vijs nostris.* Subijcit: *Veneranda, & metuenda valdè sunt loca diuino cultui applicata.* Quod Deo seruit, homini proficit, & vbi Numen religiosis laudibus celebratur, & officiosis honoribus colitur, misericordia hominibus profusior impenditur. Apparitores misit Saul in Dauidis domum, vt raperent, & ad eundem finem in Ramatha misit etiam lictores; hi Dei spiritu pleni prophetauerunt correpti, cum illi fuerint nullatenus immutati: *Factus est spiritus Domini in illis, & Prophetare caperunt etiã ipsi*: Inquires, cur illi diuino non fuerint spiritu attacti, & isti fuerint repleti? Cui dubio responderi potest, Dei spiritum sui iuris esse, & vbi vult, & quos vult, afflare: negandum tamen non est, vt sunt, quæ animos eneruent, esse

Templa. Cœli.

Gen. 28. v. 16.

esse loca, quæ ad virtutem inflamment. In Religiosorum cœnobiis, in Dei cultu dicatis templis faciliùs animus componitur, & exemplis virtus addiscitur. *Cùm vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis.* Spiritus Domini factus est in illis in Prophetarum consortio, in loco canendis Dei laudibus consecrato. Notauit Hugo Cardinalis: *Sic sæpè cupidi, superbi, luxuriosi veniunt ad prædicationem, & iusti redeunt; sic etiam sæpè contingit, quòd aliqui intrant claustrum, vt exploratores, qui postea remanent boni claustrales.* Effectus in satellitibus ab intentione discordabat; tetenderant iniquis Saulis præceptis parituri, & prophetico Dei spiritu inueninntur repleti, vt qui inexhaustum noueris Dei benignitatis thesaurum, apparitores, & satellites ad prophetandi honorem euehuntur, & cœlesti luce immutantur: Non semel qui templum adiuit, vt oculos voluptuosè pasceret, & vanitati studeret, audito Dei verbo capitur, & corrigitur, ita vt discedat præda, qui erat ad deprædandas animas grata assentatione sagitta; qui venerat captiosa obtenturus retia, iam alius nobilissima virtuti ministrat spolia. Nabuchodonosor latissimam camporum planitiem adiit, vt sacrilego cultu adoretur, & erecta insanæ magnitudinis statua ventosissimo tumori blandiatur. Ibi decantandos pueros nigris flammarum voluminibus tradit, sed dum putat leues in fauillas citò vertendos, aspicit sepositò ardore rutilis flammarum splendoribus coronatos. Quid tunc? Dei maiestatem exerta voce confitetur, & iam sine lapidis ictu statuæ ruit cultus, & detumescit insanus fastus: *serui Dei excelsi egredimini, & venite.* Iam qui se Deum fingebat, diuinæ maiestatis est præco, & dum accedit loco, vbi Dei resonant elogia, & Angelica fulget præsentia, cœlesti luce illustratus errorum exultat vinculis expeditus. Innuit Zeno *serm. 6. Incensi hymnum canunt, barbarum Regem fidei tenacitate confundunt.* Iam feliciter agnoscit veritatem confusus, qui accesserat fornaci superbus, ibi Dei benignitas eius mutauit animum, vbi contra Deum instruebat incendium.

Dan. 3. v. 93.

§. XXXIX.

Quem Dei spiritus possedit, non repetere antiqua, sed obliuisci penitus docuit.

Spiritus. Cunnersus.

FElix obliuio, quæ hominem ab euanidis, friuolisque auertit, & virtuti penitus tradit. Felix, qui sic à Deo possidetur, vt firmo vestigio ad vlteriora contendat, nec delicta periculosa cogitatione renoluat. *Quid tibi opus est* (aiebat Seneca *epist. 80.*) *vt sis bonus? Velle. Quid autem melius potes velle, quàm eripere te huic seruituti, quæ omnes premit, quam mancipia quoque conditionis extremæ, & in his sordibus nata omni modo exuere conantur? Peculium suum, quod comparauerunt ventre fraudato, pro capite numerant: tu non concupisces quanticumque ad libertatem peruenire, qui te putas in illa natum.* Dei spiritus hominem ostendit ad veram libertatem natum, & hac honesta superbia antiquæ, sordidæque conditionis reddit oblitum. Iam demiratur se ventri inseruisse, se olim ambitionis vernulam desudasse, iam agnoscit manumissum à vera seruitute, & mentita libertate. Miserat Saul lictores, vt Dauidem raperent, sibique occidendum adducerent. *Misit Saul lictores vt raperent Dauid.* Fortè gratulabantur sibi, præ aliis à Rege ad hoc munus electos, & designatos; verùm dum celeri gressu Sauli obsecuturi contendunt, in Prophetas Deum collaudantes incidunt. Ibi Prophetarum choro associati, & à curia remoti, cœlesti afflantur spiritu, & concordi resonuerunt etiam concentu: *Cùm vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi.* Iam omne tempus in Dei laudes consumunt, Dauidem non rapiunt, nec ad delegantem redeunt. Saul demiratus moram, iterum mittit, qui aliquam venarentur notitiam: *Quod cùm nuntiatum esset Sauli, misit & alios nuntios.* Et cur lictores missi non redeant, sed in Dei laudibus perseuerent Saulis prorsus obliti? Iam textus rationem reddit: *Factus est etiam spiritus Domini in illis.* Vt fabulosus Lethæus inducebat obliuionem; sic hæc pellucida Spiritus sancti vnda auffert memoriam, & affert sæculi displicentiam. Lictores ad Saulem non redierunt, quia cœlesti spiritu afflati Saulis, & antiqui muneris iam videbantur prorsus obliti. Opportunè Abulens. *q. 32. Iam sapientes erant ad formidandum cantica diuinæ laudis: immutauit quoque voluntatem eorum, vt vellent prophetare, sicut mente nouerant, & vellent manere cum illis Prophetis, qui erant cum Samuele. Quod sic factum est, quia non curauerunt amplius regredi ad Saulem.* Redituri venerant, sed auersabantur iam curiam, cum Prophetis maluerunt remanere, quàm exinceps sæculi vanitatibus inseruire: angustum Prophetarum victum sæculi deliciis præferebant, & tempus diuinis laudibus consecratum voluptatibus, & euanidis deliciis redimebant impensum. Regi assidere erat olim votum, nunc longiùs recedere desiderium: mensam postposuerunt inediæ, nuditati ornatum, secessui curiæ tumultum Dei spiritu iam possessi, omnium, quæ demirabantur inueniuntur obliti? non recordantur Saulis, quia inardescunt desiderio vehementissimo probitatis.

TEXTVS.

VERS. XXI. Quod cùm nuntiatum esset Sauli, misit & alios nuntios; prophetauerunt autem & illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios, qui & ipsi prophetauerunt. Et iratus iracundia Saul.

§. XL.

Deus non solùm suos à discrimine eripere, sed se eorum patronum affectat clarissimè ostendere.

Deus. Patrocinium. Iustus.

HOnori ducit, qui potestate, honestateque eminet, seruulis suis studiosè consulere, & ab omni iniuria aut vindicare, aut defendere. Domini dedecori applicatur, si seruus ignominiosè despicitur. Hac consuetudine hortabatur Tertull. patientiam Domino consecrare, vt qui non obliuiscatur dignam satisfactionem assumere

& inseruientium sibi patronum se ostendere. *Eos, qui nobis* (scribit Tertullianus *lib. de Patientia cap.* 10.) *patientiam obtulerunt suam, vt memores humilitatis, seruitutis, ius dominici honoris diligentes non probamus modo, sed ampliorem, quàm ipsi sibi præsumpsissent, satisfactionem facimus, id nobis in Domino tam iusto ad æstimandum, tam potenti ad perficiendum periclitabitur?* Acsi dicat: si magnates sæculi gloriæ ducunt suorum se ostentare patronos, & à lædere conantibus custodire prorsus tutos, Deus, qui celsiori dominio eminet, etiam affectabit suorum patrocinium & ostendet inuincibile tutamentum; contentus non est suos à discriminibus liberari, sed se solicitum eorum facit agnosci. Ob id cùm audaces Saul lictores ad rapiendum Dauid misissent, & illi in prophetando spatia longa insumentes, tempus concederent, quo Dauid periculum posset frustrare, fugamque quæsitus arripere, secundos, tertiosque nuntios vrgentissimo præcepto constrictos legauit; immò Saul ipse impatientia agitatus, & furore percitus aduenit, sed tam ipse, quàm serui cœlesti pulsu correpti, & prophetico spiritu sunt ornati, nec iam antiqua studia prosequuntur, sed virtutibus inseruire conantur. Iam Saul, qui anxiè timebat coronam amittere, inuentus est lubenter purpuram denudare: *Quod cùm nuntiatum esset Sauli, misit & alios nuntios; prophetauerunt autem & illi. Et rursùm misit Saul tertios nuntios, qui & ipsi prophetauerunt.* Quæres, cur Dauid prophetantibus primis lictoribus opportunam fugæ contempserit occasionem? Si acri antea timore perculsus se proripuit, si inquiri se solerter agnouit, quid secundos, tertiosque ministros expectet? Quia si tunc abiret (inquit Abulensis) frustrabatur pericula, sed Dei dilucidè adeò non conspiciebantur miracula. Putasset Saul aliquam interuenisse fraudem mentitos nuntios prophetiam aliqua spe inescatos, aut muneribus corruptos; aliis, & aliis, immò Saule ipso prophetantibus nulla iniquæ suspicionis remanebat occasio, quia constabat omnibus Numen Dauidis tuendam suscepisse causam, manifestèque agere salutis tutelam. Ergo ibi Dauid perseuerauit, nec primis prophetantibus fugam arripuit; nam si tunc periculum eluderet, Dei pro Dauide patrocinium adeò dilucidè non constaret: nunc verò omnibus erat in dubium Dauidis causam agere, & se patronum ostendere: ergo honori duxit Deus seruum suum protegere, & omnes inimicorum artes eludere. Audi Abulensem *quæst.* 35. *Dicendum est, quòd hoc facere Deus voluit ad confusionem Saulis; nam si primi nuntij prophetassent, & eis prophetantibus fugisset Dauid, putasset Saul, quod illud fuerat factum per collusionem, vt haberet Dauid locum fugiendi, & sic non crederet, quòd Deus repugnabat ei, sed erat humana fraus. Idem autem si expectasset Dauid, dum prophetassent solùm primi, & secundi, & fugisset.* Adnectit Abulensis: *Etiamsi ter nuntios misisset, & prophetassent omnes, nunquam tamen credidit, quousque ipse iuit, & pariter prophetare coactus est.* Ita affectauit Deus ostentare se Dauidis tutelarem, vt nec fraus posset ministrorum præsumi, nec aliis causis, quod acciderat, applicari: sibi insernientis saluti prouidit, & quem sortiantur patronum, qui ei inseruiunt, manifestis argumentis declarauit.

§. XLI.

Deus misericors adeò est, vt iustis quam miram præbet tutelam, iniustis etiam exhibuerit medicinam.

EO erga homines Deus amore ducitur, vt sua sibi patientia videatur detrahere, & nimio amore fouere: suorum salutem impensè curat, miranda patrat, & hoc non solùm, vt iustus mirabilem sortiatur tutelam; sed vt ex ipsa tutela componat iniquis, & persequentibus medicinam. *Te verò* (aiebat Seneca *epist.* 81.) *benigniorem hæc ipsa res faciat; nam cuius rei euentus incertus est, id, vt aliquando procedat, sæpè tentandum est.* Benignissima æquitas est tentare sæpè vt quod iustis est debitum patrocinium, iniustis sit efficax etiam remedium, si fortè duritia flectatur, eò ipso, quo virtus studiosè fouetur. Cùm Deus non minus Israelitarum, quam Ægyptiorum frueretur dominio, sic Israelitarum statuit remunerare tolerantiam, vtiniquis etiam persecutoribus exhiberet medicinam. Moysi iubet Nilum virga percutere, vt percussus vndas in sanguinem commutaret, & potentiam percutientis ostenderet: *In hoc scies, quod sim Dominus: Ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur, in sanguinem.* Eo miraculo Deus Israelitis impendebat auxilium, sed Ægyptiis etiam remedium. Aliud poterat miraculum edere, voluit tamen Nilum in horrores commutare. Quod si causam inquiras, respondebit Theodoretus *quæstione decima nona.* Ægyptios flumen illud pro Deo colere, cùm eius vndis sic fœcundarentur arua, vt frugum copiosissima micarent copia: ergo in sanguinem vertit; vt Deum non crederent, quod percussum, & versum in sanguinem aspectarent. Theodoreti verba sunt: *Cur hanc primam aquæ plagam intulit Deus? In primis, quia valdè gloriabantur Ægyptij de flumine suo, & hunc pro Deo habebant.* Inficiuntur scaturigines in sanguinem commutatas, vt sanguis Israelitarum agat causam, & simul Ægyptiorum medeatur insciticm. Nilus purpurascens erat, Dei virtutis manifestissimum testimonium, & efficax etiam Ægyptiæ excitatis colirium: vt vulnere eodem Ægyptius eruditetur, & Hebræus allenaretur. Hebræis ingens afferat vnda purpurascens solatium, & Ægyptiis, si resipere velint, offerat cœcitatis remedium. Adsimili se modo gessisse videtur Deus; nam cùm Saul missis sæpè satellitibus Dauidem expectaret violenter rapiendum, cœlesti spiritu afflati non iniquis iussis, sed cœlestibus obtemperauere præceptis: *Et rursùm misit Saul tertios nuntios, qui & ipsi prophetauerunt.* Cœlesti spiritu tacti retractabant sententiam, nec iam Dauidi inferre audebant iniuriam: verùm non solùm in Dauidis auxilium, sed in Saulis commodum cessit miraculum, quandoquidem dum impeditur, ne lædat iustum, repletur spiritu prophetico, vt agnoscat erratum. Eadem actio Dauidis consulebat saluti, & Saulis medebatur etiam furori. Notauit Abulensis *quæstione trigesimaquarta. Queret aliquis, quare Deus faciebat, quòd omnes isti nuntij prophetarent.* Quæstioni respondet: *Vt Deus miraculosè fauere osten-*

derit

Tuitur. Petitur. Tutela. Medicina. Deus.

Exod. 7.

deretur Dauid : vt sic desistere vellet Saul ab iniquitate sua , & publicè se videret confusum. Eò tendebat miraculum , vt Dauid frueretur salute , & Saul vtili erubesceret confusione : id ipsum , quod innocentiæ Dauidis erat certissimum testimonium , Saulis etiam erat saluberrimum documentum , quò bene vsus in malè cœptis non perseueraret , sed ad saniorem mentem rediret. Ea namque est diuinæ misericordiæ lenitas , vt quò iustorum tuetur vitam , ab improbis remouere conetur infamiam.

TEXTVS.

VERS. XXII. & XXIII. Abiit etiam ipse in Ramatha, & venit vsque ad cisternam magnam , quæ est in Socho , & interrogauit , & dixit : in quo loco sunt Samuel , & Dauid ? Dictumque est ei : Ecce in Naioth sunt in Ramatha. Et abiit in Naioth in Ramatha , & factus est etiam super eum spiritus Domini , & ambulabat ingrediens , & prophetabat vsque dum veniret in Naioth in Ramatha.

§. XLII.

Qui præ aliis cœlestibus prærogatiuis ornatur, delinquens grauiori etiam præ aliis mulcta punitur.

Prærogatiua. Pœna.

FAs non est , vt qui cœlesti dignatione alios antecedit , prærogatiuis superbiat tumidus , sed potius eas dignis actionibus stabiliat nouis virtutibus exornatus. *Age nunc* (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 11.) *vt sicut tibi est votiuus* (honor) *ita nobis reddatur acceptus. Considera quid merueris , & dignum te nostra affinitate tractabis. Nam qui familiæ regnantis adiungitur , in laudum gremio collocatur. Nunc maior opera mansuetudini detur , nunc omnibus communio benigna præbeatur , vt talem probemur elegisse , quem nulla possit prosperitas immutare.* Acceptum beneficium honorat , qui non abutitur ad fouendam odiosam omnibus præsumptionem , sed vtitur ad augendam virtutum laudem : cauendum est, ne de honore nascatur contumelia , de indulgentia mulcta. Saul lictores semel, & iterum misit , vt Dauidem à consortio Prophetarum raperent, & occidendum adducerent ; verùm efficacior fuit Prophetarum virtus , vt eos ab obsequio Saulis auerteret, quàm aduentantium nequitia, vt Dauidem à sancta illa societate separaret : cœlesti spiritu afflati Prophetarum numerum adauxerunt , & quàm spiritus , vbi vult , spiret , factis declararunt. Saul desiderio frustratus,& cœcissimo ardore adustus per se ipsum aggreditur obtinere , quod per tot ministros non valuerat perficere: ergo ocyssimis odij pennis inuolat necem illaturus ; verùm ipso in itinere eodem , ac ministri, spiritu inuenitur afflatus, & antequam ad Ramatha peruenerit , prophetali munere fruitus : *Et factus est etiam super eum spiritus Domini , & ambulabat ingrediens , & prophetabat , vsque dum veniret in Naioth in Ramatha.* Vides ciEman, de Naxera in Reg. *Tom. I.* tius reliquis cœlesti numine Saulem afflari , & profusiore benignitate etiam frui: nam Saul ipso in itinere cœlesti pulsu corripitur, & posteà regali pompa nudatur. Notauit Abulens. *quæst. 39. Ibat prophetando , antequàm accederet ad Naioth. Hoc autem fuit speciale in eo ; nam alij scilicet nuntij sui nunquam prophetauerunt vsque quo venirent in Naioth coram Samuele : Saul autem incepit prophetare , antequàm illuc veniret. Hoc autem fuit ad confusionem illius.* Visa est cœlestis dignatio cum Saulis peruersitate contendere , & profusiori eum benignitate tractare , cùm præ aliis odio in Dauidem constabat ardere ; verùm dum benignitate abutitur , maiori confusione mulctatur. *Hoc autem fuit ad confusionem illius.* Qui præ aliis spiritu effloruit , duriori præ aliis & morte occubuit. Hasta regiæ maiestatis insigni transfossus periit , qui spiritu afflatus , & regio honore præcelsus maluit cupiditatibus cœcissimis inseruire , quàm honestis factis resplendere : *Tenent me angustiæ.* Præ aliis angustia distorquetur , qui præ aliis cœlesti spiritu adornabatur , & quidem iure ; nam ipsæ prærogatiuæ indignis actionibus obscuratæ mortis extorserunt pœnam , & ipsa in morte ignominiam. Notauit Procopius ad hoc 1. *Reg. cap.* 19. apud Glossam : *Pœnas dedit propter contemptum prophetici spiritus , ita enim contra Dauidem diuinum spiritum contumelia affecit.* Cùm fas esset cœlesti spiritu se obsequentem præbere , & ab odio in Dauidem resilire , desipuit, & periit.

TEXTVS.

VERS. XXIV. Et expoliauit etiam ipse se vestimentis suis , & prophetauit cum cæteris coram Samuele , & cecidit nudus tota die illa , & nocte. Vndè & exiuit prouerbium : Num & Saul inter Prophetas.

§. XLIII.

Dei spiritu afflatus generosè contemnit quæ studiosissimè cœcus ambiuit.

VT diuersam de coloribus sententiam ferunt oculi lucis splendore illustrati , & caliginibus tenebrarum confusi ; sic homines aliter de rebus iudicant ambitione , & cupiditate corrupti , & cœlesti spiritu afflati. Loquens de Harpaste vxoris suæ fatua Seneca sic scribit *epistol.* 50. *Hæc fatua subitò desiit videre , incredibilem tibi narro rem , nescit esse cœcam : subinde pædagogum suum rogat , vt migret , ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illa videmus , omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo se auarum esse intelligit , nemo cupidum.* Cœcitatem patimur , & quod peius est , eam pati non intelligimus ; nam qui cœci , ducem quærunt , nos non quærimus , quia cœcos nos ignoramus. Hinc est , quòd dum contemnenda miramur , & fugienda petimus , nostro errori plaudamus , & via plana gradi existimemus. Ast si cœlestis affulgeat lux, honestè confusus te deridebis,& quæ anhelis votis suspirabas, prorsus despicies. Saul, vbi suspicatus est posse Dauidem

Spiritus. Contemptus.

dem populi fauore quid de eius maiestate, aut splendore præcidere, nihil non tentauit, vt è vita expungeret, & purpuram conseruaret, & tamen dum ardentiùs hæc desideria foueret, & contra Dauidem inuolaret, regalibus vestimentis se exuit, & nudus iacet: *Expoliauit ipse se vestimentis suis.* Et cur modò regales vestes à se proiiciat, qui, vt eis micaret, satellites miserat, & artibus etiam iniquissimis Danidis cædem curarat? Quia modò cœlesti spiritu refertur afflatus, & splendenti luce perfusus: *Factus est super eum spiritus Domini.* Iam proiicere erat gaudium, quod vel posse amittere fuit tormentum. Quem anteà delectabat ornatus pompa, & maiestas, placebat iam nuditas. Regales vestes abiecisse tradunt Interpretes. Liram audi. *Expoliauit ipse se vestimentis suis, non quòd remaneret nudus, sed quia deposuit insignia regalia, quæ erant exterius, vt acciperet vestes similis à religiosis laudantibus Deum.* Iam regalem purpuram pro pannosa veste commutat, & pluris habet religiosa paupertate vestiri, quàm nigrescentis purpuræ ambitiosis nitoribus exornari. Consonat noster Sancius: *Mutauit illum spiritus Domini, id est, pulsus quidem, & mens noua inspirata diuinitus, quæ priorem Regi cogitationem excussit.* Illustrata iam diuinitus mente diuersum adeò de rebus iudicium tulit, vt qui delectabatur anteà delicatis, & pretiosis vestibus, iam nuditate gauderet, & humilitatem vestiret: anteà palpitabant præcordia, si discriminis amittendi regni appareret vmbra regalia iam insignia lubenter nudantur, immò vt onus grauissimum proiiciuntur. O si diuinus hic pulsus nos tangeret, si nouam mentem cœlestis lux inderet, quàm nobis amarum esset sumptuosè vixisse, & in acquirendis opibus, aut voluptatibus insudasse; videremus tunc nostram cœcitatem, & contra nos honestam conciperemus indignationem. Difficulter ad saniorem mentem non redit, qui videt, nec opus est ad salutem sectandam tempore longo, sed ex prompto animo. Si animum tuum formare incipias, & recorrigere, videbis quantis malis scateat prauitas, quantis bonis associata sit probitas. Ais induuisse iam vitium, & animum assiduitate longa depranatum, ob idipsum studiosiùs est incumbendum, non inerter otiandum. Audi datum Senecam: *Nihil est, quod non expugnet pertinax opera, & intenta, ac diligens cura. Robora in rectum, quamuis flexa, reuocabis, curuatas trabes calor explicat, & aliter nata in id finguntur, quod vsus noster exigit.*

§. XLIV.

Opus est ornatus nimiet atem præcidere, si orationi, Deique laudibus ambias vacare.

Oratio. Ornatus. Pompa.

Ita fac, mi Lucili, (monet Seneca *epist.* 1.) *vindica te tibi, & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige, & serua.* Nulla irreparabilior iactura est, quàm temporis, reddit amissa salus, reuocantur diuitiæ, dignitates recuperantur, id vnum irreuocabile est tempus, & tamen fere nullus est, qui rem adeò pretiosam, vt fas est, æstimet, parum dixi, qui non paruipendat, & otio conterat, aut quod peius est, euanidis, & nociuis rebus impendat. Conducibilius est otium, quàm nihil agere. *Si volueris attendere.* Stoichum audis) *magna vitæ pars elabitur malè agentibus, tota aliud agentibus.* Putas aliquid agere, qui speculum prolixè consulit, qui in superducendis vultui fucis longas horas terit, qui in onerando stomacho diem, & noctem consumit, qui in ornatus cultu & alios infert, & subit ipse tormentum. Sapiens tempus honestis rebus impensum acquirit, lapsum etiam retinet. Qui in nihil agendo semper occupatur, ab honestis, vtilissimisque studiis prorsus abducitur; nequit mentem cœlestium meditationi addicere, qui ornatus cultu ambit splendere. Quod nitori, cultui, capillorum concinnitati vanè impenditur, honestæ occupationi subripitur, qui orationis desiderio tenentur, & cœlestium contemplatione oblectantur, inutiles munditias parum, aut nihil curant. Vbi Saul à se vestium decorem abiecit, tota die, ac nocte prophetauit, id est, in Dei laudibus insumpsit: *Expoliauit ipse se vestimentis suis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa, & nocte.* Et quid vestis impediat, vt spiritum induat? Profectò ni sentiret ornatum esse magnum impedimentum, non exuisset; exuit tamen, & ne quid diei, noctisve ornatus cura præcideret, honestam nuditatem elegit. Notauit Lira, qui sic legit: *Et cecidit nudus tota die illa, & nocte.* Additque: *Qui deposuerat insignia regalia.* Si in corporis ornatu, in capillorum politura tempus insumeret, diem, ac noctem diuinis laudibus non haberet: ergo spiritu Dei afflatus, & diuinas celebrandi laudes studiosus vestes pretiosas à se abiecit, & quàm solicita harum cura impediat orationem, factis edocuit.

§. XLV.

Non videtur idem dignitatibus ornatus, & nudus.

Ornatus. Pompa.

QVod de Medea, Circeque antiquorum retulit fabula, ostendit sæpesæpiùs experientia. Antiquum illud Medeæ ingenium ad culmina dignitatis videas deriuatum, quos suscipiunt, sic transformant, sic demutant, vt alius videatur prorsus, qui degit inmis; à seipso, si respiendeat excelsis. *Reuersus Imperator* (aiebat *in Panegir.* Plinius) *qui priuatus exieras, agnoscit, agnosceris eosdem nos, eundem te putas.* Sumptuosis profectò Traiani elogium erat vultum non demutasse, nec, quos anteà agnouerat, fastidisse. *Agnoscit enim* (verba sunt Plinij) *sentitque sibi, non Principi dici.* Eadem erat persona Traianus & Priuatus, & Princeps, & tamen Plinius geminam videtur distinguere, *sibi, non Principi,* ac si alius fuerit Traianus, & alius Princeps, mirum erat antiquam personam dignitate in aliam non transfusam, & incantamentis mutatam. Cum honore mutatur forma, & in aliam videtur migrasse prorsus naturam. Hinc facile est duo sacræ Scripturæ loca, quæ sibi videbantur opponi, concordare. Saul hic refertur coram Samuele prophetasse: *Prophetauit cum cæteris coram Samuele, & cap.* 15. dicatur: *Non vidit Samuel vltra Saul vsque ad diem mortis suæ.* Si non vidit, quomodò coram Samuele prophetauit, quomodò ex quo recessit vsque ad diem mortis non vidit? Literam Interpretes facilè componunt, alij dicunt Samuelem se subtraxisse, nec Saulem spectasse; dici tamen prophetasse coram Samuele, quia eo in loco Samuel degebat: adi Interpretes, si vis literam; mihi pro moribus

motibus facile est hoc dissidium concordare: nam cùm coram Samuele prophetans regalibus fuerit ornamentis nudatus, iam idem non videbatur, alius namque habetur sub eadem persona dignitate ornatus, & splendoribus nudus. Audi Rabannum apud Glossam: *Magna quæstio hic oritur, cùm in præcedentibus legatur: Et non vidit Samuel Saulem vsque in diem mortis suæ, quomodo hîc prophetasse coram Samuele dicatur. Quod Hebræi duobus modis soluunt, quia scilicèt abscondit se Samuel, ne videretur ab eo, vel non vidit eum, scilicèt indutum habitu regio, prout indutus erat, quando dictum est: Non vidit eum vsque in diem mortis suæ.* Saulem vidit prophetantem, sed alia quodammodò erat persona, dum nudus, & dum regio cultu exornatus. Sic ornamenta, sic fastigia miranda metamorphosi personas demutant, aut incantant, vt verum fuerit non vidisse Saulem, quia cùm propherantem aspexit, alius erat, quia tunc non fulgebat ornatus, sed iacebat nudus: *Non vidit eum, scilicèt indutum habitu regio.*

CAPVT XX.

1 FVGIT autem Dauid de Naioth quæ est in Ramatha, venienſque locutus est coram Ionatha: *Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam? Qui dixit ei: Absit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquam grande vel paruum, nisi prius indicauerit mihi: hunc ergo celauit me pater meus sermonem tantummodò? Nequaquam erit istud:* 3. *Et iurauit rursum Dauidi. Et ille ait: Scit profectò pater tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: Nesciat hoc Ionathas, ne fortè tristetur. Quinimò viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum (vt ita dicam) gradu ego, morsque diuidimur:* 4. *Et ait Ionathas ad Dauid: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi,* 5. *Dixit autem Dauid ad Ionatham: Ecce Kalendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta Regem ad vescendum: dimitte ergo me vt abscondar in agro vsque ad vesperam diei tertiæ:* 6. *Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogauit me Dauid, vt tret celeriter in Bethlehem ciuitatem suam, quia Victimæ solemnes ibi sunt vniuersis contribulibus suis:* 7. *Si dixerit: Benè, pax erit seruo tuo; si autem fuerit iratus, scito, quia completa est malitia eius:* 8. *Fac ergo misericordiam in seruum tuum: quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti: si autem est iniquitas aliqua in me: tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me:* 9. *Et ait Ionathas: Absit hoc à te: neque enim fieri potest, vt si certè cognouero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi:* 10. *Respondítque Dauid ad Ionatham: Quis renuntiabit mihi, si quid fortè responderit tibi pater tuus durè de me:* 11. *Et ait Ionathas ad Dauid: Veni, & egrediamur foras in agrum. Cúmque exissent ambo in agrum:* 12. *Ait Ionathas ad Dauid: Domine Deus Israel, si inuestigauero sententiam patris mei crastino, vel perendie, & aliquid boni fuerit super Dauid, & non statim misero ad te, & notum tibi fecero:* 13. *Hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat. Si autem perseuerauerit patris mei malitia aduersum te, reuelabo aurem tuam, & dimittam te, vt vadas in pace, & sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo:* 14. *Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini: si verò mortuus fuero:* 15. *Non auferas misericordiam tuam à domo mea vsque in sempiternum, quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquemque de terra: auferat Ionatham de domo sua, & requirat Dominus de manu inimicorum Dauid:* 16. *Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid: & requisiuit Dominus de manu inimicorum Dauid:* 17. *Et addidit Ionathas deierare Dauid, eò quòd diligeret illum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum:* 18. *Dixitque ad eum Ionathas: Cras Kalendæ sunt, & requireris:* 19. *Requiretur enim sessio tua vsque perendie. Descendes ergo festinus, & venies in locum, vbi celandus es in die, qua operari licet, & sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Ezel:* 20. *Et ego tres sagittas mittam iuxta eum, & iactam quasi exercens me ad signum:* 21. *Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade, & affer mihi sagittas:* 22. *Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, viuit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittæ vltra te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus:* 23. *De verbo autem, quod locuti sumus ego, & tu, sit Dominus inter me, & te vsque in sempiternum:* 24. *Absconditus est ergo Dauid in agro, & venerunt Kalendæ, & sedit Rex ad comedendum panem:* 25. *Cúmque sedisset Rex super cathedram suam (secundùm consuetudinem)*

suetudinem) quæ erat iuxta parietem, surrexit Ionathas, & sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus Dauid: 26. Et non est locutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim quod forte euenisset ei, vt non esset mundus, nec purificatus: 27. Cumque illuxisset dies secunda post Kalendas, rursus apparuit vacuus locus Dauid. Dixitque Saul ad Ionatham filium suum: Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie, ad vescendum: 28. Respondit que Ionathas Sauli: Rogauit me obnixè, vt iret in Bethlehem: 29. Et ait: Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in ciuitate, vnus de fratribus meis accersiuit me: nunc ergo si inueni gratiam in oculis tuis, vadam citò, & videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam Regis: 30. Iratus autem Saul aduersum Ionatham dixit ei: Fili mulieris virum vltro rapientis, nunquid ignoro quia diligis filium Isai in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ: 31. Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adduce eum ad me, quia filius mortis est.: 32. Respondens autem Ionathas Sauli patri suo, ait: Quare morietur? quid fecit: 33. Et arripuit Saul lanceam vt percuteret eum. Et intellexit Ionathas, quòd definitum esset à patre suo, vt interficeret Dauid: 34. Surrexit ergo Ionathas à mensa in ira furoris, & non comedit in die Kalendarum secunda panem. Contristatus est enim super Dauid, eò quòd confudisset eum pater suus: 35. Cumque illuxisset mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo: 36. Et ait ad puerum suum: Vade, & affer mihi sagittas, quas ego iacio. Cumque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum: 37. Venit itaque puer ad locum iaculi, quod miserat Ionathas: & clamauit Ionathas post tergum pueri, & ait: Ecce ibi est sagitta porrò vltra te: 38. Clamauitque iterum Ionathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Ionathæ sagittas, & attulit ad dominum suum: 39. Et quid ageretur, penitus ignorabat: tantummodò enim Ionathas, & Dauid rem nouerant: 40. Dedit ergo Ionathas arma sua puero, & dixit ei: Vade, & defer in ciuitatem: 41. Cumque abiisset puer, surrexit Dauid de loco, qui vergebat ad austrum, & cadens pronus in terram, adorauit tertiò: & osculantes se alterutrum, fleuerunt pariter, Dauid autem amplius: 42. Dixit ergo Ionathas ad Dauid: Vade in pace: quæcumque iuranimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me, & te, & inter semen meum, & semen tuum vsque in sempiternum: 43. Et surrexit Dauid, & abiit, sed & Ionathas ingressus est ciuitatem.

TEXTVS.

VERS. I. Fugit autem Dauid de Naioth, quæ est in Ramatha, venienſque locutus est coram Ionatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam.

§. I.

Ambitiosus, inuidusque à virtute facillimè resilit, sceleribus tenacissimè incumbit.

Virtus. Vitium. Inuidus. Ambitiosus.

MEdicus quidem (aiebat Basilius Seleuciensis *orat. 14. medicas artes exponit pharmacis docens aegritudines oppugnandas: aliis quispiam cum ære, aut ferro colluctatus, vt naturam arte subigens in aurantes artis transit doctrinam, dum qua via nostræ voluntati facilè as obediat, perdocet.* Nihil est quod pertinax opera, & intenta cura in meliorem faciem non reddat. Æs artificis obedit industriæ, lapis artem patitur, ferrum relictis originis sordibus expolitur; verùm qui semel se liuori, ambitionique tradidit, officiis cicurari non facilè admittit, & si quando se restituit prudentiæ, resilit facillimè. Deus pro sua benignitate cœlestibus infusis donis mores excolit, & ad virtutes adducit, repullulans verò ambitionis flamma, & liuoris ægrimonia quidquid elaboratum absumit. *Neque enim sicut Deus ad benefaciendum natura propensus est* (aiebat Philo *lib. de mundi opificio*) *ita creatura ad recipienda beneficia.* Dei munificentia cum creatura contendit, ille munificentiæ suæ thesaurum pandit, illa à gratia citissimè resilit. In Naioth cœlesti spiritu correptus Saul sententiam demittat, & nouam diuinitus mentem recipiens die, ac nocte in celebrandis diuinis laudibus perseuerat: *Cecidit nudus tota die illa, & nocte.* Quid tunc? Dauid fugam arripit, & ad tutiora loca contendit: *Fugit autem Dauid de Naioth, quæ est in Ramatha.* Importuna profectò videtur modò fuga, cùm iam aliam mentem Sauli indiderit cœlestis gratia; furentis anteà oculis se subducere consulebat prudentia, at modò timorem depellebat Saulis immutatio inopina. Cur ergo Dauid tot sponsoribus securitatis suæ non fidat, sed ad profugia contendat? Quia nouerat Saulem intestino, inueteratoque odio laborasse, & diù liuori inseruisse: ergo prudenter credidit citò antiquos mores repetiturum, & noua illi discrimina de ipsa securitate procudenda: ergo quæsiuit profugia. Adest noster Sancius: *Non putabat Dauid tutum sibi fore eo in loco manere, quem iam Sauli notum esse sciebat, à cuius manibus elabi non sperabat.* Adnectit: *Quare actutum fugit ex Naioth.* Aspiciebat Saulem ad meliorem mentem translatum, & cœlesti, ac prophetali, spiritu plenum; verebatur tamen rationabiliter, ab ea gratia resulturum, vtpotè odio possessum liuore depranatum, ambitione correptum; nam ambitiosi,

Sap. c. 19. v. 20.

ambitiosi, inuidique etsi tantisper intermittant facillimè à gratia resiliunt, & ad mores antiquos redeunt.

§. II.

Non est omittenda salutis solicita cura, quantumuis cœlestis adsit tutela.

Prouidentia. Tutela. Salus. Cura.

QVi totum salutis suæ negotium Dei patrocinio committunt, se egregiè fallunt, vt inertiæ, ignauiæque suæ blandiantur, omnia cœlestibus solùm suppetiis processura persuadere sibi adnituntur. *Considera* (aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 6.) *si negligere debemus, vndè nos culpari posse cognoscamus.* Culpa est manibus otiosis exambire miracula, quando miraculorum etiam præsente tutela solicita salutis intermitti non debet cura. Deus, ne à Saulis satellitibus Dauid aut ab ipso Saule caperetur, ingentia miracula patrauit, & persecutores in Prophetas conuertit: iam apparitores prophetant, iam Saul sententiam demutans cantat, & nihilominus Dauid ignota Saulitutamina quærit, & se ab eius aspectu subducit: *Fugit Dauid de Naioth, quæ est in Ramatha, venienſque locutus est coram Ionatha.* Si roges, cur Dauid, visis tot in Naioth miraculis, tuendæ Saulis desiderio. Saulis se subduxit oculis? Glossa respondebit, noluisse Dauid expectare miracula, quando licebat saluti consulere prouidenti cautela: quia etsi nobis cœlestia adsint auxilia, & pro nobis decertarint miracula, opus est ad salutem diligentissima cura, ne dum stulta confidentia indulgemus inertiæ, hostili locum præbeamus audaciæ. *Per Ionatham* (inquit Glossa Moralis) *qui columbæ donum interpretatur Spiritus sanctus, qui in columbæ specie apparuit in baptismo Christi, significatur, ad cuius auxilium & consilium debemus recurrere in angustiis.* Consonat Hugo: *Tempore tribulationis fugit Dauid ad Ionatham: sic viri iusti in tribulationibus suis confugere debent ad Christum.* Ad Spiritus sancti auxilium, consiliumque se Dauid contulit, & licèt Spiritus sanctus ad sedandum persequutorum furorem miracula ediderit, Dauid solicitudinem miraculis addidit, & sic custodiri meruit. Itaque se intimiùs Spiritui sancto adiunxit, & quia nulla hosti non apponebat impedimenta, est lucratus prouidenter auxilia. Angelus Iosephum admone in Iudæam rediturum, & cœleste promittit auxilium: *Vade in terram Israel, defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* Paret expromptè: verùm cùm Archelaum in Iudæa dominari audiret, timuit, & ad Nazareth se contulit; *Veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth.* Cui fortassis videatur Ioseph minus prudenter timuisse, & ad Nazareth properasse. Si iam persecutores extincti, si cœlestis nuntius adest, quis pauori locus? O prudentem nobis eruditionem! Non dubitauit Ioseph adesse sibi cœleste auxilium, addidit tamen prudentiæ suffragium. In Nazareth tutò latere arbitratus est: ergo cœlesti fauore fissus, nihil quod sui esset muneris, omisit prudenter cautus. Prodest Chrysostomus in Catena: *Omnis impetus persequentis in Bethlehem, eiusque fines desæuierat. Venit igitur Ioseph in Nazareth, & periculum fugiens, & in patriam rediens.* Consonat Glossa Diui Thomæ: *Melius potuit latere cum puero in Nazareth, quàm in Hierusalem, vbi erat caput regni Archelaus.* Ioseph suis nos factis edocuit cœlestibus auxiliis nostras operas adiungere, quò facilius possimus pericula declinare. Nec aliter Dauid, qui etsi pro se videret miraculum, solicitudinis debitæ non omisit studium.

Matth. 2. v. 21.

§. III.

Si in solo Deo religiosè collocaris fiduciam, facilius eludes inimicorum audaciam.

Fiducia. Audacia.

HÆc est (aiebat Damianus *serm.* 52. *de spe loquens*) *quæ fragiles animos erigit ad superna, quæ tædium expectationis leuigat, quæ præsumit de misericordia iudicis.* Spes, fiduciáque angorem sopit, laborum duritiam leuigat, victoriam sustinendo consummat. *Tolle spem* (aiebat Zeno *serm. de spe*) *& interempta sunt omnia.* Spes est virtutum fulcimentum, & contra pericula auxilium: eam tamen oportet benè collocare, vt vberibus eius fructibus valeas potiri. Si creaturarum fidas auxilio, iam fiduciam exposuisti naufragio, si in Deo vnicè colloces, inimicorum adsultus facilè eludes. Creaturarum ope, magnatum auxilio vti est prudentia, sed in solo Domino est collocanda fiducia. Fugerat Dauid in Naioth, vtque Saulis frustraretur ardentissimum odium ad Samuelis, ac Prophetarum inuolauit patrocinium: ibi tantisper respirauit: sed ad Ionatham inde confugit: *Fugit autem Dauid de Naioth, quæ est in Ramatha, venienſque loquutus est coram Ionatha.* Inquires, cur ad Ionatham voluerit confugere, quando videbatur tutum sub Samuelis, & Prophetarum vmbra perseuerare? Hugo Cardinalis ait, si, quam in creaturis posuerat, confidentiam retractasse; & ad solius Dei fauorem confugisse; ratus est tantò meliùs securitati, salutique prouidere, quantò in Dei solùm auxilio probabatur sperare. *Viri iusti in tribulationibus suis confugere debent ad Christum, vt in eo consolationem recipiant, non in hominibus, vel alia creatura. Delicata est enim diuina consolatio, nec recipit aliena.* Ionathas de Hugonis sententia Christum referebat, iuxta Glossam Moralem, vt præcedenti §. vidimus, Spiritus sancti personam gerit: ergo decreuit Dauid spem suam in solo Deo ponere, quo meliùs posset captiosas Saulis technas eludere. Samuel vir erat magnus, & virtutibus miris excultus: qui illi adstabant, discipuli erant tanto magistro dignissimi; verùm Dauid, vt maiorem sibi securitatem nanciscereturr, ad Deum confugit, & totam in eo spem collocando se validiùs obarmauit. Aptari posset Dauid ad Deum confugienti, quod Theodericus Ioanni Consulari scribebat 3. *variar.* 27. *Proindè diù & varia persecutione iactatus ad pietatis nostræ remedia haud irritè conuolasti, asserens eminentissimam Præfecturam tibimet esse terrori, ne priuata in te odia sociarentur per publicam disciplinam. Sed nos, qui donatas dignitates iustitiæ parere cupimus, non dolori, contra illicitas præsumptiones nostra te tuitione vallamus.* Non irritè Dauid inuolauit ad Christum, qui sua illum tuitione vallauit, & iam indubia promissione non moriturum asseruit: *Absit, non morieris.* Iam quod Dauidi votiuum, audit firmissimè statum. Vt discas, quot fructus afferat soli Deo fidere, & spem in eo vnicè, ac religiosè locare.

§. IV. *Felix*

§. IV.

Felix est, quantumuis calamitatum voluminibus iactetur, qui conscientiæ morsu non vritur, infelix, qui in ridenti fortunæ carnificie conscientia torquetur.

Iustus. Peccator. Conscientia.

BOna conscientia nullius sceleris conscia interna pace fruitur, etsi exteriùs calamitatibus diuexetur; mala nequit sibi conscia perturbationem effugere, nec se sibi non ostendere. *Deceptus sum profectò* (scribit Philo nomine Flacci *lib. ad Flaccum*) *vmbræ non res erant, & fallaces species illudentes oculis. Nunc velut experrectus nihil inuenio; abierunt simul omnes illæ fortunæ splendidæ, cum quibus olim consuetudinem habui, extinctæ sunt momento temporis.* Addit post aliqua: *Ipse secum circumferens caliginem abhorrebat ab omni hilaritate.* Quæ ex virtute non nascitur, volatica, immò ficta felicitas est. Tristitia ex mala conscientia orta vera est, & suppurata. Dauid latitat afflictus, & à Saule mille artibus diuexatus; verùm dum introrsum se respicit, agnoscit ortam turbulentam illam procellam non ex proprio crimine, sed ex alieno liuore. *Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?* Dauid odij in se nullam inueniebat causam, Saul suam non ignorabat inuidiam. Quis horum felicior? Saul satellitibus stipatus, diademate redimitus, sed interna conscientia tortus? aut Dauid persecutionum procellosis turbinibus impetitus, sed nullis criminibus sordidatus? Chrysostomus apud Glossam Dauidem præponit: *Dauid dum eiicitur, dum in exilium agitur, dum vsque ad vitæ discrimen insidiis appetitur, hoste suo factus est illustrior, honorabiliorque, & non tantum hominibus amabilior, sed ipsi etiam Deo.* Supra cæteras etiam virtutes Dauid amicam sapientibus amabat tolerantiam, & incorruptam conseruabat conscientiam. Saul ob æmuli laudes inuidentiæ vrebatur flamma, & exulcerata criminum sanie ægrotabat conscientia: ergo quantumuis huic adulantium copiosa assideret turba, & externarum felicitatum torrentis adinstar confluueret copia, erat miserrimus, & ille fortunatus. Dauid conuersis ad interiora oculis omnia videbat exornata, expolita, concinna, etsi exteriùs horrenda pateretur naufragia. Saul è contra collucenti exteriùs micabat purpura, sed interna discruciabatur conscientia: ergo hæc erat extrinsecus inaurata miseria, illa exterius aduersa solùm fortuna: nam hominis calamitas, aut felicitas ex animo pensanda est, Deo proximus felicitate immarcessibili vtitur, à Deo alienus citissimè destituro splendore fallitur.

TEXTVS.

VERS. II. Qui dixit ei: Absit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquam grande, vel paruum, nisi priùs indicauerit mihi. Hunc ergo celauit me pater meus sermonem tantummodo? Nequaquam erit istud.

§. V.

Nonnulli, vt vanitati adulentur, contra ipsam experientiam venditant apud Principes gratiam.

Vanitas. Principes. Gratia. Adulatio.

APud Principes gratiam obtinere satis omnibus est votiuum: quem familiarem cœteri, licèt falsi, suspicantur, externis adorationibus reuerentur. Per quem existimat candidatus faciliùs sibi alloquendi Principem opportunitatem futuram, & ad consequendam gratiam viam latiorem aperiendam, miris elogiis extollit, muneribus pretiosis deuincit, & officiosissimis obsequiis attrahit. Hinc oritur, vt alter gloriolæ sitibundus familiaritate Principis vti se ostentet, & alter ambitionis seruus indecenter adoret. De eo, qui Magisteria dignitate vtebatur, sic Cassiodorus *6. variar. 6. Per eum Senator veniens nostris præsentatur obtutibus: admonet trepidum, componit loquentem, sua quandoque verba solet inserere, vt nos decenter omnia debeamus audire, Aspectus Regi hand irritus: promissor collocutionis nostræ gloriosus, donator aulici consistorij, quasi quidam lucifer: nam sicut ille venturum diem promittit, sic iste desiderantibus vultus nostræ serenitatis attribuit.* Qui reuerà vtitur Principis beneuolo afflatu, cui aditus patet ad secretiora, ab omnibus reuerenter suspicitur, quia quilibet per eum obtinenda fore desiderata arbitratur. Hinc est, quòd nonnulli huius opinionis ambitu, & adorationis, quæ desiderio se magnatibus familiares ostentent, & eorum mentiantur potiri gratia, etiam reclamante experientia. Horum emblema, etsi candida intentione, incorruptaque veritate, Innathas extitisse videtur. Saul hastam in Dauidem contorserat, fugientis domum obsederat, in Ramatha post missos ter nuntios ipse contenderat; nec scriptura refert Ionatham vocasse in consilium, aut ei Saulem referasse votum; & nihilominus Ionathas, vt Dauidis terrorem sopiat, & in spem melioris fortunæ erigat, patrem nihil magni, parumue momenti decernere testatur, quin priùs cum ipso communicarit, & secretorum participem fecerit: *Absit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquam grande, vel paruum, nisi priùs indicauerit mihi.* Reclamabat experientia, & in ipsis palatij parietibus intentatæ cædis inscio Ionatha adspiciebant oculi simbola, & nihilominus Ionathas se apud Saulem eam gratiam testatur sortiri, vt nihil contigerit eum celari. Andi Abulensem *quæst. 6. Nimis de cætero cauebat se Saul à Ionatha, cùm ageretur de Dauid, & ob hoc non solùm non reuelabantur ea, quæ pater agere vellet contra Dauid, sed etiamsi aliquid videret fieri contra Dauid, non audebat orare patrem,*

vt desisteret. Saul alto silentio premebat, quæ contra Dauid disponere cogitabat. Ionathas iam sic erat parenti hac in re suspectus, vt pro Dauide preces fundere nullatenus fuerit ausus, & nihilominus eam se habere gratiam, eam apud patrem sortiri testatur beneuolentiam, vt Dauidi promittat morte nullatenus mulctandum, & si quod vrgeat, periculum opportunè aperiendum: *Absit, non morieris.* Qui apud Principes, aut magnates aliquando valuerunt, & si agnouerint gratia excidisse, adnituntur antiquam fauoris opinionem studiosiùs fouere, & candidatis, ambitoribusque in dubium patrocinium promittere.

TEXTVS.

VERS. III. Et iurauit rursum Dauidi, & ille ait: Scit profectò pater tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: Nesciat hoc Ionathas, ne fortè tristetur. Quinimò viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum, vt ita dicam, gradu ego, morsque diuidimur.

§. VI.

Politici eis, quos suspiciunt, detrectant à se decreta aperire ne eorum cogantur auctoritate mutare.

PLinius iunior contra Domitiani interemptores seriò decreuit causam agere, cúmque omnia à se facienda Corello prudentissimo semper communicasset, modò abstinuit, & decreta silentio pressit, quia timuit, si Corellus dissentiret, aut sententiam demutare, aut solitam reuerentiam non exhibere. Ipsum audi *lib. 9. epist. 13. Omnia ego semper ad Corellum retuli, quem prudentissimum ætatis nostræ, sapientissimumque cognoui. In hoc tamen contentus consilio meo fui, veritus ne vetaret; erat enim cunctatior, cautiorque.* Adnectit: *Experetus vsu, de eo, quod destinaueris non esse consulendos, quibus consultis obsequi debeas.* Si à te semel decretum, fixo animo sequendum statueris, consulere prudentem, & grauem, est aut otiosum, aut inurbanum, quandoquidem consulti amplectenda est sententia, aut si renitaris, irroganda prudentiæ iniuria. Hac ergo politica veritus est David Saulem vsum fuisse; nam cùm Ionathas omnia sibi à parente communicari asseruisset, nec quid timendum, cùm ipse nesciret, opposuit Dauid vti prudenter cautus, & benè politicus ob id ipsum grauiori se timore adurgeri; & non malè fundata suspicione diuexari. Nam adeò fixum erat circa eius cædem decretum, vt à Ionatha non peteretur consilium. Quid enim opus erat consulere, quod Saul decreuerat obstinatè adimplere? *Scit profectò pater tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: Nesciat hoc Ionathas, ne fortè tristetur. Quinimò viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum, vt ita dicam gradu ego, morsque diuidimur.* Qua conatus fuerat Ionathas Dauidis timorem ratione sopire, inuentus est adaugere; nam politici, vt fixè exequantur decretum, non exigunt à sapientiori consilium: animum exigit consultatio flexibilem, aliter esset irridere, consulere. *Istud posuit Dauid Eman. de Naxera in Reg.* Tom. II. scribit Abulensis *quæst. 6.*) *ad reddendum dictum suum verisimile, & infirmandum sententiam Ionathæ, qui dixerat, quòd nihil pater eius agebat sine consilio ipsius; hoc autem nequaquam indicauerat ei: ergo nihil erat.* Adnectit: *Pater tuus dicet apud se, quòd non vult te scire intentionem eius contra me, ne tristeris de malo, quod mihi cogitat. Non propriè dicitur hîc, ne tristetur, sed magis debet dici, ne impediat.* Ratione à Ionatha allata ait Dauid timorem suum adurgeri, quandoquidem adeò fixè eius cædes fuerat decreta, vt Ionatham, ne impediret, fuerit celata.

§. VII.

Non quæuis amicorum consilia amplectenda, sed prudentiæ trutina examinanda.

SÆpè amici anhelant amici sibi dilectissimi prouidere saluti, & studere incolumitati; verùm contingit aliquando falsæ opinioni accedere, & coniecturis non firmis duci; amico afferunt sæpè detrimentum, cùm desiderant studiosius auxilium. Arguenda est opinio, ne fallat, & in præcipitium ducat; nam sæpè, dum ei accedimus, egregiè fallimur. Benè Seneca *de vita beata cap. 1. Nulla res nos maioribus malis implicat, quàm quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorumcunque exempla nobis multa sunt, nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus.* Adiungit: *Nemo sibi tantum errat, sed alij erroris causa, & auctor est.* Si amicus, cui ex corde fidimus, cuius consilium amplectimur, falsa ducatur opinione, graue nobis potest afferre incommodum, & si anhelet candida intentione conferre auxilium. Ob id oportet & laudare intentionem, & docere veritatem. Amabat Ionathas tenero affectu Dauidem, eius studiosè solicitabat salutem, & anxiis votis exoptabat sospitatem; verùm ne Ionathas diffidere quereretur, Dauid eius opinionem non inniti solida ratione ostendit, & veritatem edocuit. Si Dauid Ionathæ consilia despiceret, videretur irrogare amori offensam; si cœcè sequeretur, aduersam maturaret sibi fortunam: ergo laborauit in Ionatham ab ea liberando opinione, ostendendaque veritate. Aiebat Ionathas, vt solaretur anxium, solicitumque amicum: *Absit, non morieris, neque enim faciet pater meus quidquam grande, vel paruum, nisi prius indicauerit mihi.* Si ductus Ionathæ coniectura Dauid excuteret metum, maturaret sibi periculum; si despiceret, contristaret sibi deuotum: ergo prudentissimus, ob solatium ostendit gratitudinem, & ne suæ adhæreret opinioni, edocuit Ionatham veritatem: *Scit profectò pater tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: Nesciat hoc Ionathas, ne fortè tristetur. Quinimò viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum, vt ita dicam, gradu ego, morsque diuidimur.* Si Ionathas suspicaretur periculum, in contrariam iret sententiam, nec suaderet arripiendam non esse fugam: ergo Dauid adhibuit Sacramentum, vt mortem vno tantum distare gradu sibi Ionathas persuaderet, sicque & amicitiam est reueritus, & non fixis innixam fundamentis depellens eius opinionem à discrimine liberatus: ostenditque non cœco impetu amicorum consilia amplectenda, sed prudentiæ trutina examinanda. Ita Abulensis *q. 6. intelligendum est, quòd à principio iurauit Dauid Ionathæ, quod ista vera*

Consilium. Amicus.

erant, quæ proponebat: Ionathas autem non credebat, quia pater non reuelauerat ei: ideò iurauit rurſus Dauid, vt crederet Ionathas, & tunc credidit. Suis factis oſtendit, quantum oporteat intimi etiam verique amici examinare conſilia, expendereque deſideria, ne dum eius affectu fiſi, inueniantur difficultatibus implicati.

§. VIII.

Mortis memoria morum magiſtra, & ipſius vitæ eſt tutela.

Mors. MEgarenſes *obſonant* (inquit Tertullianus *in Apologetico cap. 39.*) *quaſi craſtina die morituri; ædificant vero quaſi nunquam morituri.* Megarenſes quàm longa ſibi promitterent tempora, ſubſtructionum teſtabatur inſania, quandoquidem ſibi conſtruere diſponebant palatia, quæ, vt abſoluerentur, prolixa exigebant tempora: ergo ſe tradebant luxui, opiparisque adeò vacabant menſis, vt ſibi ſalutem præciderent, vitamque breuiarent; dapum onere calor ſuffocabatur, & peſtilens morbus ex cruciatibus oriebatur. Abſtinerent, ſi ſe quodammodò immortales non reputarent. Qui quàm caducis innitatur vita, recordatur ſolerti cautela vtitur, & dum fugit pericula, vitæ protelat ſpatia. Rarò nobis mortalitas noſtra ſuccurrit, & nos nobis ipſis oſtendit. A nulla alia cauſa maius morti auxilium prouenit, quàm ab eius obliuione. Qui de morte cogitat, cautè viuit; qui prolixos ſibi annos promiſit, mortem intemperantia, & errore accerſiuit, & maturauit. *Ex omnibus rebus* (aiebat Dei nomine Seneca *lib. de Prouidentia cap. 6.*) *quas eſſe vobis neceſſarias volui, nihil feci facilius, quàm mori.* Nihil ex omnibus rebus eſt, quàm mori, faciliùs, nihil frequentius, & vſitatius; facilitatis huius obliuio grauiſſima ſemper attulit detrimenta, vt recordatio ingentiſſima commoda. Dauid vnico gradu, aut paſſu vnico ſe à morte diuidi teſtatus eſt: *Vno tantum, vt ita dicam, gradu ego, morſque diuidimur.* Quid tunc Ionathas? *Abſit, non morieris.* Et vnde Ionathas coniicit mortem diſtare, quando Dauid eius iam vmbram teſtatur accedere. Profectò ex ipſa mortis recordatione: nam Dauid, quia credebat adeſſe, ſtudebat periculum omne vitare; ipſa mortis memoria ſalutis erat tutela. Adeſt Lira: *Id eſt, modicum defecit, quòd pater tuus me non interfecit primò lanceam proiiciendo, ſecundò per nuntios, & per ſeipſum me ad mortem quærendo.* Vbi agnouit grauiſſima pericula appetere, ſtuduit ſolerter fugere, & Deo intimius adhærere. Audi Ambroſium apud Gloſſam: *Fugit Sanctus Dauid odia Saulis Regis, non delinquens terras, ſed declinans contagia Regis inimici, & ſuperbi, quia mens eius adhærebat Deo.* Quia proximam intuebatur mortem, excultis moribus Deo adhærebat, & ſalutis contagia declinabat: ergo Ionathas prudenter aſſeruit vſurum longa vita, quia munitum, & obarmatum vidit mortis memoria. Plinius maior, quo tenebatur omnia ſpeculandi deſiderio nubem inuſitata magnitudine, diuerſo colore ex Veſuuio procedentem aggreſſus eſt non ſine periculo contemplari. Non deerant, qui timore periculi mutare mentem conſulerent; verùm Plinius gubernatorem prudenter trepidum ſedat, ſeque non periclitaturos ſeriò affirmat; verùm quia diſtare mortem credidit, citiſſimè ruit. Audi iuniorem Plinium *6. epiſt. 11. Complectitur trepidantem, conſolatur, hortatur, vtque timorem eius ſua ſecuritate leniret, deferri ſe in balneum iubet; lotus accubat, cœnatque hilaris, aut quod eſt aquè magnum, ſimilis hilari.* Adnectit: *Flammæ, flammarumque prænuntius odor ſulfuris alios in fugam vertunt, excitant illum, innixus ſeruis duobus adſurrexit, & ſtatim concidit, vt ego coniecto, craſſiore caligine ſpiritu obſtructo.* Ecce qui timuerunt mortem, timore conſeruarunt ſalutem; Plinius verò, dum ſecurus dormit, occumbit.

TEXTVS.

VERS. IV. & V. Et ait Ionathas ad Dauid: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi: Dixit autem Dauid ad Ionatham: Ecce Kalendæ ſunt craſtino, & ego ex more ſedere ſoleo iuxta Regem ad veſcendum: dimitte ergo me, vt abſcondar in agro vſque ad veſperam diei tertiæ.

§. IX.

Grauius aliquando à conuiuiis periculum, quàm à bellis detrimentum.

TEmperantia, quæ eſt in voluptates imperium, & virtutum omnium ſcutum, exulare ſolet à lautis, & opiparis conuiuiis. *Diogenes dicebat* (ſcribit Stobæus *cap. 6.*) *earum domorum, in quibus copia alimenti, multos eſſe mures, & feles; ſic etiam corpora, quæ multum cibi capiant, morbos quoque pares aſciſcere.* In conuiuiis vigor animi emoleſcit, prudentiæ oculus annoſi vini vaporibus cœcutit, ibi lingua elabitur, ibi ſecretum proditur, ibi abſentium honor frequenter decoloratur. *Crapula* (aiebat Euſebius apud datum Stobæum) *corpus pingue facit, ſtuporem inducit, animi verò, quod optimum eſt, rationem ſopit.* Per ciborum oblectamenta mors irrepſit, & ſæpè, qui de truculento hoſte tulit trophæum, inter delicatas epulas, & annoſa vina paſſus eſt animæ, vitæque periculum. Dauid, qui iniuſſus contra Gigantem profiliit in campum, qui ſuaui cytharæ melodia dæmonem depulerat efferatum, contra celebrandas Kalendas quærit profugium: *Ecce Kalendæ ſunt craſtino, & ego ex more ſedere ſoleo iuxta Regem ad veſcendum; dimitte ergo me vt abſcondar in agro vſque ad veſperam diei tertiæ.* Quid Dauid Kalendas vereatur? Afferebant, ne ſecum inſtructas aduerſariorum phalanges, aut vitæ inſidiatrices peſtiferas lues? Minimè profectò, ſed conditas dapes palato adulantes, & fœcundos calices guſtui blandientes. Verùm Dauid ferarum detrimphator, dæmonis abactor, hoſtium depulſor plus timuit annoſa vina, quàm hoſtium agmina: cogitauit prudenter cautus grauius periculum ſibi poſſe oriri inter epulas, quàm inter confertas aduerſariorum copias: *Sedere ſoleo iuxta Regem ad veſcendum*, aiebat, ſed oportet me ſubducere, quia ibi ad pericula declinanda ero

Conuiuium laſſum.

ero tardior, & ad prouidendum mihi impeditior: ergo timeo mensam, vt tuear vitam. *His porrò diebus* (inquit noster Sancius) *qui aliqua sunt nota, aut religione nobilitati, instrui solet inter cognatos, & amicos solemne conuiuium... quale amicis, cognatis, & Principibus videtur conduxisse Saul in proximas Kalendas.* In proximas Kalendas insidiosum à Saule instruebatur conuiuium, vt Dauidem, quem non potuerat præpilatis transfigere telis, saporatis occideret cibis: inter blandas epulas abscondebat Saul perniciosas insidias, & ad splendidam vocabat mensam, vt auferret Dauidi commodius vitam. Ecce Saul, cùm nullæ illi artes non processissent, ad conuiuiorum recurrit auxilium, quo expeditius iniquum expleuerit votum. Dauid tectas eo nitore insidias conspicatus aufugit, & Saulis animum torsit. Esau cum fratre colluctatus primas tulit, ciborum proritatus deliciis vendidit. Grauius illi detrimentum resultauit à cibo, quàm à ventris stadio. Ægyptus, quæ Israelitas durè oppressit, fertili messium copia allexit, & traxit; latebat sub illa exundanti copia ignominiosa catena, & inopinè se Israelitæ tradiderunt captiuitati, dum indulgere festinant ventri. *Voluptatis amator* (aiebat Philo *lib. de Ioseph*) *sterilis est rerum valdè necessariarum, sobrietatis, pudoris, continentiæ, iustitiæ virtutum omnium.* Vt rapidus torrens vel firmas plantas eradicat, & confusis immersas fluctibus secum defert, sic lauta conuiuia, & variis ferculis distinctæ mensæ in modum diluuij virtutes ferè omnes extingunt, aut suis sedibus elocatas aliò transferunt. Nabuchodonosor ab homine non desciscit, dum statuam construit insanam, dum adorationem exambit indebitam, & in bestiam transfertur, dum proceram arborem conspicatur. Ecqua huius causa? Ipse retulit: *Fructus eius nimius.* Dum nimio, saporatoque cibo vtitur, sic rationem inubilat, vt in bestiam transeat. Huc voco datum iam supra Philonem: *Nullæ res adeò pugnant inter se, vt virtus, & voluptas, propter quam multi negligunt, quæ sola curanda erant, dantes se concupiscentiis, & sequentes quacumque illæ inuitant.* Nabuchodonosor, dum voluptatem sequitur, à se migrat & transit in bestiam. Prudenter igitur Dauid veritus mensam, arripuit fugam.

Dan. 4. v. 9.

§. X.

In conuiuiis quod corde abstrusum, facilius proditur, aut eruitur.

Conuiuium. Secretum.

Conuiuia, quæ ad fouendam charitatem debuissent instrui, & ad prudentem hilaritatem disponi, adeò in contrarios vsus solent deflecti, vt ab eis exularit modestia, & solùm floreat procacia. Audi Philonem *de vita contemplatiua*: *Maiore licentia ruunt in mutuam perniciem, non minus enim læduntur, quàm læduntur, vt mentis impotes præ nimio vino, quod* (*sicut inquit Comicus*) *non tam alieno malo bibunt, quam proprio. Itaque qui modò ad conuiuium venerant amici, & integri, paulò post exeunt inimici.* Huius doctrinæ veritatis testes sunt Saul, & Ionathas, qui dum Kalendarum celebrarentur conuiuia, ad mensam assederunt amici, & in mensa Saul furit hastam contra filium prensans, & Ionathas fugit periculum grande declinans: Ad hæc: fœcundis calicibus, & saporatis dapibus cor incalescit, & quodammodò dehiscit, & quod visceribus absconditur, secretum aut effundit lingua, aut facilè venatur solertia. *Iactatus intempestiuè* (aiebat Plutarchus *in quæst. conuiual.*) *& inconsultè in conuiuio sermo.* Ne quis in conuiuio videatur insulsus, & tetricus, ea solet proferre, quæ debuisset alto silentio signare. Ob id cùm Dauid, etsi iam in gratiam receptus, Sauli non fideret à conuiuiis Kalendarum se abduxit, & Ionathæ patris animum venari suasit: *Ecce Kalendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta Regem ad vescendum: dimitte ergo me vt abscondar in agro vsque ad vesperam diei tertiæ.* Absens occasionem loquendi de eo præbere voluit conuiuis, certus quod inter epulas Saul animum nequiret celare, & Ionathas posset facilius, & manifestius callere. Hoc fuisse Dauidis studium (testatur Abulensis *quæst. 7.*) *Hic ponitur modus, per quem Dauid voluit cognoscere, an Saul totaliter diffiniuisset eum occidere, & Ionathas inquisiturus erat per istum modum veritatem. Ecce Kalendæ sunt crastino, id est, dies sequens est dies Kalendarum, scilicèt initium mensis, & mane poterit inuestigari sententia Saulis magis, quàm aliis diebus.* Ionathas asserebat patrem suum contra Dauidem non architectari cædem, testabatur Dauid contra se dolosè meditari perniciem: ergo veritatis inquisitio ad conuiuij dies redacta est; nec enim dubitabat Dauid Saulem absentiæ occasione, & calore vini, quod animo gerebat proditurum, quod & accidit: nam Ionathas, qui anteà existimabat patrem placatum, in conuiuio euidenter agnouit celatum odium: *Intellexit Ionathas, quòd definitum esset à patre suo, vt interficeret Dauid.* Cùm post satellites missos; post nuntios in Ramatha delegatos non defuissent apud Saul intercessores, Dauid in Regis gratiam ad speciem admissus est; verùm Saul studiosiùs, quàm anteà celabat odium, vt opportuna occasione peruersum assequeretur intentum: ergo Dauid examen in conuiuio Ionathæ persuasit adhibendum; nam ibi quod adnitebatur cautela tegere, frequenter accidit linguam prodere.

TEXTVS.

VERS. VI. & VII. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatem suam, quia victimæ solemnes ibi sunt vniuersis contribulibus suis. Si dixerit: Benè, pax erit seruo tuo. Si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia eius.

§. XI.

Benè policitus in ridenti fortuna lares non obliuiscitur, sed cum cognatis, & olim familiaribus conuersatur.

Politicus. Fortuna. Origo.

QVi fortunæ ludo ad apicem dignitatum euectus, natale solùm oblitus se in alium transformat, sibi ipsi nocet; nam contra se excitat suorum inuidiam, & omnium consiliat maleuolentiam. Prudens in ridendis felicitatis successi-

bus intra modestiæ se limites continet, & odiosum refugit fastum. Plinius in suo Traiano laudabat in summo dignitatis culmine antiquos familiares agnoscere, humanumque, ac tractabilem se exhibere. *Quod quidem nomen* (scribit *in Panegyrico*) *qua benignitate, qua indulgentia exerces, vt cum ciuibus tuis, quasi cum liberis parens viuis. At reuersus Imperator, qui priuatus exieras, agnoscis, agnosceris, eosdem nos, eundemte putas, par omnibus, & hoc tantum cæteris maior, quò melior.* Suam Traianus commendauit prudentiam, & vtilem exercuit politicam, cùm se ostendit eundem, & quos priuatus, Imperator etiam agnouit. Hanc etiam politices formam se tenere Dauid ostendit, cùm ad contribulium suorum solemnes victimas perrexisse Sauli per Ionatham denuntiauit: *Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatem suam, quia victimæ solemnes ibi sunt vniuersis contribulibus suis.* Huius sententiæ sensus est: Dauid contribulium suorum solemnitatem non despexit, etsi regiis iam nupriis nobilitatus; nam si se excusaret, cognati, contribulesque superbiæ adscriberent, seque despectos dolerent: & ob id (inquit Ionathas) maluit vna, aut altera die à palatio abesse, quam suorum contra se maleuolentiam conflare. Opportunè noster Sancius. *Hanc igitur consuetudinem in excusationem adduci vult Dauid, cur regio conuiuio non interfuerit: Quia victimæ in patria solemnes fiunt, à quibus si ipse abfit, qui omnium propter regiæ coniugis nobilitatem Princeps existimatur, iniquius acciperent, & superbiæ attribuerent contribules sui. Quæ ratio speciem habent non parum honestam.* Si inuitatus à contribulibus non adesset, obmurmurarent adeò tumidum, vt nec ab eis agnosci, nec eos agnoscere dignaretur: ergo ne suorum sibi conciliaret inuidiam, factis voluisse, ait Ionathas, se eundem ostendere, & antiquos lares inuisere. Quæ ratio tantum habet ponderis, vt Dauid absentiam honestaret, & bonæ politicæ vsum edoceret. Plures, dum à seipsis dignitatum incantationibus discedunt, antiquæ sortis obliti, linguas contra se concitauerunt superbi, & quas tegeret modestia, sordes denudare solitat arrogantia.

§. XII.

Odium honestissimas etiam actiones nescit approbare, nec æmuli sustinet defensores audire.

Odium.

QVid hic deperit legibus (aiebat Tertullianus *in Apologetico c. 1.*) *in suo regno dominantibus, si audiatur? An hoc magis gloriabitur potestas earum, quo etiam inauditam damnabunt veritatem? Cæterùm inauditam si damnent, præter inuidiam iniquitatis, etiam suspicionem merebuntur alicuius conscientiæ, nolentes audire, quod auditum damnare non possint.* Adiungit: *Hanc itaque primam causam apud vos collocamus iniquitatis odij erga nomen Christianum.* Ea odij cœcitate circa Christianos Ethnici laborabant, vt eorum etiam egregias virtutes infamarent, nec pro eis patronum vllum audirent: nolebant audire, quos auditos non poterant condemnare, quia quidquid facerent, desiderabant cœca æmulatione punire. Nec auribus vsum, nec oculis permittit aspectum, impotenter gliscens, ac furens odium. Audi Lactantium *lib. 5. Timent, ne à nobis reuincti manus dare aliquando clamante ipsa veritate cogantur. Obstrepunt igitur, & intercedunt, ne audiant, & oculos suos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus, quo planè ipsi diffidentiam suæ perditæ rationis ostendunt, cùm neque cognoscere, neque congredi audeant, quia sciunt se facilè superari.* Sic odium inardescebat, vt nullum pro Christianis admitterent patrocinium, aut attenderent iuris suffragium. Hanc odij impatientiam optimè calluit Dauid, Ionathæ suadens, vt si pater cur abesset, interrogarit, honestam absentiæ causam reddat, attentèque consideret, si Saul refragetur, aut annuat; nam si approbarit, timendum non erit; at fugiendum, si reprobarit: *Si dixerit: Benè, pax erit seruo tuo: si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia eius.* Leui satis fundamento alicui Dauid videatur iniuriam ad efformandum iudicium. Nonne Saul audita causa quibit tacere, odiumque celare? Sed esto fuerit ira clarum odij testimonium, facti approbatio non adeò firmum videbatur beneuoli animi argumentum. Quomodò ergo si responderit: *Benè*, sospitatem sibi promitit? Quia ea est odij insania (inquit Abulensis *quæst. 13.*) vt nec se sciat reprimere, nec laudabilia etiam æmuli facta approbare: ergo prudenter Dauid ex verbis asseruit venandum studium. Honesta ad speciem erat absentiæ causa, sed odium ipsam virtutem liuido dente abrodit, nec flammas sopire queit: Ergo si Saul approbet absentiam, non ferali exæstuat odio; nam si æstuaret, nullâ industria continere se valeret. Audi Abulensem: *Quæret aliquis, an istud signum positum à Dauid ad inquirendum sententiam Saulis conuenienter positum fuerit? Respondendum est, quod sic; quia si Ionatha respondente pro Dauid Saul diceret: Benè, id est, benè factum est, manifestè appareret, quòd ipse non habebat exosum Dauid, nam non possunt aliqua benè videri alicui, si illa exosa habeat.* Quidquid exosus dixerit, fecerit ve, odio cœcus improbat, & dura censura damnat: ergo si honestum Dauidis factum Saul approbaret, si Ionatham eius patronum audiret, ostendebat se ab odio liberum; nam qui hoc detestabili vitio tenentur, nequeunt ora continere, nec pro æmulo patronum audire.

TEXTVS.

VERS. VIII. Fac ergo misericordiam in seruum tuum, quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti. Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.

§. XIII.

Durius ipsa morte est indecorum ludibrium, aut hosti resultans ex cæde gaudium.

Mors ludibrio posti. Gaudium.

ACheménides Troianorum perire manibus deputabat dulcissimum, ne, si à Polyphemo homine semifero caderet, sua illi morte gaudium afferret. Ita Virgilius:

Pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque immergite ponto.
Si pereo manibus hominum, periisse iuuabit.

Expende

Expendebat apud se quàm magnum Polyphemus gaudium perciperet mortem inferendo, quàm iucundè spectaret sanguinem effluere; quod Polyphemo gaudium, durum sibi adeò fatebatur tormentum, vt eius comparatione mortem Troianorum manibus illatam non solùm patienter ferret, sed ambiret. Quod etiam videtur Dauid sequutus. Dum à Ionatha obnixè petit, vt si morte censet dignum, ipse necem inferat, nec occidendum Sauli tradat. *Si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me*, considerabat quàm magnum perciperet Saul gaudium, quàm inhumanam effuso eius cruore satiaret sitim, quàm iucundè illata contemplaretur vulnera, quàm grata illi forent hæc spectacula, adeoque erat non ferendus hic dolor, vt manu Ionathæ cadere æstimaret beneficium, Saulis ferro interire intolerandum tormentum. Adest noster Sancius: *In morte aliquid solet interdum contingere, aut timeri, quod morte ipsa iudicio etiam prudentium iudicatur esse magis horribile, vt si ab inimicis mors sit inferenda, à fœminea, seu imbecilli manu, ex qua morti accedat aliquid ignominiæ.* Omnium terribilium terribilissimum, teste Aristotele, mors est, verùm aliquid morte ipsa longè durius verebatur Dauid, scilicet Saulis inhumanum gaudium, aut probrosum, & indecorum inferendum sibi ludibrium. Samson etiam aliquid morte dirius expertus est, quod, vt vitaret, ad mortem cœlesti pulsu ductus recurrit: illudentium sibi gaudium, indecorum ludibrium ipsa morte erat acerbius: ergo triumphalem delegit mortem: *Moriatur anima mea cum Philisthiim.* Prodest Ambrosius *epist.* 70. *Viuere, & mori naturæ functio: ludibrio esse, probro ducitur.* Adnectit: *In morte seipsum vicit, & insuperabilem gessit animum, vt pro nihilo haberet vitæ finem omnibus formidolosum. Non captiuum exitum, sed triumphalem inuenit.* Triumphalem sibi inuenit exitum, quia auferebat hostibus gaudium, & vlciscebatur ludibrium, quod ingenuis ipsa morte acerbius, & durius: ergo Dauid plus horret Saulis gaudium, minùs interitum.

§. IV.

Humilis sibi debitum, liberale existimat beneficium, superbus liberale beneficium arbitratur sibi debitum.

Humilit. Superbus. Beneficium.

GRauis *fastus* (aiebat Eurypides apud Stobæum *cap.* 22.) *ex improbi hominis opinione nascitur. Quicunque ciuium vir arrogans fuerit, is nec amicis, nec toti ciuitati familiarem se præbet, ac affabilem.* Arrogantia, superbiaque de mentis arce prudentiam deturbat, & iudicium prorsus deprauat. Quidquid in superbum contuleris, iure existimat sibi debitum, nec censet liberaliter collatum; è contra humilitatis, & modestiæ eximiis dotibus exornatus, dum accipit sibi debitum, gratuitum æstimat beneficium. Opportunè Basilius Seleucienſis *orat.* 28. *de humilitate* sermonem instituens. *Et si plures saluti congruant modi, tamen omnibus humilitatis ornamentum conuenit, ea comite continentia in admiratione est, & fides fit amabilior, & iustitia purgatior, & vberior misericordiæ fructus.* Humilis alienæ misericordiæ, (sic locum interpretor) credit fructum, quod redditum suæ iustitiæ accipit præmium. Ecce Dauid misericordiam à Ionatha humilis implorat, & fœdus inter eos initum eo ipso tempore in memoriam renocat. *Fac ergo misericordiam in seruum tuum; quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti.* Verba à seipsis discordare videntur; nam si initum fœdus Ionatham cogit ad omnem pro Dauidis salute solicitudinem, quidquid fecerit, erit æquitati debitum, non gratuitum: aut si Ionathæ studium est misericordiæ fructus, non erit initi fœderis anteà effectus. Quomodò ergo Dauid pacti commemoratione deposcit iustitiam, & simul appellat misericordiam? Quia ea (inquit Abulensis) humili ornabatur animi dimissione, ea profunda florebat humilitate, vt quod Ionathas pacti lege tenebatur efficere, non tam arbitraretur iustitiæ fructum, quàm misericordiæ, & liberalitatis effectum: *Semper Dauid* (inquit *quæst.* 15.) *vocat se seruum Ionathæ, quamquam esset amicus, & heuir eius, & hoc vt humiliaret se.* Subiungit: *Misericordia autem, quam petebat Dauid, erat, quod Ionathas renuntiaret ei sententiam patris, & non faueret patri in malo.* Iustitiæ, æquitatisque legibus tenebatur Ionathas, quod postulabatur, efficere; verùm Dauid vti humilis ipsam iustitiam appellabat misericordiam. Contrarium videas gehennæ vernulæ illi purpurato diuiti contigisse. Oculos sui accusatores leuat, & desiderans beneficium, exigit vti naturæ legibus debitum. *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Huius diuitis mens confunditur, allegat naturam, & petit misericordiam: vox à mente dissidet, precatur misericordiam; sed allegat lege originis obstrictam esse naturam: *Pater Abraham.* Eodem laborasse crimine in gehenna, & in vita, ostendit Abrahamus, dum ait: *Recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Chrysologus *serm.* 123. id discrimen putat esse inter *accipere*, & *recipere*, vt *accipere* sonet quid liberaliter datum; *recipere*, iure redditum: ergo huius superbi diuitis crimen erat Dei beneficia existimasse non sibi liberaliter dilargita, sed iure reddita. Chrysologum audi: *Videtis, fratres, quia Abrahæ sancti verbo istius diuitis animus proditur, sensus arguitur, intellectus punitur, qui non sibi data, sed reddita credidit, quæcumque Domino largiente possedit. Intelligite, quo sensu incesserit, quo corde ambulauerit, qui Deum sibi credidit debitorem.* Superbus diues beneficia credidit sibi debita; humilis Dauid sibi debita reputabat misericorditer dilargita.

TEXTVS.

VERS. IX. Et ait Ionathas: Absit hoc à te: neque enim fieri potest, vt si certè cognouero completam esse patris mei malitiam contra te: non annuntiem tibi.

§. XV.

Tunc perfectè incanduit amor, cùm impossibile est quodammodò deficere, & ab inceptis recedere.

VT induratum, & pertinax odium nullam admittit medelam, sed ad se trahit qualem- *Amicitiæ. Amor.*

cunque adhibueris medicinam ; sic verus, & generosus amor in naturam sic quodammodò transit, vt iam ab inceptis nequeat recedere, aut sententiam demutare. Herus Iosephi Eunuchus
Gen. 39. v. 1. proditur : *Emit eum Putiphar Eunuchus Pharaonis.* Quod solitis allegoriis interpretatus Philo *lib. de Temulentia*, ait Eunuchum prodi ; nam etsi à natura ad generosos promendos fructus formatus, eo erat iam infœcunditatis vitio depranatus, vt impossibile esset gignere, aut sterilitate recedere : *Hic decretum statuitur communiter omnibus vtilissimum, quòd quiuis opifex voluptatis non gignit sapientiam, cùm nec mas sit, nec fœmina, & cùm nec indere, nec excipere sit idoneus semina ad immortalitatem facientia.* Eunuchi, natura deprauata, sterilitatem nequeunt exuere, nec possibile est fructum promere ; sic nonnulli aut longa consuetudine, aut obturata iam prauitate ad eum malitiæ deuenerunt gradum, vt naturale quodammodò sit delinquere, nec possibile retrocedere ; sed quia fas non est plusquam casto, puroque amori licere prauitati ; etiam verus, & honestus amor ad eum solet gradum peruenire, vt facile non sit adulterinis affectionibus sordidari ; aut à laudabiliter cœptis recedere. Huius veritatis testis est Iosephus, qui ad eam Dei dilectionem peruenit, vt ab hera variis adulationibus impetitus, & obsequiis blandis illectus respondent, non esse in arbitrio suo delinquere, Deumque offendere :
Gen. 39. v. 9. *Quomodò ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum ?* Non ait : Non delinquam, laudabile virtutis propositum promens, sed : *Quomodò possum*, quasi iam ab amore Dei nequeat recedere ; & sordidis criminibus infici. Et vndé Iosepho hæc peccandi impotentia ? Profectò ab ardentissima dilectionis diuinæ flamma. *Iusti omnes eius* (peccati) *neruos extendunt* (ait Oleaster hic ad mores) *& tam graue, & magnum faciunt, vt vires eorum omninò excedat, & sic dimittant, nec se posse, aut scire facere fatentur ; excedit enim iustorum vires peccatum. Mirum valdè est considerare quantum potest iustus in bonis, quàm parum in malis.* Vt Putiphar sterilis ad virtutem nequit proferre virtutis fructum ; sic Iosephus ad malitiam infœcundus non potest perpetrare peccatum. Et Ionathas etiam legitimus Iosephi discipulus, cùm à Dauide rogaretur, ne ab inito pacto resiliret, nec patris studium silentio premeret, sic respondit : *Absit hoc à te : neque enim fieri potest, vt si certè cognouero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi.* Non ait : Annuntiabo, sed non annuntiare non potero : sic enim generosus eius erga Dauidem incanduit amor, vt quodammodò resiliendi non remaneret arbitrium, nec in contrarium posset transire affectum. Huc voco Eucherium apud Glossam : *Sicut animam suam ita diligebat eum, vt ille nimirum, qui tam perfecto iuxta legem Dei amore complectebatur Dauid, à perditione inimicorum eius videretur immunis.* Ita perfecta dilectione Ionathas Dauidem amabat, vt facilius esset vitam millies periculo exponere, quàm Dauid iniuriam vel leuissimam irrogare.

TEXTVS.

VERS. X. Respondítque Dauid ad Ionatham : Quis renuntiabit mihi, si quid fortè responderit pater tuus durè de me.

§. XVI.

Amori nihil est arduum, etsi ad speciem videatur inglorium.

MVndialis amor edocuit pericula despicere, malè securos pelagi fluctus intrare, ipso dolore gaudere : ergo amor etiam generosus, & castus nouit diuitiarum iactura, splendoris diminutione, & ipsius vitæ discrimine dilecto consulere, & prouidere. *Quomodò amicos* (aiebat Tertullianus *de Patientia cap. 7.*) *de mammona fabricabimus nobis ; si eum in tantum amauerimus, vt amissum non sufferamus ? Peribimus cum perdito, quid hic inuenimus, vbi habemus amittere ?* Adnectit : *Cum lucri cupiditatibus quæstuosa pericula mercimoniorum in mari exercent : cùm pecuniæ causa etiam in foro nihil damnationi timendum aggredi dubitant : cùm denique ludo, & castris se locant.* Ac si dicat Tertullianus : Non debet charitas ob aliquam pecuniæ, aut commoditatis iacturam amicitiam violare, immò ipsis incommodis viuidiùs inardescere, cùm cœca ambitio, & insana affectio aperta intrepidè aggrediatur pericula, & manifesta despiciat incommoda. Profectò temporaria amicitia indè fugit, vndè probatur ; ast verus, & legitimus amor se non respicit, vt dilecto assideat, & ab eo periculum quoduis auertat. Promiserat Ionathas renuntiare Dauidi, si quid coniiceret, aut à patre definitum prænosceret. Dauid, qui per tres illos dies latere in agro proposuerat, Ionathæ obiecit difficultatem denuntiationis ; nam aut Ionathas egressurus erat solus, aut associatus ; si solus, videbatur maiestatem obscurare ; si associatus, sibi periculum quærere ; quandoquidem satellitium ipsum, vt Sauli adularetur, Ionathæ studia proderet, & indignationem acrius inflammaret ; *Quis renuntiabit mihi ?* Hanc obiectæ difficultatem Ionathæ, tradit Lira : *Hoc dixit, quia sibi difficile videbatur, quòd filius Regis venisset ad ipsum in agro, quin alij comitarentur ipsum, quod posset cedere in periculum ipsius Dauid ad faciendum voluntatem Regis, & similiter periculosum sibi videbatur, quod Ionathas renuntiaret Dauid per alium, eò quòd Dauid haberet omnes suspectos.* Admonere per alium erat periculum, exire sine regali pompa erat Ionathæ inglorium : verùm Ionathas amori suo adularus pompæ spreuit splendorem, & laboris est amplexus difficultatem : vnico puero lucem anteuertens contendit in agrum, vt amico ferret auxilium : *Cùm illuxisset mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo.* Molle relinquit lectum, placidum excutit somnum, nec expectat satellitum. Maiestatis splendori quid detrahebat vnico puero associatus ; verùm generosa amoris flamma splendorem despexit ; immò quo se nitidiùs proderet, difficultatem ambiuit, amori namque nihil est arduum, nihil est inglorium, immò gaudet ipsa

ipsa difficultate, vt maiori fulgeat nitore. Solus perrexit in agrum, quo Dauidi præstet obsequium.

TEXTVS.

VERS. XI. & XII. Et ait Ionathas ad Dauid: Veni, & egrediamur foras in agrum. Cúmque exissent ambo in agrum, ait Ionathas ad Dauid: Domine Deus Israel, si inuestigauero sententiam patris mei crastino, vel perendie, & aliquid boni fuerit super Dauid, & non statim misero ad te, & notum tibi fecero.

§. XVII.

In curiis nihil secretum, quia nescias quibus modis indaget, & publicet adulationis studium.

Curia. Secretum. Adulatio.

VT aruspices ex volatu, ex gannitu, auiumque cantu abstrusa prænoscunt, & temporibus adhuc tecta recludunt, sic inueniuntur in curiis coniectores, qui adulandi, placendique desiderio ex vultu, ex risu, ex verbo dubio secreta venentur, & quorum scire interest, gratiam sibi conciliare adnitantur. Tota aliquorum occupatio est, linceis oculis studia perscrutari, & secreta eruere, quorum denuntiatione aut pecuniam eluctentur, aut gratiam. *Consistory nostri* (monebat Cassiodorus Senatus Præfectum 11. *variarum 6.*) *secreta fideli integritate custodias.* Secreti integritas consistorium adornat, si violetur, debilitat. O tempora, ô mores! Quæ summo silentio celanda antè, si fas est dicere, quàm decreta audiuntur effusa, & quia secretum non tenetur, quod longa meditatione, & prolixo labore stabilitum eluditur. Ipsi, qui ad tractanda negotia à Principe designantur, solent ad aurem amici referare sibi commissum: vndè quod putabatur occultum, ipso in foro iam rumore auditur vulgatum. Ob id Ionathas in agrum duxit Dauidem, ne, si quid in curia decernant, aulici coniecturis venentur, & ad Saulem deferentes blandiantur: *Veni, & egrediamur foras in agrum.* Hunc fuisse huius egressionis scopum, testatur Abulensis *quæstione decima nona. Egressi sunt in agrum Ionathas, & Dauid, quia volebat Ionathas loqui cum Dauid aliqua verba, quæ nolebat audiri ab aliquo in vrbe.* Adiicit: *Et quia hìc agebatur de latibulo Dauid, si serui Saulis cognouissent, reuelassent ei, & mitteret illuc, antè quàm Ionathas descenderet ad eum, & incautum raperent Dauid.* Quia tractanda summo indigebant silentio, Ionathas fugit curiam, nec quemquam voluit adesse, quia nouerat curiales linceis oculis venari abstrusa, & propalare secreta: quia latibulum oportebat nesciri, non permisit Ionathas quem adesse. Rex Syriæ inito cum suis consilio Regi Israel disposuerat insidias. Non successit consilium, quia Elisæus Propheta aperuit Israelitis secretum: ergo grandi dolore perculsus consiliariis ascitis graviter conquestus est, se à suis prodi, & ad Regem Israel secretiora decreta deferri: *Conturbatum est cor Regis Syriæ pro hac re, & conuocatis seruis suis ait: Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israel?* Non conturbaretur cor eius, si aperto Marte dimicantes copiæ fugerent, aut perirent: Ast vbi suspicatus est secretum violari, non potuit dolore grauissimo non percelli; quandoquidem nullum grauius Reipublicæ, ac Principibus detrimentum, quàm secreta violari, & consulta eludi. Quid tunc? Vnus è seruis eius Regis dolorem solatus est, eam secreti inter suos obseruantiam coli testatus, vt, ni Israelitarum Regi prophetico spiritu, & cœlesti notitia Elisæus reserasset, nullis humanis artibus præcalluisset. *Elisæus Propheta, qui est in Israel, indicat Regi Israel omnia verba, quæcumque locutus fueris in conclaui tuo.* Se Rex quærebatur infortunatum, & seruus testatus est hac in re fortunatissimum, quandoquidem eius consiliarij ea integritate custodiebant secreta, vt sine spiritu prophetico nullatenus præscirentur arcana. Prodest Chrysostomus apud Glossam: *Nullus te (inquiunt) detulit, nullus tua consilia denudauit, sed est in istis Propheta sanctissimus, qui, si quid cogitas, nouit.* Quam erant illi Consiliarij suspiciendi, quando, vt prænosceretur secretum, fuit necessarium miraculum. His temporibus erit miraculum, si non effundatur secretum.

4 Reg. 6. v. 11.

§. LVIII.

Adeò iuramenti fides à viris iustis seruatur illæsa, vt nulla infirmetur occasione violata.

Iuramentum. Fides. Iustus.

INter varios humanorum casuum fructus, inter fluctuantes mundi procellas, humana fragilitas disperiret, si fidelitas non floreret. Incommutabilis fidei est omne, quod viuitur; sed tunc præcipuè, cùm Sacramento firmatur. Post longam amoris experientiam adhuc locus dubitationi relinquitur, adhuc timor de humana varietate fouetur: at si Religiosus, timoratusque vir, quid sub Sacramento promisit, omnem iam effectus dubitationem abegit. *Noueritis* (aiebat Athalaricus 8. *variarum 2.* Senatum alloquens) *diuina prouidentia fuisse dispositum, vt Gothorum, Romanorumque nobis generalis sensus accederet: voluntatem suam, quam puris pectoribus offerebant, iuris etiam iurandi religione firmarent.* Et si tener affectus iura amicitiæ custodiat, etsi sedulitas causas, quas suscipit, solicitè peragat, timori adhuc anxio locus relinquitur, & humanæ inconstantiæ varietate torquetur: at vbi iurisiurandi firmitas à benè morato adhibetur, iam omnis timoris ambiguitas propulsatur. Ionathas, vt animam suam Dauidem diligebat; verùm ne aliquo Dauid timore pulsetur, fidelitatem suam Sacramento confirmat, & Dauidis animum prorsus sedat: *Domine Deus Israel, si inuestigauero sententiam patris mei crastino, vel perendie, & aliquid boni fuerit super Dauid, & non statim misero ad te, & notum tibi fecero.* Otiosum videtur se obstringere Sacramento, qui ligatus agnoscebatur ardentissimo amoris vinculo. Si Dauid generosum adeò amorem expertus diffidit, etiam iuranti non credet. O iurisiurandi

iurandi vim ! Dei serui ea integritate iuratam fidem custodiunt, vt prudentia nequeat dubitare, aut cordato timore concuti. *Suadebat Dauid Ionathæ* (inquit Abulensis *quæst.* 17.) *vt si cognosceret sententiam patris contra illum, quòd reuelaret ei. In quo innuebat se aliqualiter dubitare, an Ionathas vellet reuelare Dauid sententiam Saulis, vel faueret patri suo tacendo sententiam eius. Ionathas autem hoc à se excludit.* Adiicit: *Sic patet infrà, vbi iurauit Ionathas, quòd si benè Saul iudicaret, reuelaret ei, & si malè, eodem modo.* Ea erat apud antiquos emissi iuramenti obseruantia, vt Ionathas Sacramentum emittat, quo iam Dauid omnimoda animum sedauerit certitudine, nec vlla solicitari possit dubitatione.

TEXTVS.

VERS. XIII. Hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat: Si autem perseuerauerit patris mei malitia aduersum te, reuelabo aurem tuam, & dimittam te, vt vadas in pace, & sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo.

§. IX.

Felicissimum est Principem nasci, sed in Principem glorioſius est communi consensu deligi.

Princeps. Consensus. Electio.

QVod honorabili vena promanat, fœlicitati debet adscribi; quod omnium assensu adquiritur, meritis, & virtutibus applicari. Qui clara origine exortus, prauis queit moribus degenerare, assensus omnium nequit mentiri. Audi Cassiodorum 8. *variarum* 2. *de Athalarico: Non protulit commota seditio, non bella feruentia pepererunt, non Reipublicæ damna lucrata sunt: sed sic factus est per quietem, quemadmodum venire decuit ciuilitatis auctorem. Magnum profectò fœlicitatis genus obtinere sine contentionibus Principatum, & in illa Republica adolescentem Dominum fieri, vbi multos constat maturis moribus inueniri.* Felix erat Athalaricus, quia ab Amalorum sanguine prognatus, quandoquidem ea erat generis claritas, vt qui indè exortus, iam Senatoriæ dignitari videretur adscriptus, & nascendi lege approbatus; verùm dum accesserunt omnium iudicia, dum tot proceres manu, consilioque glorioſi sine vllo murmure, vt assolet, attulere suffragia, non solùm resplenduit defœcatissimi sanguinis nobilitas, sed eximia, & laudanda probitas. Ob id Ionathas, qui tenerrimo Dauidem diligebat affectu, non solùm ei exoptabat regnum, sed omnium assensu stabilitum, & laudibus approbatum: *Sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo.* Non desiderabat Danidi patris sortem, quem tetro non ignorabat liuore adustum, durè à cacodæmone diuexatum, & turbidis anxietatum voluminibus mersum, sed in Regem eligi à populo, sicut Saul fuerat electus, & conclamatus. Hanc eius sententiæ vim esse docet Cajetanus: *Prædicentis regnum verba sunt, quod Deus faciet te Regem quemadmodum fecit patrem meum per electionem à populo.* Saul à Propheta inunctus postea fuit ab omni populo conclamatus: ergo inunctum Dauidem à Samuele discupit Ionathas à populo etiam communi assensu deligi, & in pace fastigio frui.

§. XX.

In persecutionum tolerantia iam regia præuidetur corona.

INuicta patientia, & constans in laboribus tolerantia æterni regni præsagium est. *Habet has vices conditio mortalium* (inquit Plinius in Panegyr.) *vt aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascantur. Occultat vtrorumque semina Deus, & plerumque bonorum, malorumque causas sub diuersa specie latent.* Latet corona sub persecutionum angustia, latet regnum sub laborum patientia, & vt ácriùs adspirans ventorum flatus, dum nauim inuadit, in portum aliquando celeriùs ducit; ita persecutionum tempestas, si patientiæ adsit gubernaculum, ducit ad regnum. Addit Plinius: *Magnum quidem illud sæculo dedecus, magnum Reipublicæ vulnus impressum est. Imperator, & parens generis humani obsessus, captus, inclusus, ablata mitissimo sen seruandorum hominum potestas, ereptumque Principi illud in principatu beatissimum, quod nihil cogitur.* Nerua patienter, mitique animo tulit labores, sed vicit, & regnum habuit, & dedit. Hac ratione ductus Ionathas, Dauid intuitus tot persecutionum procellis defatigatum, & eximia constantia, tolerantiaque munitum iam regnum prædicit, & sibi, ac suis misericordiam depoſcit: *Dimittam te, vt vadas in pace. & sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo.* Id est, vt Deus patrem meum fecit Regem, ita te ad regnum sublimabit. Prodest Cajetanus *Prædicentis regnum verba sunt.* Iam Ionathas præuidebat regnum, iam conspicabatur thronum: neque enim qui tot, tantosque labores patienter adeò sustinuit, quibat non consequi immortalem coronam, & nunquam marcescendam fortunam. Ioseph, dum a patre diligitur, dum polymita, ac fragranti veste exornatur, præ cæteris eminet Rex somnitus: ast dum venditur, dum affligitur, de patientiæ, & tolerantiæ suffragio Rex factus est verus: *Vestiuit eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit,* Si inquiras, cur modò vere adoratus à fratribus, qui anteà solummodò adorabatur per somnium? Respondit Basilius Seleucensis emicuisse modo patientia, & in laboribus tolerantia: inter delicias splendebat, sed erat præexcellentia somniata, inter anxios labores, & duras difficultates fuit vera. *Perennes virtutum gradus* (inquit *orat.* 8. *pedem promouent, ac velut inter ignes tentationibus colliquefactus, & probissimus athletes existens præmium virtutis regiam tulit dignitatem. Carcerem thronus excipit, & fit Ægypti dominus adulteræ captiuus.* Hinc discès dignitates originis lege prouenientes esse quodammodò somniatas, citóque finiendas; at quas attulit fortis tolerantia, inconcussa patientia, esse veras, in æternumque duraturas.

Patientia. Perseuer. Corona.

Gen. 41. v. 42.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XIV. & XV. Etsi vixero, facies mihi misericordiam Domini: si verò mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam à domo mea vsque in sempiternum, quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquemque de terra, auferat Ionatham de domo sua, & requirat Dominus de manu inimicorum Dauid.

§. XXI.

Prudens non solùm attendit præsentia, sed prudenter mittit oculos ad futura.

Prudens. Præsens. Futurum.

HVmanus oculus aut euanido præsentium splendore illectus, aut caligine tenebrosa obcæcatus ad futura prouidum non extendit prospectum, nec qualem demetere possit, expendit fructum. Prudens scit prouidenti visu futura prænoscere, & quid sibi expediat, consilijs sagacissimis prouidere. *Prudentiæ nihilominus est cauere* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 48.) *etiam quæ non putantur emergere.* Adnectit: *Hominum solicitudo non debet prouidere, quod potest in aduersitate requirere?* Prouidentia humanæ res contra vndas mutabilitatis fulciuntur, eius defectu omnia turbine confusa quassantur. Videbat Ionathas Dauidem odij, inuidentiæque voluminibus vndique retusum, & potestate regia impetitum; verùm, vt erat prudens, posse agnouit mutari fortunam, & in futurum sibi, ac suis exorat misericordiam: *Si vixero, facies mihi misericordiam Domini; si verò mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam à domo mea vsque in sempiternum.* Eximiæ prudentiæ, prouidentiæque fuit tempora anteuertere, & fortunam mutari posse, prænoscere. Ionathas tempora maturè præuisa viuit, & aduersus inconstantiam fortunæ floret. Dum misericordiam sibi, ac posteris exorat, spicula calamitatis exarmat. Prodest Lira: *Quia Ionathas pro certo tenebat Dauid regnaturum post Saul patrem suum, sicut & factum est.* Perspicaci intuitu vidit patris regnum citò finiendum, Dauidis nullis concussionibus perturbandum: ergo ad futurum extendit prouidentiam, & ludicram præsentium spreuit generosè fallaciam. Thamar, vt sibi blandientis, tuncque adulantis votis obtemperarit, pignus exigit: *Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas, quod polliceris.* Experiebatur tunc amoris blanditias, sed agnouit posse futuro tempore ardentes conuerti in flammas, & prouidit, quo vitarit futuras flammas, quando experiebatur blanditias. O quantis posteà Thamar premeretur angustijs, si ad futura tempora se non obarmasset indubijs veritatis testimonijs! Opportunè Hugo Cardinalis hic: *In futuro iudicio liberabitur, qui poterit ostendere Christo annulum, armillam, & baculum, id est, fidem, & opera, & patientiam.* Thamar præsens adspiciebat obsequium, sed futurum etiam præuidebat

Gen 38. v. 17.

Eman. de Naxera in Reg. Tom. II.

indicium: ergo sibi prouidenter consuluit, ad futuraque prudentem perspicaciam extendit. *In futuro iudicio liberatur.* Ionathas etiam felici fortuna vsus, eius mutabilitatem est veritus: prouidenterque acquisiuit misericordiam, ne posteà sine fructu lugeret miseriam: *Facies mihi misericordiam Domini.*

§. XXII.

Opportunum subsidium transmittit ad posteros, qui probos honestis obsequijs acquisiuit amicos.

Amicus. Posteri. Obsequium. Subsidium.

CORporalium patrum (aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 3.) *naturalis mos est de filiorum prouectione gaudere: dum eorum institutionibus applicatur, quidquid laudis in clara prole conceditur.* Parentes filijs viuunt, & vt posteritati prosperam stabiliant fortunam, nullam asperi laboris detrectauere molestiam; sed qui commodis filiorum prouidenter attendunt, probos sibi amicos actionibus honestis deuinciunt: vt ex generosa amicitiæ radice dulces filij demetere possint fructus, & aduersus inconstantis fortunæ casus optimos sortiri patronos. *Agnoscitis* (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 2.) *quandam esse consuetudinis legem cum illo imperio, amicitiam Amalos semper habuisse, quæ tantò certior, quantò venustior; quia facilè mutari non potest, quod per longa sæcula custoditur.* Amicitia per longa sæcula custodita, quæ fixis pululauit radicibus, felices etiam posteris offert prouentus, & salubrem ministrat vmbram contra asperos infortuniorum adsultus. Ionathas Dauidem honestissimo sibi amore deuinxerat; & ab eo posteris votiuam exorat misericordiam: *Non auferas misericordiam tuam à domo mea vsque in sempiternum.* Vsque in sempiternum posteris Ionathæ veluti hæreditaria remansit gratia, quam parens eis acquisiuit Dauidis vtili, ac honesta amicitia. *A domo mea* (inquit Hugo) *id est, à filijs meis.* Consonat Abulensis *quæst.* 21. *Non auferes misericordiam tuam à domo mea in sempiternum, id est, semper misereberis domus meæ, & hoc in sempiternum, id est, quandiù vixeris, & filij mei vixerint, atque cæteri posteri.* Omnes Ionathæ posteri honestas amicitiæ vsuras à Dauid acceperunt, & Ionathas, dum optimum sibi amicum officijs obstrinxit, optima filio tutela contra fortunam armauit. Abrahamus Angelos hospitio suscipit, & saporatis edulijs pascit. Posteà cùm Ismael desertorum recessibus siti adureretur ardentissima, & immaturæ mortis adurgeretur præsentia; Dei Angelus adest, & opportunè puero succurrit: *Vocauit Angelus de cœlo Agar, dicens: Quid agis Agar? noli timere.* Angelus Isaacum à gladio ceruicibus impendenti, siti Ismaelem viuidissima æstuantem recreat, & cur Angelus Abrahæ posteros sic refoueat? Quia Angelus, respondet Caietanus, à parente humane hospitio exceptus, & vrbanè cultus: ergo filijs magnis vsuris soluit, quod à patre accepit: pro exigua ad abluendos pedes aqua fontem exhibuit scatentem vndarum limpidissima copia. *Appellatur Angelus Elohim* (inquit Caietanus) *hoc est, Angelus Dei quatenus Deus iustitiam exercet.* Præmiserat: *Ad insinuandum meritũ Abrahæ, propter quem exaudiuit puerũ.* Contracta cum Angelo hospite amicitia filiorũ fuit opportuna tutela,

& à parente exhibitum generosè obsequium, opportunum filijs acquisiuit patrocinium; Qui filijs desiderant in posterum prouidere, sibi fideles, proboſque amicos procurauerint officijs exhibitis conciliare.

§. XXIII.

Cœlesti manu prorsus eradicantur, qui Dei amicos iniquis, & odijs pertinacibus persequuntur.

Iustus. Odium. Persecutio.

INdiscreti hominum mores (aiebat Cassiodorus 9. *variar.* 22.) *confusique vagarentur, si aut culpa formidinem, aut virtus præmia non haberet.* Vt virtutem gloria, culpam comitatur etiam pœna, & qui, Deo dissimulante, indemnitatem sibi promittit, egregiè imponit: verùm etsi quamuis culpam dura sequatur pœna, seuerior tamen districtio eos vrget, qui in Dei seruos iniquis odijs flagrarunt, & duris persecutionibus afflixerunt. Vt vidit Ionathas Saulem cæci odij insania in Dauidem insurgere, durisque persecutionibus Dei amicum diuexare, filijs suis solicitè prouidit tutelam, & exorauit misericordiam: *Non auferes misericordiam tuam à domo mea vsque in sempiternum, quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquemque de terra.* Non ait, si fortè eradicet, sed *quando eradicauerit*; vt qui non dubitaret cæteros Saulis pertinaciter adeò infectantis Dauidem filios prorsus euellendos, & penitus extirpandos, idque non humano consilio, sed cœlesti decreto: quandoquidem honori ducit Deus; quàm sui consecrauerunt patientiam, inflictis persecutori pœnis vindicare, & vnius supplicio reliquos admonere, ne, vt aiebat Cassiodorus, indiscreti hominum mores, confusique diuagentur, si aut culpa formidinem, aut virtus præmia non habuerit: itaque nec culpæ formidinem potest vitare, nec virtus laude carere. Opportunè Lira: *Quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid: sciebat enim patrem suum cum domo sua puniendum propter persecutionem Dauid iniustam.* Persecutio iniusta domum totam Saulis euertit, & radicitus aulsit; nam etsi Dauid patienti tulerit tolerantia, cœlestis inuigilabat iustitia, nec filij poterant efflorere, dum constabat patrem inuidentiæ flammis aduri. Aman acerbam patibuli meritò tulit pœnam, & ipsa morte acerbiorem infamiam, sed & eius filij stipitibus disperierunt affixi: *Decem filij Aman in patibulis suspendantur præcepitque Rex, vt ita fieret.* Omnis posteritas iniustæ persecutionis tulit præmia radicitus euulsa, & patibulis discruciata. *Vt sic iustitia* (inquit Lira) *vniformis fieret in patre, & filijs.* Si alio crimine Aman peccasset, acris adeò mulcta filios forsitan non tetigisset; aut dum insano odio iustos persequitur, cum filijs eradicatur.

Esther. 9. v. 13.

TEXTVS.

VERS. XVI. & XVII. Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid, & requisiuit Dominus de manu inimicorum Dauid. Et addidit Ionathas deierare Dauid, eò quòd diligeret illum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum.

§. XXIV.

Amor non quiescit, si quid suspicionis in corde amati remanere præsumit.

IN causis (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 36.) *semper est suspecta potentia; dum velle creditur, quod posse indicatur.* In causis, qui potentia obarmatus, suspicionibus viuit obnoxius, & quamuis voluntatis promat desiderium, in audientis animo aliqualem timoris remanere videas stimulum, etiam cùm securitas promitur, ne, quod potest, velit timetur: nec huiusmodi suspiciones minus animum stimulare solent tenerè amantis, quàm præsumentis. Non sustinet amor in amato vel leuissimam diffidentiam, tum quia factam sibi putat iniuriam, tum quia dilecto exoptat pacem tranquillam. Ionathas cum Dauid fœdus init: *Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid.* Post initum fœdus Ionathas execrationes addidit, & in se maledicta, si violarit fidem congessit: *Et addidit Ionathas deierare Dauid, eò quod diligeret eum.* Gemina jam exoritur difficultas; quid videlicet jam inito fœdere opus fuerit deierare, & cur amor deierandi occasio dicatur fuisse? Vtrique difficultati eadem adhibenda est solutio. Ionathas Dauidem vt animam suam amabat, & quia post initum etiam fœdus aliquali suspicione solicitari præsumpsit, addidit deierare, vt ab omni Dauidem suspicionis angore eximeret, sicque & honori suo prouidebat, & Dauidis commoda procurabat. Ita noster Sancius: [Hoc iterabat sæpè, quia de sua benevolentia, ac fide Dauidem dubitare ferebat molestè, neque amor, quo illum prosequebatur, permittebat, ne quid sineret hærere in illius animo, quod illius pacem, & quietem turbaret.] Ionathas, vt qui tenerè diligeret, non sustinebat de fide sua dubitari, nec Dauidem dubitatione torqueri: ergo si fidem violatæ, maledicta congessit, vt Dauid omnem ab animo suspicionem expunxerit, & deleuerit: est enim generosè, ardenterque amantis non solùm suspicionis contra se occasionem non dare, sed vtcumque exortam depellere. Serpens, vt contra Deum bellum conflet, mulierem insidiosè aggreditur, & iniquam suspicionem fouere conatur. Cur Deus vetuerit scientiæ lignum interrogat, vt Euam in suspicionem venire faciat: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi?* Basilius Seleucensis *orat.* 3. hac fraudulenta dubitatione ait non solùm insidias obtendisse mulieri, sed artificis amori; nam dum Euam fluctuare facit, jam

Amor. Suspicio.

jam ſolicitudinem Deo ingerit. Eis vocibus perſuaſa eſt mulier præceptum illud non ab amore dictatum, ſed ab alia cauſa exortum: ergo dum ea ſuſpicione fluctuat, Deum tenerè amantem diuexat: eſt enim amantis tormentum, ſi res amata ſuſpicionis in corde patiatur aculeum: ergo bellum contra Deum conflat, cùm in corde Euæ inquietam ſuſpicionem ingenerat. *Quo conſilio, dic mihi* (ſcribit nomine ſerpentis Baſilius) *cibo Deus interdixit? Quid ſpectabili re commonſtrata vſu priuauit? Cui oblectationem hanc recondit? Cui vobis ablata reſeruat? Satius erat non dediſſe, quàm dato interdixiſſe: paradiſum dedit, & cibum non conceſſit. His vocibus auditum ſubuertit, & rationem obſidet, vtque mens animæ fluctuet, facit: percuſſit aurem, vt conſcientiam ladat.* His dubijs percuſſa mens jam aliquam contra amantem ſuſpicionem ingenerabat, & amantem mens inquieta diſtorquebat: eſt enim amanti duriſſimum, ſi amatus quid contra amorem ſuſpicetur, & vanis ſuſpicionibus torqueatur. Ergo Ionathas omnem de Dauidis corde adniſus eſt ſuſpicionem depellere, quia aliter ipſe Ionathas tranquillè non poſſet viuere.

TEXTVS.

VERS. XVIII. & XIX. Dixitque ad eum Ionathas: Cras Kalendæ ſunt, & requireris: requiretur enim ſeſſio tua vſque perendie. Deſcendes ergo feſtinus, & venies in locum vbi celandus es in die, qua operari licet, & ſedebis iuxta lapidem, cui nomen eſt Ezel.

§. XXV.

Qui mundi diſcupit fruſtrare pericula, Chriſti Domini ſequatur exempla.

Periculum. Exemplum.

HAbemus vndè poſſimus fucata mundi pericula deuitare, ſi velimus Chriſtum Dominum ſequi, eiuſque tuta veſtigia imitari: & licèt omnia ſub prudenti cautela peragenda ſint, illic tanto à timore veri periculi plus recedimus, quantò eius lumini propinquamus: *Oſtendit te* (aiebat Caſſiodorus 8. *variar.* 9.) *illius eſſe diſcipulum, qui nunquam aberrauit in caſſum, iunctus Amalo generi nobiliſsima tibi facta conſocia, omne ſiquidem bonum regia ſuadere debet affinitas.* Affinitas Chriſti, vt omne bonum ſuadet, ſic nos contra omnia aduerſariorum tela communit. Ionathas Dauidis amantiſſimus monet iuxta lapidem Ezel latitare, vt poſſit ſaluti ſuæ certiſſimè prouidere: *Sedebis iuxta lapidem, cui nomen eſt Ezel.* Hugo Cardinalis moribus adaptans hiſtoriam in lapide agnoſcit Chriſtum: cui ſi pœnitens approximet, omnia pericula eludet. *Sedet pœnitens iuxta Chriſtum imitans veſtigia eius.* Longiſſimis interuallis diſtat Chriſti ſequutus veſtigia à nociua ſequentibus deſideria: ergo ipſa diſtantia eſt contra illorum fraudes munita tutela. In Ionatham, qui præſens aderat, haſtam pater arripit percutere adniſus; verùm Dauid à diſcrimine inuenitur alienus, quia Ezel vmbra protegitur aſſeruatus. Pœnitens Chriſto adhærens vera animæ pericula eludit, immò etiam ſalutis diſcrimina fortunatus euadit. *Capilli tui* (aiebat ſponſus) *ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Et cur capillos capris comparet, & ipſa ſinſilitudine deuenuſtet? Quid expolitis, comptiſque capillis cum hirſutis, & monticolis capris? Quia capræ (inquit Ambroſius) gaudent ſecuritate, vbi alia animalia anxia adurgentur ſolicitudine: ergo vbi ſponſa recedit à ſæculo: *Quæ aſcenderunt*, diſtat etiam à periculo. Audi Ambroſium in collectis: *Vbi alys præcipitia, ibi capris nullum periculum; vbi alijs periculum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior. Spectantur à paſtoribus ſuis dumoſa de rupe pendentes, vbi luporum incurſus eſſe non poſſunt.* Et cur tanta capillis ſecuritas, & tam ſecura proſperitas? Audi ex Salomone: *Comæ capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus.* Vbi Chriſti vulneribus, vndè ſalus effluit, vndè vita promanauit, arctiſſimo nexu adſtringitur, adinſtar caprarum ab omni inſidiantium rictu liberatur. Redeat Ambroſius in Collectis: *Ornatus capitis tui ſicut purpura, ſanguis Chriſti purpura eſt, qui inficit ſanctorum animas, non ſolum colore reſplendens, ſed etiam poteſtate, qua Reges facit.* Ipſum capillorum vinculum erat contra inſidias munitiſſimum caſtrum, & quia comæ capitis canalibus vinctæ, à luporum incurſibus prorſus alienæ.

Can 4. v. 2.

Cant. 7. v. 5.

§. XXVI.

Ipſo, quo quis Dei tuetur honorem, acquirit ſibi ſalutem.

IMpendendum eſt (aiebat Caſſiodorus 11. *variar.* 5.) *quidquid fides, quidquid magna poteſt exhibere cautela, quia illud verè noſtrum eſt commodum, quod illorum mihi procurat affectum. Lætentur præſentibus gaudijs, qui erant de noſtra actione ſuſpenſi. Illorum me deſideria, illorum me vota iuuerunt.* Qui Principem iuuerunt, ſibi gaudia; & ſoſpitatem in auaris animis procurarunt, & quod Principi inſeruiuit ad honoris augmentum, & ſubiectis adauxit commodum. Ezel lapis ſecurum eſt Dauidis profugium, & munitiſſimum contra aduerſariorum inſidias caſtrum: *Venies in locum, vbi celandus es in die, qua operari licet, & ſedebis iuxta lapidem, cui nomen Ezel.* Inquires cur Dauid in lapide placidam inuenerit quietem: *Et ſedebis*, & tutam etiam ſalutem? *Vbi celandus es.* Quia Dauid lapide Dei honorem defendit, & periculum, vt defenderet, adiuit: *Tulit vnum lapidem, & funda iecit.* Pro Deo deſpexit periculum, & lapide deiecit ferociſſimum aduerſarium: ergo in lapide vitæ inuenit auxilium, quia lapide pro Dei honore proceſſit in campum. *Ezel* (inquit Hugo) *fortitudo Dei.* Deus ſuam oſtentat ad tuendum Dauid in lapide fortitudinem, quia Dauid lapide Dei tutatus

Zelus. Salus.

Sup. cap. 17. v. 49.

fuerat honorem: nam quod Deo ſeruit, homini proficit, & ſuſceptum pro Dei honore periculum vertitur in ſecurum profugium, & inexpugnabile tutamentum: *Ezel fortitudo Dei:* Dauid, qui fortis manu interpretatur, pro Dei inuicta fortitudine decertauit: ergo pro ſe decertantem Dei fortitudinem adinuenit. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Eiſdem armis, quibus Principem defendunt, à ſe timores nocturnos abigunt, & quæ exhibetur tutela Principi, exhibentium etiam applicatur ſoſpitati. Timet diabolus pro Chriſti honore periculum non timentes, & ſibi maturauere ſalutem, qui Principis defenſarunt honorem. Audi Gregorium hic: *Salomon pacificus interpretatur: Quid ergo per Salomonem niſi Chriſtus intelligitur, de quo ſcriptum eſt: Ipſe eſt pax noſtra.* Ecce pacem inuenerunt ſibi, qui armati pro Chriſti deſudauerunt honore: Chriſtus, qui eſt pax noſtra, ab eis depulit timorem nocturnum, dum eius ambierunt lectulum.

Cant. 3. v. 7.

§. XXVII.

Qui ſæculi voluptatibus interdicunt, placidiorem quietem inueniunt.

Voluptas. Quies.

Deò (aiebat Athalaricus de Tolonico 8. *variar.* 9.) *eum noſtrorum fama concelebrat. Vixit ſemper relationibus, qui quandoque moritura contempſit.* Qui fallacia ſæculi oblectamenta, & peritura citò contempſit gaudia, non amiſit tranquillitatis commodum, ſed adiecit ſibi famæ incrementum. *Cras* (aiebat Ionathas.) *Kalendæ ſunt, & requireris: requiretur enim ſeſſio tua vſque perendiè.* Vno, & altero die, ſi Kalendarum celebritati, & conuiuijs adeſſet, poterat Dauid menſis opiparis frui: *Requiretur enim ſeſſio tua vſque perendie:* Verùm dum ſe ſubtraxit, tranquillitatem non amiſit, immò vſque ad diem tertium protraxit: *Sedebis iuxta lapidem, cui nomen eſt Ezel.* Iuxta lapidem longiori fruitus eſt quiete, qui in Kalendarum celebritate frueretur breuiori. Conuiuijs aſſiſtens delicatis frueretur ferculis, annoſis vinis, ſed inter ipſa pocula pateretur contorta tela, aut ſaltem interna ſoliciti timoris ſpicula. Iuxta lapidem per tres dies ſine interruptione tranquillitate potitur, & exiguum menſæ gaudium fruſtrato periculo compenſatur. Ionathas menſis adſtat, ſed Saul haſtam contra ipſum iaciendam prenſat. *Arripuit Saul lanceam, vt percuteret eum.* Ionathas fugit, vt periculum euaderet, Dauid adeſſe noluit, vt periculum non ſubiret. Prodeſt Hugo: *Sedet pœnitens iuxta Chriſtum, imitans veſtigia eius, Threnor. cap. 3. ſedebit ſolitarius, & tacebit, & leuabit ſe ſupra ſe.* Deliciæ exiguo tempore adularentur palato, menſæ aſſidens frueretur honore, ſed magno ſubiacebat diſcrimini, ſe ſubſtrahens fruſtrauit periculum, & potitus eſt honeſtum, & ſecuriſſimum otium: Iudith fœminarum decus Dei pulſu ad hoſtium caſtra tetendit. Holofernes grata oculorum pellacia captus ſaporatis dapibus ſtatuit demulcere; demulcendoque inſidias pudori ſtruere: *Conſtituit quid daretur illi de conuiuio ſuo.* Verùm Iudith vrbanè recuſatis conuiuijs, quæ ſecum detulerat, auſterioribus eſt vſa alimentis: *Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat ſuper me offenſio: Ex his autem, quæ mihi detuli, manducabo.* Vides voluptatibus renuntiantem, & ſe delicijs prorſus ſubſtrahentem, attende quanta ſibi gaudia abſtinentiâ emit, quàm opulenta ſpolia acquiſiuit. Detruncauit hoſtem, plebi ſuæ eſt aſſequuta ſalutem. Expendit acutè Auguſtinus *ſerm.* 242. *de Temp. Contempſit vnum, & conſequuta eſt totum.* Negotiatio fuit aliquid amittere, vt lucraretur maiora, lautum ſpreuit conuiuium, ſed cumulatius potita eſt gaudium, & celebrandum ſæculis triumphum.

Iudith 12. v. 2.

§. XXVIII.

Ita aliorum eſt conſulendum æquitati, vt tuæ non afferat detrimentum virtuti.

Virtus. Diuinitus. Prouenit.

De fide, atque conſtantia (aiebat Caſſiodorus 8. *variar.* 8.) *tales ſunt commonendæ perſonæ, quæ deſiderijs humanis diuerſa ſorte quatiuntur. Vos autem, quos patientia firmos efficit, & mens religioſa conſolidat, ad Prouincialium potius conuenit adunationes animari.* Ita conuenit aliorum vtilitatibus prouidere, vt nulla propria virtus detrimenta contingat pati: ſeruanda eſt ſtudioſè ſapientiæ firmitas, & ſolida mentis religioſitas, ne vituperando commercio alijs proficias, & tibi noceas. Si nemo alijs naſcitur ſibi moriturus, non debet alijs ſtudere, criminibus infuſcandus. Ionathas, etſi tenerrimo erga Dauidem fauciaretur amore, ſic eius prouidit periculo, vt nullo ipſe inficeretur reatu: poſt Kalendas promiſit Dauidi renuntiare, quidquid ſagaci prudentia de Saulis animo valeret conijcere: [Cras Kalendæ ſunt, & requireris: requiretur enim ſeſſio tua vſque perendiè. Deſcendes ergo feſtinus, & venies in locum, vbi celandus es, in die, qua operari licet.] Cum amor neſciat tarda molimina, videtur Ionathas amori ſuo iniuriam irrogare, dum differt vſque ad diem, qua operari licet, dilectum ſibi admonere. Si prima, aut ſecunda Kalendarum die patris venatur ſtudium, ocyſimè pergat, & anxijs diuexato ſolicitudinibus, quod nouerit, patefaciat, nec expectet diem, qua liceat operari, ne tepidi amoris aliquam ſuſpicionem videatur ingerere. O Ionathæ imitandam prudentiam! Ezel lapis maiori diſtabat interuallo, quàm dies feſtus permitteret peragrare. Si ergo Ionathas feſtis diebus iter arriperet, præcepti violatione Dauidis ſaluti attenderet: ſi expectet, qua operari licet, diem, ſine legis querela poterit Dauidem prouida communire notitia: ergo ita conſuluit dilecti diſcrimini, vt propriæ etiam attenderet ſanctitati: eſſet namque imprudens amor, ſi virtutis detrimento ſtuderet alterius commodo. Audi Abulenſem *quæſt.* 25. *Lapis Ezel erat longè ab vrbe Gabaa, in qua erant Saul, & Ionathas. In die autem feſto non licebat alicui Iudæorum progredi extra locum, in quo habitabat vltra mille paſſus.* Itaque cum Ezel vltra mille paſſus iaceret, ſi Ionathas inuolaſſet renuntiaturus, legem violaret: ergo diſtulit nuntium,

nuntium, ne commiserit contra legem erratum, suisque nos eruditi factis sine legis querela aliorum prouidere discrimini, studereque sospitati. Sponsus dilectam suam hortorum fonti comparauit: *Fons hortorum.* Fons hortorum rigat plantaria, fouet amœna, non lauat sordida. Notauit Gillebertus *serm.* 37. *Fons est hortorum, & delicatè fluit, qui non ab hortis egreditur, qui non lauat. sed rigat. Cuius in hoc omnis vsus est, non vt auferat fœditatem, sed vt fœcunditatem afferat.* Si huius fontis vsus esset lauacro, lotis afferret candorem, sed suggereret sibi sordiciem, rigando verò consulebat plantarum pulchritudini, & ariditate depulsa fauebat viriditati: ergo irrigandi vsum exhibuit, non lauandi: gratam plantarum fouit floriditatem, quin aliquam ipse fons contraheret macularum sorditiem.

Cant. 4 v. 15.

TEXTVS.

VERS. XX. Et ego tres sagittas mittam juxta eum, & jaciam quasi exercens me ad signum.

§. XXIX.

Bonus Princeps, etiam dum se oblectatione recreat, suorum commodis prouidenter inuigilat.

Princeps. Subiectus.

SVbjectorum prosperitas, & securitas est dominantis ornatus, & tunc verè munus impletur, cùm ad eorum vtilitates cura inuigilans applicatur. *Vestra securitas* (aiebat Theodahadus 10. *variar.* 17.) *noster ornatus est, & hoc verè gratanter accipimus, cùm gaudia vos habere sentimus.* Opus est seria negotia aliquando intermittere, & animum curis pressum honesta aliqua oblectatione leuare: verùm qui dignè principatum gesserunt, ipsis in ludicris tractarunt seria; feras venatione insecuti edisserebant hostes impetere, tendendo retia, erudiebantur figere castra. Disertè Seneca *epistola* 51. [Illi quoque, ad quos primos fortuna Romani populi publicas opes transtulit. C. Martius, & Gn. Pompeius, & Cæsar extruxerunt quidem villas in regione Baiana, sed illas imposuerunt summis jugis montium: videbatur hoc magis militare, & ex edito speculari latè, longéque subjecta. Adspice quam positionem elegerunt, quibus ædificia excitauerunt locis, & qualia: scias non villas esse, sed castra.] Itaque in Baias amœnissimo, & omni voluptate scatente campos celebres illi Imperatores ad leuandum animos pomaria, viridariaque sibi delegerunt; verùm sic summis montium culminibus extructa vt munita censeres castra; speculæ etiam erant ad hostiles præuidendos, & reprimendos adsultus, qui irrigui horti ad exhilarandos animos. Horum vestigia sequutus est Ionathas: in campum processit, vt curas ad speciem leuaret, & arcu se ad signum exerceret; verùm ipse Principis oblectamentum Dauidi inseruiebat ad propulsandum periculum: *Ego tres sagittas mittam iuxta eum, & iaciam quasi exercens me ad signum.* Ipsis sagittis, quibus Ionathas leuamenti causa se exercebat, Dauidis commodum procurabat, & quod erat Principi indicra exercitatio, erat Dauidi vtilis admonitio. *Recessurus erat Dauid* (inquit Abulensis *quæst.* 27.) *vel staturus per hæc signa.* Ex ipsa Principis oblectatione subjecto promanabat prosperitas, & securitas. O quam contrarium solet accidere: magnis agricolarum incommodis, sumptibusque Principes solent disponere venationis sibi gaudia, laboriosaque oblectamenta. Christus Dominus maris Galileæ littora obambulat ad speciem leuandi laboris causa, reapse verò piscaturus, qui in marinos fluctus mittebant retia: *Ambulans Iesus iuxta mare Galileæ vidit duos fratres, Simonem, qui vocabatur Petrus, & Andream fratrem eius.* Obambulat indulgens salutifero otio, & dum oculos grato maris pascebat prospectu, studebat animarum saluti. Itaque cùm innoxia illic Dominus oblectatione fruitur, animas expiscatur. Notauit Theophilactus ad hunc locum: *Sic veniens Christus piscatur eos, dicens: Venite post me.* Expende illud, *sic veniens*, id est, etiam cùm juxta adulantes terræ vndas leuamenti specie obambulat, suorum attendit vtilitati, eodem tempore illa honestà obambulatio afferebat Christo oblectamentum, & suis ingentissimum lucrum, quo Principes, superioresque nouerint, etiam cùm nihil ad speciem videntur agere, suorum vtilitatibus prouidere.

Matth. 4. v. 18.

§. XXX.

Periti superioris est blandis subjectos persanare, & cassis ictibus præmonere.

Princeps. Vulnus. Ictus.

PEriti, doctique medici majorem sibi tunc conciliant admirationem, cùm absque ferro, & igne, quæ in belli modum solent morborum vim edomare, morbis nouerunt consulere. Opportunè Seleucienses Basilius *orat.* 30. *Leuibus pharmacis affectæ parti adulantes ægrum scite persanant, & artis seueriora præcepta cohibent: mitè interim, ac familiari quodam victu dolore sopito ægrum à morbo liberum ostendunt.* Ad hunc modum spirituales medici jam minaci pietate imprudentes cohibent, jam doctis adhortationibus animorum ardores sedant, ostensis jam præmiis ad virtutis viam arripiendam sapienter inuitant. Hanc sacra scriptura historiæ coloribus vtilem nobis delineauit politiam in Ionatha admonente Dauidem; nam cùm Dauid discriminibus vrgeretur, Ionathas, qui columbæ donum interpretatur, tres sagittas jacit, non subjectum transfodiendi studio, sed seruandi desiderio: *Ego tres sagittas mittam iuxta eum.* Sagittæ mittebantur, non vt vulnus infligerent, sed vt casso vulnere præmonerent. In tribus his sagittis agnoscit Hugo Cardinalis pias minas, adhortationes blandas, præmiorum pollicitationes proficuas. Ipsum audi: *Tres sagittas, scilicet comminationis, promissionis, exhortationis. Has sagittas debet iacere omnis prædicator.* Qui impurato spiritu agitabatur Saul, telum jecit liuori suo adulatus, & Dauid transfodere adnisus: at Ionathas spiritu cœlesti afflatus sagittas jacit, non quibus subjectum vulnerarit, sed quibus ab eo periculum omne depulerit. Sagitta comminationis terrorem incutit, sed non lædit: sagitta exhortationis piè iraseitur, sed medetur; sagitta promissionis stu-

dium excitat, & virtutis cauſam ſolicitat. His ergo ſalubribus ſagittis euangelica pharetra præmunitur, non venenatis armatur. His jaculis inſtructum proceſſiſſe Baptiſtam notauit idem Hugo: nam *Matthæi 3.* minis deterrebat, & à vitiis reuocabat: *Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Minatur excidium, oſtentat incendium, ſed vt ipſis minis fruſtretur & incendium, & excidium. Nec ſolùm minarum pharmacis procurauit ſalutem, ſed blandis etiam adhortationibus, & lucroſis promiſſis: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum.* Ecce, vt viam ſalutis faciat arripere, regni cœleſtis præmium adlaborat oſtendere, & his ſagittis jactis vitam non conuulnerat, ſed animorum vulnera ſanat. Accipe Hugonem: *Primam iecit Ioannes Baptiſta, quando dixit: Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt: ſecundam, & tertiam, quando dixit: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum.* Diſcant ſuperiores à Ionatha, & Ioanne ſuorum ſtudere ſaluti, terrore demonſtrato, adhortamento adhibito, præmio oſtenſo; non ſequantur Saulis exempla, qui haſtam jecit, non vt admoneret, ſed vt feriret.

Matth. 3. v. 10.

Matth. 3. v. 2.

TEXTVS.

VERS. XXI. & XXII. Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade, & affer mihi ſagittas: ſi dixero puero: Ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas, tu veni ad me, quia pax tibi eſt, & nihil eſt mali viuit Dominus. Si autem ſic locutus fuero. Ecce ſagittæ vltra te ſunt: vade in pace, quia dimiſit te Dominus.

§. XXXI.

Prudens contra futura impedimenta ſe obarmat, & perficere prudenter ſancita anhelat.

Prudens. Pactum. Prouidētia.

PRouidentia vtilem ſibi adhibebit cautelam, quæ ſæpè inuenitur neceſſaria, aut non grauat, etſi aliquando fuerit ſuperflua. Quæ in futurum decernuntur, multiplicibus ſæpè difficultatibus implicantur, quæ ſi ſagaci non præuideantur intuitu, optato ſancita carere ſolent effectu. *Omnia ſubita* (aiebat Caſſiodorus 1. *variar.* 17.) *probantur incauta: & malè conſtructio loci tunc quæritur, quando iam pericula formidantur. Adde, quòd animus eius non poteſt eſſe in audaciam pronus, qui diuerſa fuerit cauſa ſolicitus.* Si prouidentia ad futura perſpicaciam extendat, quæ tunc obſtare poſſent, impedimenta anteuertit ſolicitudine præmatura; at ſi quæ occurrere poſſint, prudenti conſideratione non euoluantur, tarda, ac inutili ſæpè pœnitudine ſuſtinentur. Ionathas ſignum Dauidi exhibet, quo poſſit aut de ſecuritate, aut diſcrimine præmoneri: *Si ſic loquutus fuero puero: Ecce ſagittæ vltra te ſunt, vade in pace.* Si proprio ore puero jam abſenti Dauidem alloquitur, otioſè ſignum ad ſpeciem ſtatuitur. Immò prudentiſſimè (inquit Caietanus) ſignum ſtatutum eſt, ne fortè impediretur affatus, ſi ſuperuenientibus cauſis retardaretur acceſſus, cùm eo die liceret operari, contingens erat plures illac ad excolendam tellurem tranſire, qui allocutionis occultæ eſſent aperta obſtacula, manifeſtaque impedimenta: ergo prudentiſſimè Ionathas ſtatuit ſignum, vt, licet colloquia non poſſent miſcere, poſſet Dauid, quæ deſiderabat, ſcire. Caietanum audis: *Neſciens Ionathas, ſi in tali euentu commoditas dabitur alloquendi Dauidem, dicit, quod hoc ſigno audito non expectet eum amplius, ſed vadat.* Accidere poterat, vt Ionathæ ſerui agnoſcentes in agrum tetendiſſe, inuolarent, vt ei aſſiſterent, vt etiam erat contingens inopinè aliquem ſuperuenire, cuius præſentia impedimentum afferret: ergo Ionathas, vt erat prouidus, ſic rem diſpoſuit, vt etiam ſuperuenientibus impedimentis, quiret quod deſiderabatur abſolui, & ſigno ſtatuto perfici. Si plures cogitarent poſſe inopina impedimenta ad animæ expiationem ſuperuenire, matura ſe prouidentia diſponerent: at dum ſolùm præſentia attendunt, ſe ipſos ſæpiſſimè fallunt. *Fera* (Caſſiodorum audis 3. *variar.* 48.) *pro qualitate temporis cubilia quærunt. Hominum ſolicitudo non debet prouidere, quod poteſt in aduerſitate requirere?* Ionathas, quæ emergere poſſent præuidit, & ſe prouidenter contra futura impedimenta obarmauit.

TEXTVS.

VERS. XXIII. De verbo autem quod locuti ſumus ego, & tu, ſit Dominus inter me, & te vſque in ſempiternum.

§. XXXII.

Vera amicitia ob propria commoda non degenerat, nec ob aduerſitates imminentes inconſtans nutat.

MVlta Ionathas generoſi ſui, ac legitimi amoris erga Danidem oſtenderat argumenta, quia tamen Dauid modò, ſi Saulis odium perſeueraret, ab eius erat oculis receſſurus, initum fœdus iterum in memoriam reuocat, quo Dauid nulla pulſetur ſolicitudine, veritus, ne Ionathas demutarit ſententiam, aut regni ſpebus illectus, aut Danidis diſtantia, & fortuna aſpera tepefactus. Quadrat Ionathæ, quod de Geſimundo ſcripſit Athalaricus 8. *var.* 7. [Extat gentis Gothicæ huius probitatis exemplum. Geſimundus ille toto orbe cantabilis ſolùm armis filius factus tanta ſe Amalis deuotione conjunxit, vt hæredibus eorum curioſum exhibuerit famulatum, quamvis ipſe peteretur ad regnum. Impendebat aliis meritum ſuum & moderatiſſimus omnium, quod ipſi conferri poterat, ille paruulis exhibebat.] Ionathas petebatur ad regnum; verùm ille Dauidi exhibebat, quod ipſi pater ſtudioſiſſimè procurabat. Sæculis Ionathas celebrandus efloruit, quando nec Dauidis calamitatibus ab eius amicitia ſe junctus, nec propriis commodis eſt illectus: *De verbo autem, quod locuti ſumus ego, & tu, ſit Dominus inter me, & te vſque in ſempiternum.* Abulenſis *quæſt.* 28. ſic verba inter

interpretatur: *Id est, Deus sit testis vsque in sempiternum huius fœderis: quasi dicat: si aliquo tempore illud irritaueris, quandocumque hoc fuerit, Deus sit testis, quod præuaricaris, & similiter contra me, si præuaricatus fuero.* Nullis siuè prosperis, siue aduersis successibus spondet Ionathas fœdus initum à se violandum, & à Dauide sperat etiam nulla infortuna euertendum: nam vera, sanctaque amicitia sacramento firmata nullis commodis subornatur, aduersitatibus nullis concutitur. Hæc inter Dauidem, ac Ionatham amicitia Phœnicis adinstar lucet de singularitate rara, de raritate pretiosa: cùm frequens sit amicos in aduersitate deficere, & solùm commodis prolectari. Dum Nabuchodonosor florebat, adstabant volucres variis cantus modulationibus adulantes: vbi verò securis resonuit, ocyssimis alis defecerunt fugientes: *Fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius.* Huc voco Senecam *epist. 9. Qui causa vtilitatis assumptus est, tandiù placebit, quandiù vtilis fuerit.* Arbor marcida ingentem solitudinem passa est, florida auium grauabatur copia: nam amici indè solent fugere, vndè debuissent probari.

Dan. 4. v. 11.

TEXTVS.

VERS. XXIV. & XXV. Absconditus est ergo Dauid in agro, & venerunt Kalendæ, & sedit Rex ad comedendum panem. Cúmque sedisset Rex super Cathedram suam (secundum consuetudinem,) quæ erat juxta parietem, surrexit Ionathas, & sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus Dauid.

§. XXXIII.

Regi proximitas non tam exhibenda fortunatæ originis titulo, quàm bellicæ virtutis merito.

Moritum. Origo.

NE quis nos P. C. (aiebat Cassiodorus) 10. variar. 12.) *in honoribus dandis non æstimet habuisse rationem.* Iniquam de se bonus Princeps suspicionem depulit, ne quis existimaret in exhibendis honoribus non tam attendisse rationis æquitatem, quàm affectionem: marcet virtus, si post ardua, & periculosa certamina, post reportata de hoste trophæa miles marceat luridus, & ridiculus parasitus exundauerit impinguatus. Dum pro Kalendarum celebritate mensæ apparantur, ita disponebantur sedilia, vt Abner Regi proximior sederet, & Dauid aliud latus cingeret: *Cùm sedisset Rex super Cathedram suam, quæ erat iuxta parietem, surrexit Ionathas, & sedit Abner ex latere Saul.* Hic (vt benè Caietanus) Interpretibus diuinandum est, cur scilicet Ionathas Abnero locum concesserit? Hugoni Cardinali videtur eum Abnero locum vti strenuo duci decretum: *Surrexit Ionathas cedens Abner Principi militiæ.* Itaque cùm gradatim loca designarentur, Abner Regi proximior sedebat. Sed statim oritur difficultas: cur scilicet Ionathas Regis filius, quàm Abner distantior? si Ionathas regali vena cæteris celsior, honore etiam fulgeat sublimior, & quia sanguinis prærogatiua proximior, præcedat etiam honoribus exornatior. O, expende, amabo te, eo tempore Abner bella tractare, militiæque principatum strenuè gerere: ergo ipse ad mensam accubitus fuit pro doctrina; quandoquidem honor non impendebatur originis titulo, sed virtutis bellicæ merito. Qui decertabat in campo fortior, in curia sedebat Regi proximior, & attendebatur in exhibendis honoribus non quid inclinatio dictaret, sed quid bellica virtus exigeret: ergo Abner Regi sedebat proximus, quia tunc in campo desudabat strenuus: *Surrexit Ionathas cedens Abner principi militiæ.* Vidit Ioannes Dominum regio throno insidentem, cui agnus aliis proximior: *Ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum.* Miraberis agnum præ aliis animalibus honoratum, immò præ senioribus etiam proximum. Si agnus humilis, si paruulus, cur refulgeat & proximior, & excelsior? Iam è senioribus vnus retulit: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Agnus origine paruus, sed factis strenuus leonis adinstar attriuit hostes, euertit consertas inimicorum phalanges: ergo quia præ cæteris Martiali desudauit in campo, præ cæteris etiam refulgebat in throno, quoad cælestis Reipublicæ exemplum humana stabiliatur politica. Si agni expendas originem est paruus; si facta expenderis, est inuictus leo: ergo si cæteros anteiuit fortitudine, cæteros etiam excellat honore. *Leo propter fortitudinem vocatur* (inquit apud Glossam Ambrosiaster) *Qua diabolum vicit, & electos suos ab eius potestate eripuit.* Quia diabolum vicit, quia suos Martiali in campo defendit, celsior, & proximior throno insidenti refulsit.

Apoc. 5 v. 6

TEXTVS.

VERS. XXVI. Et non est locutus Saul quidquam in die illa; cogitabat enim, quòd fortè euenisset ei, vt non esset mundus, nec purificatus.

§. XXXIV.

Sacrum ac regale epulum solùm admittit expunctis sordibus purificatos, & virtutum, gratiæque candoribus expolitos.

Eucharistia

QVæ obseruanda tibi sint, vt ad sacram mensam accedas, & animam tuam regiis dapibus vtiliter pascas, hic noster edocet Textus. Celebrantur Kalendæ, cúmque regij adessent conuiuæ, Dauidis sedes apparuit vacua, & jam Saul conjicit aliqua sorde obscurari, qua impeditus nequeat accedere: *Non est locutus Saul quidquam in die illa, cogitabat enim quod fortè euenisset ei, vt non esset mundus, nec purificatus.* Aliqua in hac Saulis suspicione notanda occurrunt, cur scilicet fuerit suspicatus Dauid sordium maculis impeditum, non alia causa retardatum? An quia semper aliena facta malignè interpretamur, & pejora semper credimus? Hugo Cardinalis aliqualem habuisse suspicionis occasionem ait, quandoquidem qui à regiis dapibus

pibus se substrahit, virtutibus non studere recessu ostendit, & quamvis non sit indubium testimonium, est non exiguum indicium: *Cogitabat enim, quòd fortè euenisset ei, vt non esset mundus.* Ad Regis mensam non debet accedere, nisi qui omni munditia exornatus, & omni puritate conspicuus. *Non est locutus* (inquit Hugo) *De absentia Dauid, existimans eum nondum purificatum. Nemo enim in festis diebus comedebat de hostiis, nisi mundus.* Mensa hæc eximiam puritatem requirit, nec admittit aliqua graui macula sordidatos, sed exigit omni virtutum nitore expolitos. Et qui in hanc materiam incidimus, juuat exagitare, an qui nullo graui culpæ reatu tenentur, possint mensam iterare, frequenterque supernis dapibus enutriri? Cui dubio, etsi aliorsum scribens occurrisse videtur Seneca *epist.* 108. *Illud tamen prius scribam, quemadmodum tibi ista cupiditas, qua flagrare te video, dirigenda sit, ne ipsa se impediat. Nec passim carpenda sunt, nec auidè inuadenda vniuersa: per partes peruenitur ad totum.* Studiosius audienda sunt, quæ sequuntur: *Aptari onus viribus debet, nec plus occupari, quàm cui sufficere possumus. Non quantumvis, sed quantum capis hauriendum est. Bonum tantum habe animum, capies quantum voles: quo plus recipit animus, hoc se magis laxat.* Videndum est, si quis quotidiè accedit, plus animum laxet ad politiores virtutes recipiendas, si majori studio inardescat, ad offensas etiam leues vitandas. Si res ita se habet, hauriat quantum volet; sin aliter, per partes ad totum peruenientum est, nec quantum velit, sed quantum capiat, hauriendum.

Gen. 18. v. 2. Qui Abrahamo apparuerunt viri, mystico vitulo saginati sunt: *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum.* Non longo temporis interuallo iterum apud Lothum azyma comederunt: *Coxit azyma, & comederunt.*

Gen. 19. v. 3. Interlinearis Sacramento altos existimat: *His Sacramentis aluntur ministri Christi.* Benè: sed cur non vereantur cœlestem adeò mensam frequentare, cibumque repetere? Iam Textus retulit. Apud Abrahamum sederunt ad mensam viri: *Apparuerunt ei tres viri*; sed illo cœlesti epulo innutriti ad Lothum venerunt Angeli: *Venerunt que duo Angeli Sodomam.* Quia ergo mensæ virtute ex ad speciem hominibus transierunt in Angelos, fas fuit epulum cœleste repetere: ergo expendendus est fructus, vt decernatur accessus: Hauriat quantum volet, si dum plus recipit animus, hoc se magis virtutibus laxat. Si verò nullus, aut exiguus conspiciatur fructus, moderari debet accessus. *Quid ergo* (addit Seneca) *non nouimus quosdam, qui multis apud Philosophum annis perfederint, & ne colorem quidem duxerint?* Cur hanc mensam frequentent, qui nec patienter labores tolerant, nec à delitiis abstinent, nec linguam frænant? Qui multis apud Philosophum diebus conuersabantur, colorem ducere, & factis tempus benè collocatum cogebantur ostendere: ergo nouerint, qua teneantur lege, qui cœlesti epulo pasti, & regia mensa innutriti.

TEXTVS.

VERS. XXVII. Cúmque illuxisset dies secunda post Kalendas rursus apparuit vacuus locus Dauid. Dixitque Saul ad Ionatham filium suum: Cur non venit filius Isai nec heri, nec hodiè ad vescendum?

§. XXXV.

Deus, etsi aliquando dissimulet, nostrarum actionum rationem exigit.

EXcessibus tollatur licentia (aiebat Cassiodorus 4. *variar.* 16.) & *quod optamus maximè, locum nequeat inuenire vindicta. Si quo etiam per eius absentiam culpa prouenerit, inter vos iustitiæ consideratione corrigite, sicut nobilitati vestræ conuenit agere, cui semper probitas placet. Quoniam nos specialiter iniunxisse cognoscite, vt error, qui ab actoribus suis minimè fuerit emendatus, legum districtione resecetur.* Optimus Princeps concedebat spatia, vt digna emendatione corrigeretur admissa culpa; verùm si erroris induruisset pertinacia, legum decreuit amputandam falce seuera. Peccatores sibi ipsis imponunt, cùm ob diuinum silentium plus præsumunt. *Non ignorat* (aiebat Tertullianus *de Deo lib. de Pœnitentia cap. 3.*) *nec omittit, quominus in iudicium decernat. Dissimulator, & puniaricator perspicaciæ suæ non est.* Dissimulat aliquando Deus, sed in judicium reseruat. Adnectit septimus *c. 6. Tempus pœnitentiæ, idè quod periculi, & timoris.* Tempus idem indulgenter à Deo sordibus repurgandis concessum, negligenti vertitur in periculum; de ipsa dissimulatione timor debuisset acrior exoriri, & cor majori anxietate torquere; nam cùm Deus suæ perspicaciæ prænaricator non sit, quod dissimulat, in judicium etiam reseruat. Cùm Kalendarum festiuitati Dauid prima die non adfuisset, Saul tacuit, & eluendis sordibus, quas suspicabatur, tempus concessit: *Non est loquutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim, quod fortè euenisset ei, vt non esset mundus, nec purificatus:* verùm elapso jam sufficienti ad purificationem tempore, cùm secunda die Dauid etiam non adesset, rationem vtriusque absentiæ popposcit, mortisque sententia damnauit: *Cur non venit filius Isai nec heri, nec hodiè ad vescendum.* Et posteà: *Filius mortis est.* Existimabat primi diei absentiam prorsus Sanlem oblitum, quia ora silentio preserat, nec quid rogarat: verùm, dum perseuerat Dauid post opportunum purificationi tempus concessum, mortis prolatum edictum: *Filius mortis est.* Prodest Abulensis *quæst* 29. *In primo die non fuit aliqua causa suspicionis, cùm putarit Saul Dauid excusari propter immunditiam, ideò non quæsiuit: in secunda autem die non habebat Dauid aliquam causam, ideò erat suspicio contra ipsum.* Iam videbatur pœnæ reus, cùm adesse potuerit purificatus; & Saul, qui priùs tacuit, posteà rationem exegit. Qui ad eluendas sordes à Deo tempus accepit, ipsum eluere tur, ne si negligens, vt Tertullianus aiebat,

Deus. Ratio. Iudicium.

aiebat, diuinam patientiam contempserit, mortis sententiam incurrerit.

§. XXXVI.

Maleuolentia, si nequeat externam actionem liuido dente mordere, intentionem, aut originem admititur obscurare.

Odium n. Origo. Intuntio.

ODium, si in factis nil reprehensione inuenerit dignum, in abstrusa cordis intentione sibi perquirit solatium: condemnat ignota, quia sugillare nequit aperta. Lepidè Tertullianus *in Apologetico cap. 3. Id quod sciunt, eò quòd ignorant, corrumpunt, cum sit iustius occulta de manifestis praiudicare, quàm manifesta de occultis praedamnare.* Maleuolentia, si in factis non inuenerit, quid mordeat, confugit ad intentionis arcana, vt maligna, inuidaque conjectura resplendentia sordidauerit facta. Dauid sic facinorum laude se celebrem effecerat, vt haberetur ab ipsis hostibus suspiciendus, & futuris sæculis decantandus: ergo Saul, cùm odio ardentissimo æstuaret, nec eius in actionibus quid obscurum reperiret, ad tecta intentionis, & originis venam recurrit: *Cur non venit filius Isai?* Ac si dicat: Kalendarum se celebritati substrahere ex eius conscientiæ morsu oritur, non ex alia causa nascitur: *Filius mortis est.* Cùm ipsum sibi (inquit Saul) conscientia repræsentet, & morte dignum pronuntiet, veretur lucem, & venire expauescit ad communem celebritatẽ. Ita Hugo: *Filius mortis est, id est, dignus morte.* nec solùm prædãnauit intentionem, sed etiam infamauit originem: *Filius Isai.* Notauit noster Sancius: *Cum vir esset* (loquitur de Dauid) *tot victoriis illustris, & cõstitutus in acie chiliarchus, patris illius adhibetur nomen, qui vitam egerat, quasi vnus è populari turba, rusticam, pastoritiam, & in qua nihil agnoscebatur eximium.* Visum est Sauli aliquid indecorum, aut saltem minus plausibile hæsisse Isai Dauidis patri ob rusticanum munus, aut pastorale exercitium: ergo cùm Dauid suis factis eximiam sibi comparasset gloriam, liuor, inuidiaque è majoribus ob vitæ institutum aliquam quæsiuit, opposuitque nebulam: *Cur non venit filius Isai?* Nomen Dauidis, vt qui interpretatur manu fortis, virtutis erat præconium: ergo exulceratis liuore auribus adeò erat acerbum, vt non protulerit labium: à majoribus mutuatus est, & ab intentione, quo minueret Dauidis gloriam, & innubilaret famam. Pharisæi, cùm resculpti visus miraculum nec sustinere possent, nec iniquis calumniis tegere, repetitis interrogationibus cæcum illum felicem diuexabant. Ille rationis armis, veritatis spiculis eos referiebat: *Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.* Quid tunc? Ad originem recurrerunt, & infamarunt: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Eius argumenta oporteret infirmare, eius sententiam retundere, aut veritatem amplecti: sed cùm nequirent veritati obsistere, nec argumenta dissoluere, ab incunabulis acceperunt, quo liuori suo adularentur. Notauit Chrysostomus in Catena: [Dicunt totus, ac si dicant, à prima ætate in peccatis es, hic ergo eius cæcitatem exprobrant, ostendentes, quòd propter peccata factus est cæcus, quod rationem non habebat, donec ergo expectabant eum negaturum esse, fide dignum esse putabant, sed nunc eum ejiciunt.] Si mentiretur, apud eos Principes fide haberetur dignus; at quia pro veritate stetit, exulauit reiectus: quam afferebat doctrina, ex rationis pondere, ex veritatis firmitudine censenda erat, verùm quia in eius verbis, factisque nil apparebat obscurum, ab origine quæsierunt quid inhonestum.

Ioan. 9. v. 13.

§. XXXVII.

Principes eos debent interrogare, qui præ aliis ad quæsita quiuerint respondere.

Princeps. Dubia.

NOn est satis notitiam perquirere, si vndè accipienda sit, contigerit ignorari. A medico expetenda est infirmitatibus medicina, nam si ab huius scientia experte petieris auxilium, aut non accipies, aut morbum imprudenter fouebis. *Comprehensus aliquis limes* (aiebat Seneca *de vita beata cap. 1.*) *& interrogati incolæ non patiuntur errare.* Incolæ quo comprehensus limes ducat, periti, non patiuntur interrogantem deerrare, sed adlaborant instruere, verùm, si interrogarentur viarum prorsus ignari, aut à fine tendentem auerterent, aut erroribus implicarent. Causam absentiæ Dauidis Saul perquirit, sed à Ionatha filio suo: *Dixitque Saul ad Ionatham filium suum: cur non venit filius Isai nec heri, nec hodie ad vescendum?* Si Abner, alijque regni proceres aderant, cur à solo Ionatha eius recessus inquirit causam? Quia hac in parte, respondet Abulensis, bene ipoliticus, eum interrogauit, qui præ aliis huius rei notitia polleret. Ipsum audi *quæst. 31.* [Quæsiuit à Ionatha plus quàm ab alio propter duo. Primò, quia fortasse familiarius loquebatur ad eum, quàm ad aliquem de conuiuis. Secundò, & principaliter, quia putabat, quòd melius respondere posset Ionathas de absentia Dauid, quam quisquam alius, eò quòd erat amicus illius, & reuelarent sibi mutuò, quæ agebant.] Si alium de conuiuis interrogaret, tempus tereret; at Ionatham scisciatus absentiæ causam potuit audire, & ab anxia illa dubitatione liberari. Interrogandi sunt circa materiam dubiam periti, consulendi perdocti; nam si à nescientibus quæras, aut nouo implicaberis errore, aut à debito deuiabis tramite. Plus Ochozias, quàm infirmitate, laborasse cognoscitur insipientia: Per cænaculi sui cancellos ceciderat, & ruina læsus ægrotabat; cúmque viuidissimo imminentis periculi adurgeretur timore, legationem instruit, Beelzebub interrogaturus per nuntios de infirmitate: *Ite, consulite Beelzebub deum Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac.* Si Eliam consuleret futurorum præscium, vera responsione depelleret dubium; ast dum figmentum interrogat, dum consulit futurorum ignarum, plus ægrotare agnoscitur mente, quàm corpore. Opportunè Theodoretus apud Glossam: *Muscæ simulacrum de vita sciscitabantur.* Quid sciret musca? quid muscæ simulacrum? & tamen cùm adesset Elias tot prophetiis verissimis celebris, musca interrogatur insipiens.

4. Reg. 1. v. 2.

TEXTVS.

VERS. XXVIII. & XXIX. Respondítque Ionathas Sauli: Rogauit me obnixe, vt iret in Bethlehem, & ait: Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in ciuitate, vnus de fratribus meis accersiuit me: nunc ergo si inueni gratiam in oculis tuis, vadam citò, & videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam Regis.

§. XXXVIII.

Plures pietati vertunt, vt vitarint jurgia, texere officiosa mendacia.

Mendacium iurgium.

QVare aliquid (scribit Seneca *de vita beata cap. 3.*) *vsu bonum, quod sentiam, non quod ostendam.* Adnectit: *Quæramus aliquid non in speciem bonum, sed solidum, & æquabile, & à secretiore parte formosius.* Bona solida quærenda sunt, quæ vera virtutis pulchritudine niteant, non quæ foris tantùm splendeant; plures tamen fucatam commiserationem sequuntur, & se existimant inseruire pietati, si confingendo mendacia, auerterint ab aliis pericula, aut molesta vitarint jurgia. Defuit Dauid Kalendarum celebritati, vt maturè imminenti subduceret se discrimini. Saul inter regias epulas, & dapes saporatas non oblectatur, sed vritur; dolosis se videt spebus frustratum, & plus interius ingemiscit Dauidis distantia, quàm oblectetur delicata, ac pollucibili mensa: ergo cùm indignationem nequiret dissimulare, absentiæ causam decernit inquirere. Ionathas, vt, quam verebatur, patris indignationem sopiat, & à Dauide periculum prouidenter auertat, ad mendacia confugit, arbitratus sic omnia componi, & quæ emergere possint, lites vitari: *Rogauit me obnixè vt iret in Bethlehem, & ait: Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in ciuitate, vnus de fratribus meis accersiuit me.* Eo mendacio honestam se afferre absentiæ causam existimauit, & jurgia vitare studuit. *Hic mentitus est Ionathas*, inquit Hugo. Consonat Abulensis *quæst. 33. Mendacium Ionathæ erat veniale, quia erat officiosum, & pro causa iustissima, scilicet pro excusatione innocentis à morte.* Ionathas plus debuisset sibi, quàm alij attendere, nec pro Dauidis commodo se mendaciis polluere; arbitratus tamen est inseruire se pietati, si speciosis mendaciis impendenti obuiaret discrimini; & sanè Ionathas hac in re plures imitatores reliquit? verentur, si vera protulerint, aut silentio ora signarint, posse oriri lites, & graues inter domesticos dissensiones: ergo non solida, sed exterius nitente pietate mendacia confingunt, litesque componunt. Pharao obstetricibus jubet recens natos opprimere; illæ innocentium puerorum miserte ad mendacia cõfugiunt: *Non sunt Hebræa sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & prius quam veniamus ad eas pariunt.* Si veritatem proferant, pueris, sibique periculum imminebit; si mendacia colorarint, indignationem effugient: ergo mentiuntur, vt pietati ad speciem obsequãtur. Opportunè Gregorius apud Hugonem *ad exod. 2. Hoc quoque perfecti fugiunt, vt nec vita cuiusquam eorum mendacio defendatur, ne noceant animæ suæ, dum quærunt prodesse carni alienæ.* Non est alienæ vitæ consulendum confingendo mendacium; adeò tamen hic error inualuit, vt plures existiment obsequium se misericordiæ præstare, si coloratis mendaciis conentur litium occasiones abscindere.

Exod. 1. v. 18.

TEXTVS.

VERS. XXX. Iratus autem Saul aduersum Ionatham dixit ei: Fili mulieris virum vltrò rapientis, nunquid ignoro quia diligis filium Isai in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ.

§. XXXIX.

Mendacium obscuri hominis est indicium, & ab ingenuo ore prorsus alienum.

MAlum est facta celare (aiebat Eurypides apud Stobæum *cap. 12.*) *nec virum decet ingenuum. Haud quidem honestum est mendacia loqui.* Mendax olim ignobilis habebatur; nobilis, & ingenuus quovis in euentu, ne hanc contraheret notam, proferebat veritatem. Serpens sordidus, qui per tellurem corpus trahit, confinxit mendacium: at Eua nobili origine exorta contra se ipsam protulit verum, arbitrata est latius esse subire pœnam, quàm nobilitati suæ irrogare mentiendo injuriam: *Serpens decepit me,* *Mendacium* Gen. 3. 13. *& comedi.* Et cur se comedisse non negat, quando grauem ob decerptum pomum subituram se mulctam autumat? Fortè, quia non tam alienum à vera, ingenuaque nobilitate arbitrata est pœnam subire, quàm mendacium proferre. *Omne falsum* (aiebat Tertullianus de idololatria *cap. 1.*) *adulterium est.* Nobilitatis est adulterium quidquid confictum, & veritati contrarium. Vide Daniel, dum libidinosos, sceleftosque senes argueret, infami exortos genere pronuntiauit: *Semen Chanaan, & non Iudæ species decepit me.* Adnectit: *Rectè mentitus es & tu in caput tuum.* Benè est, quòd Daniel crimen arguat, quòd seuerè puniat, quod innocentiam defendat. Verùm quid mendacio cum genere? cur semen à Chanaam fugillet exortum, quando juxta veritatem à nobilissima Iudæ tribu constabat natum? Quia mendax (inquit Lira) ita generis obscurauerat claritatem, vt jam non censeretur Iudæ nobilis progenies, sed Chanaam ignobilis proles. *Licet esset de tribu Iuda secundum rem, tamen imitabatur mores Chananæorum.* Nobilitatis eum Daniel interdixit honore, cùm pollutum adspexit mendaciorum sordicie, quasi mendacium originem arguat obscuram, nec deceat stirpem nobilitate præclaram: ergo vt Saul suspicatus est Ionatham proferre mendacia, inficiatus est originis priuilegia: *Fili mulieris virum vltrò rapientis, nunquid ignoro quia diligis filium Isai in confusionem tuam?* Ac si dicat: esse non potest, vt à me regia nobilitate exornato fueris progenitus, sed ab aliquo diobolari homunculo natus. Ita noster Sancius: *Indicat non se illum habere filiorum loco, sed ab aliquo nebulone, & diobolari homunculo ex adultera matre fuisse susceptum, & appellari debere non Saulis, sed terræ filium.* Mendacium suspicionem Sauli ingenuit, & jam nobili

Dan. 13. v. 56. 59.

nobili vena exortum denegauit, quasi mendacium cum nobilitate non conueniat, & obscuram originem arguat.

§. XL.

Imprudentia est inurere tibi notam, vt alterius prodas infamiam.

Imprudētia. Nota. Infamia.

QVisquis se exoculatæ iracundiæ commisit, & cæco furori tradidit, à prudentia prorsus desciuit. *Quàm intractabile malum est insciitia* (aiebat Sophocles apud Stobæum *cap.* 4.) *quid tibi es iniurius animum tuum in culpa faciens?* Cùm sæpè aliorum injuriæ concatenatæ sint, & connexæ cum eas prodentis nota, & infamia, eo nonnulli amenti furore ducuntur, vt non videant ex alterius infamia notam sibi resultare indecoram. Sic Sauli contigit: nam cum exoculato iracundiæ impetu abriperetur, Ionatham nothum appellauit, nec vidit sibi ex ea Ionathæ nota obscuram emergere infamiam: nam si eius vxor thori fidelitatem violauit, ipse Saul dedecus probrosum sustinuit; suam ergo, si verum esset, prodidisset infamiam, vt furori, iracundiæque adulatus probrosam Ionathæ inferret notam: [Iratus autem Saul aduersus Ionatham dixit ei: Fili mulieris virum vltra rapientis, nunquid ignoro, quia diligis filium Isai in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ.] Et cur confusio matris, patris non dedecus? cur filij nota parentis non fuerit injuria? verùm furoris cæcitas ex filij contumelia non vidit suam emergere, & ex vxoris confusione suam oriri. *Ignominiosè* (inquit Caietanus) *nominatur mater Ionathas rebellis marito adulterij probro.* Ionathæ erat nota adulterum matrem habuisse, sed etiam Saulis erat injuria vxorem legitimum thorum violasse. Iterum huius veritatis testem aduoco Saulem, qui cùm Dauidis nomen nec proferre posset, nec audire, Isai filium vocauit: *Cur non venit filius Isai?* Quæsisse aliquid in rusticano, pecuarioque Dauidis parente indecorum (ait Lira) & ob id non Dauidis nomen protulisse, sed patris: *Ex contemptu, & odio nolebat eum nominare nomine proprio.* Consonat Chrysostomus apud Glossam: *Sic appellauit eum partim odio proprij nominis, partim genitoris humilitatem notans, sperans fore, vt hoc pacto iusti fama contaminaretur.* Dum famam Dauidis anhelat inubilare, non attendit sibi, & Michol, quam in sponsam dederat, apertè notam inferre. Nonne Dauidis filij Saulis nepotes? ergo suis nepotibus honorem aufert, cùm Dauidem non nobili vena exortum profert. Verùm sic iracundiæ, linorisque obcæcabatur ardore, vt vtrumque sibi oculum eruat, si vnum Dauidis effodiat.

TEXTVS.

VERS. XXXI. Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque jam nunc mitte, & adduc eum ad me, quia filius mortis est.

§. XLI.

Morte censetur dignus, quisquis magnatum studiis inuenitur oppositus, & contrarius.

Magnates. Mors. Contrarius.

QVæ tibi obseruanda, vt tranquillè, tutèque viuas, nec facile est edocere, nec discere. Tranquillitas non solùm propria virtute constat, sed aliena. Cui virtus, æquitasque displicet, fouet odium, & conflat bellum. Mare, etsi propriis vndis non fluctuet, acri ventorum flatu ingemit concussum, & queritur perturbatum. *Nemo* (aiebat Seneca *epist.* 105.) *homini contempto pertinaciter, nemo diligenter nocet. Etiam in acie iacens præteritur: cum stante pugnatur. Spem improborum vitabis, si nihil habueris, quod cupiditatem alienam, & improbam irritet, si nihil insigne possederis.* Vera dixit, sed satis non est nil insigne possidere, si puteris posse, possidenti impedire, aut aliquando à possessis deturbare. Saul sententia mortis Dauidem condemnat: *Filius mortis est.* Et ne defatigareris in huius decreti causa inquirenda, præmisit: *Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum.* Itaque Dauid morte censetur dignus ea solùm causa, quia dum vixerit, stabiliri nequit à Deo reprobatus, & meritò abjectus. Quod Saul meritis nequibat obtinere, illatis violenter cædibus aggressus est suffulcire. Notauit ingeniosè Caietanus: *Hebræo more dignus morte appellatur filius mortis. Causa autem iam manifesta erat, quia impedimento erat stabili successioni regni.* Dauid erat legitimum impedimentum, sed ob id ipsum eius suspirabat cædem ambitiosissimum odium. Dauid nil possidebat tunc, quod irritaret inuidiam; verùm, vt præsumpsit cæca ambitio, posse suis conatibus aliquando obuiare, decreuit ferro violento præcidere. Nonne occubuit aliquando maritus nebulonis, & vxoris amassij ferro confessus, quia honorem thori defendere satagebat, & injuriam propulsabat? Nonne plures, dum iniquitati viam occludunt, dum scelestis appetitionibus, lucrisque honesta obstacula opponunt, factiosis impetiti insidiis occumbunt? Dauid à Deo erat inauguratus, Saul à dignitatis culmine rejectus; verùm ambitio contra legitimum impedimentum furebat, & perpetrata iniquè cæde stabiliri solicitabat. Christus nascitur, & Herodes durissimis inuidentiæ flammis torquetur. Magus, etsi aliquando tetræ caliginis voluminibus pressus, inuolat fulgentissima sideris luce illustratus: Herodes verò anxia solicitudine puerum anhelat occidere, quia didicit cœlesti, ac flamigero astro deprædicari. Quem puerum vocat, innocentem affirmat, & nihilominus cædem anhelat: *Interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renuntiate mihi.* Et quam puer lachrymulis irroratus præstitit furori causam? quâ inuidentiæ materiam? Timuit (inquit in Catena D. Thom. Chrysostomus) regni sui legitimum successorem, & inito cum diabolo fœdere, Herodem diabolus incendebat, & Herodes dæmoni infelicissimum officium præstabat. Chrysostomum audi: *Vterque zelo proprio turbatur, & sui regni successorem timebat: Herodes terrenum, diabolus autem cœlestem.* Timebat Herodes impietatis obstaculum, scelerum suorum uppli ciũ; verebatur diabolus potestatis suæ euer-

Matth. 2. v. 8.

sionem, & detestandæ idololatriæ perniciem, & vterque proprio zelo contra innocentiam armatur, & extinguere iniquitatis impedimentum molitur.

TEXTVS.

VERS. XXXII, Respondens autem Ionathas Sauli patri suo, ait: Quare morietur? quid fecit?

§. XLII.

Verus amor nec commodis allicitur, nec incommodis deterretur.

Amor. Commodum. Incommodum.

AMor semper sui juris est, nullis vinculis præpeditur, nulla ambitione tardatur, solùm anhelat dilecto honestè consulere, & eius vtilitatibus prouidere. *Amicitia* (aiebat Cassiodorus *in Prologo lib. de Amicitia*) *quæ desinere esse potest, nunquam vera fuit. Ideò qui vel læsus desiit diligere, quem amauerat, amicus in veritate non fuit. Ille nimirùm longè est à lege amicitiæ alienus, qui sic hodiè amat, vt heri oderit, sic omni homini amicus, vt nemini fidus.* Adnectit: *Vera denique amicitia in se solida est, & in omnibus amici necessitatibus adest: compassionem, & tolerantiam secum quadrans. Gratior ex compassione amicus.* Qui amicum ad speciem solùm colit, qui sperat commodum, honestumque fugit detrimentum; à veræ charitatis, amicitiæque lege longè probatur alienus, & solùm amicitiæ fuco laruatus amicus laudabili charitatis vinculo fœderatus propria contemnit commoda, immò etiam honesta pro amico subire non recusat pericula. Ecce Ionathas veræ charitatis, amicitiæque dilaudatur idea, dum à Dauidis amicitia non resilit, quantumvis obtinendi regni alliciatur spebus, & deterreatur ob amicitiam telorum jactibus; fixus, inconcussusque permansit pro defendenda amici æquitate telis impetitus, & lucris ingentissimis, vt desisteret, inuitatus: *Quare morietur? Quid fecit?* Ecce nec potentis extimuit iram, nec ambiuit sibi coronam. Notauit Abulensis *quæst. 33.* [Hic patet magnus amor Ionathæ ad Dauid, quia quamquam sciret Saulem indignari ipso respondente pro Dauid, etiam quamquam pater diceret ei, quòd nunquam regnum suum firmaretur viuente Dauid, non cessauit diligere eum, & respondere pro illo.] Regni Ionathas solicitabatur spebus, hastæ deterrebatur ictibus; verùm adeò legitimo amore diligebat Dauidem, vt postponeret amori regnum, & ipsius vitæ denorarit periculum. Erat Dauid hoc amore dignus, quia egregiis virtutum dotibus exornatus. Quo ergo studio Christus Dominus ab hominibus debet diligi, quando longè adeò Dauidem excedit, & virtutum meritis, & collatis in homines beneficiis Christi Domini aduersarij, dum liuori adnituntur inseruire, eius amori inuenti sunt adulari. Duro stipite pendebat transfixus, vt hominis, quem tenere amabat, aboleret peccatum; & tunc ei Israelitarum Principes, si è cruce corpus excutiat, promittunt regnum: *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Si in cruce persistat, dignum sustinebit tormentum, & vitæ euidens subibit periculum: si hominis causam deserat, offerunt hostes opulentum regnum, & frustratur vitæ periculum: verùm eo amore dilexit, vt oblatum contempserit regnum, & acerbum denorarit cruciatum. *Hoc agunt* (inquit Hieronymus *in Cathena D. Thom.*) *vt de cruce descendat; sed Dominus sciens aduersariorum insidias, permanet in patibulo, vt diabolum destruat.* Amori captiosas prætendebant insidias, oblato regno, & tormento crucis expuncto; verùm Dominus vera charitate, & hominis amore inardescens crucem deglutiuit, oblatum regnum despexit. Legitima namque amicitia, & generosa charitas, si possit prospicere dilecti saluti, nec allicitur propriis vtilitatibus, nec deterretur doloribus.

Matth. 27. v. 42.

§. XLIII.

Miraculi adinstar erit, si æquitas Principi odiosa sortiatur patrocinium, & amata iniustitia non inuenerit suffragium.

CÆsar erga Pallantem libertum nullis dotibus decoratum magni amoris ostenderat argumenta: ergo Pallas Consulum inuenit suffragia, & accepit, quæ heroibus olim, decreta præmia. Audi Plinium 8. *epist. 6. Conferant se, misceantque, non dico illi veteres Africani, Achaici, Numantini, sed hi proximi Marij, Sylla, Pompeij (nolo progredi longius) infrà Pallantis laudes iacebunt. Vrbanos, qui illa censuerunt, putem, an miseros? Dicerem vrbanos, si senatum deceret vrbanitas. Miseros ergo? sed nemo tam miser est, vt ad illa cogatur.* Quisque Pallanti, vt indebitum acciperet præmium, offerebat adulatorium suffragium, & emebatur æquitas injuria Principis gratia. Adnectit Plinius: *Ambitio ergo, & prauitatis libido? sed quis adeò demens, vt aut per suum, aut per publicum dedecus procedere vellet in eam uitatem, in qua hic esset vsus potentissimæ dignitatis, vt primus in senatu laudare Pallantem posset.* Eo tempore nullus attendebat quid æquitati, sed quid placeret Principi, à quo ambiebatur in dignitatibus processus, aut dignitatū vsus. Hinc est, quod summis laudibus arbitretur Cassiodorus Tolonicum dignum, & Athalaricum hac in re futuris sæculis celebrandum. Quandoquidem Tolonicus Principis votis pro veritate resistebat, & Princeps agnita veritate superari non detrectabat. Ipsum audi 8. *variar. 9. Amasti in audiendo patientiam, in suggestione veritatem: sæpè quæ ad eum falsò peruenerant, recti studio corrigebas, & quod rarum confidentiæ genus est, interdum resistebas contra vota Principis. Sed pro opinione rectoris: patiebatur enim inuictus ille præliis pro sua fama superari, & dulcis erat iusto Principi rationabilis contrarietas obsequentis.* Non adeò erat dulcis Sauli, vtpotè iniquo, Ionathæ rationabilis contrarietas, immò ferebat contradictione ambitiosa Principis pranitas. Dauid summis plausibus dignum, & magnis præmiis remunerādum capite condemnauit. Ionathas iniquæ sententiæ restitit, & pro Dauide respondit: *Quare morietur? quid fecit?* Contrarietatis remuneratio fuit lanceam arripere, & filio mortem tentare: *Arripuit Saul lanceam, vt percuteret eum.* In ipsum filium, cui exambiebat coronam, arripuit lanceam; adeò inuidia præcipitabat prudentiam. Prodest Abulensis *q. 33. Quasi dicat: Nulla est causa quare moriatur, nullum malum fecit, propter quod mori deberet, sed potius fecit bona, propter quæ deberet exaltari, & arripuit Saul lanceam.* Nullus ex astantibus præter Ionatham, qui, vt sæpè ex Glossa vidimus, interpretatur

Primum. Remissa. Parsimonia. Insulsitia. Sapsigum.

Dominum

Donum columbæ, iustæ adeò causæ susceptit patrocinium, nullus tulit veritati suffragium; solùm stetit pro veritate columba, quasi cœleste prorsus sit Principi pro veritate resistere, & iniquis quantumuis votis non adulari.

TEXTVS.

VERS. XXXIII. Et arripuit Saul lanceam, vt percuteret eum, & intellexit Ionathas, quod definitum esset à patre suo, vt interficeret Dauid.

§. XLIV.

Ira est rationis naufragium, & honoris detrimentum.

Ira. Honor. Ratio.

SVi non est, qui iracundiæ est. Inter alias corporis, honoris, animique pestes nocentissima est ira, quæ, sic rationis, & prudentiæ lucem tetris insani ardoris vaporibus obscurat, vt homo efferos mores induat, & à prudentia prorsus discedat. *Chrysyppus* (scribit Plutarchus *de virtut. moral.*) *cùm rem esse cæcam dixisset iram, ac subindè obstare, quo minus clara cernat; subindè verò perceptis officere, paulatim progressus*: *Quippè succedentes, inquit, perturbationes extrudunt ratiocinationes, & ea, quæ aliter videntur.* Ira, etsi breuis, insania est. Vndè Eurypides *apud Stobæum cap.* 20. *Nemo iratus quicquam rectè deliberat, multos iracundia magna perdidit mortalium, & imperitia, quæ gemina mala sunt vtentibus se.* Alij morbi admittunt medicinam, hic respuit prorsus medelam. Ita Plutarchus *lib. de non irascendo*: *Cætera, quo tempore gliscunt, cedunt vtcumque, præceptaque succurrentia foris in animum admittunt, bilis non, vt Melanthius ait*: *Agit ira dira, sede mentem, vbi expulit.* Adnectit Philosophus: *Cùm jam audierit ea, quæ summissim, & leniter dicuntur, contemnit, in acrius instantes exasperatur.* Hanc veritatem factis comprobat Saul, qui cùm à Ionatha blandè, leniterque corrigeretur, ne Dauidem perderet: *Quare morietur? quid fecit?* Eo excandescentis iræ æstu arreptus est, vt vxorem suam Ionathæ matrem dehonestarit, & lanceam, vt ipsum de medio tollat arripuerit: *Arripuit Saul lanceam, vt percuteret eum.* Quàm à se erat alienus, qui in filium contorquebat hastam, & vxoris publicabat ignominiam. Notauit Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur. Et iaculatus est Saul lanceam contra eum, vt percuteret eum, in tantum exarsit furorem, vt etiam filium percutere attentauerit.* In filium morbi medicum insaniebat, & more phrænetici delirabat: verùm etsi adeò pestilens hic sit affectus, dum ardentes eiaculatur flammas, nescio an sit deterior, dum lentè procedit, & abscondit abstrusas intimis pectoribus iras. *Conuenit* (aiebat Eurypides jam datus) *iram quoque non retinere immortalem, quicunque sapientiam intelligit.* Addit ibi Sosiphanes: *Nunc in facie tibi iracundia efflorescat.* Iracundia dum claras sui notas profert ad cautelam etiam impellit; verùm dum latet, incautos opprimit. Ioseph fratres in ipsum stomachati, vt retulit manipulum suum excedere, iracundiæ signa protulerunt: *Nunquid Rex noster eris?* Somnium iterum refert, quo videbatur sibi à sideribus adorari: tunc fratres ora silentio continent, nec furorem spirare sinunt. Quodsi inquiras, quando grauius Iosepho periculum, respondebit Philo *lib. de Ioseph* iram pectore abstrusam violentiorem fuisse, mortemque meditatam. Ipsum audi: [Concitatis contra vnum pluribus fratribus, qui tanto odio eum prosequebantur, quanta pater beneuolentia, tegentes tamen id, & dispensantes in tempus aliud: vndè magis augebatur in dies, nam affectus, qui premuntur, ne per verba expirent, grauiores redduntur.] Si pater, qua peste laborarent, cognouisset, ad eos filium nullatenus delegasset; at dum furorem tegunt, incauto fratri violentam cædem disponunt. Disertè aiebat Arianius *apud Stobæum cap.* 20. *Cauendum est à remisso illorum ingenio, vt quod sit deterius, quàm magno iracundiæ nixu intensum. Hoc enim ftatim vltione saturatur. Illud verò in multum temporis extenditur, quemadmodum exilis febricula.* Febris inardescens, dum medico ingerit curam, suadet medelam: at febricula, dum contemnitur, necem deterius molitur.

Gen. 37. v. 8.

TEXTVS.

VERS. XXXIV. Surrexit ergo Ionathas à mensa in ira furoris, & non comedit in die Kalendarum secunda panem. Contristatus est enim super Dauid, eò quòd confudisset eum pater suus.

§. XLV.

Verus, legitimusque zelus suas facilè deglutit, sed Dei offensas vehementer dolet.

Zelus. Iniuriæ.

LEgitimus diuini honoris zelus totum hominem ad se transfert, & omnem animi attentionem vendicat sibi. Vndè aiebat Psaltes: *Zelus domus tuæ comedit me.* Vt vehemens dolor leuem punctiunculam sopit, & contemnere facit; sic Zelus ab alijs mentem doloribus auertit, & solas Dei iniurias dolere cogit. Quod iterum Dauid explicuit: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Non tabescebat ob truces inimicorum iras, sed quia Deus ab illis contemptus, & præceptis proculcatis dehonestatus. Audi nostrum Lorinum ad *Psal.* 68. *Zelus diuinus, & secundum scientiam comedit eum, in quo est, quatenus facit, vt suimet obliuiscatur, moriaturque sibi, & soli viuat Deo.* Non attendit zelus propriam vitam, non mortis horrorem, immò, vt noster sanctissimus parens. Ignatius aiebat, nec inferni extimescit ignem, solùm Dei dolet iniurias, & sustinere nequit offensas. Saul Ionatham dehonestarat: *Fili mulieris virum vltrò rapientis*, hastam, vt confodiat, arripit: *Arripuit Saul lanceam, vt percuteret eum.* Et tamen Ionathas sui prorsus oblitus ob Dauidis iniuriam contristatur: *Contristatus est enim super Dauid, eò quòd confodisset eum pater suus.* Mortem Dauid Saul decreuerat, vocando filium Isai dehonestauerat: ergo sic Ionathas Dauidis Christi personam gerentis sic doluit iniurias, vt proprias obliuisceretur offensas. Notauit Abulensis *quæst.* 34.

Psal. 68. v. 1.

Psal. 138. v. 139.

Tantum diligebat Dauid, quod magis respiciebat iniurias, & damna Dauid, quàm propria incommoda, ita vt non tristaretur principaliter, quia pater eum conatus fuerat occidere, sed quia exosum habebat Dauid: tanta enim amoris vehementia erat, vt pereunte Dauid, se quoque periisse arbitraretur: ideò ita ferox eum inuasit anxietas, & solicitudo, quòd ciborum curam nullam habuit. Nec ciborum, nec vitæ, nec honoris curam habuit, Dauidis solùm iniuriam vehementer doluit. Quod Elias etiam expressit. Iezabel insidias sustinuerat; ore sicco, & ventre arido ad montis recessum confugerat; interrogatusque quid illic ageret: *Quid hic agis, Elia?* ineptè

3. Reg. 19. v. 13. ad speciem respondit: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel.* Respondetur videbatur: Hic requiesco longo itinere, & ieiunio fessus, hic lateo Iezabelis insidijs impetitus; verùm sic Dei dolebat iniurias, vt nihil aliud attenderet, & hac solùm solicitudine pressus, interrogationi ad speciem nullatenus satisfacere: *Zelo zelatus sum.* Non interrogaris, ô Elia, quid feceris, sed *Quid agis?* cur ergo interrogationi non adaptas responsum? Quia totam adeò attentionem sibi zelus vendicauit, vt nec possit de alio loqui, nec ad aliud respondere: *Zelo zelatus sum pro Domino* (inquit Lira) *id est, ex toto corde zelauit pro lege Dei.* Sic omnem Eliæ zelus mentem absorbuerat, vt hoc vnum mente agitaret, & huic tantum dolori attenderet.

§. XLVI.

Laudabilis est ira, quæ aduersatur impietati, & patrocinatur virtuti.

Ira. Impietas. Virtus.

Omnia, quæ debet sapiens (aiebat Seneca *lib. 2. de Ira cap. 14.*) *sine vllius mala rei ministerio efficiet.* Repurgandi sunt affectus, & ab omni sorditie separandi. Ira pietatis esse adiutrix potest: ergo non est spernenda, dum ratio exigit, & lex honestatis apertè cogit. Incidunt sæpè causæ, quæ iram lacessent, quæ in campum pro virtute exire prouocent, tunc ira est rationis auxiliatrix, & pietatis adiutrix. *Iracundia* (aiebat idem Seneca *cap. 16.*) *leones adiuuat.* Hinc est, quòd Elias auxiliatricem iram assumpsit, vt pro virtute certaret: *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto: si erit annis his ros, & pluuia nisi iuxta oris mei verba.* Erat Eliæ non impetus pro ratione, sed ratio pro impetu; irascebatur iniquis, sed à Domini conspectu non recedebat: *In cuius conspectu sto.* Armabat iracundiam contra malitiam; non auersabatur personam. *Ira* (inquit Basilius Seleuciensis *orat. 11.*) *pietatis auxiliatrice adsumpta vocem emisit, qua cœlo legem siccitatis imposuit. O ira pietatis plena!* Metum iniquis incussit, & piè iratus prauitati se opposuit. Quod & Ionathas etiam fecit, dum pro parente ieiunauit, & etiam restitit: *Quare morietur? quid fecit?* Pietatis induit auxiliatricem iram: *Surrexit ergo Ionathas à mensa in ira furoris, & non comedit in die Kalendarum secunda panem.* Saul inique irascebatur in Dauidem, Ionathas piè irascebatur in patrem. Naucrates *apud Stobæum cap. 20. iracundis simile quid accidere dixit, quod lucernis.* Ardet lucerna non vt exurat, sed vt tenebras fulgore depellat: ergo Ionathas exarsit lucernæ adinstar, vt ratione patrem frænaret, & Dauidis æquitatem defenderet. Prodest nostet Sancius: *Quia Dauidis causam vsque adeò modestè tueretur.* Iratus est, vt causam tueretur instam, & vt furoris frænaret insaniam. *Irascimini* (aiebat Psalmographus) *& nolite peccare.* Ad quæ Euthymius: *Irasci quidem vt homines non prohibet, sed admonet vt non peccemus* Subiungit: *Qui irascitur, vt illatas sibi iniurias vleiscatur, irascitur, & peccat: qui verò tantum irascitur, vt alterum corrigat, irascitur quidem, sed non peccat, quemadmodum nec peccat pater, qui non obtemperanti filio irascitur.* Ionathas iratus est, sed vt homo illæsam rationem conseruans, nec enim irascebatur in patrem, sed in patris solùm furorem: quod mihi videtur Textum innuere, dum ait: *In ira furoris.* Vt hinc discas, quando sit vitanda, & quando arripienda ira. Si propriam vindictam exambis, peccas, si alium corrigis, vt virtutum causam tuearis, laudabiliter irasceris.

Psal. 4. v. 5.

TEXTVS.

VERS. XXXV. Cùmque illuxisset mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo.

§. XLVII.

Amor nescit dormitare, quia dilectoobsequia discupit exhibere.

RES est amor solicita, & actuosa, quiescere nescit; vndè sicut nec paci arma, ita nec amori sedes construenda est; in modum flammæ irrequietus anhelat, & ocyssimus semper volat. Ecce Ionathas Princeps, & delicijs circumfusus anteuertit auroram, & in campum gressum accelerat. *Cùm illuxisset mane, venit Ionathas in agrum.* Cùm magnatibus de more in alto sole iacere, & meridie incipere vigilare, cùm frequenter lucis, noctisque officia permutant, & reliquorum antipodes, cùm alij vigilant, altissimo sopore iaceant immersi, & cùm alij dormiunt, inuigilarint solicitj, inquires, cur Ionathas lucem anteuertit, vt in agrum properauerit? *Cùm illuxisset mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid.* A magnatum more prorsus desciuit, & anteluccanus perrexit. Nec mirum; amabat tenero affectu Dauidem: ergo properauit, vt prima diei opera dilecto suo daret, & obsequium exhiberet. *Si quis* (aiebat Seneca *Epist. 122.*) *cùm ipso, vt ita dicam, die surgat officiosior, meliorque, quàm si quis illum expectat, vt luce prima exeat.* Non patitur amor moras, immò solis illi videntur morosi gressus, quia anhelat dilecti affatus. Quisquis oculos alto somno tradit, qui prolixam hyemis noctem exiguam censet, quisquis ignauiæ indulget, stimulos amoris non sentit. Conuenerant Ionathas, & Dauid, vt tertia die in agrum exiret, & quæ agnouisset, anxia pressò solicitudine renuntiaret: ergo Ionathas noctem insomnem ducens diei tertij lucem anteuertit, & incerto (si fas est dicere) die in campum Dauidem alloquuturus celeri gressu properauit. Notauit Abulensis *quæst. 34.* *Surrexit Ionathas*

Ionathas in aurora ad complendum fœdus, quod inierat cum Dauid, scilicèt vt renuntiaret ei, quod cognoscere posset de Saule. Etsi die tertia jam adulta renuntiaret, pactum impleret; verùm cùm tenerè Dauid deligeret, manicauit; nec enim patiebatur amor differre officium, nec placidum permittebat capere somnum: dubia adhuc luce surrexit, & vt Dauidem alloqueretur, festinauit. Qui ardenti in Deum affectu feruntur, lucem anteuertere, eique exhibere officia, & prima consecrare opera studiosè conantur, non pigritant, non somni detinentur illecebris, quia inardescunt amoris flammis. Ionathas & Princeps, & delicatus excutit somnum, aurora illucescere incipiente surgit, & in campum contendit: *Surrexit Ionathas in aurora ad complendum fœdus.* Abraham iussus offerre filium de nocte surgit, & properanter ad montem contendit: *De nocte consurgens strauit asinum suum.* Ad iter carpendum lucem non expectauit, quia ardens Deo obsequendi studium noctis tenebras depellebat, iterque monstrabat. Notauit Basilius Seleucienſis *orat.* 7. [Naturam, & afflictionem peruincebat affectio, nec non pietatis contentio senium, omniaque palam ardori in Deum inflammato cedebant. Exiliebat in montem.] Senectus consulebat somnum, ætas tardabat gressum; verùm amoris flamma senescentem pedem iuuenili cursu promouit, & cadentibus palpebris vigilare suasit.

Gen. 22. v. 3.

§. XLVIII.

Mirum non est, si studeas ob virtutem subire, quod non adeò nobili causa plures inueniuntur amplecti.

Virtus. Labor.

FRequens est afflictationibus contristari, & virtutis laboribus deterreri; verùm si seriò expendas, quot apud sæculum ob leue stipendium, aut ob detestandum gaudium grauissimas molestias expromptè subeant, & alacriter adeant, resumes animos, immò erubescès maiora pro vitro, quàm pro margarita pendi. Opportunè Tertullianus *ad Martyras cap.* 4. *Mutius magnum suam dexteram in ara cremauit, vt hoc factum eius fama haberet. Mimus fecerunt Philosophi.* Non est quod Philosophi sibi plaudant de paupertate, quando plus egit Mutius volaticæ gloriæ ambitione. Ionathas, vt Dauidi Christi Domini vmbram gerenti obsequium exhiberet, somnum rupit, & in agrum properauit: *Cumque illuxisset mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid.* Ne sibi plauderet, & quid magnum ob Dauidem se gessisse censeret, in conspectu habuit puerum paruulum, qui vt ei famularetur, non solùm interrupit somnum, sed tulit arcum: *Et puer paruulus cum eo.* Puer paruulus excussit somnum, humeris imposuit arcum, vt Ionathæ exhiberet seruitutis obsequium. Puer ætate erat imbecillior, & ob id ad capiendum somnum expromptior, & tamen manicauit, vt inseruiret. *Iste puer* (inquit Abulensis *quæst.* 34. *ibat ad ferendum arcum, & sagittas Ionathæ.* Itaque plus faciebat paruulus; vt præstaret Ionathæ famulatum, quàm Ionathas, vt Dauidi exhiberet officium. Ionathas lecti sprenit delicias, sed & puer somni contempsit illecebras. Ionathas exiuit in agrum, sed pondere non prægrauatus, puer arcu, & sagittis onustus. Ionathas, vt Dauidi Christi ænigmati inseruiret, immisit, puer, vt Ionathæ obtemperaret, & sagittas tulit, & collegit. Dubium non est, religionem ingressos inediam tolerare, noctis vigilias agere, superioribus obedire; verùm sibi de his nec placere debent, nec inaniter extolli, quando constat famulos apud sæculum ob exiguum pretium duriora amplecti. Quàm erubescendum fuit filio illi à patre ad excolendam vineam delegato respuisse labores, quos primo mane operarij solicitabant ob temporales, & exiguas satis vtilitates: *Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Iam in foro adstabant operarij pondus diei, & æstus portaturi, & hoc totum ob denarium, & detrectauit filius parentis, cui debet vitam, adimplere præceptum: *Fili, vade, hodiè operari in vinea mea. Ille autem respondens ait: Nolo.* Filium, vtpotè delicatum aliquantulum jam die adulto misit, sed filius noluit. Quàm erga patrem gelascebat amor, quàm aberat timor. *Quis ille, nisi Deus* (aiebat Chrysostomus *in Caten. D. Thom.*) *qui cùm sit natura Dominus, tamen vult magis diligi quasi pater.* Pater ad obsequium prouocat filium, Dominus ad laborem conducit operarium, & quod exiguo præmio tolerat operarius, recusat tanti amoris debitor filius.

Matth. 20. v. 1.

Matth. 21. v. 28.

TEXTVS.

VERS. XXXVI. & XXXVII. Et ait ad puerum suum: Vade, & affer mihi sagittas, quas ego iacio. Cumque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum. Venit itaque puer ad locum iaculi, quod miserat Ionathas, & clamauit Ionathas post tergum pueri, & ait: Ecce ibi est sagitta, porrò vltra te.

§. XLIX.

Principis, superioriſque efficaciùs admonent facta, quàm verba.

LIngua actionum efficacia destituta verborum poterit nitore splendere; rarò tamen accedet ad salutem corda ferire. Philosophia elinguis monet, plus facere curat, quàm dicere. *Vbi aliqua res obcæcat animum.* (aiebat Seneca *Epist.* 94.) *& ad officiorum dispiciendum ordinem impedit, nihil agit, qui præcipit.* Adiuuanda sunt verba operibus, opera à se ipsis habent energiam, & ad persuadendâ imitatione rhetoricam efficaciam. *Elingui Philosophia* (aiebat Tertullianus *de Pallio cap.* 6. *vita contenta est.* Ionathas, vt Dauidem admoneat, vtitur iaculis, antè quàm verbis: *Ecce ibi est sagitta, porrò vltra te* Iactu admonuit, & declinare periculum persuasit. *Conditum fuerat* (scribit Hugo) *de tribus sagittis iaciendis.* Sagittæ iactus erat pro verbo, & Dauid missa erudiebatur sagitta, etiam antè quàm ad fugiendum vrgerent verba. *Volebat dare Ionathas Dauid signum recedendi* (inquit Abulensis *quæst.* 34.) *hoc autem fuit iaciendo sagittam vltra puerum.* Manus Ionathæ erat pro lingua, nam Principes, superioresque operando loquuntur, & efficacius persuadent factis, quàm verbis Petrus, vt claudi vestigia reformaret, surgere iussit: *In nomine Iesu Christi*

Superior. Verbum. Opera.

Act. 6. v. 3. *Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Vtque verbis efficaciam inderet, manum extendit: *Et apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum.* Quid tunc? *Protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ.* Iam dixerat: *Surge*, & nihilominus non refertur planta conſolidata, donec manus, vt alleuarit, refertur miſſa: *Protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ.* Quando *protinus?* Cùm manum extendit, non quia verbo defuerit efficacia, ſed vt nobis vtilis emanaret doctrina. Notauit Seleuciensis Baſilius *orat.* 21. *Emiſit vocem, immiſit tangendi vim, & liberationem a malo imitatione quadam expreſſit. Per Petri manum curſuram didiciſti.* Lingua iuſſit, ſed Petri manus curſuram edocuit. Superiores namque efficacius edocent factis, quàm verbis.

TEXTVS.

VERS. XXXVIII. & XXXIX. Clamauitque iterum Ionathas poſt tergum pueri, dicens: Feſtina velociter, ne ſteteris. Collegit autem puer Ionathæ ſagittas, & attulit ad Dominum ſuum: & quid ageretur, penitus ignorabat: tãtummodò enim Ionathas, & Dauid rem nouerant.

§. L.

Aliquando cum alio loquimur, & verba ad alium dirigimus.

Verba. Intentio. NOn ſemel cum alio loquimur, & quæ loquimur, ad alium diriginus. Non poſſumus aliquando verba noſtra verſus aliquem collimare, aut quia ſic docet prudentia, aut quia timet audacia ergo ea proferimus verba, quibus poſſimus intentioni adulari, & intentionem obtegere: deſideramus carpere, ſed ea arte, vt qui feritur, intelligat, & referire non valeat. *Plerumque* (aiebat Plinius in Panegyr.) *bonorum, malorumque cauſæ ſub diuerſa ſpecie latent.* Sub ſpecie allocutionis cum vno, intentio tendit in alium. Ionathas cum puero de ſagittis loquitur, ſed ad Dauidem loquela dirigitur. *Clamauit Ionathas poſt tergum pueri dicens: Feſtina velociter.* Curſus velox puero præcipitur, ſed latens Dauid monetur. *Volebat dare Ionathas Dauid ſignum recedendi* (inquit Abulenſis *quæſt.* 34.) *hoc autem fuit iaciendo ſagittam vltra puerum.* Cum puero loquebatur, ſed puero dicta ad Dauidem dirigebantur induſtriè obtecta. Aſtutia eo artificio ſolet verba proferre, vt quod deſiderat, perficiat, & deſideraſſe ſe, abſcondat. Dum Beniamin morti proximus pater alloqueretur, aiebat: *Beniamin lupus rapax: mane comedet prædam, &* Gen. 49. v. 27. *veſpere diuidet ſpolia.* Hæc verba Beniamin tunc adſtanti dicebantur, ſed ad Paulum dirigebantur. Pauli mores ſenex prudentiſſimus deſcribebat, & Beniamin ſibi dilectum, ex floridis moribus expolitum rapacem lupum vocabat. Ita Lira ex Auguſtini ſententia: *Exponit Auguſtinus de Paulo Apoſtolo, qui fuit de tribu Beniamin.* Paulus erat lupus in Chriſtianos deſæuiens, & cæciſſimo ardore furens: ergo Iacob, vt hanc truculentiam carperet, & ſæuitiam, Beniamin vocauit lupum: nec erat animus Iacobi verbis aſperis Beniaminum contriſtare, ſed Pauli mores corrigere: alloquebatur Beniaminum, ſed verba dirigebat ad Paulum. Aliquando pater arguit ſeruum, vt corrigat filium, vult à filio intelligi, quæ videntur ſeruulo dici. Aliquando quos illigat timor, & incitat ardor, ænigmaticè loquuntur, vt eo in ænigmate, quæ volunt, præferant, & animo ad ſpeciem candido æmulum feriant.

TEXTVS.

VERS. XL. Dedit ergo Ionathas arma ſua puero, & dixit ei: Vade & defer in ciuitatem.

§. LI.

Verus obediens obtemperat laudabiliter cæcus, obedientiæ cauſam non perſcrutatur curioſus.

NOn ſemel qui obedientiæ cauſam inquirit, & quæ ibi latere poſſint, indagat, ſibi no- *Obedientia.* cet, & ab obedientia recedit: laudabili cæcitate parendum eſt, nec præcipientis intentio perquirenda, aut præceptorum cauſa examinanda. *Felix cæcitas* (aiebat Tilmannus *in Allegor. ad Aſtor.* 9.) *qua malè quondam illuminati in prauaricatione, tandem in conuerſione ſalubriter oculi excæcantur.* Tota humani generis pernicies orta eſt ab obedientiæ inquiſitione, & à præcepta examinandi ſtulta curioſitate: *Cur præcepit vobis Deus,* *Cauſa.* *vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* Serpentina aſtutia ab ſcrutatione obedientiæ totam virtutum fabricam ſubruere aggreditur, vtque mulier oculos adaperiat, fraudulenter ſatis admittitur: *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum.* Notauit Bernardus *in Allegor. Tilmanni: Mentem mulieris explorans, ſcienter ingenio, non viribus laborandum. Cur, inquit præcipit vobis Deus, ne comederetis.* Vt ſerpens peſtifero pollebat ingenio, obedientiam perſnaſit examinare. quò facilius poſſet ſubruere, quod & fecit: nam dum mens Euæ fluctuat, dum rationem prohibitionis indagat, ab obedientia reſilit, & pomum carpit. Puerum paruulum ſecum defert Ionathas in agrum, & jam iubet iactas ſagittas colligere, jam in ciuitatem deferre: *Vade, & defer in ciuitatem.* Omnia exactè adimpleuit puer, nec quid ageretur, conijcere ſtuduit: *Collegit puer Ionathæ ſagittas, & attulit ad Dominum ſuum, & quid ageretur, penitus ignorabat.* Non erant pueri referanda, quæ Dauidi aperienda, nec decebat puerum inquirere, cur Ionathas ſolus remaneret: aut cur longiori tempore ſe ad ſignum non exerceret: non dixit, ad quid opus fuit in campum exire, & tam exiguo temporis ſpatio à iaculatione abſtinere, ſed cæca obedientia paruit, nec curioſè acta, aut imperata diſcuſſit; & diuina felici paruit ignorantia; effloruit magis obedientia. *Videbat* (inquit Abulenſis *quæſt.* 34.) *mittis ſagittas, ſed ignorabat ad quid hoc ageretur nec etiam putabat aliquid latere.* Vidit in agro Ionatham ad ſe exercendum exiſſe, vidit ſententiam citiſſimè ad ſpeciem retractaſſe, non tamen præſumpſit aliquid ibi latere, ſed ſtuduit tantum obedire. Quod ſi imitatus fuiſſet Ionas, non ſubijſſet naufragium, nec admiſiſſet inobedientiæ delictum. Illi iubet Deus Niniuem contendere, & poſt quadraginta dies euerſionē procla- Ionæ 3. mare. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Verùm ad explendam iturus obedientiam Ionæ 1. arripuit fugam: *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis.* Et quæ fugæ cauſa? examinaſſe nimia curioſitate præcepta: latere ſub eis minis miſericor

misericordiam coniecit, & prædictionem irritam fore præsumpsit: ergo, dum examinat, errat. Ita Theodorus *cap. 1. Considerauit, non Deum præsignificare, si punire vellet, cùm vltionis sanè minatio ad pœnitentiam adhortatio sit.* Dum obedientiæ finem scrutatur curiosus, redditur naufragus, vitasset, quæ pertulit laudabiliter cœcus. Quisquis superioris examinat intentionem, quisquis finem discutit, obedientiæ splendorem innubilat, & sibi periculum creat.

TEXTVS.

VERS. XLI. Cumque abiisset puer, surrexit Dauid de loco, qui vergebat ad austrum, & cadens pronus in terram adorauit tertiò, & osculantes se alterutrum, fleuerunt pariter, Dauid autem amplius.

§. XLII.

Deus vehementer dolor ab eis recedere; quos sibi summis, repetitisque beneficiis solicitarat obstringere.

Amor. Deus. Beneficium. Recessus.

DE optimo Principe aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 10. plus amati doluisse pericula, & suæ extimuisse minus salutis damna: *Eius pericula formidauit, qui saluti propriæ timere nescivit.* Nescivit salutis propriæ timere periculi contingentiam, quia totus erat dolore possessus, infaustam chari pignoris fortunam miseram suspicatus. Dauid Regem cantu à dæmonis obsidione liberarat, Gigantem deiecerat, à contribulium ceruicibus, ne subirent seruitutis iugum, auerterat, & modò cogitur exulare, & ignotas regiones petere: ergo dolenti animo amaras fundit lachrymas, quia dilecti Saulis, quem mirandis officiis obstrinxerat, iam calamitates miseras præuidebat: *Fleuerunt pariter, Dauid autem amplius.* Amaris lugebat lachrymis tot amissa beneficia, tot impendentia Israelitis damna. *Non solùm ab amico recedere cogebatur* (inquit Abulensis *q. 35. sed & naturalem patriam, & claram progeniem deserebat.* Qui vehementi amore aduritur, rei dilectæ absentia dolenter vrgetur: ergo cùm in Ionatham, in Saulem, in patriam tenerrimo Dauid duceretur affectu, non potuit recessurus copioso intimum dolorem non manifestare ploratu. Quid enim amanti durius, quid egrius, quàm ad recessum cogi, ab eis, quos votiuis studiis, & dilargitis magnis beneficiis solicitarat allicere. Audio Deum toto Israelitarum populo humeris lato celeriter inuolasse, quasi nullo humeri pondere grauarentur: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Ipso pullorum onere lætabatur, gaudebat ipsa fatigatione, quia dilectos secum portabat, & à periculis eximebat. Verte modò oculos ad Ioan. 4. vbi nullo pondere pressus ob exiguum iter refertur defatigatus, & ad anxij laboris leuamentum iuxta fontem sedendo detentus: *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem; hora autem erat quasi sexta:* Multa expendenda occurrunt. Si cum pastor humeris imposuit ouem post peragratos montes, post inuestigatas valles, post excursos anhelis gressibus campos non sedit defatigatus, cur modò labore sedet attritus? Si aquila non prægrauatur pondere, sed aera tranat volatu celeri, cur modò sine pondere defatigatur, nec vlterius progreditur? Solis meridianus ardor suadebat non subsistere, sed in ciuitatem, quò Apostoli contenderant, properare, & mauult iuxta fontem sedere? Apostolis non lassis ipsa fortitudo dilassatur, & ad lassitudinis leuamentum sedere, si fas est dicere, cogitur? Quia eo in itinere (inquit Chrysost. *in Caten.*) à Iudæa sibi dilecta recedebat, & gentibus propinquabat: ergo, dum cogitur miraculis tantis allectos, beneficiis tantis obstrictos deserere, non potest non fatigari: amori quodammodò adulatus delegit sessionem, quia longiùs procedendo, quouis gressu adaugebat sibi solicitam anxietudinem. Accipe Chrysostomum: *Ita difficulter incedit, vt ex itinere fatigetur.* Si dilectis propinquaret, laborem nullum sentiret, at recedens quouis gressu defatigatur, & crescente distantia ad nostram eruditionem torquetur: ergo Dauid largiter plorat, dum dilectos sibi desertat. *Dauid autem amplius.*

Deuter. 32. v. 11.

Ioan. 4. v. 6.

§. LIII.

Accepta dona pro lingua esse solent ad promulganda secreta.

Secretum. Donum.

SÆpè quæ ab oculis abscondere solicitum procurauit studium, dilargitum prodidit donum, & in munere deprehendit perspicacia, quod abscondere sagax nitebatur cautela. Huc voco, quod aliorsum aiebat Seneca *epist. 8. Munera ista fortunæ putatis, insidiæ sunt.* Danti, accipientique munera solent insidiari, & occulta promere. Ecce Ionathas, quàm tenerè Dauid diligeret, dolorosis fletibus indicauit: *Fleuerunt pariter*, & tamen cùm inermem conspiciat, nec arcum, nec sagittas ei exhibet, etiam cùm declinare captiosas patris insidias monet. Profectò quid amori videatur Ionathas detrahere, cùm nec arcu, nec sagittis, cùm potuerit, velit communire: *Defer in ciuitatem.* Puero deferre iubet, & Dauidi inermi non tradit? Si Dauid fugit, si armis caret, vt ipse testatur Achimelech: *Arma mea non tuli mecum*, cur Ionathas, qui olim Dauid arma dederat, modò non ministrat? *Expoliauit se Ionathas tunica, quæ erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum.* Dauid Goliath gladium possidens nec gladio, nec arcu Ionathæ tunc indigebat, & nihilominus Ionathas arcum suum obtulit, & modò in ciuitatem remittit: *Defer in ciuitatem?* Ecqua huius discriminis causa est? An quia habenti dabitur? an quia Principes non largiuntur necessaria, & profundunt sæpè superflua? Profectò Ionathas modò arcum non dedit prouidus, non denegauit auarus; oportebat gesta tunc alto silentio premi, non vulgari: ergo non dedit ea arma, quia essent ad secretum enulgandum pro lingua. Quisquis videret Ionatham arcu carere, & Dauidem arcu Principis exornari, agnosceret à Ionatha ea arma secretò exhibita, & clanculum miscuisse colloquia: ergo noluit donis secreta prodere, & contra se, Dauidemque præsumptiones fouere. Prodest Abulensis *quæst. 35. Dedit Ionathas arma sua puero, scilicet arcum, & sagittas; nulla enim alia arma secum tulerat, ne suspicandi occasionem de se daret.* Si puer videret Ionatham sine arcu redire, aliquam suspicandi occasionem haberet, & qui Principis arcu instructum Dauidem intueretur, contra parentem obarmasse suspicaretur: ergo prudentissimè Ionathas, quæ desiderabat nesciri, noluit eis dilargitis

Inf. c. 21. v. 8. Supr. c. 18. v. 4.

muneribus eulgari. Thamar, quæ expicta Iudam ab itinere abduxerat, & cum eo secretò egerat; accepta protulit munera, quæ manifestarunt arcana: *Cognosce, cuius sit annulus, & armilla, & baculus.* Visis pignoribus, quæ in recessu acta, plures agnouerunt, quia ipsa dona fuerunt indubia argumenta, & clarissima testimonia. *Sigillum quidem* (inquit Caietanus) *erat annulus.* In annulo Iudæ stemmata erant insculpta: ergo quisquis in manu mulieris videret annulum, manifestè dignosceret, quod celarat secretum, quia ad eulganda secreta erat annulus pro lingua.

Gen. 38. v. 25.

§. LIV.

Deus aliquando sagittas iactat, vt homo se à tenebris, & periculis expediat.

Cõminatio. Peccator. Periculum Infortuniũ.

MAximum negotium tecum habes, tu tibi molestus es (aiebat Seneca *epist.* 21.) *Quid velis, nescis, melius probas honesta, quàm sequeris.* Cœlestis lux honesta demonstrat, delicta conscientiæ morsus condemnat; verùm ea est humana cœcitas, vt suas amet tenebras, nec velit sordida, & obscura relinquere, & ad tuta, honestaque gressum promouere: ergo Deus pater amantissimus aliquas languoris, infortuniive solet sagittas vibrare, queis homo admonitus studeat pericula anteuertere, & se à tenebrarum vinculis expedire. Omnia in figura contingebant Hebræis: ergo Ionathas, qui interpretatur columbæ donum, sagittas iacit: *Iecit aliam sagittam*, & iam Dauid surgit, & Ionathæ accedit: *Surrexit Dauid de loco, qui vergebat ad austrum, & cadens pronus in terram adorauit tertiò.* Ecce sagittarum effectus, scilicèt Dauid ab antro, in quo iacebat, assurgere, & cœlesti columbæ propinquare. Notauit Abulensis *q.* 35. *Dauid stans apud lapidem Ezel fortè in aliqua cauerna illius, audiebat quid loqueretur Ionathas ad puerum suum, quia sagittæ iaciebantur iuxta lapidem Ezel.* Delitescebat cauerna lucis refuga: ergo admonuit, vt resurgeret iacta sagitta: audiuit periculum adesse, audiuit oportere ad tutiora transire: ergo tenebrosam cauernam reliquit, columbæque accessit. Historiæ penicillo depinxit scriptura; quid intendat Deus sagitta iacta: immittit aliquando morbum, permittit infortunium, vt his sagittis peccator admonitus duriora effugiat iacula, & tenebrarum abrumpat vincula. Prodest Radulphus hîc apud Tilmannum *in Allegor. Clamauit Ionathas post tergum pueri, & ait: Ecce ibi est sagitta, porrò vltra te.* Adnectit: *Quasi clamore valido humanam nititur rumpere surditatem.* Sagittam mittit, valenter inclamat, vt abacta surditate peccator consideret quid sibi expediat. Totum corpus Sunamitidis filio Elisæus imponit, eoque pondere premit, donec puer resumpta anima reuixit, oculosque aperuit: *Incubuit super puerum, & oscitauit puer septies, aperuitque oculos.* Peccatis emortuum arcanè oppressit, nec ea ponderis angustia, donec aperuit oculos, liberauit. Innuit Basilius Seleucensis *orat.* 10. *Omnes artus sanctificati sunt, & ad vsum meliorem traducti. Os quidem doctum est dicere: Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Antequàm eo felici pondere grauaretur, os laudare Deum ignorabat, oculus euanidum creaturarum fulgorem solùm aspiciebat; posteà iam oculus agnouit veritatem, & exercuit manus virtutem. Felicior salute fuit infirmitas, & antiqua fortuna fortunatior calamitas. Poterat Elisæus Christi personam gerens verbo excitare, eo tamen modo ad vitam voluit reducere, quo noscereмus plures ægrotare aliquando ad salutem, & premi ad felicitatem.

4. Reg. 4. v. 35.

§. LV.

Maiori dignus est reuerentia, qui te docet pericula fugere, quàm qui studet pretiosis muneribus exornare.

Periculum. Ornamenta.

PRodesse dicuntur (inquit Seneca *epist.* 109.) *& qui media nobis largiuntur, pecuniam, gratiam, incolumitatem, alia in vsus vitæ chara, aut necessaria.* Prodest quidem quisquis ad vitæ vsus commoda offert, sed maiori gratitudine dignus, si ad virtutem adhortetur tendere, & à tenebris exilire. *Quid ista me res iuuat?* (adnectit Philosophus) *Fortiorem faciet?.. Nunc doce, quod necesse est.* Huius doctrinæ, philosophiæque gnarus Dauid, cùm à Ionathæ sagittis fuisset admonitus, tenebrarum antrum, vt *præcedenti* §. vidimus, dereliquit, & repetita modò adoratione amico gratias egit, & maiorem gratitudinem factis exhibuit: *Cadens pronus in terram adorauit tertiò.* Video Ionatham egregia erga Dauidem amoris testimonia alibi protulisse, regia tunica exornasse, gladio, baltheo, arcuque nobilitasse; & tamen non video Dauidem tertiò adorare, nec magna adeò gratitudinis argumenta promere. Et cur modò submissa adeò veneratione colit, cùm anteà magnam adeo reuerentiam non exhibuit? An quia Ionathas anteà triumphatoris fortunam secutus, & modò turbulentis calamitatum voluminibus iactato auxiliatus? Ita sanè est enim maiori reuerentia, & veneratione dignus, qui amico adest potentium odiis impetito, quàm lauris florentibus, & magnatum plausibus celebrato. Sed ad hæc aliud nobis Dauid vtilissimum documentum exhibuit, dum maiorem modò venerationis cultum impendit. Acceperat anteà Dauid larga munera pretiosa ornamenta, modò debebat Ionathæ salubria consilia, quibus pericula magna vitauit, & ad tutiora confugit: ergo edocuit factis maiorem reuerentiam amoremque deberi à periculis eripienti, quàm donis, & muneribus exornanti. Ita Iosephus apud Glossam: *Dauid cecidit ad pedes Ionathæ, eumque adorans, saluatorem animæ suæ vocabat, quem Ionathas eleuauit à terra, & alterutros se amplexantes validè semetipsos osculabantur, & flebant ætatem suam inuidiæ malignitate consumptam, & futuram separationem, quæ vtiul differt à morte.* Hic Ionathas resplenduit animæ Redemptor, corporis anteà adornator: ergo Dauid largiores egit gratias ob animæ salutem, quàm ob corporis splendorem.

§. LVI.

Vera compassio est doloris delinimentum, & grande in afflictione solatium.

Compassio. Solatium. Dolor.

AMico in ærumnis compati, collachrymarique, non est exiguum doloris solatium, afflictionisque leuamentum. Naturale est velle amari, cumque compassio sit amoris testimonium, & pietatis indicium, lenit doloris asperitatem, & emollit aliquomodò animi perturbationem, præcipuè cùm iniustè afflictus, & inuidentiæ malignitate iactatus non solùm à compassione mutuatur solamen iniuriæ, sed argumentum etiam innocentiæ. Socrates ad sæuam mortem damnatus est ob fœdissima crimina, quæ putabantur ab inuidentia conficta, à malignitate æmulorum architectata. Aderant ergo incarcerato nonnulli clientuli, amicique, qui commiseratione illachrymabantur, iniuria calamitatem illam subite attestati, eiusque innocentiam tuiti: ergo magnum exhibebant lachrymis innoxio solamen. Notauit Tertullianus *lib. 1. de Animæ, cap. 1. Quid aliud saperet vir quidem iniuria damnatus præter iniuriæ solamen.* Dolebant innocentem perire, collata Reipublicæ beneficia in Socratem contorqueri: ergo eis lachrymis, & clamoribus dolor miteſcebat Socratis, & aliquantulum afflictio detumeſcebat patientis. Ob id Ionathas, dum vidit Dauid iniuria ad mortem damnatum, & malignitate ad exulandum compulsum, largo fletu commiserationem ostendit, & amico solatium attulit: *Fleuerunt pariter.* Fleuisse Ionatham, vt consolaretur Dauidem, testatur Abulensis *quæstione trigesima quinta. Flebat amici recessum.* Adnectit: *Ionathas debuit habere locum consolantis.* Ad commiserationem recurrit Ionathas, vt qui non ignorabat amicorum commiserationem magnum afflictis esse solatium:

1. Cor. 11. v. 29. *Quis infirmatur* (aiebat Apostolus) *& ego non infirmor.* Ad quæ Hugo de sancto Victore *in Allegor. Tilmanni*: *Ex insito sibi pietatis affectu animus alienis ærumnis condolet.* Adnectit: *Cum scilicet vel iniustitiam premi, vel innocentiam affligi videmus.* Videbat Paulus Christianorum innocentiam premi, iustos videbat affligi: ergo eis compassionis impendebat affectum, & quidem doloris erat solatium, Apostolum tot dotibus exornatum eorum commiserari, & cum ipsis infirmari: ergo Ionathas virtutibus exultus, dum Dauidis afflictionem deplorat, innocentiæ commiseratione fidem facit, & dolorem patientis lenit.

§. LVII.

Vehementer timendum est in eius manus incidere, quem non dubitas irritatum plurimis offensionibus excandescere.

Peccator. Iudex.

CHaram patriam, & dulces lares relinquere semper est acerbè amarum, amarè acerbum. Patria miserorum infortunia lenat singulari pietate, & ingenita commiseratione: extranea regio miserias adauget, & solatiis plurimis interdicit. Disertè Chrysologus *serm. 151. O quàm durum est peregrinatio etiam inter ciues, fratresque: sapit quid sit sua domus, qui sentit alienam.* Quod si peregrinari inter ciues, fratresque est adeò durum, quàm erit inter hostes offensionibus exacerbatos dolendum? Hic est, quòd Ionathas, & Dauid ab inuicem separari coacti in amaras lachrymas sint effusi: *Fleuerunt pariter, Dauid autem amplius.* Profusioris Dauid fletus causas inquirunt Interpretes, aiuntque Ionathæ aliquod solatium esse, à patria non exulare; & inter sibi notos, cognatosque degere: *Ionathas ingressus est ciuitatem*, Dauidisque dolorem exulcerasse non solùm charum amicum, patriamque relinquere; sed ad exulandum inter Philisthinos cogi: Non licebat in Saulis ditione persistere, quia graue ibi periculum non poterat non vrgere. Ex alia parte, non ignorabat Dauid intulisse Philisthinis durissima bella, attulisseque luctuosa satis excidia: ergò ampliùs fleuit: *Dauid autem amplius*, quia opus erat incidere in eorum manus, qui expetituri censebantur vindictam, & vindicaturi offensam. Ita noster Sancius: *Videbat sibi deserendam esse patriam, atque cognatos, & ad externas regiones, ad quas non pertineret Saulis imperium, esse transmigrandum, à quibus etiam timere posset, cùm illas, aut illarum aliquas duris non semel plagis confecisset.* Videbat illatis plagis Philisthinos offensos, verebaturque, ne opportunam nacti occasionem eius strage acceptas solarentur plagas, & vindicarent offensas: ergo modò antiquum illud victoriæ gaudium amarum conuertebatur in luctum: *Dauid autem amplius.* Hinc peccatores eruditur: sæpè accepta contra Deum infeliciter victoriæ lætati sunt, velint tamen nolint, in eius manum incidendum est. O quàm instante morte erit solicitum ad ignotam illam regionem transmigrare, & exasperatum offensionibus iudicem inuenire: verùm Dauid, qui largo fletu indicauit doloris causam, ipso etiam fletu edocuit peccatoris medelam. Confuge ad amaras lachrymas, ad lachrymosa suspiria, eis namque Dominum deplacabis, & maculas elues: *Dauid autem amplius.*

TEXTVS.

VERS. XLII. & XLIII. Dixit ergo Ionathas ad Dauid: Vade in pace: quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me, & te, & inter semen meum, & semen tuum vsque in sempiternum. Et surrexit Dauid, & abiit, sed & Ionathas ingressus est ciuitatem.

§. LVIII.

Vehemens dolor, aut interrumpit verba, aut prorsus occludit labia.

Dolor. Verbum.

ACerrimus dolor omnes animi vires ad se potenter rapit, immò consumit, omnia sensuum instrumenta obstupescunt, languet oculus, auris obsurdescit, manus rigent, lingua amittit loquendi vsum, & ora claudit silentium. Vt adaptari possint verba illa Cassiodori aliorsum de Elephante dicta: *Metallicos possis credere, cùm se viuos aspicias non*

mouere. Iacent ſuperſtites ſimilitudine cadauerum, mortuos putes, quos viuos eſſe non dubites. Viuunt qui intimo, acerrimoque caſu, ac dolore pulſantur, ſed ita viuunt, vt actione vitæ teſtimonio quodammodò orbentur. Quæ formare animus adnititur verba, aut lingua non profert, aut ſemiformata interrumpit. Ionathas ea verba protulit, cùm à Dauid ſepararetur, quæ ſententiam ſuſpendunt, & ſuſpenſione dolorem arguunt: *Quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini dicentes: Dominus ſit inter me, & te, & inter ſemen meum, & ſemen tuum vſque in ſempiternum.* Nonne vides illa Ionathæ verba: *Quæ iurauimus ambo*, eſſe interrupta, & perfecto ſenſu carentia? Aliquid addendum erat, ne quid deſideraret auditor, cur ergo reliquit imperfectam ſententiam, & verborum oſtendit inopiam? Quia adeò Ionathæ animus ægrè erat commotus, vt plenum proferre verbum non pateretur ſingultus: *Quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini.* Notauit noſter Sancius: *Diſcedens Ionathas imperfecta Dauidi mandata dedit, quia vis illi doloris intercluſo ſpiritu loquendi facultatem ademit.* Itaque clauſulam imperfectam, & ſuſpenſam reliquit, quia ſingultanti pectore animus inchoatum verbum nequiuit abſoluere. Chriſtus Dominus cùm celeberrimæ illius ciuitatis Hieruſalem, & pulcherrimam fabricam aſpiceret, ſtragemque miſeram præuideret, intimo viſcerum dolore exulceratus ſic aiebat: *Si cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Dum audis, *ſi cognouiſſes & tu, quæ ad pacem tibi*, aliud expectabas vt perfectum verborum ſenſum perciperes, & tamen decurtata ſententia eſt, quia fletus, & dolor viſcerum anxius linguam quodammodò occluſit, & occludendo commiſerationis dolorem eloquentius declarauit. Notauit Gregorius *in Caten. D. Thom. Fleuit igitur prius Redemptor ruinam perfidæ ciuitatis, quam ipſa ciuitas ſibi non cognoſcebat eſſe venturam. Vndè ſubditur, dicens: quia ſi cognouiſſes & tu, ſubaudi fleres.* Subaudienda illa clauſula, *Fleres*, vt ſententia verborum maneret perfecta; eo tamen dolore Chriſtus commotus eſt aſpiciens ignorantiam, & præuidens perſpicacibus oculis miſerandam ruinam, vt manſerit & interrupta, & ſuſpenſa: vehemens namque dolor verba nequit proferre, aut ſi profert, non abrumpere. Luc. 19. 9. 42.

CAPVT XXI.

1 VENIT autem Dauid in Nobe ad Achimelech ſacerdotem, & obſtupuit Achimelech, eò quòd veniſſet Dauid. Et dixit ei: Quare tu ſolus, & nullus eſt tecum? 2. Et ait Dauid ad Achimelech ſacerdotem: Rex præcepit mihi ſermonem, & dixit: Nemo ſciat rem, propter quam miſſus es à me, & cuiuſmodi præcepta tibi dederim; nam & pueris condixi in illum, & illum locum: 3. Nunc ergo ſi quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inueneris: 4. Et reſpondens Sacerdos ad Dauid, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantum panem ſanctum: Si mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus: 5. Et reſpondit Dauid Sacerdoti, & dixit ei: Equidem, ſi de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vaſa puerorum ſancta: porrò via hæc polluta eſt, ſed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis: 6. Dedit ergo ei Sacerdos ſanctificatum panem: neque enim erat ibi panis, niſi tantum panes propoſitionis, qui ſublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi: Erat autem ibi vir quidam de ſeruis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini: & nomen eius Doeg Idumæus, potentiſſimus paſtorum Saul: 8. Dixit autem Dauid ad Achimelech: Si habes hic ad manum haſtam, aut gladium? quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum: ſermo enim Regis vrgebat: 9. Et dixit Sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi, quem percuſſiſti in valle Terebinthi, eſt inuolutus pallio poſt Ephod: Si iſtum vis tollere, tolle, neque enim hic eſt altus abſque eo. Et ait Dauid: Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum: 10. Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saul, & venit ad Achis Regem Geth: 11. Dixeruntque ſerui Achis ad eum, cùm vidiſſent Dauid: Nunquid non iſte eſt Dauid Rex terræ? Nonne huic cantabant per choros dicentes: Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia: 12. Poſuit autem Dauid ſermones iſtos in corde ſuo. Et extimuit valdè à facie Achis Regis Geth: 13. Et immutauit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebantque ſaliuæ eius in barbam: 14. Et ait Achis ad ſeruos ſuos. Vidiſtis hominem inſanum: quare adduxiſtis eum ad me: 15. An deſunt nobis furioſi, quòd introduxiſtis iſtum, vt fureret me præſente? Hiccine ingredietur domum meam?

TEXTVS

TEXTVS.

VERS. I. Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem : & obstupuit Achimelech quòd venisset Dauid : Et dixit ei : Quare tu solus, & nullus est tecum ?

§. I.

Corda solent præsagire imminentia sibi pericula, & nescio quo interno pulsu præsentire iam damna.

Cor. Periculum. Præsagium.

IMminentia bona (aiebat Cassiodorus) 12. variar. 19.) *quadam animi præsagitione dignoscimus : & difficile magna res geritur, quæ signorum præcursione minimè declaratur.* Non minus imminentia mala quadam indeliberata animi solicitudine solent præcognosci, & inopino metu sentiri. Mare, antequàm irruat procella, quadam commotione concutitur, & fluctuatione turbatur ; & licèt frequenter eiusmodi subitis animi motibus fides non præstanda, non est cœlestis prouidentiæ admonitio vllatenus contemnenda. Dauid in Nobe aduentat, & iam sacerdos obstupet : *Obstupuit Achimelech, eò quod venisset Dauid.* Iuxta Hebræum habetur: *Et tremuit Achimelech* ; non corpore tremuit, sed animo. Si inquiras huius tremoris causam, pro eo aduentus tempore non inuenies, potius namque Danidis religiosissimi, strenuique aduentus debuisset sacerdotem exhilarare, quàm animum tremore concutere. Cur ergo & obstupuit, & tremuit? Extende oculos ad secutos ex huius aduentu casus. Saul cœco furore inflammatus

Inf. cap. 22. v. 18.

sacerdotes trucidauit : *Et ait Rex ad Doeg : Conuertere tu, & irrue in sacerdotes. Et trucidauit in die illa octoginta quinque vestitos Ephod lineo.* Doeg quid in Danidis aduentu contigisset, non solùm Regi retulit, sed mendaciis, vt adularetur, adauxit. Rex ex se intuidus, & maleuolus, & modò Doeg relationibus inflammatus & sacerdotibus mortem, & ciuitati intulit etiam stragem : ergo Achimelech præmaturo timore ad aduentum obstupuit, quasi iam illa interna tremoris concussio futuram prænuntiaret eladem, & crudelissimam mortem. Notauit Caietanus : *Occurrente Dauide ex improuiso absque solita societate præsagus mali animus timuit.* Non aderat infortunium, & iam animi inopinus tremor erat infortunij præsagium, & Achimelech ea inopina animi perturbatione cœpit pauere, quod posteà compulsus est experiri: *Præsagus mali animus tremuit.* Nabuchodonosor molli occumbens lecto obturbatur, & somnio excisæ illius florentis arboris casu terretur : *Florens in palatio meo somnium vidi, quod perterruit me.* Iam futura calamitas somnij penicillo depicta animum solicitabat, & quasi adesset, iam præsago motu terrebat. Vt quàm verum sit, quod Cassiodorus aiebat, agnoscat : *Difficile magna res geritur, quæ signorum præcursione minime declaratur.* Euentum anteuertit somnium, & iam animus appetens coniiciebat tremoribus infortunium. *Somnium vidi, quod perterruit me* (inquit Lira) *diuina virtute hoc faciente.* Diuina prouidentia illud immisit somnium, vt arrecta pœnitudine, si vellet Nabuchodonosor, posset vitare supplicium : ergo iam animus deturbatur, & futura arboris excisio quadam animi præsagitione sentitur.

Dan. 4. v. 1.

§. II.

Florentes turba circunstat, circa calamitosos ingens solitudo est.

AMici indè fugiunt vnde probantur, dum fortuna floret, dum felicitas viget, plures adsunt vsque ad fastidium ; si fors inuertatur, recedent omnes, & adaugebunt doloris recessu ingrato tormentum. Opportunè Seneca *epistola nona. Florentes amicorum turba circumsedet, circa euersos ingens solitudo est.* Hac in re abundè suppetunt exempla. Alij, vt sibi caueant, diffugiunt ; alij, vt noui amici gratiam elucrentur, antiquum produnt. Mihi crede : quæ foris apparet amicitia, intus negotiatio est, ad commodum accedit, & si infortunium appetat, fugit. Nesciebat Achimelech, quando Dauidem miratur solum, iactari calamitatis fluctibus diuexatum: *Obstupuit Achimelech, eò quòd veniisset Dauid, & dixit ei : Quare tu solus, & nullus est tecum ?* Cùm Dauid Regis esset gener, plausibus celebratus, & prospera fortuna vsus, demirabatur Achimelech magno satellitio non stipari, sed solùm incedere. Si nosset fortunam inuersam, admirationis non haberet causam ; immò si solum non videret, posset obtupescere, & demirari. *Miratus est Sacerdos* (inquit noster Sancius) *quod eò vir tantus appulisset distractus à Rege, cuius opera ipsi, ac regno magnos offerebat vsus sine satellitio, aut vllo comitatu.* Chiliarchus magnum secum ferebat semper satellitium ; at iam fortuna in contrariam partem inclinante ad Nobe peruenit solus : ergo cùm sacerdos vidit solum, obstupuit quia fortunam iam demutatam coniecit. *Faciamus hic* (aiebat Petrus) *tria tabernacula.* Cùm Dominus conspicua luce floreret, nolebat à Christi latere separari, sed in montis cacumine adesse. Hic idem cùm in agonia (vt luce verbo vtar) Dominus versaretur, oculos somno immersit, & posteà fugit : *Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt.* Preme illud, *Tunc*, quando eorum ad speciem indigebat consortio, & opus erat solatio. Ipse Petrus, qui construere studebat tabernacula, & præstare præfulgenti exambiebat obsequio, celeri discessit fuga. *Quia videbat* (inquit Origenes in Catena Diui Thomæ *ad Matth. 17.*) *multam quietem, & solitudinem, cogitauit conuenientem ibi stationem esse ex loci dispositione, quod significat, dicens : Bonum est nos hic esse.* Bonum sibi existimabat Petrus esse in fastigio, non adeò bonum in horto : ergo in horto, fugit, in fastigio adfuit. Vt repetat Seneca data epistola. *Cùm primum crepuerit catena, discedet.* Daniel, vbi Regis vtebatur fauore, erat ab omnibus honoratus : *Erat Daniel conuiua Regis, & honoratus super omnes amicos eius.* Posteà, vt mundi res, susque deque feruntur, leonibus traditus, sic erat omni humano solatio destitutus, vt nec panis frustulum haberet, ni grandi Abacuc prodigio fuerit allatus. Angelus Abacuc portat, vt Daniel, quo soletur famem, vel cibarium panem habeat : *Portauit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui.* Ni miraculum fieret, Daniel panis micam non haberet.

Felicitas. Infortunia. Amicus.

Matth. 17. v. 4.

Marc. 14. v. 50.

Dan. 14. v. 1. & 35.

Angelus (inquit Lira) *apparebat in corpore aſſumpto, & ideò dicitur apprehendiſſe caput.* Ni Angelus aſportaſſet, Danieli nullus ex hominibus adſtitiſſet.

§. III.

Dei ſacerdos tenetur eſſe famescentium auxilium, & afflictorum ſolatium.

Sacerdos, Pauper.

Antè (aiebat Caſſiodorus) 8. *variar.* 24.) *diuinitati plura debemus, quantò à cæteris mortalibus maiora ſuſcepimus... ſed licèt pro tanto munere nihil compenſari poſſet idoneè, ipſi tamen gratia redditur, dum in ſeruientibus honoratur.* Sacerdos ſacra vnctione delibutus, & Angelis cœleſtibus comparatus tantò plura diuinitati debet, quantò maiora à diuinitate ſuſcipit : ergo in eius pauperibus Numini debet perſoluere, & largitorem afflictorum ſolatiis honorare. Sacerdos Dei œconomus, pauperum procurator, afflictorum auxilium eſt : ergo Dauid ad ſacerdotem recurrit tanquam ad inopiæ leuamentum, & egeſtatis ſolatium : *Venit Dauid in Nobe ad Achimelech ſacerdotem.* Et cur ad ſacerdotem confugiat, nec ad aliquem ex tot amicis afflictus adeat ? Quia nouerat (inquit noſter Sancius) Dauid ſæculares elemoſynam pauperibus dilargiri, ſacerdotes dignitatis lege perſoluere: ergo ad ſacerdotem ſe contulit non tam acceptus beneficium, quàm ſibi exacturus debitum, Innuit noſter Sancius : *Cùm primum Dauid à Ionatha diſceſſit, ſolus ſine victu, & gladio viam inſtituit ad illum locum, vbi tunc erat tabernaculum, & qui illi præerat, Achimelech ſacerdos, vt indè victum ſumeret & gladium.* Ad ſacerdotem inuolauit, non dubitans de ſubſidio, & impertiendo ſolatio ; & quidem Achimelech gloriosè confeſſus eſt ſe panes laicos non habere : *Non habeo laicos panes ad manum.* Sumptuoſius Achimelech elogium erat illa panis inopia, non adeò eſſet laudabilis abundantia : haberet, ni honeſtè expendiſſet, quia egenis expenderat, non habuit. O quàm Dei lucebat ſacerdos pane carens, quàm detraxiſſet dignitati panum copia diteſcens. Et nota propoſitionis panes ſacerdotis ſuſtentationi dicatos dediſſe, quia maluit fame aduri, quàm fameſcentem videre. Abraham poſt ſubactos prædones victor, ſed famelicus redibat, & labore defatigatus ; verùm Melchiſedech panem, & vinum obtulit laſſis, vt ſacerdotium impleret, & ſacerdotibus formam præſcriberet : *Melchiſedech Rex ſalem proferens panem, & vinum ; erat enim ſacerdos Dei altiſſimi.* Expende illud, *enim* : aſi dicat Scriptura : Rex erat, & ſacerdos ; ſed ad recreandos laſſos, & reficiendos famelicos ſe ſacerdotem attendit panem, & vinum protulit, quia vti ſacerdos famelicos recreare debuit, quaſi non adeò ſtrictè teneretur regiæ dignitatis obligatione, quàm ſacerdotij ſacrati lege. Si Rex ſalem non præberet ſubſidia, haberetur parcus ; ſi ſacerdos non offerret, haberetur quodammodò reus, & dignitati iniurius. Adeſt Lira ex Hebræorum ſententia : *Proferens panem, & vinum ad reficiendum Abram, & populum eius, qui veniebat de prælio.* Quia ſacerdos, viſus eſt ſibi teneri ad exhibenda famelicis alimenta, & egentibus ſubſidia, nec expectauit rogari, ſed feſtinauit offerre. *Obuiauit Abrahæ.*

Gen. 14. v. 18

§. IV.

Non ſemper expectanda miracula, ſed res tractandæ ſunt prouidentia.

Prouidentia. Miracula

Sæpè audax ambitio, aut execranda æmulatio architectatur pericula, & funeſta commouet bella : ergo prudens contra audentes impetus, & temerarios conatus opportuna quærit auxilia, & fruſtrare conatur ardentia tela. *Tuitionem tibi noſtri nominis* (aiebat Caſſiodorus) *variar.* 39.) *qua validiſſimam turrim contra inciuiles impetus, & conuentionalia detrimenta noſtra concedit auctoritas.* Quærenda eſt tuitio ſecura, & prouideri debent tutamina, quia prudentiæ ſuæ detrahit, quiſquis expectat ad defenſionem prodigia. A gordianis nodis, & rebus magnis difficultatibus implicatis ſuos Deus eripit aliquando miris prodigiis ; ſed qui ſemel expertus eſt cœleſte miraculum, Deum tentat, ſi improuidus repetiuerit prodigium. Dauid inbitò à Rege lancea impetitus ad Samuelem confugit : *Venit ad Samuel in Ramatha.* Saul quantociùs mittit lictores, ſatelliteſque, vt fugientem prehendant ; verùm cœleſti miraculo inceperunt prophetare, qui venerant deuincire : *Factus eſt ſpiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipſi* : Modò ad Nobe tetendit, & ſe Goliath gladio communiuit : *Venit Dauid in Nobe.* Hinc oritur quæſtio : cur ſcilicèt ſe in Ramatha modò non receperit, quandoquidem ibi expertus fuerat miracula, & opportuniſſima auxilia Abulenſis *quæſt.* 2. difficultati reſpondet : ob idipſum ait ad Ramatha non inuolaſſe, ſed ad Nobé, vnde acciperet, quibus defenderetur, arma, quin opus eſſet inſolita expectare prodigia. Accipe Abulenſem : *Si dicas, quod dato, quod illuc iuiſſet, ſaluarentur ibi, quia Deus faceret miraculum pro eo, ſicut priùs faciendo prophetare nuntios Saulis, non ſtat, quia ſi illuc iuiſſet Dauid ſub hac ſpe, eſſet tentare Deum, cùm poſſet ire ad alium locum, in quo ſine miraculo ſaluaretur.* Si confugiſſet ad Ramatha, opus erat ad ſalutem iterato prodigio ; ad Nobe confugiens, Goliath accinctus eſt gladio : ergo ſuis factis edocuit non eſſe recurrendum ad cœleſtia prodigia, dum Martia poſſunt prouidenter diſponi arma. Qui otioſis manibus ſingulare expectat auxilium, non ſolùm probatur improuidus, ſed temerè ignauus, non ſolùm prudentiæ detrahit, ſed vires hoſtibus addit. Eliſæus irruente improuiſo hoſte, vt anxium ſolaretur puerum, eſt operatus miraculum : *Ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.* Ecce Syrios miraculo reprimit, & euadit. Tranſi ad cap. 13. vbi Regi iubet arcum, & ſagittas deferre, & iacere : *Affer arcum, & ſagittas.* Rex obtemperat, & Eliſæus ait : *Sagitta ſalutis contra Syriam, & percuties Syriam.* Hinc oritur quæſtio, cur ſcilicèt qui priùs miraculo Syrios percuſſit : *Percute, obſecro gentem hanc cœcitate,* modò recurrat ad arma, nec iterari velit prodigia : *Affer arcum & ſagittas.* Dubio reſpondet eleganter Ambroſius, priùs irruentibus inopinè inſidiis defuiſſe, quibus hoſtiles repniſſet adſultus, arma, & ob id ad cœleſtia recurriſſe prodigia ; modò verò facilè erat arcum ſagittis inſtruere, ac dexterè iacere, ergo factis edocuit, non eſſe opem inſolitam expectandam, cùm humana poteſt ſibi prouidere cautela, & prouidens

Sup. cap. 13. v. 18.

4. Reg. 6. v. 17.

Cap. 13. v. 15.

prouidens periculis occurrere vigilantia. *Non meruit* (inquit Ambrosius *serm. 1. de Elisæo*, qui est 86. *terrenas insidias, quia cœlestia adesse sibi nouit auxilia. . . Mira res: plures è cœlo defensores meretur sanctitas, quam in terris oppugnatores adduxit improbitas.* Vbi humana prouidentia aliud quærere nequiuit subsidium, adfuit cœleste miraculum; verùm Elisæus abstinuit miraculis, cùm Syri detriumphari contortis quibant sagittis. Sibi imponit, Numenque tentat, qui ignauè stertit, & hostes detriumphandos miraculosè præsumit.

§. V.

Non est amicorum ciuilitate, & vrbanitate abutendum, nec fastidium benefactoribus generandum.

Amicus. Ciuilitas. Abusus.

NOnnulli semel amicos vrbanos, liberalesque experti, ad eorum domos quauis in necessitate recurrunt, generositate imprudenter abusi, & reuerà fastidiosi. Satis argutè Tertullianus, etsi aliorsùm *lib. de Pœnitentia cap. 6. Liberalitatem eius faciunt seruitutem.* Nonnulli, quia ab amicis hospitio humanè excepti, quia beneficiis aditi, opinantur seruitutis lege iam teneri, & quauis in necessitate ad eis subueniendum constringi, & ad præstanda, quibus indiguerint, teneri; verùm dum humanitate, ac ciuilitate abutuntur, amicis sunt oneri, & se beneuolentia fraudarunt inconsulto, ac nimio grauamine. Dauid aufugiens dolosas, tectasque Saulis insidias, ad Samuelis confugit patrocinium, à quo & ciuiliter exceptus, & benignè
Sup. cap. 19. v. 18. tractatus: *Venit ad Samuel in Ramatha.* Modò cùm iterum gliscret Saulis maleuolentia, & debaccharetur inuidia, ad Achimelechum se contulit: *Venit Dauid in Nobè ad Achimelech sacerdotem.* Quæres, cur ad Samuelem iterum non confugerit, cùm eius tantam fuerit humanitatem expertus, & miraculo à persecutoribus liberatus? Hanc etiam quæstionem exagitat Abulensis. *Quare* (inquit *quæst. 2.*) *Dauid non est reuersus ad Samuelem?* dubioque respondet, prudenter hospitium iterare noluisse, ne videretur liberalitatem facere seruitutem, & ingeneraret tædium, quia semel acceperat beneficium. Audi Abulensem: *Non expediebat, vt nunc Dauid iret ad Samuelem, quia iterum inerat ad Samuelem.* Samuel vti generosus, vrbanusque sæpè Dauidem reciperet, & benignè tractaret; verùm Dauid noluit oneri esse, nec humanitate abuti; sunt, qui importuni amicorum delassauere patientiam, & inconsiderati extinxerunt sibi gratiam. Columba à Noe emissa, cùm non inueniret, vbi requiesceret pes eius,
Gen. 8. v. 9 reuersa est ad Arcam: Noe manu emissa eam intulit, & Arca fouit: *Extendit manum, & apprehensam intulit in Arcam.* Iterum demissa, iterum rediit, sed ramum florentem attulit: *Venit ad eum ad vesperam portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo.* Noe aduentantem iterum excepit, & aluit, tertiò emissa non rediit, sed profugium sibi quæsiuit: *Non est reuersa vltra ad eum.* Et cur columba semel, & iterum benignè excepta Arcam non repetat? Profectò terra etsi aquis denudata, sed fructibus adhuc nuda; ergo redeat columba, vt fruatur mensa, & Noe humanitate ad iterum recipiendam parata. Profectò misteria in reditu, & in non reditu Interpretes inueniunt arcana; verùm si liceat ad thesim historiam adaptare, existimarem maluisse columbam angustè viuere, quàm toties Arcam repetere. Non delassaretur Noe humanitas, sed noluit columba videri fastidiosa, & humanitate abusa. *Tertiò nihilominùs emissa* (inquit Rupertus *lib. 3. in Gen. cap. 23.*) *iam non est reuersa.* Noluit esse oneri, & Noe ciuilitate, & patientia abuti.

§. VI.

Prudentia est ridenti in fortuna amicos sibi vrbanitate parare, & beneficiis obstringere.

Prudentia. Felicitas. Amicus. Vrbanitas.

SIbi imponit, qui res humanas stabiles, ac firmas præsumit. Vt momento maria vertuntur; sic qui heri ab omnibus florebat cultus, hodie marcet ab eisdem despectus. *Inclyta fuerat Persarum felicitas* (scribit Philo *lib. Quod Deus sit, &c.*) *sed vna dies tam ingenti regno finem attulit. . . Nonne more nauis susque deque iactatæ marinis fluctibus nunc secundis ventis; nunc aduersis vtitur?* Ob id oportet parare amicos, qui reflante aduersa fortuna subueniant, & calamitoso succurrant: Iam, si quomodò sint parandi, rogaueris, respondeo, humanitate, vrbanis officiis, & impensis obsequiis. Dauid magnis odiis impetitus, & sæua inuidorum tempestate iactatus Achimelech sacerdotem inuenit, qui sanctificatos ei panes liberaliter exhibuit, & gladio, quo olim Gigantem trucidauerat, obarmauit: *Venit Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem.* Abulensis *quæst. 3.* scisciatur, cur ad Achimelechum venerit? *Quare Dauid venit ad sacerdotem Achimelech?* Respondetque, inter Achimelechum, Dauidemque magnam intercessisse amicitiam. Nam Dauid, etsi gener Regis in aula assisteret ab omnibus cultus, & magna veneratione suspectus, non intumuit superbus, nec supercilium adduxit tumidus, immò omnes alloquebatur humanus: cúmque aliquando Achimelech palatium adiret, ei Dauid eximiam reuerentiam exhibebat, & ciuilitate tractabat: ergo Achimelech eius moribus oblectatus amicitiam contraxit, & Dauidi beneuolentia respondit. Modò Dauid ad amicum inuolauit, & amicum inuenit. Abulensem audi: *Erat amicus illius, ideò credidit, quòd ille magis posset, & vellet eius necessitati prouidere. Apparet autem hoc ex opere secuto, quia panem, quem soli sacerdotes comedebant, ei dedit, insuper gladium, qui erat in tabernaculo Domini, consuluitque pro eo Deum; ita vt nihil magis pro eo facere potuisset.* Quàm erat Achimelech Dauidis amicus, quando afflicto, egentique & arma tribuit, & subsidia. Hanc amicitiam inter Dauidem, & Achimelechum ex prædicta vrbanitate exortam fuisse ipse Abulensis testatur: *Erat in curia Regis Saulis, & loquebatur cum eo Dauid.* Dum Chiliarchus, dum Regis gener, non dedignabatur Achimelechum benignè excipere, & humanè cum eo verba conferere, ergo eum sibi amicum consiliauit, & officiis obstrictum sibi fidelem inuenit: aduersa fortuna laboranti, quicquid Achimelechus potuit, impedit. Qui secundo vento nauigat, cogitet posse scopulum incurrere, & repugnantibus secum fluctibus naufragari; nam sic conciliabit sibi

amicos,

amicos, & aduersis in casibus inueniet opportunos, & auxiliares patronos. Si Dauid prospera vsus fortuna omnes inciuilis offenderet, si odiosa elatione superbiret, inclinata iam nec inuenisset alimentum, nec gladium.

TEXTVS.

VERS. II. Et ait Dauid ad Achimelech Sacerdotem. Rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim: nam & pueris condixi in illum, & illum locum.

§. VII.

Facilè viri probi falluntur, quia alios mentiri nullatenus suspicantur.

Mēdacium. Suspectio. Fidelis.

QValis quisque est, tales solet alios existimare. Candidus, & veritatis amicus se non existimat falli, quia nescit ipse mentiri. Dauid se à Rege secretò missum testatur, ob idque satellitio carere, quia secretum per amicos, aut seruos solet effluere: ergo ei Achimelech credidit, & alimentum exhibuit: *Rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es à me.* Et si aduentasse solum, & exarmatum aliquam suspicionem afferret, Achimelech non existimauit posse Dauidem à veritate deficere, nec renuit fidem præstare. Innuit Abulensis *quæstione 5. Non erubuit mentiri, sciens se non esse deprehendendum.* Si alius esset Achimelech, ob aduentus circunstantias in aliquam deueniret suspicionem; verùm quia ipse semper veritatem professus, facillimè illusus. Falsus Propheta Dei Prophetæ confictas retulit reuelationes, vt coloratis virtutibus falleret, & charitatis specie cladem afferret. Dei Propheta fidem præstitit, & domum eius petiuit: *Fefellit eum, & reduxit secum.* Et cur falsus Propheta à vero rem non timuit examinandam, & deprehendendam? Sanè ob idipsum sciebat Dei Prophetam nullatenus mentiri: ergo facillimè credidit posse falli; quod & accidit. *Ab alio mox sene* (inquit Tertullianus aduersus Psychicos *capite decimo sexto*) *mentito prophetiam temerè pastus.* Non cogitauit vir Dei à sene apud suos honorato posse falli, & senex non dubitauit verum Prophetam facillimè mendaciis posse suaderi; nam, vt Hispanè dicitur: *Vn hombre de bien es muy facil de engañar.* Hanc etiam veritatem Iosue confirmat à Gabaonitis deceptus. Eius virtutis non ignari persuaserunt sibi facilè decipiendum, & mendaciis, quod discupiebant anxiè, impetrandum. Quod comprobauit euentus: nam cùm Dei seruus in aliquam suspicionem deuenisset, eos interrogauit: *Quinam estis vos, & vndè venistis?* Illi, vt omnem suspicionem abigerent, addiderunt mendacia, & calceamentorum prodiderunt testimonia: *Vestes, & calceamenta, quibus induimur, & quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt, & penè consumpta.*

3. Reg. 13. v. 18.

Iosue 9. v. 8.

Iosue eis indiciis fidem præstitit, & fœdera iniuit. Notauit Augustinus *quæstione decima quinta in Iosue*: *sciebant se debellandos, si cognitum esset Hebræis in ea terra eos habitare, quam erant recepturi. Mentientibus ergo, quòd de longinqua terra venissent, iurauerunt.* Iosue probitas animos indidit Gabaonitis, & apud eum crediderunt præualitura artificia, quia confingere nesciebat ipse mendacia: *Mentientibus iurauerunt*, quia mentiri posse non existimarunt.

§. VIII.

Sæpè obtinetur mendaciis, quod impetraretur nullatenus meritis.

Meritum. Mendacium.

RVerà infelix est, qui mentitur. Vndè Sophocles aiebat apud Stobæum *cap. 12. Malum est facta celare, nec virum decet ingenium: haud quidem honestum est mendacia loqui.* Non est mendacium honestum, apud sæculum tamen inuenitur lucrosum. Et ob id, qui aliqua impetrare conantur, potiùs quàm ad merita, confugere solitant ad mendacia. Vndè aiebat Eurypides apud Stobæum iam datum: *Mendacium positum in tempore lucrum, seu fructum affert.* Cùm mendacia apud sæculum sint lucrosa, eis pro meritis vtuntur, qui exambiunt lucra. Egebat Dauid alimentis, & armis, quæ vt consequereter, se à Rege missum confinxit, & ad secretiora se consilia admissum, ostentauit: *Rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es à me.* Regis amiserat prorsus gratiam, & mentitur familiarissimam amicitiam: ergo Achimelech, dum Regis arbitratur amicum, alimenta largitur, & arma: *Dedit ei sacerdos sanctificatum panem.* Si inquiras, cur Dauid veritatem non aperuerit, sed artificiosè celarit? Respondeo non allegasse reportata trophæa, inimicorum excidia, sed confugisse ad mendacia, vt qui non ignoraret facilius apud sæculum quàm meritis, desiderata impetrari mendaciis. Audi Abulensem *quæstione quarta, si non mentitus fuisset Dauid, dicens se missum à Rege, Achimelech nollet ei dare panem.* Si referret Dauid Regis indignationem, eximiam suam tolerantiam, & in laboribus tolerandis patientiam, Achimelech fortè denegaret vitæ subsidia: ergo protulit lucrosa mendacia: Hac in Dauidis historia actionum coloribus velut dolata in tabella, quod frequenter accidit, expressit nobis scriptura. Meritis exornatus, & magnis ob exanthlatos labores præmiis dignus panis non impetrat frustulum, coloratis artibus, & artificiosis mendaciis vtens, assequitur magnum præmium. Dauid, quod desiderabat, obtinuit, confugiens ad mendacia; non impetrasset, si protulisset trophæa: *Si non mentitus fuisset Dauid, dicens se missum à Rege, Achimelech nollet ei dare panem.* O verum, ò nimis apud sæculum vsitatum!

§. IX. Plus

§. IX.

Plus impetrat apud magnates gratia, quàm vera, & egregia merita.

Beneuolentia. Meritum. Princeps.

VIrtus, vti ex se honestissima, magni habenda; verùm ex quo ambitio, & splendor volaticus in honore esse cæperunt, homines non tam attendunt interna dona, quàm exteriùs circunstantia. Hinc est, quod à magnatibus ad secretiora admitti, emitur, quia apud alios venditatur. Gratia, beneuolentiaque apud Principes non solùm exambitur, sed ostentatur, quia si quis Principi familiaris existimetur, & colitur. Disertè Cassiodorus 11. *variar.* 1. *Illud vos amare confidimus, quod eorum dominos iubere sentimus. Primum, vt hoc putemus vtile, quod honestum: vt nostros actus quasi pedisequa semper iustitia comitetur, & quod à continenti Principe non emimus, nulli turpiter venditemus.* Venditant nonnulli, quàm à continenti Principe gratiam nec potuerunt muneribus emere, nec nudi meritis impetrare, quia cùm plures specie veritatis nimis creduli ducantur, & amicos magnatum sibi conciliare conentur, magnis muneribus mentientis apud Principem gratiam, sibi beneuolentiam adnituntur emere, & gestiunt plaudere. Dauid eodem tempore egregijs resplendebat actionibus, & regiæ inuidentiæ procellosis iactabatur turbinibus, cumque ad alendam vitam egeret alimentorum subsidio, ad Sacerdotem Achimelechum se conferens, à Rege grauissimi, secretissimique negotij causa se delegatum asseruit: *Rex præcepit mihi sermonem, & dixit Nemo sciat rem, propter quam missus es à me, & & cuiusmodi præcepta tibi dederim.* Quærunt Interpretes, cur Dauid tantam apud Regem familiaritatem fuerit mentitus, vt ei soli grauiora negotia communicarit, & eorum executionem iniunxerit? Nonne satius esset veritatem Sacerdoti aperire, & ab eo subsidium quærere, quàm à veritate deficere? Referat prælia, trophæa ab hostibus reportata, Rempublicam in libertatem assertam, quandoquidem ad quinque impetrandos panes supererant merita, nec erant opus mendacia. Profectò (inquit Abulensis) nisi apud Regem beneuolentiam referret, panes nullatenus impetraret; nec enim promptè adeò exhiberentur obsequia meritis præcellenti, quàm Principis familiari. Ipsum audi *quæst.* 4. *Si non mentitus fuisset Dauid, dicens se missum à Rege, Achimelech nollet ei dare panem.* Cùm apud sæculum magni æstimetur, qui amicitia Principum vtitur, Dauid, vt impetraret pro se, suisque alimoniam, mentitus est magnam erga se Principis beneuolentiam.

TEXTVS.

VERS. III. Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi, aut quidquid inueneris.

§. X.

Præconialiter se Sacerdos gerit, si respuit sumptuosam mensam, & diuitiarum spernit copiam.

Sacerdos. Mensa. Diuitia.

DEi Sacerdos, quos ob dignitatem, munusque Ecclesiasticos acceperit redditus, sic distribuet, vt benè in alendis pauperibus collocarit. Qui splendido nimis ornatu nitet, qui differta nimis mensa resplendet, munus profectò corrumpit. Sponsa se & percussam queritur, & dispoliatam ab eis ipsis, qui ob munus tenebantur eius saluti prouidere, & egestati succurrere: *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Cant. 5. v. 7. Queritur, & iure, ab eis ipsis dispoliari, à quibus debuit vestiri. Sponsæ pallio se ipsos custodes amiciunt, sponsæ agere tenebantur tutelam, sed exercuerunt rapinam. Notauit Bernardus *in Cantic. serm.* 77. *Intuere quomodo incedunt nitidi, & ornati circumamicti varietatibus, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam talium repentè eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quàm sponsæ custodem?* Adnectit Bernardus: *Vndè verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem vasorum argenteorum, & aureorum nisi de bonis sponsæ? Indè est, quòd illa pauper, & inops, & nuda relinquitur.* Sponsa quo amicicbatur, pretioso ornatu exuitur, vt Ecclesiæ custos indecorà pompa vestiatur. At qui, quale munus susceperit, non ignorat, mensæ nescit exundantiam, vestium, & familiæ abhorret splendorem. Benè nouerat Dauid, quàm legitimè Achimelech se in munere gereret Sacerdotali, quando ab eo delicias non petiuit, sed si fortè haberet panem, poposcit: *Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi, aut quidquid inueneris.* Si Achimelech, vt placet Interpretibus, summus erat Sacerdos, quomodò Dauid, an quinque panes haberet, potuit dubitare, & petitionem dubitatione minuere? Ob id ipsum, respondet Hugo; nam cùm esset Dei Sacerdos, arbitratus est Dauid, sic omnia in pauperes erogare, vt nec panem pateretur domi remanere; sanctus, probusque Sacerdos, quæ à Deo accipit, vt canalis in ægros effundit, non concha retinet. Dauid panem, non delitias petiuit; nam Achimelechus longè adeò erat à deliciarum studio, vt ab eo eas petere verteretur Dauidi probro: *Nota, quod tantum panes quærit Dauid, & non delicias.* Non dubitabat Dauid apud Achimelechum delicias non inueniendas, sed dubitabat inueniendos panes, cùm ea sanctitate effloreret Achimelechus, vt delicias ignoraret, & panes statim pauperibus impertiret: nec eum sua fefellit opinio, cùm responderit Sacerdos: *Non habeo laicos panes ad manum.* Mira res! in domo Sacerdotum Principis nec panis frustulum inueniebatur, quia panes retinere dignitatis arbitrabatur iniuriam: & non habere ducebat gloriam. Notauit Abulensis *quæst.* 6. *Si non potueris dare quinque panes, da quodcumque inuenerit manus tua.* Quàm erat Sacerdotis decus illa dubitatio, & restrictio, & quàm Achimelecho esset inglorium, si certum, fixumque

apud omnes esset, eius domum diuitijs exundare, & copiosum panem habere.

§. XI.

Nonnulli suam paupertatem adaugent, quia gestiunt palato adulari, non solùm necessitatibus subuenire.

Paupertas. Delicia.

VI cum paupertate benè conuenit (inquit Seneca *Epist.* 2.) *dines est.* Plures paupertate premuntur, quia ab ea dissentiunt, & imprudenter resiliunt. Consulit paupertas exigua mensa vti, splendenti ornatu non amiciri, palati oblectamenta auersari: verùm plures cum paupertate hac in re non conueniunt, sed student adulari palato; hi omnes labori addunt laborem, dum nesciunt cupiditati modum imponere, nec habent, vnde possint cupiditatis vota adimplere: pauperiores sunt, quia se esse pauperes nesciunt: Dauid imitandum nobis præbuit exemplum. Diù palatio vixerat regia vsus mensa, & vti Regis gener splendenti stipatus seruorum copia: verùm vt res humanæ instabiles sunt, modò profugus, & diuitijs nudus se ad Achimelechum contulit, & ab eo panem, quo famem solaretur, petiuit: *Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi.* Et cur non saporata fercula, & quæ possint palato adulari, non quærat edulia? Quia maluit (inquit Hugo) cum paupertate conuenire, quàm paupertatis sibi molestias incrementare. *Nota* (verba sunt Hugonis) *quod panes tantum quærit Dauid, & non delicias.* Si ad delicias hiaret, durius vrgeretur, cùm facile non esset habere, & non cessaret discupere: at dum necessitati tantum adlaborat subuenire, inopiæ ægrimoniam prudenter cognoscitur temperare. Vidi nonnullos, quibus exigua substantia magna deliciarum adurgeri concupiscentia, quidquid ad ornatum splendidum, quidquid gustui delicioſum, totis nisibus exambiunt conditionis suæ immemores, & laboriosius, quia immemores, inopes, Iacob à matre monitus, & primogeniti ornamentis vestitus

Gen. 27. v. 12.

maledictionem extimuit: *Timeo, ne putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione.* Acsi dicat: Ego sum natu minor, vereorque, si ornatu me vt primogenitum geram, quam olim Chanaam subire maledictionem, & transire de filij statu laboriosam ad seruitutem: *Seruus seruorum erit fratribus suis*: ergo malo cum statu meo conuenire, quàm exiguo tempore splendens ad fortunam duriorem deuolui. Profectò Iacob prudens timebat, & nisi arcano mater duceretur consilio, forsitan calamitatem sibi adauger et splendoris desiderio. Huc voco Procopium in Gloſſa. *Id accidit secundùm diuinæ prouidentiæ tenorem.* Specialis hic, & arcana prouidentia erga Iacobum resplenduit, & ipse cordatè timuit, ne graniori premeretur fortuna, si excedente status conditionem resplendere voluerit pompa.

Gen. 9. v. 25.

TEXTVS.

VERS. IV. Et respondens Sacerdos ad Dauid, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus.

§. XII.

Sacerdos debitos dignitati reditus non tam percipiat sibi, quàm indigenti.

Sacerdos. Pauper.

ABsit (aiebat Petrus Damianus 4. *Epist.* 1.) *vt quod alieni iuris est, in mea lucra proficiat, & quod ex offerentium merito sacrum est, in Sacerdotum manibus sacrilegium fiat*: Quod Deus Sacerdotibus ad alendos pauperes contulit, ipsis debet pauperibus impertiri, ne Sacerdos graui teneatur reatu, si euanidis insumat sumptibus, quod luridis fame expendendum erat pauperibus. Adnectit Damianus: *Dignum est, vt pauperes Christi refrigerium sentiant de stipe potissimum illius Ecclesiæ, quam frequentant.* Oblati panes, impensi Sacerdotibus redditus non debent applicari ad accipientis detestanda lucra, sed ad honesta pauperum refrigeria. Sacerdotes illi, qui impio contractu Christum emerunt, prudenter pretium eius sanguinis ad peregrinorum requiem dispensarunt. Proiecit Iudas in templo argenteos, & Sacerdotes, etsi ambitionis furore deliri, & tetris inuidentiæ nebulis cæci decreuerunt eis argenteis corbonam non adaugendam, sed requiem peregrinis curandam: *Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Poterant argentum illud inter se diuidere, & diuitias incrementare: verùm etsi alijs criminibus non renuerint infici, hoc nullatenus ausi sunt denigrari: Christi sanguinis pretium sibi non retinuerunt, sed pauperibus applicarunt. Prodest Origenes *in Catena: Videbant quoniam circa mortuos magis eam pecuniam conueniebat expendi, quia pretium sanguinis erat.* Quæ Sacerdotibus muneris lege obuenient, Christus pretioso acquisiuit sanguine, & dira morte, non vt ipsi ditescerent, sed vt boni dispensatores pauperibus impertirent: ergo indignum erit thesauros ea amplificare pecunia, pauperum reclamante miseria. Dauid fame pressus ab Achimelecho subsidium postulat, ille solùm habebat propositionis panes ad se dignitatis iure pertinentes: *Non habeo panes laicos ad manum, sed tantum panem sanctum.* Quid tunc? Qui obuenerant dignitati, est dilargitus egenti: *Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem.* Non dedit panes ad se pertinentes, quia erat Regis gener, non quia chiliarchus, non quia magnis dignitatibus celsus, sed quia fame tunc diuexatus: vt factis ostenderet Ecclesiasticos prouentus non profundendos ad emendam Principum gratiam, nec ad cognatorum adaugendam fortunam, sed ad indigentium sublenandam miseriam.

Matth. 27.

miseriam. Christi verè discipulus ditescit non sibi, sed pauperi, nec anhelat quadrigis euehi, sed egentibus subuenire: *Quæret aliquis* (inquit Abulensis *quæst.* 8.) *cùm isti panes propositionis, quos dedit Achimelech Dauid, essent illiciti populariibus, cur eos dedit Achimelech Dauid, vel quæ necessitas eum compulit? Respondetur communiter, quòd Dauid erat tunc in necessitate famis.* Sacerdos ad se spectantes dignitatis titulo panes largitus est, vt ante, quàm propriam, famem solaretur alienam. Qui Dei Sacerdotis honore resplendet, videat, ne auara cupiditate & munus obscurarit, & querelas pauperum sustinuerit.

§. XIII.

Eximio puritatis candore resplendere studeat, qui innutriri pane Eucharistico exoptat.

Eucharistia. EVcharistia Angelorum panis Angelos nutrit, & quamuis idem sit in Eucharistia, & in cruce Christus, tamen in cruce pretioso sanguine, quas abstergeret, non respuit culpas; in Eucharistia, quas sanguine exornet, & quorum adaugeat pulchritudinem, quærit animas. Ioannes de Christo agens, aiebat: Ioan. 1. v. 5. *Lux in tenebris lucet.* Sapiens Christum lucis candorem vocauit: *Candor est lucis æternæ.* Lux Sap. 7. v. 26. depellit tenebras, candor supponit quodammodò lucem: vndè in Eucharistia est lucis candor, quia pulcherrimum affert secum candorem luce: in cruce est lux, quæ tenebrarum depellit horrorem, & horroris fugat caliginem. *Calix benè sibi conscius* (aiebat Septimius *de Resurrect. carnis cap.* 16.) *& de diligentia ministerij commendatus, de coronis quoque potatoris sui inorabitur, aut aspergine florum honorabitur.* Potatorem requirit calix coronatum, sanguis è cruce effluens non respuit sordidum. Hinc est, quòd Ioannes, cùm agnus librum sigillis clausum reseraut, non vidit circunstantibus candidas exhiberi stolas, & vidit subtus altare requiescentibus stolas exhiberi splenden- Apoc. 5. v. 8. ti candore conspicuas: *Cùm aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno.* Feliciter ceciderunt, & se redemptos gratis clamoribus declararunt: Redemisti nos Deo in sanguine tuo. Audis redemptos, audi subter altare candidis stolis vestitos: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei & datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.* Et cur, dum aperitur liber, stolis refulgentibus non donantur, & cùm apparet altare, stolis fulgidis induuntur? Quia alibi de redemptione agebatur, & alibi de conuiuio; dum altaris mensa apparatur, candicans stola requiritur. Innuit Ambrosiaster apud Glossam: *Animæ sanctorum sub altari, Christo nimirum, quiescunt, quia sicut capiti supposita sunt membra, eique cohærent.* Dum pascuntur, & vti membra cohærent, floridissimis stolis donantur, dum soluuntur libri signacula, redimuntur. Vt noueris quantam mundiciem altare requirat, & quantam virtutum floriditatem deposcat. Propheta coram tondente se Chri- Isai. 53. v. 7. stum obmutuisse fatetur: *Quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Obmutescit, quia ad tegendam nostram nuditatem tonderi gaudet. Ita Chrysologus *serm.* 23. *Et volens, & tacens tondetur, vt tegat illam, quam Adam primus intulit, nuditatem.* Hic ipse, qui nunc tacet, vt vestiat nudum, iratscitur, dum videt ad mensam accedere non ornatum: *Amice, quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* Hic obmutescit homo, illic obmutescebat agnus; ibi agnus ostentabat mansuetudinem, hic ostendit Rex potestatem; verùm si ibi suis vestibus texit nudum, cur iratscitur conuiuam accedere non ornatum? Quia hic agebatur de Eucharistiæ conuiuio, ibi de redemptionis misterio. *Conuiuium designatur*, inquit Gregorius *in Catena D. Thom.* Mensa admittit solùm expolitos, crux etiam nudos, & lutulentos. Ob id Achimelech cùm propositionis panes esset Dauidi largiturus, an omni mundicia resplenderet, quæsiuit prouidus: *Si mundi sunt pueri maximè à mulieribus*, ne si immundi vitæ acciperent antidotum, exitiale sibi manducarent venenum. *Significatur* (inquit Glossa Moralis) *quòd Christianus debet à Christo petere panem verbi, diuinæ vel Eucharistiæ.* Vel adumbrata in propositionis panibus Eucharistia conuiuas requirebat voluptatibus renuntiantes; & candore puritatis nitentes; vt qui ad verum Christi corpus accedunt, his erudiantur exemplis, & saluberrimis instruantur doctrinis.

TEXTVS.

VERS. V. Et respondit Dauid Sacerdoti, & dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta: porrò via hæc polluta est, sed & ipsa hodiè sanctificabitur in vasis.

§. XIV.

Qui cælesti epulo cupit nutriri, per aliquod temporis spatium à licitis etiam. conuenit voluptatibus abstinere.

AVrum ipsum (aiebat Cassiodorus 12. *variar* 11.) *cùm soluitur in liquorem, nisi mundissimo caliculo suscipiatur, inficitur: quando puritatem sui illa sola custodiunt, quæ nulla sordium admixtione fuscantur. Quàm gratum per niueos caliculos riuulos videre currentes: & ipsam quodammodò naturæ liberam videre puritatem, quando in nullis maculis iniuriata turpatur.* Vt iniurius esset auro, qui caliculo minus puro committeret; sic Eucha- Eucharistia. ristiæ auro quodammodò iniurius est, qui includit pectore minus puro, & à voluptatibus prorsus repurgato. Latices, quamuis ex se purissimi, inter candida lilia, & purpureas rosas gratiosiores excurrunt, inter senticosa, & horrida ad speciem sordescunt. Hanc doctrinam benè calluerat Dauid, qui etsi à Sacerdote solùm de puerorum puritate Matth. 22. v. 12.

inquisitus: *Si mundi sunt pueri*, pro se, & illis respondit: *Continuimus nos.* Sacerdos apparuit interrogatione vrbanus, responsione Dauid disertus, vt qui non ignorabat eadem lege seruulos, ac dominos teneri, si hoc epulo velint innutriri. Sacerdos puritatem requisiuit necessariam, Dauid obseruasse non solùm attestatur diurnam: *Continuimus nos ab heri, & nudius tertius*, quia non solùm accessuri ad cœlestem mensam omnem sordis abiecerant maculam, sed interdictis diù voluptatibus laudabilem, & decorosam colucrant munditiam. Innuit noster Sanctus: *Ex hac parte nulla fuerat contracta labes, quæ sacri panis esum impediret. Vasa autem sunt corpora, quæ sancta dicuntur ea sanctitate, qua in comedentium membris sacrificia requirunt.* Addit Theodoretus apud ipsum: *Cùm rogaret Sacerdos: an illo die castus esset, dixit, tres dies fuisse castum.* Hinc Abulensis *quæst.* 13. sic scribit: [Ex his autem apparet, quanta confusio debet esse eorum, qui Dominicum corpus immundi existentes accipiunt; nam si lex homini existenti in necessitate non permittebat comedere de pane illo propositionis, qui nullam differentiam ab alijs panibus habebat secundum veritatem, sed solùm secundùm opinionem, quantò solicitiùs hoc obseruandum est in Dominico corpore, vbi non est panis, nec vinum, sed vera Christi caro.] Audio aliquos vxoratos quotidiè Eucharistiam sumere, qui si de vxorum consensu voluptatibus abstineant, laudandi sunt; si verò aliter accidat, adeò frequenter accedere meo videri, non permittendi. Adnectit Abulensis: [Qui Eucharistiam susceperus est, caueat coniugalem accessum per aliquot dies, saltem per tres: nam quamquam Ecclesia non obliget sub pœna peccati mortalis susceperos Eucharistiam ab vxoribus abstinere per aliquem diem, tamen per modum consilij, & honestatis dixit, quòd per tres dies ante susceptionem Eucharistiæ ab amplexibus coniuges abstinerent.] Retuli Ecclesiæ consilia, Interpretum placita, vt quisque secum expendat, quando, & quomodò Eucharistiam sumere congruat.

TEXTVS.

VERS. VI. Dedit ergo ei Sacerdos Sanctificatum panem: neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi.

§. XV.

Eucharistia auidè expetenti exhibenda, & cum fame mensuranda.

Eucharistia.

CVm apud rerum Dominum (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 12.) *solemni more prandaremus, diuersæ Prouinciæ de suis delicijs laudarentur, ad vina Bruciorum, & Silani casei suauitatem currente, vt assolet, sermone peruentum est.* Eo in conuiuio regia generositas Prouinciarum offerebat delicias, sed desiderantibus, & sitientibus. Addit Cassiodorus: *Ad præsens enim de cellarijs nostris, quæ desiderabantur, obtulimus.* Illi conuiuio gratiam addebat coniuarum fames, & sitis; nam ita epulis addebatur oblectamentum, & vitabatur fastidium: *Quæ desiderabantur, obtulimus.* Aliquibus Eucharistiæ panis non sapit, non oblectat vinum, quia non accedunt famelici, aut sitibundi. Ob id sapientia, cùm regijs mensam dapibus instruxisset: *Miscuit vinum, & proposuit mensam;* vocauit paruulos, qui comederent panem, & lac saporatum sugerent: *si quis est paruulus, veniat ad me.* Si mensa candido pane instruitur, si generoso vino nobilitatur, cur non adultos, sed paruulos inuitarit? Quia in paruulis viuidior fames, respondet *homil.* 60. Chrysostomus. *Nonne videtis quanta promptitudine paruuli pupillas capiant, & quanto impetu labia uberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam, & ad vbera poculi spiritualis.* Itaque cùm paruuli vocantur ad mensam, non designatur temporis exiguitas, sed deposcitur votiua alacritas. Hinc est, quòd Sacerdos sanctificatum panem Dauidi exhibuit, quia famescere cognouit: *Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem.* Notauit Abulensis *quæst.* 8. *Dauid erat in necessitate famis.* O quàm fuit Dauidi suauis, & sapidus ille panis, quem adeò famelicus expetiuit, & ardore famis comedit. Nec caret misterio, quinque panes postulasse: *Vel quinque panes.* Nam etsi vnico giganti plagam incussit, quinque lapides accepit: ergo liceat conijcere accepisse quinque panes, vt numerus responderet numero, quia honesta proposita non carent præmio, etsi hac, aut illa ratione non prodeant in actu. Alia adduci potest causa, cur Textus non expresserit numerum, vt scilicet innueret pro famis auiditate Sacerdotem dilargitum fuisse Dauidi, & comitibus alimentum. Notauit Abulensis *quæst.* 16. *Non constat quot panes dederit Sacerdos Dauid. Dicendum, quòd dederit multos, nam dedit ei pro se, & pueris suis: ipse tamen petiuerat primo saltem quinque panes.* Indicio Sacerdotis relinquitur panis numerus, si magna fame, & auiditate expetitur, plus potest dilargiri: si famis exigua, minus debet concedere. Non solùm attendit Sacerdos quid Dauid peteret, sed etiam quid ratio, & tempus consuleret.

Prou. 9. n. 4.

TEXTVS.

VERS. VII. Erat autem ibi vir quidam de seruis Saul in die illa intus in tabernaculo Domini & nomen eius Doeg Idumæus potentissimus pastorum Saul.

§. XVI.

Calamitosa est Respublica, si strenui milites pane indigeant, & otiosè, aut reculis occupati, exundantibus diuitijs superbiant.

Milit. Respublica. Ciuijs.

REgalia munera, laborumque præmia legitimo iure distributa, sunt virtutis incitamenta, dilargientis præconia: at si ordo inuertitur, Respublica ad occasum inclinata dignoscitur. Disertè Cassiodorus 12. *variar.* 11. *Cauete, ne quod illi meruerunt, alter accipiat: munera, ne quod illi meruerunt, alter accipiat: munera ista Quiritum sunt. Non surripiat locum liberi fortuna seruilis.* In bonam Reipublicæ formam

formam peccat ; qui virtutis præmia adulterat, vt etiam, qui seruulos permittit conditionis limites transgredi, & dignitatibus splendere ; verùm etsi hoc bonæ politicæ sit contrarium, illud tamen est commiseratione dignissimum, si miles, qui hostium mucronibus pectus objecit, & authentico vulnerum testimonio virtutem animi comprobauit, panem cogatur emendicare, quando parasitos, & moriones malè dispensatis muneribus constat affluere. Ecce eodem tempore concurrunt in Nobe Doeg Idumæus, & Dauid, iste refertur panem mendicasse famelicus ; ille diuitiis exundans, & potentissimus : [Erat autem ibi vir quidam de seruis Saul in die illa intus in tabernaculo Domini, & nomen eius Doeg Idumæus potentissimus pastorum Saul.] Si Doeg inquiras munia, respondebit Iosephus apud Glossam Regis mulas pauisse. Eius verba sunt : *Aderat illic seruus Saul genere quidem Syrus, nomine Doeg, qui mulas pascebat Regis.* Ecce Doeg, qui pascebat mulas, exundat diuitiis potentissimus, & Dauid, qui tot, tantasque de hostibus reportarat victorias, indiget pane famelicus. Caietanus existimat Doeg humillima vsum à principio fortuna ascendisse ad dignitatum fastigia, quia Saulis sibi adulationibus conciliarat beneuolentiam. [Iuxta Hebræum habetur, potiùs maximus, quàm potentissimus. An autem sit hic sermo de pastoribus animalium brutorum, an de pastoribus populi, quamvis in litera non explicetur, rationi tamen consentaneum est, quòd de pastoribus populi sit sermo, eò quòd iste primus inter seruos Saulis inferius describitur.] Quis non stupeat Doeg inter regios ministros eminere, & Dauidem abactum, & famelicum exulare. Quàm verè, disertéque scripsit Basilius Seleucensis *orat.* 14. *Saulis regnum vergebat ad occasum.* Saulis regnum non minus miserando approximabat excidio, Doeg diuitiis, & dignitatibus nobilitato, quàm Dauide exulante, & famelico. Quis enim Dauidis facta cum eius sorte conferens non detrectaret inire prælia ? Quis Doeg splendorem intuitus, eius non sequeretur vestigia ?

§. XVII.

Nonnulli minus nocent à diabolo exagitati, quàm sibi ipsis derelicti.

Peruersi. NOn *habeo cum quo te communicatum velim* (scribebat Seneca *epist.* 10.) *& vide quo judicium meum abeat : audeo te tibi credere.* Magnam de Lucilio se habere opinionem Seneca testatus est, quando ei ipsum tradebat. Sunt namque nonnulli adeò peruersæ, & pestiferæ indolis, vt deteriores sint sibi ipsis commissi, quàm dæmonis impulsibus agitati. *Nemo est ex imprudentibus* (addit Seneca) *qui relinqui sibi debeat. Tunc mala consilia agitant, tunc aut aliis, aut ipsis futura pericula struunt.* Quàm sit vera hæc sententia suis Doeg factis declarat. In templo adstabat, cùm illuc Dauid peruenit : *Erat autem ibi vir quidam de seruis Saul in die illa intus in tabernaculo Domini.* In Hebræo habetur : *Obligatus in conspectu Domini*, id est, vt placet Theodoreto apud Glossam, à dæmone diuexatus. Itaque in templo à dæmone oppressus aderat, & à sacerdotibus contra inuisum hostem subsidium quærebat. Hic ipse salutem nactus non solùm quidquid in templo obseruarat, Sauli retulit, sed vt ei adularetur, Sacerdotes Domini accusauit mentitus, & occidit execrandus. *Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo.* Infr. cap. 22. v. 18. Ecce, qui à dæmone inuasus, templum, & sacerdotes adierat, vt per eos à Domino salutem impetraret, jam sibi redditus sacerdotes occidit, & quos ob sacram dignitatem, vnctionemque ipse diabolus est reueritus, Doeg audacior dæmone non solùm occidit, sed trucidauit. [Est perspicuum (*verba sunt Theodoreti*) quòd Doeg vexabatur ab aliquo dæmone, aut tenebatur aliquo morbo, & ea de causa diuino assidebat tabernaculo. *Adiicit :* sed scelestus non solùm significauit Sauli omnia, quæ dicta, & facta fuerant ab Achimelech, sed etiam omnes occidit sacerdotes.] Quàm esset felicior Doeg diabolo illigatus, quàm sibi ipsi relictus, & quàm minus sacerdotibus erat extimescendum à diabolo, quàm ab adulatore, & assentandi Principibus studioso. Mendaciis, ac insusurrationibus Saulem ex se præcipitem impulit, & ad Sacerdotes trucidandos ei operas præstitit. Diuus Paulus hominem peruersè operantem decreuit Sathanæ tradere, & beneficium ei magnum impertiri. [Iam judicaui vt præsens, eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Iesu- Christi congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusce- modi sathanæ in interitum carnis.] Effrænis adeò homo ille libidinibus indulgebat, ea aliis scandala concinnabat, vt minus noceret Sathanæ traditus, quàm sibi relictus. *Apostolus* (inquit Augustinus hic apud Glossam) *non crudeliter, sed amabiliter Sathanæ tradit.* Expende qualis ille erat, quando ipsum sibi subtrahere videbatur remedium, etsi in Sathanæ deueniret dominium. De eiusmodi scribebat Seneca : *Tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam instigat.* Imprudentiùs procedebat se vsus, quàm ipsi dæmoni traditus. 1. Cor. 5. v. 5.

TEXTVS.

VERS. VIII. Dixit autem Dauid ad Achimelech : si habes hic ad manum hastam, aut gladium, quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum. Sermo enim Regis vrgebat.

§. XVIII.

Sæpè, vt peccatum coloretur admissum, aduocatur aliud peccatum.

VT nonnullis in fructibus semen est ad fructus consimiles procreandos ; sic non semel vna culpa est semen alterius, & ex vno errore alter nascitur. Abyssus abyssum inuocat in sui suffragium, & patrocinium. *Tolle radicem* (aiebat Seneca 3. *de Benefic. cap.* 29.) *nemora non surgent ; nec tanti montes vestientur.* Radix, semenque pars arboris est exigua ; paulatim tamen procedit, & in arborem coalita assurgit. Non aliter in culpis videas accidisse. Vna est alterius radix, & initio exigua ramos producit, & folia extendit. Dauid deuenerat ad Achimelechum, & ne denegaret panes, se à Rege Peccatum. Excusatio.

missum testatus est. Posteà, vt arma acciperet, se ob nimiam Regis vrgentiam secum arma sua non tulisse asseruit: *Arma mea non tuli mecum, sermo enim Regis vrgebat.* Poterat sacerdos expendere hominem à Rege missum, & delegatum non posse aduentare inermem, quando exequi Regis præcepta non obstabat ad ferenda secum armorum auxilia: ergo Dauid, vt primum coloraret mendacium, exagerauit negotiorum vrgentiam, & adjecit primo secundum. Notauit Abulensis *quæst. 20. In hoc mentiebatur Dauid, quia Rex nihil dixerat, sed ipse erat profugus, quia tamen semel mentitus fuerat, ad colorandum illud mendacium oportebat eum pluries mentiri.* Timuit à Sacerdote redargui, quandoquidem à Rege missus non debuit incedere armis denudatus: ergo, vt occurreret suspicioni, mendacium mendacio texit, & culpam duplicauit, culpa namque est errorum radix fœcunda, & vena infeliciter copiosa. O quoties ad tegendum commissum peccatum, aliud admittitur, & qui detegi timet, cæcissimè audet! Eua existimauit sibi non licere arborem tangere: *Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud:* verùm à serpente persuasa, & delusa pomum decerpsit; cúmque jam peccatum nuditas proderet, ad tegendam nuditatem non solùm vetitam arborem tetigit, sed nudauit: *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Et cur Eua peccato peccatum addat, & reclamante conscientia iterum folia contexendo delinquat? Quia cùm nuditas jam probrosa culpam proderet, festinauit tegere nuditatem, & altera culpa cum altera quodammodò fuit connexa. Notauit Basilius Seleuciensis *orat. 3. Circa arborem præuaricati, ab arbore tegumentum mutuantur.* Itaque ne nuditas peccatum proderet, ad folia recurrit, & licet existimarit sibi prohibitum arborem tangere, vt in tegumentum mutuaretur, folia non timuit auellere. Vnum namque delictum non semel adducit ad se tegendum aliud peccatum.

Gen. 3. v. 7.

TEXTVS.

VERS. IX. Et dixit Sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in valle terebynthi, est inuolutus pallio post ephod: si istum vis tollere, tolle, neque enim hic est alius absque eo. Et ait Dauid: Non est huic alter similis, da mihi eum.

§. XIX.

Semper homini profecit, quod Domino consecrauit.

Munus.

QVod homini proficit (aiebat Tertullianus *de Pœnitentia cap. 2.*) *Deo seruit*, immò quod Deo seruit, homini proficit. Petrus, cum pro Christo pecuniam ad soluendum censum offert, eadem se à censu debito expedit: *Aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.* Et cur in ore piscis duas non inueniat monetas, quarum vnam pro Christo, & pro se alteram reddat? Quia voluit Dominus (inquit Heronymus *in Caten. D. Thomæ*) edocere ipsum homini deseruire, quod in Domini obsequium constat offerre. Si duas inuenisset monetas, pro Domino oblata non deseruiret Petro, statere inuento, eo ipso Petrus à censu liberabatur, quod pro Christo offerebatur: ergo, vt constaret, Petro proficere, quod pro Domino non dubitabat offerre, vnico, eodemque pretio Petrus, & Dominus liberatur. *Pro Petro, & Domino redditur*, inquit Hieronymus. Et adnectit: *Et pulchrè illum ipsum quidem datur pretium.* Itaque arcanè stater inuentus est, vt quod deseruiebat Domino, proficeret etiam Petro. Dauid multa à gigante arma tulit, ex quibus aliqua posuit in tabernaculo suo, gladium verò Domino consecrauit: cúmque opus haberet armis, suo in tabernaculo collocatis, non potuit vti, & consecrato Domino gladio potuit armari: *Ecce hic gladius Philisthæi.* Notauit Lira: *Dicunt hic aliqui, quòd propter victoriam illam ille gladius, quo fuerat amputatum caput Goliæ, fuerat Domino consecratus.* Ex tot armis in necessitate positus solùm inuenit, quem templo gladium dicauit. Si Dauid gladium sibi asseruasset, modò, quo se ab hoste tueretur, non inuenisset, ast sibi parauit, quem templo obtulit. *Omnia poma* (aiebat sponsa) *nova, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* Putares sponsam pomorum esu fraudandam, quandoquidem nullum sibi seruarat anara, sed omnia obtulerat generosa: Verùm, vt noscas quanto lucro dicarit, ipsam audi. Deuenerat in sylnam, vbi arbores aut nullum protrudebant fructum, aut esui certè non aptum, ibi tamen malum inuenit, cuius vmbra requieuit protecta, & cuius fructu innutrita. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulci gutturi meo.* Ab ipso, cui dicarat, poma decerpit, & placida insuper, ac salubri vmbra æstus arborem euasit. *Allecta* (inquit noster Delrius *in Tropologica*) *tam dulci cibo anima feruentius amat, & sitit acriùs. Multa quidem consecuta eorum, quæ retrò liquit.* Vt sponso consecraret, liquit, sed poma non perdidit, immò, quæ auarè asseruata fuissent putrida, denotè sponso offerens inuenit pulcherrima, & separata.

Matth. 17. v. 26.

Cant. 7. v. 13.

§. XX.

Nulla re melius tuæ prouidebis incolumitati, quàm si Dei consulas honori, & proximorum saluti.

SVnt, qui auarè acquirendo perdant, qui generosè perdendo acquirant. *Auentur lucra* (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 13. *Zelus sta lucra*) *horreantur damnosa compendia. Addendo perdidit, qui retinendo collegerit.* Qui larga manu proximorum prouidit saluti, sibi acquisiuit, quod dedit, vt sibi inuidit, qui manum clausit: qui Dei consuluit honori, qui proximum eripuit discrimini, inimici insidias sibi paratas eluit, & periculum frustrauit. Dauid armis nudus in templo Goliath gladium inuenit, & nullum sibi aptiorem confessus est. *Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in valle terebynthi,* aiebat Sacerdos. Quid tunc Dauid? *Non est huic alter similis, da mihi eum.* Et cur alter huic non similis? Extincta non est prorsus artificum peritia? defecit jam calybis efficacia, vt alter huic fuerit nullatenus comparandus. O! expende

pende Dauid, vt numinis honorem defenderet, & contribules ab imminenti discrimine eriperet, hoc gladio gigantem trucidasse: ergo huic nullus exæquandus, quandoquidem quo gigantis jacta in Deum castigauerit probra, & depulit Israelitarum discrimina, non poterat salutem non tueri, & audaciam inimicorum frænare. *Placet* (inquit noster Sancius) *quod Abulensis putat, gladium Goliath ita probari Dauidi, vt, si multi essent alij, illum præferret omnibus.* Quantumvis alij suppeterent eximiè elaborati, & acutissima acie præditi, eis Dauid nec Dei contumeliam depulerat, nec jugum à contribulium ceruice auerterat; at Goliath gladio diuino militarat honori, & proximorum saluti: ergo prudenter hunc præligeret, vt à se periculum propulsaret. Rhaab incolumitatis signum petiit; & funiculum, quo exploratores liberauit, accepit: *Signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligabis eum in fenestra, per quam dimisisti nos.* Et cur alind signum salutis non dederint, quando aliquod ex his, quæ ipsi habebant, videbatur opportunius? Nonne faciliùs cognoscerent signa propria, quàm aliena? Vitam à muliere recipiunt, & aliquid ex propriis rebus largiri renuunt? Quia cùm salutis signum desideraretur, debuit esse signum incolumitatis, quod exploratoribus fuerat instrumentum salutis. Quod Rhaab effecerat; erat tutior tessera, non adeò tuta, quidquid exploratorum largiretur humanitas, aut benignitas. Litam audi: *Petierat ipsa Rhaab ab exploratoribus, vt darent ei certum signum salutionis suæ, & suorum, & ipsi dederunt pro signo, quòd funiculus, per quem dimissi fuerant, ligaretur in fenestra.* Quo ab exploratoribus auertit periculum, à domo sua propulsauit detrimentum, vt noueris semper esse salutis præsagium, quod proximis præstatur auxilium.

Iosue 2. v. 18.

TEXTVS.

VERS. X. Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saul, & venit ad Achis Regem Geth.

§. XXI.

Pro virtute decertanti affert plausum; quod videbatur allaturum periculum.

Virtus. Periculum. Plausus.

SEmper homines faciliùs, quàm sequantur, probant honesta; vident vbi sit posita felicitas solida, sed iter ad illam non audent arripere, quia verentur laboribus, ac periculis dinexari: ea laborant cæcitate, vt res parum dispiciant, & pro virtute decertanti ipsa pericula securitatem afferre nesciant. *Non est vir fortis, & strenuus* (aiebat Seneca *epist.* 22.) *qui laborem fugit; verùm ibi crescit illi animus ipsa rerum difficultate.* Præmiserat: *Sperat etiam ex difficillimis salutarem exitum.* Non ignorat vir sapiens pro virtute decertanti imminere pericula, sed felicem sperat exitum, & dignum plausum. Dauid ad Achis confugit Goliath gladio obarmatus: *Venit ad Achis Regem Geth.* Si humanis oculis rem metiaris, Dauid egregiè errare censebis, & dum sibi prouidere adnititur; refragatur. Si latenter ad Achis tendit in Geth, cur defert gladium gigantis? *Non est huic alter similis* (aiebat) *da mihi eum.* Profectò nullus illi similis, vt proderet, non defenderet. Nonne Gethæi conspecto gladio in Dauidis agnitionem deuenient, & gigantis cladem clade vindicare præsument? Profectò ita futurum expectare; sed adeò contrarium accidit, vt terræ Regem assererent, & suspicerent: *Nunquid non iste est Dauid Rex terræ? Nonne huic cantabant per choros, dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia?* Intuiti gladium, in Dauidis notitiam deuenerunt, & tamen quod videbatur periculum, vertebatur in plausum. Ecqua huius causa est. Quia Dauid gladio illo blasphemum trucidauit, & virtutis causam egit: ergo vt noueris, quæ à virtute exoriri videbantur, pericula verti Dei prouidentia in elogia, ipsi Gethæi Dauidem celebrarunt Regem, qui videbantur aggressuri vti aduersarium, & hostem. Innuit Abulensis *quæst.* 25. *Reputabant eum quasi Regem, & sic eum vocauerunt hic.* Ipse gladius, qui publicabat virtutem, Dauidi acquisiuit laudem. Vt verum sit, quod aiebat Seneca: *Sperat ex difficillimis salutarem exitum.* Moyses in Ægyptum delegatur, imperatoria tessera accepta, vt suorum exoluat vincula; ille obedientiam extrahere nitebatur, quia timebat manifestum se adire periculum, quandoquidem quia defenderat Israelitam à regio ministro, implacabile incurrerat graue odium. Quid tunc Dominus? *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Ac si dicat: Tantum abes, vt ob exercitam in Ægypto virtutem subeas periculum, vt Pharao te vereatur vt Deum. Notauit Augustinus *quæst.* 17. *in exod. Pharaoni dicitur Moyses datus Deus.* Dum percutit, dum flagellat, à Pharaone non occiditur, sed timetur, adinstar Dei in Ægypto resplenduit, qui periculum ob virtutem subeundum existimauit.

Exod. 7. v. 1.

§. XXII.

Perfectè ab hoste non fugit, qui eius in ditione remansit.

Occasio. Fuga. Hostis.

SVnt, qui se à vitiis cupiant expedire, & à ceruice graniſſimum jugum depellere; verùm asperum cliuum non exuperant, vt ad virtutis castra penitus transeant, & à vitiorum seruitute recedant; sciunt suspectam esse securitatem inter hostes, salutem periculosam inter pestes, & tamen tantisper recedunt, & lassi subsistunt. *In vanum operosos* (aiebat Seneca *epist.* 31.) *culpauerim: rursus ad honesta nitentes, quantò magis incubuerint, minusque sibi vinci, ac strigare permiserint, admirabor, & clamabo: tantò melior surge, & respira, & cliuum istum vno, si potes, spiritu exupera.* Lipsius ad hanc epistolam ait illud verbum, *strigare*, de equis dici, qui in via aliquando quiescunt. Eius verba sunt: *Quoties in via interquiescunt, strigare eos dicunt.* Itaque Seneca enitendum consulit, vt ad virtutum castra transeas, nec tutum esse in itinere conquiescere. Sæpiùs fugerat Dauid Saulis insidias, euaserat sæpè tela, & tamen cùm ad Achis transiit, à facie Saul ea in die fugisse Textus refert: *Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saul, & venit ad Achis Regem Geth.* Inquirit noster Sancius: Cur hac die fugisse Textus referat, cùm

cùm se ab eius facie sæpius subduxisse appareat? Ipsum audi: *Cùm iam ante se se Dauid à facie Saulis subduxisset, cur non dicitur fugisse à facie Saul?* Quæstioni respondet, mansisse anteà intra Saulis regni limites, at modò ab eius prorsus ditione se eripuisse: ergo hæc sola perfecta dicitur fuga, quia Saulis reliquit penitus regna: *Iure igitur Dauid cùm egressus est è regno Saul, & ad alienum Philisthinorum regnum commigrauit, à Saulis facie fugisse dicitur.* Parum juuaret à Saule distare, si inter eius ministros degeret, cùm illi possent, captum, vinctumque ad Saulis torum conspectum reducere, & Regis oculis, vt adularentur, offerre: cùm ad aliud regnum commigrauit, non poterat à ministris Saulis jam falli, aut vinciri, ergo solùm cùm in aliud se regnum recepit, à facie Saulis perfectè fugit. Fugis à graui culpa, sed adhuc moraris inter delitias, voluptatesque culpæ ministros: ergo dici nequis fugisse, quia iterum falli, & ad vitij tyrannidem potes reduci. Vno spiritu, qui à vitiis diuidit, eluus est exuperandus, vt perfecta sit fuga, immò vt coroneris victoria.

§. XXIII.

Obedientia quò cæcior, & homini tutior.

Obedientia. SI quid in homine eminet, mens est. A brutis ratione distinguimur, & Angelis proximamus. Hanc perfectè obediens obedientiæ sacrificat, & laudabiliter obcæcat. Qui præcepta examinat, qui expendit pericula, adulterat obedientiam, cuius elogium est cæcitas: dum non appareat peccatum, toto animi impetu est exequendum præceptum. *Quonam* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap. 6.*) *illæ leges abierunt, sumptum, & ambitionem comprimentes.* Cùm debuissent legibus obedire, eas interpretabantur, vt jam non haberentur obsequuti, sed arbitri. Vrget periculum, adeundum est, vt Deo obtemperes: videtur aliquando obedientia insania, sed insania est despicienda, & obedientia sectanda. Dauid ad Achis Regem se contulit: *Venit ad Achis Regem Geth.* Profectò consilium Dauid non solùm exoculatæ audaciæ, sed & deliræ temeritatis asseres plenum, si humanæ tantũ prudentiæ momenta consideres. Multis anteà Gethæos plagis attriuerat, nuper ablatis ducentis præputiis ingenti infamia dehonestarat, gigantem illum eius Reipublicæ columen dejecerat, nec deesse poterant amici, eiusque cognati, qui Dauidis capite contumeliam illam expiandam censerent, & exambirent. Ad hæc; Goliath portabat gladium, qui acceptæ cladis refricaret memoriam, & vrgeret ad vindictam. Quomodò ergo Dauid ausus est tot pericula adire, & ad eius sanguinis hostes auidissimos inuolare? Quia Dauid in Nobe per sacerdotem Deum consuluit, & quò se recipere expediret, interrogauit. *Infr. cap. 22. v. 9.* Ita testatus est Doeg: *Vidi filium Isai in nobe apud Achimelech filium Achitob sacerdotem, qui consuluit pro eo Dominum.* Itaque consultus Dominus ore Sacerdotis jussit, vt ad Achis se conferret, & Dauid cæcè obediuit, & dum obsequutus est laudabiliter cæcus, nullum detrimentum est passus. Notauit Abulensis *quæst. 24. Potius debuisset ire ad aliam terram, quàm in Geth. Respondendum est, quod verisimile est Dauid consuluisse Deum, antequam descenderet ad Regem Geth, an illuc descenderet, & Deus sibi responderit, quod descenderet.* Grauissima erant pericula, & Gethæos adire videbatur insania, verùm dum Deo obtemperat, à quibus potuit timere mortem, inuenit laudem: *Nunquid non iste est Dauid Rex terræ?* Discè Deo obtemperare, & periculum vertes in plausum.

§. XXIV.

Homines aduersa infortuna à nullo agnoscuntur, quia in alios quodammodò transformantur.

DE Circe fabulosa finxit antiquitas homi- *Fortuna. Calamitas.* num formas demutare, & veneficiis vultibus aliis induere. *Circe* (aiebat Tertullianus *de spectaculis cap. 8.*) *planè venefica.* Veneficiis homines in arbores transmigrabat, & intuentium prorsus oculos illudebat. Idem videtur sortita ingenium torua fortuna: infelix sic alios à se ipso est, vt nec à familiaribus agnoscatur, nec à cognatis honoretur. Hac sæculi consuetudine fisus Dauid ad Gethæos se contulit: *Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saul, & venit ad Achis Regem Geth.* Grauiori periculo periculum redimebat, & vt mortem effugeret, maturabat. Et quo fisus est Dauid, vt se hostibus traderet, & se non agnoscendum confideret? Aduersa (inquit Abulensis) fortuna. Cùm fulgebat Chiliarchus cum magno satellitio stipatus, ab omnibus erat cognitus, & eximiis obsequiis cultus; modò verò solitarius, & pane indigus sic erat alius, vt nulli notus. Ita Abulensis *quæst. 22. Dato, quòd vidissent illum aliquando, & cognoscerent: cùm tamen non viderent eum in terra Philisthinorum solitarium, crederent non esse illum.* Ipse erat, verùm non ipse, sed mutata fortuna: ergo nullus reputaret eundem, sed prorsus alium. Quotidiè experiris aduersæ fortunæ tempestate jactatos mali esse cognitos, cùm eorum familiaritas, amicitiaque promittebat amicis vtilitatem, aut honorem, crepiditas linceis oculis agnoscebat, immò ambitio cognationem affectabat; at si quid timendum, aut erogandum, quisque aut oculos auertit, aut fugit. *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.* Quid tunc? *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Ipse, cum quibus innumeris, & strictissimo naturæ vinculo colligatus, ac si vltima regione natum ignorabant, & extraneum prorsus rejiciebant. Prodest Enthymius: *Fratres sui extraneum eum reputarunt, cùm dicerent: Hunc nescimus vndè sit.* Nabal etiam, qui Dauidis erat, vt Interpretibus placet, cognatus, vitæ subsidium aliquod petenti respondit: *Quis est Dauid?* Indigentia omnem extinxerat notitiam, quia Dauidem aliam quodammodò transformauerat in personam: ergo præsumpsit à Gethæis non agnoscendum, quia solus, etsi eum agnouerit, dum fulgebat pompa stipatus.

§. XXV.

Nonnulli ad speciem impossibilia aggrediuntur, & se non aggressos ob ipsam impossibilitatem persuadere conantur.

Impossibile. Audacia.

PLura sunt, quæ ab omni prudentia inueniuntur remota, & à personis aliquibus ad speciem distantia; ea tamen est humana astutia, vt de ipsa difficultate, dissonantiaque sumat audaciam, & confidat applicandam sibi nullatenus admissam culpam. Sacerdoti competit defunctos tumulare, & ab execrabili cupiditate abstinere. Quis credat sacerdotem mortuos inquietare, & aurum effossis cineribus exambire? Propriam sacerdos debet substantiam ad humanda corpora pia largitate exhibere, non sepulchra effodere, vt aurum possit furari; verùm quidam sacerdos, quia de eo alienissimam credidit præsumptionem, aggressus est perpetrare execrabilem impietatem. Audi Cassiodorum 4. *variar.* 18. [Ad nos multorum suggestione peruenit, Laurentium presbyterum effossis cineribus funestas diuitias inter hominum cadauera perscrutatum, concussionemque mortuis intulisse, quem oportet viuentibus quietem prædicare. Non abstinuisse perhibetur tam crudeli contagio piis dicata consecrationibus manus: aurum execrabili quæsisse fertur affectu, quem suam decuisset egentibus dare substantiam, vel sub æquitate collectam.] Cùm sacerdotis sit proprium pro defunctis facere justa, & remotum adeò à tanta dignitate inquietare mortuos, vt diuitiarum acquisierit compendia, ille, quò à se credidit suspicionem prorsus remotam, eò viuidiùs execrandam fouit audaciam. Nec longè, etsi honestè, Dauid ab hac sententia videtur distare, cùm ad Achis Regem Geth decreuit confugere: *Venit ad Achis Regem Geth.* Ad nullam aliam Regionem poterat transire sibi adeò aduersam, nam Gethæos multis anteà cladibus attriuerat; ducenta afferens præputia insigni contumelia affecerat, Gethæum gigantem trucidauerat: ergo non consilium; sed delirium & dementia quidem plenum videbatur eorum se oculis offerre, qui eius sanguinem non poterant non sitire. Cur ergo potiùs Geth, quàm aliam, delegit Prouinciam ad sui tutelam? Ob id ipsum, respondet Abulensis: non videbatur possibile, quòd se Dauid eorum offerret manibus, quos præ omnibus aliis ei certum erat irasci infensos: ergo ibi quæsiuit securitatem, quia eius aduentus illuc remotissimam credidit suspicionem. Audi Abulensem *quæst.* 22. *Cùm nunc viderent eum in terra Philisthinorum solitarium, crederent non esse illum, quia non erat verisimile, quod ille, qui erat hostis Philisthinorum, sic veniret ad ponendum se in manibus eorum.* Itaque Dauid indè sumpsit audaciam, quia omnes illuc aduentare arbitrarentur amentiam. O quot aliqua perpetrauere flagitia, arbitrati non posse in hominum mentes venire, ea ab eis vllatenus perpetrata.

TEXTVS.

VERS. XI. & XII. Dixeruntque serui Achis ad eum, cùm vidissent Dauid: Nunquid non iste est Dauid Rex terræ? Nonne huic cantabant per choros, dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia? Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo, & extimuit valdè à facie Achis Regis Geth.

§. XXVI.

Aliquando homines multiplices sibi miserias incrementarunt, dum aliquam effugere decreuerunt.

Miseriæ

DE Hercule prodit antiquitas cum Hydra in certamen descendisse, à qua præciso vno capite eius loco plura pullulabant, & graniora bella ingerebant. Quod, etsi egregium mendacium, pro moribus est vtilissimum documentum, quando non semel, vt incommodum aliquod euadatur, multiplicibus indè pullulantibus adaugetur, & vndè sperabatur tranquillitas, acrior assurgit calamitas. Qui, vt depelleret famem, commisit furtum, ob furtum grauius sibi maturauit sæpissimè detrimentum. Qui, vt furorem pectoris sedaret, aduersarium occidit, omnes occisi cognatos aduersarios inuenit. Itaque remedio acriùs laboratur, & infirmitas noxio medicamine augetur. *Vniuersos affligit* (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 19.) *qui Regi aliquid necessarium substrahit, quia latus optatur ab omnibus, cunctos contristat, si probetur offensus.* Dum vnus probatur offensus, offendentis aduersariorum augetur numerus, & quo sibi existimabat consulere, inuentus est pericula incrementare. Saulem Dauid sustinebat aduersarium, sed Ionatham experiebatur amicum: serui Regis eum diligebant: *Omnes serui eius diligunt te*, etiam Prophetarum filij, vt imminentia eluderet, pericula prænuntiabant; vt Saulis tamen odium effugeret, ad Gethæos commigrauit, ibique cùm Rex, eiusque ministri Dauidem, à quo tantas clades acceperant, in manibus habere cognoscerent, se vlcisci decernebant, & ni Dauid ad insaniam confugeret, disperiret: vbi quærebat solatium, inuenit grauius detrimentum, & ingemuit vrgentissimo timore perculsus, & cæcissimis difficultatibus implicatus: *Extimuit valdè à facie Achis Regis Geth.* Notauit Lira: *Hæc dicebant, vt Achis eum detineret, & occideret. Ideò subditur: Et extimuit, quia non poterat resistere.* Rex à ministris inflammabatur, vt acceptas injurias Dauidis sanguine expiaret, nec vllum erat effugium, aut remanebat solatium: ergo tardè agnouit non fuisse prudens consilium, & ipso remedio incrementasse sibi grauissimum detrimentum, & quidem nullatenus euasisset, ni prudenter amens se in alium transfigurasset. Cùm omnia illis in figura contigerint, hoc Dauidis facto erudimur, incommodum non

Sup. cap. 18. v. 22.

eſſe grauioribus incommodis euitandum, ſed æquo, & patienti animo ſuſtinendum. Prodigus ille, vt famis tormentum euaderet, vni ex primariis adhæſit, qui, vt paſceret porcos, in villam miſit: *Miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos.* Obſcurum, vt ſolaretur famem, amplexus eſt exercitium, ſed ibi actiori fame ſtimulabatur, & honore priuabatur: *Ego autem hic fame pereo.* Quod ſitiuit ibi ſolatium, verſum eſt in calamitatis augmentum, & quo famem præſumebat minuere, inuentus eſt adaugere. *Vt paſceret dæmones thure, victimis, ſanguine*, inquit Chrologus *ſerm.* 5. Itaque ibi erat opus proprio ſanguine porcos ſaginare, & non exhorruit porcorum ſeruituti addici, vt poſſet vitæ conſulere. Itaque ſanguinem cogebatur effundere, & qui noluit patienter famem tolerare, compulſus eſt magnis calamitatibus adurgeri. Si calamitate, aut labore premeris, prudenter expende, ne ipſo duriùs ad labores remedio, & vires addideris morbo. *Refugienda eſt* (aiebat Caſſiodorus 7. *variar.* 47.) *ſuauitas mellis, quæ inferre dignoſcitur læſiones. Sic nec igitur votum reſpicit, qui prodeſſe contendit.* Non ſolùm reſpiciendum eſt votum, ſed quem attulerit fructum. *Iſta, quæ ſic petis tanquam datura lætitiam* (aiebat Seneca *epiſt.* 59. *ac voluptatem, cauſæ dolorum ſunt.* Cauſæ dolorum ſæpè inueniuntur, quæ remedia dolorum putabantur.

Luc. 18. v. 15.

§. XXVII.

Quò quis in curia cæteris eminentior, eò periculis inuenitur proximior.

Curia. Dignitas. Periculum.

INter honores gaudium, id eſt, inter ſolicitudines, quæris? (aiebat Seneca epiſt. 59.) *Iſta, quæ ſic petis, tanquam datura lætitiam, ac voluptatem, cauſæ doloris ſunt.* Sciunt animalia, quo cibo vti debeant, quo potu; homines id ignorant, & implacabili ſiti dolorum cauſas congerere perſeuerant: quiſquis eminuit, inuidentiæ quid morderet oſtendit. In Alexandrum ſunt collimatæ ſagittæ, & vibrata jacula. Omnes laudum, honorumque oblectamenta quærunt, non tamen recordantur, quàm ſint breuia, & periculis expoſita. Vbi Dauid peruenit in Geth, Regis miniſtri Dauidis magnitudinem extulerunt, & terræ Principem appellarunt: *Dixerunt ſerui Achis ad eum cùm vidiſſent Dauid: Nunquid non iſte eſt Dauid Rex terræ? Nonne huic cantabant per choros, dicentes: Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia?* His laudibus ſibi periculum quæri extimuit: *Poſuit autem Dauid ſermones iſtos in corde ſuo, & extimuit valdè à facie Achis Regis Geth.* Si palatini retuliſſent eorum patronum, ac columen trucidaſſe, inſigni contumelia Gethæos ablatis præputiis affeciſſe, nil mirum pauido metu percelleretur; at magnis laudibus eius poteſtatem celebrari, & terræ Regem haberi, non erat ad ſpeciem extimeſcendum, ſed exoptandum. Cur ergo adeò vehementer refugit haberi inclytus, vt haberi maluerit inſanus? Quia jam fuerat expertus (inquit Lira) quantam illi attuliſſent laudes calamitatem, callebat Dauid laudantium ſtudia, & præuidebat laudibus ſolicitare illi ſtragis vltimæ detrimenta: ergo extimuit, dum terræ Regem ſe celebrari cognouit. Audi Liram: *Hæc dicebant, vt Achis eum detineret, & occideret.* Achis qui ſplendebat throno, ægrè ferret maiori alium potiri imperio, nec pateretur ibi alium Regem, quia ambitio reſpuit conſortem: ergo miniſtri aſtutè ſatis eum efferebant; & efferendo cladē procurabant: ergo Dauid prudenter extimuit, quia in curijs eminere eſt periculis implicari: *Sicut turris Dauid* (aiebat ſponſus) *collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Turri in curia excitæ comparat, & clypeis communit. Sed ad quid clypei? Ad inimicorum ſanè iacula repellenda, quia nequibat iaculis non feriri, quæ conſtabat incuria altiorem cæteris eminere. *Cæteris celſior erat turribus*, inquit noſter Delrius *in litera*: Præmiſerat; *Comparat ſponſam turri, nempè Dauidis, illi Hieroſolymæ.* In curia cæteris erat eminentior ergo & propugnaculis egebat, & clypeis. Adnectit ex non ignobili Interprete: *Scuto humilitatis, & patientiæ ab incurſu hominum ſe ipſos cuſtodiunt.* In curia præeminenti eſt neceſſarius patientiæ, tolerantiæque clypeus; nam multiplices premunt inuidentium, & ambitioſorum adſultus.

Cant. 4. v. 4.

TEXTVS.

VERS. XIII. Et immutauit oſſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebantque ſaliuæ eius in barbam.

§. XXVIII.

Vbi delirium frequens, aliquomodò etiam delirabit ſapiens.

RECede in te ipſum quantum potes (aiebat Seneca *Epiſt.* 7.) *cum his verſare, qui te melliorem facturi ſunt.* Optimè conſuluit; nam facilè tranſitur ad Plures. *Socrati, Catoni, & Lælio* (præmiſerat Seneca) *excutere mentem ſuam diſſimilis multitudo potuiſſet.* Quod alij in vſu habent difficile eſt fugere, imitari facile. Obiit, aiebat quidam, non ego ambitioſus ſum, ſed Romæ aliter viui non poteſt; non ego ſumptuoſus ſum, ſed ipſa curia magnas expenſas exigit. Inuenitur, qui cùm virtutis difficultatem vincant, conſuetudini cedant. Vellent ab aliorum exemplis diſcedere, ſed timent malè verecundi, & irrideri à reliquis veriti; ſæpè interim conſtant animo, ſed exterius deſipere affectant aliorum inducti exemplo, & delirio. Dauid in Achis aula ad ſpeciem inſaniuit: *Immutauit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebantque ſaliuæ eius in barbam.* Certum eſt hoc ſumpſiſſe conſilium, vt vitaret vitæ naufragium; vetùm alliquod eruere poſſumus documentum ex Achis verbis; nam cùm inſanum adſpexit, ſuos quia introduxerant, carpſit: *An deſunt nobis furioſi?* Furioſos in palatio, curiaque non deeſſe dixit, quia, vt Rabbi ſalomoni placet, vxor, & filiæ Achis erant fatuæ. Ita refert Abulenſis *quæſt.* 17. *Rabbi Salomon intellexit factum eſſe, quia Achis habebat vxorem, & filias fatuas, qua quotidiè coram ipſo inſaniebant.* Itaque in aula erat in vſu inſania: ergo Dauid, etſi exteriùs, in aula etiam inſaniuit, ad aliorum exempla tranſiens, & quodam

Diuus

quodammodò mentem excutiens. Vbi cum prudentibus degunt, prudens fuit, insaniuit cum insanis. O quoties prudentes fœminæ floridam vestium excusarent pompam, & colerent ornatus modestiam, ni aliæ insanirent, insaniunt tamen, ne ab aliis, quibus placet luxus, irrideantur, & digito demonstrentur. Dissimilis turba aut mentem eripit, aut ad exteriorem saltem fatuitatem quodammodo cogit. Audi Senecam *epist.* 41. *Quid est, quod ab illo* (homine) *ratio exigit? Rem facillimam, secundùm naturam suam vivere. Sed hanc difficilem facit communis insania. In vitia alter alterum trudimus.* E contrario Saul, qui in palatio à dæmone insanus, inter Prophetas eorum exemplo est doctus, & si dicere liceat, honestè coactus.

§. XXIX.

In curiis tutior est aliquando sapiens stultitia, quàm arguta sapientia.

Curia. Stultitia. Sapientia.

NOcentior, & truculentior homini fera homo est: fera solùm optat, quæ sibi videntur vtilia; homo, quæ sibi nequeunt prodesse, impedire alteri adnititur commoda; verùm etsi vbique grassetur malignitas, & pericula struat inuidiæ improbitas, præcipuè in Regum palatiis, & curiis: ibi quisquis sapientia floret, quisquis dignitatis luce resplendet, inuidiam patitur, aut periculis premitur. *Vt sis beatus* (aiebat Socrates apud Senecam *epist.* 71.) *& te stultum alicui videre sine.* Hinc est, quòd viri sapientes, & ab omni ambitu repurgari introrsum colunt sapientiam, & exterius affectant prudenter inscientiam. Censebis cæcos, vt qui nil videant; surdos, vt qui nihil audiant, mutos, vt qui verba non proferant. Sed mihi crede, cordata est eorum surditas, cæcitas inoculata. Aliorsum aiebat Psaltes de diis, quos populus odio non prosequebatur: *Os habent, & non loquentur, aures habent, & non audiunt, oculos habent, & non videbunt.* Fortassis eis noceret pespicacia, & pericula afferret eloquens lingua. *Tale quiddam sapiens facit* (aiebat Seneca *epist.* 9.) *in se reconditur, secum est, quandiu quidem illi licet suo arbitrio res suas ordinare, se contentus est.* Bona politices sapienter desipit, & vtili sagacitate nescire affectat, quæ scire afferret inuidiam, & in se armaret potentiam: aliquando oportet suæ perspicaciæ esse præuaricatorem. Plures, dum se ostentant sciolos, procuderunt sibi durissimos aduersarios, & periculum procrearunt sciendo, quòd effugerent sapienter ignorando, & tacendo. Introductus Dauid in Regis aulam, quid serui cum Rege tractarent, audiuit; verùm, vt sibi consuleret, fatuitatem simulauit: *Immutauit os suum coram eis.* Expende illud: *Coram eis*: ac si dicat Textus: eo se gessit modo, vt putaretur, quæ tractabantur, nec intelligere, nec attendere: & quidem hac arte elusit periculum, & aliter ferale sustinuisset odium. Notauit noster Sanctius: *Cùm id secum obmurmurarent, neque ita obscurè, aut tacitè, vt non illud audiisset Dauid, consilium subitò sumpsit, licet minus decorum, maximè tamen opportunum.* Itaque in aula, quæ tractabantur, audiuit, intellexit, & calluit, sed ita se gessit, ac si prorsus mente careret, & amentia laboraret, factis edocens, quàm sæpè conueniat in curiis adinstar fatui se gerere, & sapienter amentiam fingere. Caietanus ex Hebræo legit: *Mutauit ipse saporem suum in oculis eorum.* Adnectit: *Nomine saporis prudentia significatur, tanquam dictum sit, quòd mutauit sapere suum, in oculis eorum, hoc est, in apparenti conspectu illorum.* Vt ibi degeret tutus, apparebat insanus, vt qui nouerat, tutius esse inter magnates affectare prudenter inscitiam, quàm inuidiosam sapientiam. *Dedi cor meum* (aiebat Ecclesiastes) *vt scirem prudentiam, atque doctrinam, errores que, & stultitiam.* Profectò prudentia debuit inuestigari, sed post prudentiam stultitiam non oportebat inquiri. Otiosus labor, quæ ab ingenio discrepant conjungere, & aduersantia sibi maritare. Si prudentia ornatur, nequibit defædari stultitia, aut si admisit stultitiam, non colet prudentiam: cur ergo vtramque adlaborat associari? Quia vt resplendeat prudentia, est aduocanda aliquando stultitia. Audi Gregor. *lib.* 27. *Moral. cap.* 27. *Qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur.* Itaque stultitia sapientiæ auxiliatur, & vndè videbatur obscurari, indè nitidius constat fulgere. Nunquam Dauid sapientior, quàm dum apparuit in curia fatuus.

Psal. 113. v. 14.

Eccles. 1. v. 17.

TEXTVS.

VERS. XIV. & XV. Et ait Achis ad seruos suos: Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum, vt fureret me præsente? Hiccine ingredietur domum meam.

§. XXX.

Crimen est aulici hominis non sanæ mentis introducere, & laudibus commendare.

Aulicus. Imprudens.

AVla, regiusque conspectus homines requirit prudentia ornatos, & omni virtute excultos. Palatia esse debent artium, morumque amœnissima viridaria. Vtque prouidus institutor hortum suum fœcundis nititur ornare plantariis, vt reddant saporatos fructus, nec post solicitos labores adspicientium offendant adspectus; sic sapiens Princeps palatium suum excolit, & virorum amœnitate componit, ne inculti agri speciem referat aula, quæ omni debet morum resplendere cultura. *Solent quidem* (aiebat Athalaricus 8. *variar.* 16.) *venientes ad aulicas dignitates diutina exploratione trutinari, ne imperiale iudicium aliquid probare videatur ambiguum.* Dedecus est Principis admittere ambiguum, cùm posset eligere exploratione diutina trutinatum, verùm aliquando serui, aut ministri Regum magnis efferunt laudibus, quem discupiunt introducere, cùm sæpè introductus, & admissus nec requisita floreat prudentia, nec in negotiis tractandis necessaria peritia: ergo contra huiusmodi patronos, & tutelares Rex debet digna indignatione efferuescere, & sibi, Reipublicæque injuriam factam punire. Serui Regis Achis Dauidem miris laudibus commendarant: *Nunquid non est iste Dauid Rex terræ?* Dauid regiis præsentatus

conspectibus se gessit ad speciem furiosum, & insanum: *Immutauit os suum coram eis.* Quid tunc prudens Princeps? Dignissima contra eos incanduit indignatione, & magno reos protulit crimine: *Et ait Achis ad seruos suos: Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me? Hiccine ingredietur domum meam?* Ac si dicat: hic homo sic à vobis est commendatus, vt in aula fuerit admissus ob eximiam in tractandis bellis peritiam, & in negotiis prudentiam, cùm reuerà insano corripiatur furore, nec integra constet mente: *Cur ergo adduxistis?* Hanc vim verba Regis habere testatur noster Sancius, cuius verba sunt: *Achis graniter in illos indignatus est, qui furiosum, & desipientem hominem adduxerunt, quasi dedecori fuerit regiæ domui in illam stolidum, & insipientem hominem induci. Quare procul illum inde arceri iussit.* O si Principes Achis imitarentur exemplum, & eos castigarent, qui ad tribunalia adeunda & publicas administrationes tractandas mentitis commendationibus offerunt tractandis negotiis ineptos, & subitis furoribus inflammatos! O si quos introduxit ambitiosa fallacia, depelleret, & abigeret sagax prudentia!

CAPVT XXII.

1 ABIIT ergo Dauid indè, & fugit in speluncam Odollam. Quod cùm audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc: 2. Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo: & factus est eorum princeps, fuerunt que cum eo quasi quadringenti viri: 3. Et profectus est Dauid indè in Maspha, quæ est Moab: & dixit ad Regem Moab: Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam, quid faciat mihi Deus: 4. Et reliquit eos ante faciem Regis moab: manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus Dauid fuit in præsidio: 5. Dixitque Gad Propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iudæ. Et profectus est Dauid, & venit in saltum Haret: 6. Et audiuit Saul, quòd apparuisset Dauid, & viri, qui erant cum eo. Saul autem cùm maneret in Gabaa, & esset in nemore, quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique serui eius circunstarent eum, 7. ait ad seruos suos, qui assistebant ei: Audite nunc filij Iemini: nunquid omnibus vobis dabit filius Isai agros, & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos, & centuriones: 8. Quoniam coniurastis omnes aduersum me, & non est, qui mihi renuntiet, maximè cùm & filius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est, qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi: eò quòd suscitauerit filius meus seruũ meum aduersum me insidiantẽ mihi vsq; hodie: 9. Respondẽs autem Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat primus inter seruos Saul. Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimelech filium Achitob sacerdotem: 10. Qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: sed & gladium Goliath Philisthæi dedit illi: 11. Misit ergo Rex ad accersendũ Achimelech sacerdotẽ filium Achitob, & omnem domum patris eius, sacerdotum qui erant in Nobe, qui vniuersi venerunt ad Regem: 12. Et ait Saul ad Achimelech: Audi, fili Achitob. Qui respondit: Præsto sum, Domine: 13. Dixitque ad eum Saul: Quare coniurastis aduersum me tu, & filius Isai, & dedisti ei panes, & gladium, & consuluisti pro eo Deum, vt consurgeret aduersum me, insidiator vsque hodiè permanens: 14. Respondensq; Achimelech Regi, ait: & quis in omnibus seruis tuis, sicut Dauid fidelis, & gener Regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua? 15. Num hodie cœpi pro eo consulere Deum? absit hoc à me: ne suspicetur Rex aduersum seruum suum rem huiusce modi, in vniuersa domo patris mei: non enim sciuit seruus tuus quidquã super hoc negotij, vel modicum vel grande: 16. Dixitque Rex: Morte morieris Achimelech, tu, & omnis domus patris tui: 17. Et ait Rex emissariis, qui circunstabant eum: Conuertimini, & interficite sacerdotes Domini: nam manus eorum cum Dauid est: scientes quòd fugisset, & non indicauerunt mihi. Noluerunt autem serui Regis extẽdere manus suas in sacerdotes Domini: 18. Et ait Rex ad Doeg: Conuertere tu, & irrue in sacerdotes. Conuersusque Doeg Idumæus irruit in sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinq; viros vestitos ephod lineo: 19. Nobe autem ciuitatem sacerdotũ percussit in ore gladij, viros, & mulieres, & parvulos, & lactentes, bouemque, & asinum, & ouem in ore gladij: 20. Euadens autem vnus filius Achimelech, filij Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad Dauid: 21. Et annuntiauit ei, quòd occidisset Saul sacerdotes Domini: Et ait Dauid ad Abiathar: sciebam in die illa, quòd cùm ibi esset Doeg Idumæus, procul dubio annuntiaret Sauli: ego sum reus omnium animarum patris tui: 23. Mane mecum, ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque seruaberis.

TEXTVS

TEXTVS.

VERS. I. Abijt ergo Dauid indè, & fugit in ſpeluncam Odollam. Quod cùm audiſſent fratres eius, & omnis domus patris eius, deſcenderunt ad eum illuc.

§. I.

Sæpè, qui mundum quærit, deſpicitur, & qui mundum deſpicit, quæritur.

Mundus. Plauſus.

QVàm ſtultum eſt (aiebat Seneca *Epiſt.* 41.) *optare, cùm poſſis à te impetrare.* A ſe poſſunt impetrare homines honeſtè, quod à mundo emendicant ambitiosè: exambiunt magni haberi, ſatellitio circumdari, honoribus eminere, ſed neſciunt quomodò tutò, & laudabiliter hæc aſſequantur, & ob id contrariam ingreſſi viam varijs erroribus atteruntur. Omnia iſta, quæ mundus demiratur, & ſitienter exambit, generoſa magnanimitate contemne, & velut vmbra corpus, te ſequentur: corpus ſi amplecti voluerit vmbram, fugiet; & quò ab ea anidiùs receſſerit, plus ſequetur. *Si hominem videris* (addit Seneca) *interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter aduerſa felicem, in medijs tempeſtatibus placidum, ex ſuperiore loco homines videntem, ex æquo deos, non ſubibit te veneratio eius? Non dices: Iſta res maior eſt, altiorque, quàm, vt credi ſimilis huic, in quo eſt, corpuſculo poſſit? Vis iſtuc diuina deſcendit: animum excellentem, moderatum omnia tanquam minora tranſeuntem, quidquid timemus, optamuſque, ridentem cœleſtis potentia agitat.* In ſui veneratione, admirationemque trahit homo celſo animo omnia terrena deſpiciens, Deo ſolo, & ſe contentus, & ſolis virtutibus conſecratus. Dauid ad Achis palatium confugerat; vt ſibi conſuleret, ibi tamen vti inſanus habitus, & reiectus: *Hiccine ingredietur domum meam?* Malè ab aulicis tractatus in ſolitudinem receſſit, vt Deo, ſibique viueret: *Abijt ergo Dauid indè: & fugit in ſpeluncam Odollam.* Hic ſæculo degebat defunctus, & ſpeluncæ horridæ habitatione contentus, & jam plures inuolant, vt profugum comitentur, & quanti eum æſtiment, teſtari factis conantur: *Quod cùm audiſſent fratres eius, & omnis domus patris eius, deſcenderunt ad eum illuc.* Satiùs videbatur eum quærere inter Achis ſeruos degentem, non ſpelunca horrida latitantem; & tamen *deſcenderunt ad eum illuc.* Quàm alius fuit euentus! In aula deſpicitur, & in ſpelunca quæritur. *De iſta Odolla* (inquit Hugo) *dicitur Michææ 1. vſque ad Odollam veniet gloria Iſrael.* In Odolla Iſrael gloria: ergo à tribu Iudà quæritur, in Achis aula deſpicitur. Cùm omnia hæc adaptandis moribus fuerint deſcripta, Sacer Textus hiſtoriæ coloribus, quam aſſequantur mundi gloriam, qui ab ea verè, generoſèque fugiunt, depinxit, & quàm ſæpè deſpiciantur, qui ſtultè, & ſitienter exambiunt, expreſſit. Nabucho à ſuis abijcitur: *Ex hominibus abiectus eſt.* Solitudine degens, immolataque corporis ſui patientia rore tingitur, fæno paſcitur, & jam eum magiſtratus, & optimates requirunt: *Optimates mei, & magiſtratus mei requiſierunt me.* Mira res! Quem deſpexerant, modò requirunt, & quem requirunt ſylua, eiecerant aula, modò quem non ambiebat, honore fulget, anteà quem ſitiebat honore carnit. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? Quia anteà veri honoris viam ignorabat, quam ſolitudine jam didicerat; anteà proceritate ſuperba cœlum adnitebatur pertingere: *Proceritas eius contingens cœlum*, modò humiles oculos ad cœlum leuauit, & altiſſimi laudes protulit: *Oculos meos ad cœlum leuaui.* Ecce ab hominum conſortio ſemotus ſordeſcit, qui euanida, & contemnenda ambitioſè ſitiuit, & quæritur, dum vti ſtercora generoſè deſpexit, cœleſti jam luce illuſtratus aiebat: *Omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt:* Ergo virtute ad honorem quæritur, dum cæco gloriæ ardore ſe ſupra cæteros extulit, expellitur, & deſpicitur. *Ille Rex Babylonius* (ſcribit Tertullianus *de Patientia cap.* 13.) *offenſo Domino, cum ſqualore, & pædore ſeptennij ab humana forma exulaſſet, immolata patientia corporis ſui & regnum recuperauit, & quod optabilius homini eſt, ſatis Deo fecit.* In ſolitudine ſqualidus Deo ſatisfecit, & virtuti ſtudens peruenit ad regnum ab aulicis requiſitus, in aula ambitioſè gloriam affectans tulit exilium indecorè proiectus.

Sup. cap. 21. v. 15.

Dan. 4. v. 30.

§. II.

Quæ ob euanidam gloriam, & producendam vitam ambitio ſuſtinet, virtutis ſtudioſos & edocet, & confundit.

GLoriæ ſitis, & producendæ vitæ amor magnos hominibus labores perpeti ſuaſit, & ferre patienter edocuit: ob humilem ſæpè cauſam dura ſubierunt pericula, immò & tormenta. Conſule prætextatos, & eos, qui roboris militaris laude ad magiſterium peruenerunt, interroga, & diſces, quàm duris laboribus laborem emerint, & quantis deuoratis incommodis prætextam induerint. Hoc argumento vrgebat Tertullianus ſatis argutè ad martyrium ob veritatem; religionemque deſtinatos *Omitto* (inquit *ad Martyras cap.* 5.) *nunc gloriæ cauſam. Eadem omnia ſæuitiæ, & cruciatus certamina iam apud homines affectatio quoque, & morbus quidam animi conculcauit. Quot otioſos affectatio armorum ad gladium locat? Certè ad feras ipſas affectatione deſcendunt, & de morſibus, & de cicatricibus formoſiores ſibi videntur.* Concludit: *Hæc benedicti non ſine cauſa Dominus in ſæculum admiſit, ſed ad nos & tunc exhortandos, & in illo die confundendos, ſi reformidauerimus pati pro veritate in ſalutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem.* In ſæculo Deus permiſit relata à Tertulliano deliria, vt nobis eſſent ad virtutem adhortamenta: & ob eandem cauſam ſacra pagina, quanta homines pro tuenda vita tulerint, expreſſit, vt eorum nos factis quid pro vita æterna ſit amplectendum, docuerit. Dauid apud Achis, vt imminens periculum euitarit, ſe haberi inſanum non reſpuit; poſt illam prudentem inſaniam ad horridam, & omni ſolatio deſtitutam inuolauit ſpeluncam: *Abijt ergo indè Dauid, & fugit in ſpeluncam Odollam.* Lucis refuga viuus patitur ſepulturam, & hoc totum, vt aliquantulum vitam produxerit, & ſalutis periculum declinarit. *Erat locus fortis & munitus* (inquit Hugo) *propter quod fugit*

Labor. Ambitio. Virtus.

Dauid illuc à facie Saul. Vidit opus eſſe ſe viuum ſepulchris abdere, ſi vitam velit tueri: ergo, vt tueretur vitam, ſpeluncæ ſuſtinuit miſeriam. Quid tunc ob vitæ periculum ſuſtinuerit, retulit ſcriptura, vt ad eadem nobiliori cauſa ſuſtinenda adhortaretur hiſtoria. *In ſolitudinibus* (aiebat Apoſtolus) *errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ.* Vexati, & duris perſecutionibus preſſi horridis ſpeluncis latitabant ob virtutem, quia nouerant alios ad ſpeluncas confugiſſe ob inſidiarum timorem. Profectò nos mundus de ſuorum fide, & tolerantia confundit, quandoquidem recuſamus ſuſtinere ob æternam gloriam, quæ exambierunt ſitienter plures ob euanidam ac volaticam famam.

Ad Hebr. 11. v. 38.

§. III.

Tribulatio, & ob virtutem perſecutio ſunt futuri regni præſagia, & non dubiæ ſolida felicitatis auſpicia.

Tribulatio. Perſecutio.

APud Lacedæmonas magna erat flagellationis ſolemnitas inſano illo in ſacro adoleſcentes de patientia in ſuſtinenda flagellorum illuuie decertabant, & vt reſumerent animos, ipſi parentes, & propinqui adhortationibus adurgebant, & hoc totum, quia ea deteſtanda patientia emebatur euanida gloria. Vndè Tertullianus *ad Martyras cap. 4. Quis ergo non libentiſſimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falſo.* Verberum plagis patienter latis ſibi perſuadebant expoliri ad triumphalem palmam, & victricem coronam. Ergo diſcant Dei ſerui Lacedæmonas meliori cauſa imitari, agnouerintque, ſi dura ſuſtineant flagra, ſi obſurdeſcant ad dicteria, ſi patiantur perſecutionum odia, ſe immarceſcibili palma redimiendos, & lauris triumphalibus coronandos. vt fructus in ſemine præuidentur; ſic in laboribus gloriæ ſeminibus ſceptra ſpectantur. Dauid à Saule impetitur, apud Achimelechum fameſcit, apud Achis inſanus audit, in Odollam ſpelunca deliteſcit, ſed indè Princeps egreditur, & plurium dux conſtituitur: *Abijt ergo Dauid indè, & fugit in ſpeluncam Odollam.* Quid tunc? *Factus eſt eorum Princeps, fueruntque cum eo quaſi quadringenti viri.* Antrum erat jam veluti regni exordium, & dum perſecutio ſæuius adurgebat, præter opinionem ad thronum, ac principatum ductabat. Prodeſt Abulenſis *quæſt. 3. Factus eſt eorum Princeps, id eſt, ſuſcepit omnes iſtos in principatu ſuo.* Ipſa perſecutio peperit regnum, & attulit principatum. Ad montes iuſſit Dominus perſecutione agitatos confugere: *Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* Et quid in montibus? Profectò gloria, & regnum. Audi Tertullianum *ad Martyras cap. 2. Hoc præſtat carcer Chriſtiano, quod eremus Prophetis. Dominus in ſeceſſu frequentius agebat, vt liberius oraret, vt ſæculo cederet. Gloriam denique ſuam diſcipulis in ſolitudine demonſtrauit.* Elias diris perſecutionibus agitatus ad montem ſe contulit, & cauerna delituit, ſed ibi Domini aſpectu fruitur, & alloquio familiari oblectatur. Moyſes ad deſerta involans rubi mira viſione honoratur, vt qui perſecutionibus afflicti ad montes contendere compelluntur, nouerint, ibi miris oblectationibus recreandos, & cœleſtibus dapibus enutriendos. Et expende ad montes, non ad valles confugere, quia cùm in montibus Dominus ſuos fuerit dignatus gloria, jam perſecutionibus afflictati ad gloriæ properabant theatra, & conſolationis auſpicia.

Matth. 24. v. 16.

§. IV.

Solitudinis deſertum contra mundi inſidias munitiſſimum caſtrum.

Solitudo. Deſertum. Inſidiæ.

IN deſertis, & ab humano ſtrepitu locis ſemotis facilius eſt mores concinnare, & animum ſanctis meditationibus præmunire: ibi cœleſtis lux abundantiùs ſolet prælucere, & quàm vana mirentur homines, demonſtrare. *Si tibi occurrit* (aiebat Seneca *Epiſt. 41.*) *veruſtis arboribus, & ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, & conſpectum cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſummouens: illa proceritas ſyluæ, & ſecretum loci, & admiratio vmbræ in aperto tam denſæ, atque continuæ, fidem tibi numinis facit. Et ſi quis ſpecus ſaxis penitus exeſſis montem ſuſpenderit, non manu factus, ſed naturalibus cauſis in tantam laxitatem excauatus animum tuum quadam religionis ſuſpicione percutiet.* Specus, ſylua, ſolitudoque peculiarem Dei venerationem inſpirant, & animum tranquillitate fruentem faciliùs ad virtutem adlectant. Ob id cùm Dauid Saulis dæmoniaci, aut dæmonis humani inſidias exoptaret effugere, ad deſertum tetendit, & ſe profundo in ſpecu abdidit: *Fugit in ſpeluncam Odollam.* Spelunca erat illi pro caſtro, & pro fortalitio, ibi ipſa ſolitudo animum in ſe recolligebat, & conſpectum fallaciarum vitabat. *Erat locus fortis* (inquit Hugo) *& munitus, propter quod fugit Dauid illuc à facie Saul.* Illuc non pertingebat miſſum iaculum, in palatio vibrabatur inſidioſum ſpiculum. Non caret miſterio Ioſuë ab aliis ſemotum in agro Angelicas ſuppetias ſpectaſſe, & Angelum obarmatum vidiſſe: *Cùm eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium.* Dum oculos dicitur leuaſſe, innuitur depreſſos anteà ad terram habuiſſe. Nocauit Origenes homil. 6. in Ioſue: *Vidit principem militiæ virtutis Dei, tanquam prius non reſpexerit, ſed tunc.* In agro inuenit cœleſtia arma, & contra diabolicas fraudes ſubſidia. Et Petrus etiam ſolitudinem eligebat, vt inimicorum Chriſti inſidias eluderet, technaſque irrideret; *Si vis, faciamus hic tria tabernacula.* Et cur ibi? (reſpondet Origenes *in Catena D. Thomæ*) *ſcribas inſidiari ei. Cogitabat etiam, quòd Elias ibi erat, qui in monte ignem deſcendere facit.* Sciebat Eliam in monte cœleſtem habuiſſe lucem, & contra inimicorum inſidias ignem: ergo ſolitudinem deligebat contra inſidiantes ſcribas, & quamuis neſciens quid diceret, tunc deſiderarit abſtruſa, ipſa miſteriorum ignorantia edocuit in ſolitudine inuenire Chriſti diſcipulos tutamenta.

Ioan. 5. Matth. 17. Scichat v. 4.

§. V.

Qui Christo coniunctus, à sæculo sæpè afflictatus.

Virtus. Afflictio.

LVx illa cœlestis, quæ descendit in animum omnia tanquam stercora docet contemnere, & solùm honestatem sitienter ambire. Virtus allicit, sed quia odium patitur, & plures deterret: *Eacis rem optimam* (aiebat Seneca *Epist.* 41.) *& tibi salutarem, si vt scribis, perseueras ire ad bonam mentem.* Salubre est in bona mente perseuerare. Non deerit bono viro, vt supra fortunam assurgat, cœleste auxilium, vt etiamsi assurgat, multorum odium. Vbi Dauid ad speluncam Odollam peruenit qui ei familiares, & coniuncti, ad ipsum inuolarunt: *Quod cum audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc.* Huius aduentus causam scisitantur Interpretes, asseruntque durè à Saule truculentissimo Danidis hoste fuisse afflictatos. Itaque quia Danidi coniuncti, varijs sunt persecutionibus diuexati, qui non arcto adeò vinculo ei coniuncti viuere, & tranquillè ad speciem vbiuis degere sunt permissi. Illi verò omnia sua maluerunt spernere, quàm à Danidis familiaritate resilire; immò vt duram possent molestiam vitare ad deserta elegerunt confugere. Ita Caietanus. *Hinc colligitur, quòd Saul affligebat domum patris Dauid; nisi enim afflicti fuissent, non reliquissent & domos, & agros ad vagandū in speluncis, & desertis.* Prospera persecutionis tempestas ad securum illos portum deduxit, & Danidi amplius approximare suasit: Non spernerent diuitias non relinquerent domos, ni ea prospera vexatione afflictati, & felici persecutione compulsi. Quia Danidi adhærebant, ferale sustinuerunt odium, & tulerunt durum exilium, vt etiam qui Christo in Dauide adumbrato adhærent, nequeunt non laboribus diuexari, & tribulationum flammis aduri. Et expende omnia relinquere, fuisse securum profugium, & tranquillitatis portum. Sunt, qui velint Christi colere amicitiam, sed inter diuitias, deliciasque, cum non possint imperturbata quiete potiri, ni decreuerint à corde terrena omnia penitus amandare. Nullam illatam lego Abelo molestiam, quousque lego sacrificia obtulisse, & sacris altaribus propinquasse: *Obtulit de primogenitis gregis sui, & de apibus eorum.* Iam Cain excandescit ira, jam texit dolos, jam ducit in agrum, jam delibat humanum sanguinem. Notauit Tertullianus *aduersus Gnosticos cap.* 8. *A primordio iustitia vim patitur: statim, vt coli Deus cæpit, inuidiam religio sortita est. Qui Deo placuerat, occiditur, & quidem à fratre.* Expende illud: *Statim vt Deus coli cæpit.* Acsi dicat: Quousque præclara adeò pietatis suæ argumenta protulit Abelus fratris experiebatur beneuolentiam; at vbi in sacrificando apparuit dissimilis, in se concitauit inuidiam; nec enim Cain poterat sustinere, quem diuersis adornatum moribus non poterat ignorare.

Gen. 4. v. 4.

TEXTVS.

VERS II. Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum Princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri.

§. VI.

Qui vult cordis amaritudine liberari, virtuti conetur accedere.

Virtus. Amaritudo.

OMnes gaudium appetunt, sed vbi verum gaudium effloreat, nesciunt: non potest amaritudo cordis depelli nisi à contraria causa, & vera lætitia: solidum gaudium non nascitur nisi ex virtutum conscientia, & morum concordia. Nec possunt mores concordare, ni adnitantur veritati adhærere. *Si bona fide sumus* (aiebat Seneca *Epist.* 56.) *si receptui cecinimus, si speciosa contempsimus, vt paulo ante dicebam, nulla res nos auocabit, nullus hominum, auiumque concentus interrumpet cogitationes bonas, solidasque, & jam certas.* Quisquis euanidis rebus animum tradidit, à sua sede, & constitutione seiunxit: vtque elocato aliquo membro, & disrupta compagine dolor adurget, quousque ad naturalem constitutionem reducitur, ita cor non potest amaritudinibus non premi, & solicitudinibus non inquetari, quousque rationi restituatur, & æquitati adaptetur. Ob id prudenter Danidi Christi ænigmati inseruire decreuerunt, qui amaro animo, & corde afflicto: *Conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo.* Dauid inseruientium jam amaritudo transibat in gaudium, & animus tranquilla fruebatur pace, pungenti liberatus solicitudine: Notauit Rhabannus apud Glossam: *Dum exhibent membra seruire iniquitati, ad iniquitatem necesse est, vt tales in amaritudine animæ pœnitentiam agant, & ad Dauid veniant, id est, Christum cunctis gentibus desideratum, vt fiat eorum Princeps.* Consonat Augustinus ibi: *In angustia constituti, quibus scilicet ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: Vera libertate non possunt frui, qui sæculi intolerandis oneribus subiecerunt ceruicem. Vt vidit Petrus Simonem magum gloriæ humanæ cupidum, & splendentis plausus studiosum: felle amaritudinis protulit oppressum, & cordis morsibus dilaniatum: *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Nequibat, dum iniquitatis irretiebatur obligatione, non exæstuare cor amarissimo felle. Rationale animal est homo, eius felicitas ratione constat, à qua si distet, nec familia, nec fortuna, nec forma ad tranquillitatem iuuat. *In felle amaritudinis* (inquit Glossa Interlinearis) *& obligatione iniquitatis funiculis peccatorum, quibus quisque constringitur.* Mala conscientia non potest non pungere, & venenum, dum non euomitur, nequit viscera non vrgere. De columbis referunt felle carere, & fortassis hac ratione spiritus sanctus columbæ delegit formam, cùm descendit in aquam: *Vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam.* Qui spiritum Dei habet, interno felle non

Actor. 8. v. 23.

Matth. 3. v. 16.

non vritur, sed tranquilla animi pace oblectatur. Prodest Bedæ apud Glossam *ad cap. 8. Actor. Spiritus in columba descendit, vt à simplicibus doceret se suscipi, nam qui amaritudinem in corde seruat, quamuis baptizatus videatur, non est à vinculo peccati solutus.* Quid opus est diù torqueri, cùm tam facile fit remedium, & pateat omnibus amarulentis ad Dauidem effugium?

§. VII.

Quisquis sæculo inseruit, intoleranda tributa soluit.

Sæculum. Tributum.

MVlta possum tibi ostendere (aiebat Seneca Epist. 42.) *quæ acquisita, acceptaque libertatem nobis extorserunt. Nostri essemus, si ista nostra non essent.* O si homines in omnibus suis desiderijs, consilijsque facerent, quod ad venditorem, institoremque alicuius mercis accedentes. Expendunt quantum deferatur, quod concupiscunt, & si magna pecunia soluenda sit, ab studio recedunt, vimque vtilem sibi inferunt. Ex eo hominum stupor apparet, quòd gratis se putant accipere, pro quibus se ipsos non dubitauerunt impendere. Ad Dauid connolant ære alieno oppressi, & angustijs intolerandis constricti: *Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo.* In ære, angustiaque designari, quæ à peccatis resultant, incommoda, & quæ sunt voluptatibus, & delicijs annexa, tradit Rhabannus apud Glossam: *Ære alieno, censu scilicet peccatorum, quem diabolo persoluunt:* Diabolus, mundusque vitiorum institores offerunt nobis extrinsecus speciosa, & ad speciem non cara; verùm nobis mentiuntur, quia posteà apparet, quàm sint grauia quæ nobis visa sunt leuia. Furore cupiditatis correpti non despicimus aut nihil eis in delicijs commodi esse, aut plus incomodi; quædam superuacua sunt, quædam speciosè superflua, quædam extrinsecus solùm nitida, sed eò nos nostra perduxit amentia, vt quæ posteà carissimè constant. gratuita nobis, dum ad illa inhiamus, appareant. Non videt alienæ vxoris concupitor, in quàm amara se pericula conijciat, non considerat ambitiosus quanta magnatum seruulis tributa soluat. Qui ad Dauidem modo occurrerunt, angustijs distorquebantur oppressi, & magnis debitis obligati. Consonat Lira: *Propter debita, quæ non poterant soluere, vel propter inimicos, quibus non poterant resistere.* Esau conditum à fratre edulium ardenter concupiscens, nullam tunc pro eo pecuniam exoluit; primogenita solùm promisit: *Vende mihi primogenita tua.* Sibi blandiebatur, quòd nullo impendio sitim, & famem sedasset: *Parui pendens quòd primogenita vendidisset.* Lapsu temporis patris benedictione priuatus, & fratris seruituti dolenter ingemuit addictus: *Viues in gladio, & fratri tuo seruies.* Quid tunc? *Irrugijt clamore magno.* Nonne vides quanti steterint, quæ videbantur gratuita, & pro quibus tunc nulla exhibita pretia? Obligatus mansit ad miserum eiulatum, & diuturnum iugum. Citò illius conuiuij voluptas euanuit, longissimis spatijs laboriosa seruitus pressit. Opportunè Seneca jam datus: [Ea solùm putamus emi, pro quibus pecuniam soluimus, & gratuita vocamus, pro quibus nos ipsos impendimus. Quæ emere nollemus, si domus nobis nostra pro illis esset danda, si amœnum aliquod, fructuosumue prædium: ad ea paratissimi sumus peruenire cum solicitudine, cum periculo, cum iactura pudoris, & libertatis, & temporis.] Cum iactura libertatis peruenit Esau ad edulium aut superfluum, aut exigua sane æstimatione taxandum.

Gen. 25. v. 31.

Gen. 27. v. 40.

§. VIII.

Si labores virtutis, & vitiorum conferas, longè graviores ex vitijs ortos inuenies.

Labor. Virtus. Vitium.

QVi æquitati, integritatique inseruit, fortasse non adeò copiosam habebit pecuniam, sed grauem non sustinebit solicitudinem, & molestiam: qui sibi ambitum interdixit, fortè non assequetur magnatum gratiam, sed effugiet plurium inuidiam: qui renuntiauit voluptatibus, anxijs se exemit dolotibus. Conferenda sunt lucra, & dispendia, nec solùm cogitandum de dubio incremento, sed etiam de certo iacturæ incommodo. Superuacua sunt multa, sine quibus transigi potest vita, & cum quibus nequit vitari molestia. Vt te virtuti præpares, cliuus frangendus est; si te vitijs dederis, per scopulos, & asperrima montium iuga incedendum, prope est virtus, & cuique ad manum. Audi Tertullianum *cap. 2. ad Martyras* labores à virtute exortoscum laboribus à vitijs pullulantibus conferentem: [Segregati estis à mundo. Si enim recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse vos è carcere, quàm in carcerem introijsse, intelligemus. Maiores tenebras habet mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt.] Qui oblongo, prolixoque fune illigati, etsi gressum explicent, non sunt liberi, rerum nomina nobis imponunt; fel, quantumuis vocitetur fauus, amaritudinem suam seruat; fauus etsi æstimetur fel, suam habet dulcedinem. Plures ad Dauidis vmbram se receperunt angustia afflicti, & alieno ære oppressi: *Conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum Princeps.* Fortasse dices hos à prudentia defecisse, & ipso laborasse remedio; nam Dauid tunc antris delitescebat: *Fugit in speluncam Odollam*, & campis exerrabat, victus erat satis angustus, & inconditus: ergo hoc non erat angustiam fugere, sed angere. Cur ergo, dum quærunt commoda, sibi solicitent detrimenta? Immò fugiunt detrimenta, inquit Lira, & magna assequuntur lucra: jam enaserunt magnatum tyrannidem, jam diuitum oppressionem, jam infamem seruitutem. Liram audi: [Conuenerunt ad eum, qui erant in angustia constituti propter debita quæ non poterant soluere, vel propter inimicos quibus non poterant resistere, vel quia erant in Saulis persecutione, vel alia huiusmodi causa.] Expenderunt fideli trutina queis apud sæculum laboribus premerentur, & quos Dauidi inseruientes sustinere opus erat, & licet non ignorarent apud Dauidem casulis habitandum, angusta mensa, & insipido cibo viuendum, elegerunt internis amaritudinibus liberari, & duris anxietatibus eximi. Internæ conscientiæ morsus cum externis laboribus conferentes decreuerunt vti prudentes se ipsis apud Dauidem frui, quia aliter se ipsis experti fuerant carere. Sponsus, vt felicita

felicitatem ſponſæ deprædicet, tonſis capris
Cant. 4. v. 1. comparat: *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.* Et quidem non videbatur magna fortuna capris, eiſque detonſis aſſimilari, quandoquidem capræ montium receſſibus vagæ, & agreſti cibo innutritæ, cur ergo ſponſæ eis in animalibus depingatur felicitas? Quia eiuſmodi capræ (inquit Ambroſius) à luporum rictu liberæ, & ab onere prorſus exemptæ; ſolitudinis horrorem patiuntur, ſed tranquillitate, & ſecuritate oblectantur; carent vellere, ſed etiam onere. *Expectantur* (verba ſunt Ambroſij hic *in collectis*) *à paſtoribus ſuis dumoſa de rupe pendentes, vbi luporum incurſus eſſe non poſſunt.* Subiicit: *Sicut capræ bonis refectæ cibis, & ſolis calore vernantes lauantur in flumine, & exultantes mundæ ſurgunt de flumine; ita animæ iuſtorum.* Iuſti moleſtias compenſant ſecuritate, & licèt paupertate diuexentur, à lupis nullatenùs dilaniantur: *Vbi luporum incurſus eſſe non poſſunt.* Etſi, qui confugerant ad Dauidem, externis incommodis premerentur, ab internis anxietatibus eximebantur: ergò maluerunt exteriùs premi, quàm interiùs dilaniari.

§. IX.

Cordis ob peccata amaritudo Dei ſortitur patrocinium, & verum mutatur in gaudium.

Pœnitentia. Patrocinium. Gaudium.

Bona conſcientia (aiebat Seneca *epiſtola quadrageſima tertia*) *turbam aduocat, mala etiam in ſolitudine anxia, atque ſolicita eſt: Si honeſta ſunt, quæ facis, omnes ſciant: Si turpia, quid refert neminem ſcire, cùm tu ſcias. O te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem!* Mala conſcientia non ſolùm teſtis, ſed carnifex eſt: huius tormentum plures ſunt, qui malint ſopire, quàm vitare, ſed deſipiunt, & ab optato fine recedunt: illis idem quod labyrintho incluſis, non contingit, deſiderant exitum, ſed maioribus laqueis implicantur, & impedimentis cœcioribus præpediuntur. Vis ad ſalutem peruenire, & vera libertate gaudere? veræ pœnitudinis pharmacum accipe, ea ipſa doloris amaritudo ſalubris eſt, ipſa anxietas ad Chriſtum ducit, & quem offenſum doles, ipſo dolore tibi patronum acquiris. Ad Dauidem Chriſti Domini vmbram conuolarunt plures amaro animo, & anxio ſpiritu: *Conuenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo.* Quid tunc? *Factus eſt eorum Princeps*, id eſt, promiſit patrocinium, & circa eorum ſalutem ſtudium. Prodeſt Rabannus apud Gloſſam: *Neceſſe eſt, vt tales in amaritudine animi pœnitentiam agant, & Dauid veniant, id eſt, ad Chriſtum cunctis gentibus deſideratum, vt fiat eorum Princeps.* Conſulat Abulenſis *quæſtione tertia. Factus eſt eorum Princeps, id eſt, ſuſcepit omnes iſtos in principatu ſuo, ſpondens illis, quòd defenderet eos quantum poſſet.* O exambiendam cordis amaritudinem, quæ talem ſibi defenſorem comparauit? Ecce Dauid nullum eiuſmodi reſpuit; omnes admiſit, & licèt peccatorum anteà exiterit aduerſarius, poſt amaram pœnitudinem iam patronus. Sponſa ſponſum abegit lectuli deliciis illecta, ne, ſi aſſurgeret, aliquod ſubiret incommodum, aut amitteret oblectamentum; verùm pleniùs à ſomno expergefacta conſcientiæ ſenſit ſtimulos, immò cruciatus. Quid tunc? Amaram recurrit ad myrrham: *Manus meæ* Cant. 5. v. 5. *ſtillauerunt myrrham.* Et quid proderit myrrha, vt exaſperatum ſponſum & inuenerit, & placarit? Iam ipſa refert: *Tenui eum.* Non fuit opus aquilinas pennas aſſumere, & inuolare. Citò ſponſum inuenit, quæ ad myrrham confugit, & hac arte ſic eum attraxit, & deliniuit, vt iam ſibi gratulata proferat: *Ego di-* Cant. 6. v. 2. *lecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.* Rupertus hîc apud Gloſſam pœnitudinis myrrham ait & eſſe pretioſam, & probatiſſimam. *Hæc myrrha* (inquit) *vtique probatiſſima, id eſt, pretioſiſſima eſt.* Illecebrarum mortificatio, culparum dolor, quidquid inquinauerat culpa, expungit, & abradit: ergo ſponſa myrrha placuit, & ad ſe ſponſum allexit.

§. X.

Imprudenter ambitur ſplendens pompa, cùm eſſe ſoleat grauiſſima ambientis ſarcina.

NOn mutat ſapiens conſilium, omnibus *Pompa. Sarcina.* his manentibus, quæ erant, cùm ſumeret: ideò nunquam pœnitentiam ſubit, quia nihil melius illo tempore potuit decernere, quàm quod ſtatuit, & decreuit. *Quiſquis ſe multum* (aiebat Seneca *epiſtola ſeptuageſima quinta.*) *fortuitis dedit, ingentem ſibi materiam perturbationis, & inexplicabilem fecit: vna hæc via eſt ad tuta vadenti, & externa deſpicere, & honeſto contentum eſſe.* Si homines quid eorum ſtatus, & conditio ferat, prudenter expenderent, non ſe tantis ſarcinis prægrauarent; aſt dum nitidiorem affectant pompam, dum copioſam oſtentare geſtiunt familiam, dum ſplendidam exoptant menſam, ære alieno ingemiſcunt prægrauati, & magnis vndique anguſtiis conſtricti. Opus fuit pluribus ad Dauid ſe recipere, & ſolitudinibus exerrare: *Conuenerunt ad eum omnes qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo: & factus eſt eorum Princeps, fueruntque cum eo quaſi quadringenti viri.* Si quæras, cur exularint, & ſe ab hominum conſpectu ſubduxerint? Reſpondebit Hugo, alieno auro tantiſper micuiſſe, & ſuperflua pompa radiaſſe. Creditorem arbitrabantur decipere, nec attendebant opus fore ære alieno oppreſſos exulare. Si ſe eum ſtatu fuiſſent metiti, non aufferent timoribus agitati. *Fortè* (inquit Hugo) *malè fecerunt creditores decipiendo.* Deceperunt creditores, vt nitidiùs fulgerent, ſed illis fuit opus domos, & familias deſerere, & latebras habitare: verùm, vt horum imprudentia nobis eſt pro cautela; ſic Prudentia Dauidis eſt pro Doctrina. Cùm omnes, qui erant in anguſtia, & oppreſſi ære alieno, ad eum conuenerint, circiter quadringentos ſolùm admiſit: *Fueruntque cum eo quaſi quadringenti viri.* Et cur non plures? Quia, & ſi plures quotidiè inuolarent (inquit Abulenſis, *quæſtione quinta*) & imminentia pericula, ad copioſum exercitum inſtruen-

instruendum cogerent, considerauit prudenter sumptus necessarios, & noluit imponere sibi solicitam sarcinam, vt copiosiorem haberet militum copiam. Verba Abulensis sunt: *Plures suscipere, erat supernacua sarcina, & amplior solicitudo ciborum.* Se circumscripsit, & solicitam ob nimiam pompam anxietatem vitauit: quod si plures facerent, tranquilliùs degerent. Cùm discipuli referrent Christo Domino serpentes se pedibus conculcasse, eam virtutem non sibi, sed Deo adscribendam edocuit, & luciferi ruinam commemorauit: *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem: Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes.* Quem fulgur appellarat, serpentem dixit. Notauit Chrysostomus *in Catena Diui Thomæ. Ne putaremus hoc dici de bestiis, subiunxit, & supra omnem virtutem inimici.* Itaque idem est fulgur, & serpens. Sed quid fulguri cum serpente commune? Fulgur splendet, & intuentium oculos splendore perstringit, serpens horridus terram verrit, & corpus trahit: ergo si Sathanas resplenduit fulgur, quomodò serpens proculcatus, & despectus? Ob idipsum, respondet ibi Chrysostomus, fulgur ostentauit euanidam splendorum pompam, vt admirationem sibi faceret, & oculos intuentium alliceret: ergo, quia splendere tantisper præsumpsit, proculcatus terram diu verrit: *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem, id est* (verba sunt Chrysostomi) *à suprema potentia in extremam fragilitatem. Nam ante Saluatoris aduentum subegerat sibi orbem, & ab omnibus colebatur.* Ad miseram conculcationem deuenit, quia supra vires, & statum adorationem ambiuit; caduco, fugacique nitore fulgur resplenduit, sed diu coluber reptauit, & conculcatus ingemuit.

Luc. 10. v. 18.

§. XI.

Militum Princeps eos in officio contineat, nec iniustas prædas permittat agere, aut morum mensuram transilire.

Dux. Miles.

BEnè moratus dux commodiùs ducit penuriam sustinere, quàm per iniqua compendia facultatibus exundare: vitat de militibus venire querelas, quia scit duci imputari, quod non falso rumore de militibus constat audiri: & ideò solicita vigilantia curat vitare, vnde inuidiam, aut querelam posse veretur emergere. *Non permittas* (aiebat Cassiodorus 6. *variarum* 22.) *milites esse possessoribus insolentes. Annonas suas sub moderatione percipiant, causis non misceantur extraneis. Pro securitate se omnium cognoscat lectum, qui se gloriatur habere armatum.* Difficile est milites morum mensuram custodire, sed ob idipsum debet eorum dux maiori solicitudine inuigilare. Dauid quadringentos milites admisit: *Factus est eorum Princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri.* Ea disciplina milites instruxit, vt nullis querelis exhiberent causam, nec iniustam exercerent rapinam. Ita Lira: *Dicendum, quòd non aggregauit eos ad interficiendum innocentes, sicut fecit Abimelech ad interficiendum fratres suos, nec ad deprædandum fideles, quia non legitur populum Israel deprædasse, sed magis bona eorum custodiuisse: sicut habetur infra 25. de Nabal, sed aggregauit eos ad infideles persequendum.* Israelitarum erat commodum sub Dauide adaugeri armatos, quandoquidem ea erant disciplina instructi, vt suos non affligerent, sed Dei aduersarios solùm infestarent. Quàm aliter solet accidere: pro ciuium securitate electi, sunt ciuium pernicies, & indè emanat graue Reipublicæ detrimentum, vndè opportunum sperabatur auxilium. Iudas, vt Dominum traderet, ducis munus obtinuit, ab Apostolo transiuit in ducem, à discipulo in proditorem. Audi Petrum: *Fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum.* Actor. 1. Sub latrone duce quid expectares, nisi iustos v. 16. affligi, & qui solùm, qua tegeretur, habebat sindonem, denudari: *Adolescens quidam* Marc. 14. *sequebatur eum amictus sindone super nudo, &* v. 51. *tenuerunt eum. At ille reiecta sindone nudus profugit ab eis.* Ad aliud mittebantur milites, sed per otium voluerunt adolescentem denudare, & quidquid habebat, subripere. Vt repetere possit Cassiodorus, quod 1. *variarum* 11. *Qui militaribus officiis assueti, ciuilitatem premere dicuntur armati, & ob hoc iustitiæ parere despiciunt, quoniam ad bella Martia semper intendunt.* Quomodò Iudas locum ducis nactus prohiberet iuuenem dispoliari, cùm ipse rapinis marsupium adniteretur implere? Christus ducum forma Petro prohibuit ferocire, & iussit gladium recondere.

§. XII.

Qui in Deum commisit delicta, pro Deo contra aduersarios apprehendet arma.

DIlectio (aiebat Tertullianus *de Patientia, capite decimo secundo*) *summum fidei Sacramentum, Christiani nominis Thesaurus.* Vt qui thesaurum habet, facilè se à debitis, & creditoribus expedit; sic peccator à debitis potest se expedire, si ad charitatis recurrat thesaurum. In Deum aliquando deliquisti, aliorum delicta vero zelo, charitateque cohibe, & vndè solueris, habes. Debebat quidam decem millia talenta, cumque ad solutionem adurgeretur, tempus sibi dari humiliter postulauit: *Procidens conseruus ille, orabat eum, dicens:* Matth. 18. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi,* v. 26. Et vnde reddet? A proximorum correctione, ab eorum peccatis deletis, aut impeditis. Audi Augustinum *in Catena Diui Thomæ: Quod est pretium eius? Pretium enim venditi, est supplicium damnati.* Vxori, filiisque dura decernebantur supplicia: ergo petit tempus, vt vxorem filiosque corrigat, & indè ait totum se soluturum pretium, si satagat eorum corrigere, aut impedire peccatum. *Humiliatio, & satisfactio peccatoris demonstratur* (inquit Remigius *in Catena*) *dum dicitur, procidens: in hoc verò, quod dicit: Patientiam habe in me, vox exprimitur peccatoris poscentis tempus viuendi, & spatium corrigendi.* Iam confessus, & procidens expunxerat delictum, sed ob delictum manebat debitum, ergo, vt soluat, spatium corrigendi vxorem, filiosque deposcit, & sic debitum omne persoluendum promittit: *Omnia reddam tibi*: Quomodò reddes? Dum non patior filios cupiditatibus venali, dum non sustineo vxorem, vanitatibus inseruire;

seruire ; eorum euitatum erratum, erit mihi ad soluendum pretium : *Vox peccatoris exprimitur poscentis spatium corrigendi.* Dum prudenti correctione vitat familiæ errores, habet, quo se à debitis expediat, & soluat. Si filij, vxorque venderentur, dura paterentur supplicia : ergo dum venditionem satagit impedire, iam copiosum sibi habet pretium, quo possit à reatibus liberari. Qui ære alieno oppressi, Dauidi dant nomina, vt Martia tendant ad bella : *Conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno.* In ære. Interlinearis peccata intelligit : *Ære alieno peccatorum.* Dum conueniunt, vt pro Dauide militent, & aduersarios fœlici eius iugò premant, iam debita soluunt, & cordis amaritudine, quæ perpetrarant, expungunt. Audi Litam : *Aggregauit eos ad infideles persequendos.* Dum ad Dauidis imperium infideles, & peccatores felici persecutione adducunt, dum tetras eorum luce veritatis tenebras abigunt, iam pro se soluunt. Est enim charitas Christiani thesaurus, & quidem opulentus, quo contracta ob admissum peccatum debita exsoluat, & chirographa deleat. Petrus negando deliquerat, cumque è lutuosis vndis Christus Dominus educi pisces iuberet, vt educeret, celeriter inuolauit : *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram.* Ad quæ Gregorius *in Catena* : *Pisces ad solidit atem littoris pertrahit, quia stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit. Hoc egit verbis, hoc epistolis.* Dum peccatores conuertit, dum cœcis lumen refundit, iam, quod amiserat, diluit.

Ioan. 21. v. 11.

TEXTVS.

VERS. III. Et profectus est Dauid indè in Maspha, quæ est Moab, & dixit ad Regem Moab: Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus.

§. XIII.

Parentibus, præcipuè longæuis, satagat prouidere, qui cupit vitam producere, & pericula frustrare.

Parens. Vita.

QVi parentibus prouidit, sibi consuluit. Æneas per medios hostes patrem humeris detulit, arbitratus ea se pia sarcina non tardari ; immò pericula certiùs eludere. Audi Senecam 3. *de Beneficiis cap.* 37. *Vicit Æneas patrem, ipse eius in infantia leue, tutumque gestamen, grauem senio per media hostium agmina, & per cadentis circa se vrbis ruinas ferens, cùm complexus sacra ac Penates Deos, tulit illum per ignes. Et quid non pietas potest ?* Pater secum ferebat Deum, Æneas Deum, & patrem. Et quomodò Deum secum non ferret, qui eximiè adeò inseruiebat pietati ? Ardentes flammas non est veritus, quia de patre erat solicitus, nec eam sarcinam putauit salutis, aut libertatis impedimentum, sed ad vtrumque potiùs auxilium. Dauid etiam magnis discriminibus pressus, circa parentes senes dilaudatur solicitus : *Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiscum.* Dubia ipse tractabat certamina, vtque se obarmaret contra pericula, pia erga parentes ostendit vota. Notauit Glossa Moralis : *Per hoc, quod Dauid fugitiuus, & in periculo sui corporis, & eorum, qui erant secum, ante omnia quæsiuit parentibus suis securitatem mansionis, ostendit per hoc factum, quantum de parentibus sit curandum.* Vbi parentibus prouidit, sui Deum tutorem inuenit. Ibi namque Gad Propheta Dauidis egit tutelam, &, vt periculum imminens euaderet, maturam consuluit fugam : *Dixit Gad Propheta ad Dauid : Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda.* Quàm celeriter pietas præmium consecuta est. Dauid parentum egit curam, & Deus, qui eum à periculis eximeret, misit Prophetam. Prodest Abulensis *quæst.* 6. *Rex Moab tractabat tunc tradere Dauid in manus Saulis.* Erga parentes pietatem coluit, & statim Dei patrocinium promeruit. Cùm feruentia bella Sodomitarum regionem infestassent, & omnia secum tulissent, Melchisedech refertur ab illa calamitate exemptus, & rebus ad alendam vitam necessariis copiosus : *Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei.* Et cur generalis adeò calamitas Melchisedechum non tetigit ? Cur cæteris Regibus sub iugo gementibus ipse mansit imperturbatus ? Iam reddit rationem Lira : *Melchisedech erat Sem primogenitus filius Noe, qui adhuc viuebat.* Sed inquires iterum : Quid conduxerit esse Sem, vt tam longa vita vteretur sacerdotio ornatus, pane copiosus, & regno firmus ? Consule *cap. Genes.* 9. & inuenies parentis nuditatem texisse : *Sem, & Iapheth pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui.* Qui, vt patris nuditatem tegeret, se pallio nudauit, ab hostibus non est captus, & longissima vita est vsus. Alacrior erit pietas, (aiebat Seneca iam datus *cap.* 36.) *si ad reddenda beneficia cum vincendi spe venerit ... Et quid non pietas poterit ?*

Genes. 14. v. 18.

Genes. 9. v. 23.

TEXTVS.

VERS. IV. Et reliquit eos ante faciem Regis Moab, manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus Dauid fuit in præsidio.

§. XIV.

Dignum maiestate est nobilibus senibus prouidere, & alimenta præstare.

Princeps. Nobilis. Senex. Alimentum.

DEcor maiestatis est protectionis vmbram extendere, & calamitosis nobilibus subuenire. Quod à Principe datum, sine rubore inuenitur receptum, & quod piis distributionibus impenditur, largitoris famæ applicatur. Quàm est gloriosum nobilitatis splendorem à mendicitatis dedecore liberare, & liberando æternam sibi famam conquirere ? Extat Regis Moab memoria, quia ingenuis, & nobilibus Dauidis parentibus ab eo & alimonia vitæ exhibita, & protectionis tutela. *Quoniam nobis* (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 22.) *in maiore summa sunt quærenda, quæ diximus, tot solidos etiam de arca nostra transmisimus, vt res necessariæ sine vestro dispendio vberrimè debeant congregari.* Dum subuenit inopiæ nobilium auro, creuit elogio. Dauid parentes nobilissimos, &

senio prægranatos, nec secum poterat ducere, nec absens faciliter prouidere : ergo Moab Princeps eos benignè excepit, & liberaliter aluit: *Reliquit eos ante faciem Regis Moab, manseruntque apud eum.* Extranei erant, sed nobiles: ergo Rex Moab in suam tutelam suscepit, & aluit. *Rex Moab* (inquit Abulensis *quæst.* 8.) *libenter hoc suscepit.* Maluit cordatus Rex in nobilibus alendis impendere, quàm in alendis feris, & parasitis aurum profundere. Cùm Noemi nobili Iudæ stirpe prognata, & senectute confecta ad propria redirct, eamque Orpha, & Ruth comitarentur, eis persuasit, vt ad sua remearent: *Reuertimini filiæ meæ, & abite. Iam enim senectute confecta sum.* Orpha reuersa est; Ruth verò passa non est relinquere solatio destitutam, & afflictionibus plenam: *Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, si non sola mors me, & te separauerit.* Si inquiras, cur Ruth nobilem vetulam noluerit deserere, & cur propria industria studuerit ad vitam alendam necessaria præstare, respondebunt nonnulli regio sanguine fuisse exortam, immò & Regis filiam: ergo probro duxit solatium denegare, & nobilem fœminam non fouere. Audi Liram Hebræorum sententiam referentem *ad hoc* 1. *Reg.* 22. *Dicunt Ruth fuisse filiam Regis Moab.* Non fero de hac opinione sententiam, sed ea vtor ad thesim stabiliendam. Regius sanguis, qui in Ruth venis emicabat, passus non est peregrinam vetulam quantumuis socrum deserere, & opem, quam præstare poterat, denegare. Hæc laudanda exempla imitentur Principes, & magnates, auctoritati, splendorique ducant nobiles inopia laborantes subleuare, & peregrinos fouere.

Ruth. 1. 4. 12.

§. XV.

Prudentia est inualidis misericordiam impendere, ob quam possis magna lucra rationabiliter sperare.

Eleemosyna. Lucrum.

QVid ergo est (aiebat Seneca *epist.* 44.) *in quo erratur, cùm omnes beatam vitam optent.* Iam respondet: *Quòd instrumenta eius pro ipsa habent.* Negotiatio est fœcundæ terræ granum committere, ex qua possis spicam legere. Erraret, qui auarè grana retineret, ex quibus vberrima segetum copia potest oriri. Pecunia felicitatis est instrumentum, sed plures pro felicitate habent, & sibi inuident, dum eam detinent. Prudens, & benè politicus non solùm attendit, quid expendat, sed quantum expendendo honestis lucris acquirat. Moabita Dauidis parentes, & propinquos aluit: *Reliquit eos ante faciem Regis Moab, manseruntque apud eum cunctis diebus*: Et cur Moabita peregrinos benignè suscipiat, & extorres alat? Quia politicus à Dauide, quem futurum non ignorabat Regem, sperabat ob exigua illa suis præstita impendia, & reddendam diuitiarum copiam, & eius ineundam gratiam. Ita Abulensis *quæst.* 8. *Rex Moab libenter hoc suscepit, quia putauit Dauid futurum esse Regem, vel magnum virum, qui ei posset rependere vicem pro his.* Exiguis sumptibus futuri Regis fauorem sibi voluit comparare, & grana aliqua in magnam processura segetem misericorditer serere. Aulici, politicique, dum opem conferunt, ad incrementa oculos extendunt: fauent, sed quia sperant; opem ferunt, sed quia fortunam mutandam præsumunt; verùm siue humanis spebus ductus, siue honestate, & pietate motus, Moabita factis edocuit negotiationem esse Regis comparare gratiam, & ad opportunum tempus prouidere sibi fortunam. Rhaab Iosue exploratores fame pressos, & periculis cinctos & abscondit, & aluit: *Tollens mulier viros abscondit.* Cur tantam in eos misericordiam fecerit, scisciantur Interpretes, asseruntque præuidisse iam Iosue ad totius illius regionis dominium peruenturum, voluisseque misericordia exploratoribus impensa futuram sibi incolumitatem emere, & exiguo impendio ingentissimum sibi lucrum acquirere. Præuidebat Rhaab omnia sua citissimè peritura, &, vt prudens, quo cætera redimeret, aliqua in Iosue seruulos laudabiliter collocauit, & ingenti fœnore aucta recepit: *Noui, quòd Dominus tradiderit vobis terram.* Illud, *Tradiderit*, Hebræorum more idem valet, quòd, tradet. Ita Lira: *Loquitur de futuro per modum præteriti propter certitudinem suæ fidei, quia tenebat ita certum, acsi iam esset factum.* Ita secum ratiocinabatur mulier: Omnia, quæ possideo, citissimè à me recessura sunt, & in alterius potestatem deuentura, modò opportuna occasio adest, vt in alendis Iosuæ famulis quid expendam: ergo negotiatio est exhibitis obsequiis, & benè collocatis beneficiis Regem futurum mihi obstringere: beneuolentiamque conciliare: ergo abscondam, protegam, alam. Vides eximiam huius mulieris dilaudari prudentiam. Ad futura considerationem extendit, & iam labentia prouidenti sagacitate retinuit, & ne in alienas deueniret manus, firmauit.

Iosue 2. 4.

TEXTVS.

VERS. V. Dixitque Gad Propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda. Et profectus est Dauid, & venit in saltum Haret.

§. XVI.

Ex Deo est, si eligas pericula, & incommodis afflictari, vt à peccatis proximos possis eruere.

PErfecta charitas (aiebat Ioannes) *foras mittit timorem.* Charitas tribulationem, & periculum non abigit, sed inertem afflictionis, & periculi timorem expungit. Pudet ob animarum lucrum timere, quæ cœca hominum cupiditas, & ambitio exoculatè solet adire. Montium viscera perquiruntur; intratur beneficio artis in penetrale telluris, & in thesauris suis natura locupiles inquietatur, vt amori, & diuitiarum cupiditati aduletur. Audi Cassiodorum 9. *variar.* 3. *Talpinum animal imitantes itinera fodiunt, quæ nullis ante patuerunt. Sic ambitio nihil relinquit absconditum, nec vbi interdum sustinere possit, extremum.* Non ignorant homines in dignitatum, diuitiarumque inquisitione subeunda pericula, & perpetienda ingentissima incommoda; verùm talpinus amor foras mittit timorem, & alacriter aditur, quod cœcis difficultatibus implicatur: ergo fas erat, vt vera charitas, & honesta animarum cupiditas humana non vinceretur auiditate,

1 Ioann. 4. v. 18. Proximus. Zelus. Labor.

Talpinum animal imitantes itinera fodiunt, quæ nullis ante patuerunt. Sic ambitio nihil relinquit absconditum, nec vbi interdum sustinere possit, extremum.

tate, nec præpediretur terrore. Dauid, cùm à Rege Moab honorificè fuisset exceptus, generoseque alitus, curiam deseruit, & in saltum properauit: *Profectus est Dauid, & venit in saltum.* Et cur carniuoris saltum feris, sæuisque animalibus inhabitatum deligat, & curiæ commoditates relinquat? Quia, vt suos à peccatis eriperet, incommoda saltus despexit. Si inter idololatras socij manerent, periculum fors animarum subirent, & ad errorem consimilem errantium turba alliceret, aut impelleret: ergo Dauid cœlesti spiritu afflatus, & à Propheta Gad monitus curiam cum saltu commutauit, & vera charitate resplenduit. *Factum fuit* (inquit Lira) *ne viri, qui erant cum Dauid, quorum aliqui non erant multum stabiles in fide propter debita, & tribulationes, in quibus erant, declinarent ad idololatriam, si diu manerent in terra idololatriæ subdita.* Si Dauid saltus inhabitet, patietur incommoda, sed animarum vitabit pericula: ergo à Deo edoctus, vt vitarit animarum pericula, dura est amplexus incommoda. A sole exulat, curiæ relinquit gaudia, cum feris in saltu certamen non timet, quia vera charitate omnem timorem excusserat, & animarum zelo difficultates omnes vorarat. Hinc laudandi veniunt plurimi religiosi viri, qui cum quirent suis in cœnobiis, & collegiis tranquillè degere, eligunt ad Indos, barbarosque magna subituri corporis incommoda proficisci, immò exambiunt vitæ pericula, vt destruxerint vana idola, ferasque humanas in oues iam commutatas ad secura veri pastus reducant tuta ouilia, & salubria pascua. Cùm Apostoli Christo Domino in memoriam periculum reduxerunt, ne ad Lazarum excitandum tenderet, charitatem eius commendarunt. Lazarus peccatoris personam gerens vinculis tenebatur constrictus; & graueolenti scelerum sanie tabidus. Profectionem Christus parat: *Eamus in Iudæam iterum*: Accurrunt discipuli, & duram lapidum grandinationem repetendam opponunt: *Nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Acsi dicant: Hic periculis non cingimur, nec cum calamitatibus obluctamur. Iudæam ingressi, renouabuntur odia, & pericula. Quid ergo tendis? Iam respondet: Vado, vt à somno excitem eum. Acsi dicat: Quibus putatis me periculis retardandum, calcar iniicitis, hîc furor commodis, sed ibi eruam animam à peccatis: ergo tendam, & vincula rumpam. *Redeundo* (inquit Augustinus *in Catena Diui Thomæ*) *quasi oblitus infirmitatem, ostendit potestatem.* Vt animam peccatorum onere pressam luci restitueret, vitæ pericula contemnere edocuit, & Apostolis suo exemplo honesta adeò exambire lucra suasit.

Ioan. 11. v. 7.

§. XVII.

Tutius aliquando est in saltibus inter feras degere, quàm cum fraudulentis aulicis conuersari.

Aula. Fraus. Ira.

HOmo, præcipuè palatinus, & aulicus, oculis apparet vnus, sed reuerà multiplex inuenitur, & varius. Nihil in ambitiosis inuenitur sincerum, quidquid exteriùs nitet, interiùs astuta sordet calliditate vitiatum, & dolosa fraude mentitum. Dum exteriùs exhibent studiosiùs officia, pericula extruunt viuidiùs. Si aliqua spes vtilitatis effulgeat, deponent, quam assumpserant, laruam, & ad partem transibunt aduersam. Ad rem Zeno *serm. 4. de Genesi*: *Habemus planè, & quidem manifesta ex eo ipso, quod non est portantibus nota. Incomprehensibilis enim Dei imago inuisibilis sit, necesse est.* Homo ad Dei imaginem conditus eam in Paradiso nullatenus adulteratam gestabat; ast dum ambitiosus, & cupidus, candorem infuscauit, & non bonam quasi incomprehensibilitatem retinuit, pro temporum occasione vultus demutat, & quem existimabas benevolum, & amicum, cupiditatis, ambitionisque magia experieris mutatum. Dauid ad Regem Moab se contulit, à quo honorificè exceptus, & familiari alloquio honoratus: *Profectus est Dauid indè in Maspha, quæ est Moab, & dixit ad Regem Moab: Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus.* Annuit lubentissimè Rex, & generosa liberalitate exorantis vicit desiderium, nec solùm promisit parentibus alimenta, sed Dauidi præsidia: *Et reliquit eos ante faciem Regis Moab: manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus Dauid fuit in præsidio.* Hoc rerum statu cum Dauid se tutum arbitraretur, à Dei Propheta admonitus, profugit in saltum: *Dixit Gad Propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda. Et profectus est Dauid, & venit in saltum Haret.* Quærunt Patres subitæ adeò mutationis causam, quando prudens non videbatur consilium relinquere tuta castra, & ad ferarum inuolare latibula. Cur ergo curiam cum saltu commutauit? Quia, licèt Naas initio benignè exceperit; posteà cogitauit opportunam sibi adesse occasionem, qua sibi vtilissimam Saulis promereri posset gratiam, & Philisthinorum conciliare benevolentiam. Si effusi à Dauide sanguinis exoptatam expetiuerit vindictam, & expiarit, qua denigrabantur offensam; ergo decreuit occidere, aut tradere; & quidem Dauid incautus periisset, nisi præmatura Prophetæ admonitione ad securiora inuolasset. Audi nostrum Sancium: *Potuit occiso, seu prodito Dauide aliquid gratiæ inire à Saule, quorum intererat plurimi fœdus pacisci sociale; potuit euitare inuidiam, & odium, quod recepto supplice in suum caput à Rege potente, atque furioso excitare poterat.* Initio decreuit Princeps ille Dauidem protegere, sed citò siue cupiditate, siue ambitione sententiam demutauit, & tradere, aut occidere decreuit. Nam politici vtilitatem solùm attendunt, & varios pro tempore vultus assumunt. Christus Dominus de Herode loquens aiebat: *Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eiicio dæmonia.* Vulpes animal incertum, & varium, versutiis, & dolis plenum: ergo palatinos vulpinas artes imitari prædixit, & eorum non fidendum obsequiis, promissisque edocuit. *Scite respondet, dicens* (verba sunt Euthymij hic.) *Ite, & dicite vulpi illi, hoc est, dolo, morumque difficultate.* Nescies certos mores, quia versipelles, dolos non comprehendes, quia multiplices. Huc voco, quod aiebat Zeno *serm. de liuore*: *In profundo cordis odium tegit, in labiorum verò superficie coloratam dulcedinem profert.* Quid verius?

Luc. 13. v. 32.

§. XVIII.

Persecutio ob virtutem magni æstimanda, & commodis præferenda.

Persecutio. Virtus. Epist. Iac. 1. v. 4.

PAtientia *opus perfectum habet* (aiebat sanctus Iacobus) *vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.* Persecutio, dum edocet tolerantiam, virtutum perficit summam; Nec minus resplendet virtus miracula operando, quàm labores æquanimiter sufferendo. Vndè Christus Dominus aiebat: *Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio, hodie & cras, & tertia die consummor.* Luc. 13. v. 32. Dominus omni erat virtutum perfectione consummatus; verùm, vt patientiæ, persecutionisque ob virtutem latæ valorem ostenderet, eam virtutum decus, & veluti apicem appellauit, non charitati, quid de primatu detrahens: sed patientiæ excellentiam demonstrans, quasi ad speciem non adeò consummatus, & perfectus apparet miracula patrando, quàm persecutiones æquanimiter sustinendo. Ita Chrysostomus *in Catena*: *Hoc se promittit operaturum, quod Iudæis displicebat, scilicèt, quod immundis imperaret spiritibus, & eriperet à morbis infirmantes, vsque dum propria sponte sustineret crucis patibulum.* Itaque miracula patientia resplenduerunt consummata, & persecutionum tolerantia perfecta. Ob id Propheta Dauidem admonet in Moab non remanere, sed in Iudæam transilire: *Proficiscere, & vade in terram Iuda.* Caietanus sic legit: *Vade, & egredere tibi, hoc est, ad bonum tuum.* Si rerum solùm superficiem inspicias, nec sanum censebis consilium, nec ex profectione aliquod Dauidis commodum. In Moab manebat regia liberalitate altus, tranquillitate intrepida vsus; in Iudæa, vt probauit euentus, multis periculis cinctus, & persecutionibus dinexatus. Quomodò ergo ad eius bonum erat transmigratio? Ob id ipsum, inquit Hugo, ea in regione vtebatur commodis, in Iudæam commigrans adurgendus erat periculis, sed vtiliora erant salutis pericula, quàm pollnta in tellure virtutis imminentia detrimenta; ergo saltus, & syluas adeat, vt ob virtutem duros labores sustineat. *Ecce Dauid, cùm esset in pace in terra polluta, iubetur ire in terram Iudæ, vt persecutionem sustineat.* Satius erat persecutionibus angi, quàm terra illa pollui, & conducibilior erat tranquillitate patientia: ergo à Deo, qui Dauidis augmenta curabat, iubetur in Iudæam transire, vbi posset patientia in persecutionibus ferendis emicare. Quid enim mirabilius, quàm homo cum aduersa fortuna compositus, & inter percellosos vorticum adsultus firmus? Ad bonum suum Dauid reliquit pollutam terram, & iners otium cum luctamine commutauit. In persecutionibus tolerantiæ erat grande emolumentum, & ingens lucrum. Vt noueris quantam virtutum segetem secum afferat persecutio patienter lata, & inuicta constantia sustenta.

§. XIX.

Periculosior aliquando est incauta tranquillitas, quàm cauta aduersitas.

Tranquillitas. Aduersitas, SÆpè incauta securitas periculum creat, & aduersitas cauta aduersariorum insidias frustrat. Qui in hostili regione versatur, oculos circumfert, & dum solicitè sibi prouidet, tutus euadit. Qui securus ad speciem omnem solicitudinem manumittit, inopinè passus insidias corruit. *Ad omnem fortuitum bonum* (aiebat Seneca epist. 8.) *suspicios, pauidique subsistite.* Non euertit aduersa fortuna, quod solicita tuetur cautela, & sæpè nocuit sine cautela bona fortuna. Degebat Dauid inter Moabitas ad speciem tutus, & à Saulis insidiis tectus, & tamen Deus eum admonet solum vertere, & ad inimici regionem transire: *Noli manere in præsidio: proficiscere, & vade in terram Iuda.* Cùm à cœlesti prouidentia hoc descenderit consilium, & saluti Dauidis prouiderit cœlum, quærunt Interpretes, cur iusserit ad inimici regnum transire, & Moab ditionem desertare? Si Moab benignè excepit; si Saul insidias, & pericula struere non finit, in Moab deget tutior, & ab hostilibus machinamentis remotior. Cur ergo vt tutior viuat, adibit discriminibus scatentem, & tranquillam desertabit tellurem? Quia in terra Moab (respondet Abulensis) Dauid se tutum ratus, sibi non prouidebat solicitus; in terra Iuda palpitantibus præcordiis viuens, & periculis semper cinctus, inuigilabat cautus, & prouidus: ergo tutior erat, vbi periculum solicitudine frustrabatur, quàm vbi ignaua, securitate tectum non præuidebat periculum. Audi Abulensem *quæst.* 10. *Fortassè Rex Moab sciens Dauid esse inimicum Saulis, cogitabat qualiter traderet eum in manus Saulis, vt per hoc efficeretur nimis amicus illius. Dauid autem nihil horum suspicabatur, cùm Rex Moab benevolum affectum ei monstraret, & sic incautus teneri potuisset, & tradi Sauli, ideò Deus monet eum, vt indè recederet ad terram, in qua prius fuerat Dauid, eò quòd ibi non posset ita incautus tradi Sauli, eò quòd ibi timeret nimis; quia erat in manus Israelitarum, circumspiceret omnia, ne posset tradi Sauli.* In terra Iuda ipsum periculum vrgebat ad solicitam curam, & vigilantissimam prouidentiam in terra Moab falsa securitas improuidam suadebat ignauiam, & somnolentam inertiam: ergo transmigret in Iudæam, quia securior erit in periculo prouidus, quàm falsa securitate delusus. Vidi aliquos firmam salutem arbitratos incautè perire, aliosque quotidiè mortem veritos, & variis morbis afflictatos diu durare; nam hi ab omni excessu præcauent, & sibi studiosissimè prouident, cùm illi ad tectas insidias cœci disperierint incauti, quia falsa securitate delusi. Quod de salute dicitur, etiam morbus adaptatur. Elias magno in periculo versatur à Iezabel morti decretus, & rabido furore impetitus, nec video adesse ei Angelum, vt ab vrgentissimo discrimine eripiat, quousque somno corripitur, & otio traditur. Dormientem excitat, & velocem arripere fugam suadet: *Grandis tibi restat via.* 3. Reg. 19. v. 7. Profectò in deserto inutile videri potuit Angeli studium; in curia, vt à cœca potentia erueret, videbatur necessarium. Cur ergo periculoso non præbet aspectum, & dormientis inquietat somnum? Iam Textus retulit. Vbi Elias aduertit se periculis proximum, & timuit, & fugit: *Timuit ergo Elias, & surgens abiit.* Vbi iam sibi de securitate blanditur, obtorpuit, & obdormiuit: ergo Angelus adstitit dormienti, quia maiori ope indigebat malè securus, quàm benè prouidus, & solicitus. Non dubites aliquos ipso in periculo ob solicitudinem securiores degere, & falsa securitate obdormientes plus periculis propinquare. *Obdormiuit in umbra* (inquit

(inquit Glossa Moralis) *tepor enim aliquando nominatur in Scriptura sopor.* Itaque Elias in se nostros mores referens tepebat, quia se securum putabat: ergo Angelus, qui visibiliter non adstiterat solicito, vt custodiret, adstitit tepido.

§. XX.

Securior inter pericula vives obedientiæ tectus, quàm in tranquillitate tuo arbitrio ductus.

Obedientia. Arbitrium. Periculum.

OBedientia cœlestis est armatura, quam ipsa pericula pertimescunt, & fugiunt. Qui obedientia ducitur, quæ vrgere videbantur, eludit, vt qui proprio arbitrio ducitur, solet in pericula cœca impingere. Petrus cum sæua tempestate colluctatus manum inuenit, qua periculum eluderet: *Iesus extendens manum, apprehendit eum.* In Principis domo naufragium subiuit: *Iterum negauit cum iuramento.* Nonne vides Petrum in solo naufragum, in salo securum? Et cur ibi eum pelagus timet, & in palatio minister audet? Quia pelagus obediens ingressus est: *Iube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni.* Iniussus suo arbitrio adiuit palatium: *Petrus stabat ad ostium foris.* Vbi suo arbitrio ductus se existimabat securum, naufragium fecit, vbi iussus intrauit pelagum, auxiliatricem inuenit manum, qua naufragium vicit. Vt repetat Zeno *lib. 3. serm. 10. Petrus æstu marino fertur non naufragus, sed viator.* Inter sæuas acriùs adspirantium ventorum procellas, inter contra se rixantium confusorum voluminum pugnas fertur non naufragus, sed viator, quia æquoris æstum intrauit iussus: at vbi propria voluntate, & consilio ductus, miserè redditur naufragus; nam securior degit inter pericula obsequens, quia diuino auxilio tectus, quàm arbitrio proprio relictus. Dauid, vt nomine Dei Prophetæ transmigrationem imperanti obediat; Moab tranquillam reliquit, & Iuda terram periculis scatentem intrauit: *Dixit Gad Propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda.* Et cur relinquat ad speciem tuta, & adeat periculosa? Quia tutior erat obedientia tectus inter periculosa, quàm suo consilio inter ad speciem tuta. Ita etsi ex aliena sententia Abulensis *quæst. 11. Melius erat Dauid esse in terra Iuda, quàm in terra Moab: ipse prius sine consilio Dei iuerat in terram Moab, nunc autem ex mandato eius reductus est in terram Israel.* Vt §. *præcedenti* habes, Rex Moab speciosas disponebat insidias, quas Dauid subiret incautus; in terra Israel insidias elusit, quia Dei auxilio protectus. Vt noueris, quàm sit certum securiora esse Dei obedientiæ pericula, quàm proprio consilio fortalitia, & tutamina.

Matth. 14. v. 31. Matth. 26. v. 72.

Ioan. 18. v. 16.

§. XXI.

In Regum curiis rarò inuenitur, qui à periculis arceat, frequentissimè, qui impellat.

Curia. Periculum.

IN vitia (aiebat Seneca *epist. 41.*) *alter alterum trudimus. Quomodò autem ad salutem reuocari possumus, quos nemo retinet, populus impellit.* Neminem dixit Seneca inueniri, qui hominem inter errores stupentem, & periculis propinquantem tutam in viam reducat, cùm sit nemo, qui non impellat; hic ad libidinem proritat; ille ad certaminum insaniam prouocat, & qui ex se modestus, vitia discit aliorum exemplis eruditus. Adinstar miraculi est, si quis alij pericula ostendat, & ad tuta confugere admoneat. In Moab degebat Dauid benignè à Rege acceptus, & liberaliter tractatus; verùm vt politicorum fides infida est. Moabitæ posse aliquod Dauidis proditione, aut cæde acquirere sibi lucrum arbitrati, captiosas insidias disponebant dolosi. Quid tunc? Deus Prophetam mittit, qui structum periculum ostendat, & fugere admoneat: *Dixit Gad Propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio.* Gad tunc repentè aduentasse à Deo missum tradit Abulensis *quæst. 8. Iste Propheta Gad venit de terra Israel ad nuntiandum hæc Dauid, quia Deus misit eum.* Periculum Dauidi ibi imminere habes §. 19. Sed inquirere placet, quid opus fuerit aliunde Prophetam adducere? Nonne in Moab aliquis inueniretur, qui Dauid præmoneret, & à periculis liberaret? O vtilem nobis doctrinam! In Regum curiis inueniuntur plures, qui, vt dicebat Seneca, in discrimina impellant, sed ni à Deo mittatur, non erit, qui periclitantem admoneat, & ad salutem reducat. Ni Deus Prophetam misisset, Dauid laqueos, quos politici, & palatini obtenderant, non vitasset. Vir ille Dei veritatis assertor, & flammarum denuntiator subiisset periculum; ni stupendo miraculo Deus frænasset Principis ausum: *Exaruit manus eius, quam extenderat contra eum.* Nullus fuit, qui à Regis indignatione seruaret; & ni miraculosè tectus, periret occisus. Iam redibat in patriam, cùm senex & fefellit, & reduxit, & leoni violatione præcepti obiecit: *inuenit eum leo in via, & occidit.* Sine miraculo in curia inuenit, qui impelleret ad periculum, & vt vitaret periculum, fuit necessarium miraculum. Prodest Tertullianus *aduersus Psychicos cap. 16. Ab alio mox sene mentito prophetiam temere pastus: secundùm verbum Dei ibidem factum super mensam, non est in paternis sepultus, leonis enim in via occursu prostratus.* Inuenit, qui periculum strueret, non inuenit in via, qui à periculo liberaret.

3. Reg. 13. v. 4.

§. XXII.

Aliundè asserendus est, qui magnatibus veritatem ostendat, & ad salutem vtilia edoceat.

Magnates. Veritas.

FAcilè est rationem sectari, & secundùm naturam viuere. Si esset, qui à fallaciarum concentu auerteret, & vtilem surditatem auribus instillaret; verùm mentiendi certamen est, & ferè omnium studium, quis blandissimè fallat. *Quid est* (aiebat Seneca *epist. 41.*) *quod ab illo* (homine) *ratio hæc exigit? Rem facillimam: Secundùm naturam suam viuere: sed hanc difficilem facit communis insania.* Communis insania à veritate, & ratione priuatos auertit; præcipuè tamen magnatum, Principumque est veluti miserrimum fatum veraci carere, & assentatoribus exundare. Degebat Dauid polluta Moab terra, vbi colebantur simulacra, & inania adorabantur idola, & quamuis ipse ibi etiam inuiolata religione efflоreret, honestius erat in terram Iuda, quæ interpretatur Dei laus, & confessio, inhabitare: ergò aliundè Propheta adducitur,

ducitur, qui à terra illa polluta educat, & ad honeſtiora loca tranſmigrare ſuadeat: *Vade in terram Iuda.* Inuenit Dauid, qui verum ei diceret, ſed à Deo fuit miſſus, & aliundè allatus; & licèt quadringentos haberet milites, eorum nullus, vt tranſmigraret, admonuit, ſed quiſque tacuit. Iam Prophetam aliundè veniſſe tradit Abulenſis *quæſt.* 8. *Iſte Propheta Gad venit de terra Iſrael ad nuntiandum hæc Dauid, quia Deus miſit eum.* Ni aliundè nuntius, & à Deo miſſus aduentaſſet, Dauid veritatem non agnouiſſet. Adeò eſt veritas magnatibus exotica, domeſtica adeò fallacia. Adde, quid eſſe nouum in curia patere veritatem. Sol, vt Ezechiæ obtemperaret, orientem repetiit: *Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole.* Illud, *Ecce*, attentionem monet, & quidem quæ adiecit, non videbantur miranda. Retracto ſole conſequens erat vmbras retrahi. Dicat ergo: Ecce ſolem retorqueam, quod mirandum, & de vmbris taceat; quandoquidem retracto ſole vmbras reuerti non mirum. Ita eſt planè (inquit Abulenſis) ſed cum horologium illud eſſet in regia aula mirandum fuit veritatem non tegere, ſed oculis prodere. Horologium illud erat poſitum in palatio: retrocedentibus vmbris ſolem retroceſſiſſe oſtendebat: ergo ad ſpeciem non tam mirum erat ſolem orientem repetere, quàm palatinum horologium oculos non eludere, aut mira tegere. Audi Abulenſem *ad* 20. *Reg.* 4. *quæſt.* 18. *Dicitur in horologio Achaz, id eſt, quia Achaz fecerat illud, & poſuerat in palatio.* Idem in aliis horologiis accidiſſe tenent ferè omnes Interpretes, ſed ſpecialis de hoc facta fuit mentio, quaſi rarum fuerit cum cœleſti ſole conuenire, nec à vero diſcrepare.

Iſa. 38. v. 8.

phetam imminens ei periculum admonuit, vt his factis nos inſtrueret, edoceretque plures, etſi perſpicacibus oculis videant aliena, cœcutire circa propria, aut quia diſſimulando conſcientiam corrumpunt, aut quia in ſuffragium cupiditatis ignorantiam protendunt. *Non ego ambitioſus ſum* (aiebat quidam apud Senecam *data epiſt.*) *ſed nemo aliter Romæ poteſt viuere. Non ego ſumptuoſus ſum, ſed vrbs ipſa magnas impenſas exigit.* Nos deſpicimus, &, quod peius eſt, ſtudiosè imponimus. Giezi cupiditate inflammatus cucurrit ad mendacia magnatum miniſtris conſueta. A Naaman accepit munus, & noctis caliginem præſtolatus domui ſuæ intulit, & Eliſæi oculis ſe obiecit: *Cùm veniſſet iam veſperi, tulit de manu eorum, & repoſuit in domo.* Et quomodò Giezi adeò deſipiat, vt Eliſæum Syriæ Regis abſtruſiora conſilia prudentem latere poſſe eius facta præſumat? *Indicat Regi Iſrael omnia verba quæcunque locutus fuerit in conclaui ſuo.* Concinnare frandes non timet cùm à Propheta diſtantia adſpici non ignoret? Ecqua huius audaciæ cauſa? Quia licèt imprudenter, exiſtimauit de ſæculi more Eliſæum perſpicacibus oculis tantummodò vti, vt, quæ alienis in domibus agerentur, ſciret, & ad ea, quæ domi, & ab eius familiaribus agerentur, prorſus caligaret. Audi Liram: *Tulit de manu eorum, & repoſuit in domo, ne Eliſæus eos videret, & perciperet, quod Giezi aliquid à Naaman accepiſſet.* Ad ſuorum facta oculis putauit captum, etſi ad aliena non ignoraret perſpicaciſſimum. Profectò Giezi cœca errauit imprudentia, eius tamen imprudentia nobis eſt pro doctrina. Vt nouerimus, quàm omnes frequenter caligauerint ad propria, etſi lynceis vtantur oculis ad aliena.

4. Reg. 5. v. 24.

Iuſt. cap. 6. v. 11.

§. XXIII.

Ferè ſemper quiſque cœcutit erga propria, licet perſpicacibus oculis videat aliena.

Propria. Aliena.

TOta illo mente peragendum eſt (inquit Seneca *epiſt.* 45.) *vbi prouideri debet, ne res nos, non verba decipiant.* Res, præcipuè propriæ, ita nos decipiunt, vt oculos tenebris obducant, nec prouidere non ſinant. Medici, ſi ægrotent, ſuſpecti ſibi ſunt, alios aſſiſcunt, qui pulſum tangant: & expulſu interiora dignoſcant; verentur ſeipſos tangere, ne vitæ amor fallat, & periculum minuat. Haſpaſtes Senecæ fatua ſubitò videri deſiit, ſed neſciebat ſe eſſe cœcam, & domum repletam tenebris iudicabat. Audi Senecam *epiſt.* 50. *Hoc, quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi: nemo ſe auarum eſſe intelligit, nemo cupidum.* De aliena auaritia, aut cupiditate certam ſententiam ferimus, circa nos frequenter erramus. Dauid periculo conſtitutum Dominus per Prophetam admonet, & adeſſe periculum docet: *Dixit Gad Propheta ad Dauid: Noli manere in præſtidio.* Inquires, cur Dauid, cùm Propheta eximius eſſet, imminens ſibi periculum non præuiderit, ſed ab alio Propheta agnouerit? Hanc difficultatem mouit Abulenſis *quæſt.* 9. cuius verba ſunt: *Quomodò iſte Propheta Gad reuelauit aliquid Dauid ex parte Dei, cùm etiam Dauid eſſet Propheta; ideò ipſe ſcire potuiſſet hoc?* Propheta erat Dauid, ſed Deus per alium Pro-

TEXTVS.

VERS. VI. & VII. Et audiuit Saul, quòd apparuiſſet Dauid, & viri, qui erant cum eo. Saul autem, cùm maneret in Gabaa, & eſſet in nemore, quod eſt in Rama, haſtam manu tenens, cunctique ſerui eius circunſtarent eum, ait ad ſeruos ſuos, qui aſſiſtebant ei: Audite nunc filij Iemini: Nunquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros, & vineas, & vniuerſos vos faciet tribunos, & centuriones.

§. XXIV.

Qui ſpecialia à Deo accipit beneficia, religioſa præ aliis exhibere tenetur obſequia.

Beneficium. Obſequium.

LIcèt omnibus inſitum eſſe debeat erga cœleſtis Numinis reuerentiam ſtudium illi tamen potiori iure ſolicita exhibere tenentur obſequia, qui ampliora præ aliis aſſecuti ſunt beneficia, vt etiam maiori Principi tenentur deuotione adhærere, qui ab ipſo plus experimentur & diligi, & honorari. *Hoc maiorum veſtrorum ſemper proprium fuit* (aiebat Rex apud Caſſiodorum

siodorum 10. *variar.* 14.) *vt tanquam membra capiti, ita suis Principibus viderentur adiungi. Quam enim vicissitudinem reddat, qui maximo labore defenditur, cuius per dies singulos ciuilitas custoditur, nisi vt illos diligat super omnia, per quos habere probatur vniuersa.* Relatis jam acceptis à Principibus beneficijs adiunxit: *Absit enim à temporibus nostris, vt in vobis aliquid tale reperiamus, quod nostris indignationibus esse possit idoneum. Fides nostra, quæ vobis hactenus asseruit, modò potius euidenter ostendatur.* Maiorem ab eis fidem requirebat, quos sibi speciali vinculo adiunxerat. Quod & Saul hoc in capite videtur imitatus, in familiares sibi, seruosque inuectus: *Cùm maneret in Gabaa, & esset in nemore, quod est in Ramà hastam manu tenens, cunctique serui eius circumstarent eum, ait ad seruos suos, qui assistebant ei.* Quis eis dixerit, audi: *Coniurastis omnes aduersùm me.* Et cur non queratur de Rege Moab Danidem excipiente, & parentes eius studiosè honorante? Cur suam indignationem non prodat in quadringentos viros Danidis latera stipantes, & defendentes, sed solùm querelas dederit de se comitantibus, & alloquio eius fruentibus? Quia isti præcipuè, respondet Abulensis, eius ad speciem videbantur indignationem mereri, vt qui specialia reciperent beneficia, & liberiùs Principis fruerentur præsentia. Ipsum audi *quæst.* 12. *Videbantur mereri hanc increpationem potius quàm alij, qui à ipsi suscipiebant specialia beneficia à Rege, ideo eum intensiùs quàm cæteri diligere debebant.* Iram præ alijs meretur, si solicitè non inseruiat, qui præ alijs dignatione Principis fruitur. Quidquid ad regiam rationabiliter spectat maiestatem, studiosè tenetur procurare, qui ad serui honorem reperitur admitti. In eos præcipuè Saul indignationem effudit; quia præ cæteris & sibi adiunxit, & adinngendo honorauit. Et expende etiam, quàm aulici, politicique vtilitatis spe, & lucri cupiditate ducantur, cùm Saul, vt contra Danidem inflammarit, & à ratione deflectere impulerit, à Danide nil sperandum statuat, & à le plura dilargienda promittat. Syri Elisæum manu facta obsidere adnituntur, & capere, & quamuis vtili eos cæcitate ad exiguum tempus percusserit, tandem restitutis oculis, & benignè tractatos ad sua remisit: *Comederunt, & biberunt, & dimisit eos.* Giezi fraudulenter accepit munera, quæ propheticæ dignitatis videbantur offensa, & jam eum æterna lepra ferit, & mulctat: *Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum.* Cur Elisæus videatur nimia hic seueritate contra Giezi inuectus, & nimia etiam humanitate in Syros vsus. Nam Syrus arcta obsidione constringere adnitebatur, & premere: Giezi aliquali offensa eum aspersit munerum cupidus, & ambitiosus. Et hunc sic percutit, cùm illi parcit? Et iure (inquit Chrysostomus apud Glossam) nam Giezi erat seruus, & Elisæo satis coniunctus; Syrus hostis, & aduersarius: ergo nil mirum, si aduersarius captiosas obtendat insidias, & pudendum, si seruus fraudulentas perpetrarit offensas: *Seruo perfidia intulit pœnam.* Duriorem vereatur Christianus Domini indignationem subire, quando constat ab eo beneficijs plurimis honorari.

4. Reg. 6. v. 23.

4. Reg. 5. v. 27.

§. XXV.

Etsi magnates, Principesque viridarijs, & nemoribus videantur recreari, internis solent solicitudinibus adurgeri.

Magnates. Solicitudo.

MVlta exterius nitent, quæ interius corrosiuo verme exeduntur, & continuis morsibus diuexantur. *Proijce* (aiebat Seneca *Epist.* 51.) *quacumque cor tuum laniant: quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis reuellendum erat. Voluptates præcipuè exturba, & inuisissimas habe latronum more, quos Philetas Ægyptij vocant; in hoc nos amplectuntur, vt strangulent.* O verum! Cn. Pompeius villam sibi extruxit, ex qua adspiceret varia genera cymbarum rostris inaurata, & varijs coloribus picta: viridarijs versabatur, vbi varia florum copia odore naribus, & varia pulchritudine adulabantur conspectibus. Ibi tamen de Cæsaris ingenio solicitus, & ambitione vexatus, interna æstuabant solicitudinibus, externa fruebantur ad speciem voluptatibus. Saul etiam refertur nemore varijs arboribus consito & pellucidis vndis amæno diuersatus, ibi tamen audies solicitudine pressum: *Cùm maneret in Gabaa, & esset in nemore ait ad seruos suos, qui assistebant ei.* Quid ait? *Coniurastis omnes aduersùm me.* Censebas placido nemore recreari, & durissima audis solicitudine vrgeri. Adest Abulensis *quæst.* 12. *Istud nemus dicebatur esse quædam plantatio arborum facta manu humana, ad quam exibat Saul, vt quiesceret ibi cum famulis suis.* Exiuit, vt oculos recrearet, sed secum ambitionem solicitudinemque duxit, quæ cordà vrgeret. Aman stultè ambitiosus, Regis solùm ad speciem seruus, & re inimicus, varijs eum insidijs, & fallacijs irretire conatus est; verùm vt diù tegi nequit iniquitas, Mardochæus detexit insidias, Esther fallacias. E conuiuio surrexit Rex nimia indignatione inflammatus, & se in hortum proripuit arboribus consitum: *Rex autem iratus surrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus consitum.* In viridario versabatur, sed indignationis flammis vrebatur. Innuit Lira: *Intrauit in hortum, &c. donec aliquantulum transiret commotio iræ.* Mundi magnates, & Principes adinstar idolorum coluntur, sed vt aiebat Baruch, interiùs venenatis serpentibus dilaniantur: *Corda eorum dicunt elingere serpentes.* Idola exteriùs abstergebantur, sed interius discruciabantur; resplendebant admotis luminibus, sed interius exedebantur durissimis morsibus. Simillimè sæculi magnates sunt, inter ipsas delicias, & odoriferas rosas, anxias patiuntur angustias.

Esther. 7. v. 7.

Baruch. 6. v. 19.

§. XXVI.

Superior à probrosis verbis debet abstinere, cùm peccantes adnititur castigare.

Superior. Verbum. Correctio.

EA debet esse correctionis medela, vt vulnera non irritet, sed sanet. *Illum liberius admonuisti* (aiebat Seneca *lib.* 3. *de Ira cap.* 36.) *quàm debebas; itaque non emendasti, sed offendisti.* Qui aliquando patienter fert verbera, impatienter fert probra. Adnectit Seneca: *In dolorem tuum iacta verba tetigerunt.* Nihil adeò est, quod mentem eripiat, & insaniam acuat;

acuat, quam probrosa verba, & contumeliosa probra: refrænanda est exoculata ira, & præceps indignatio, ne dum corrigere tentat peccatum, temerarium obarmet odium. Vrbana admonitio efficacior est, quia placato animo excipitur; durior, & inciuilis obiurgatio exasperat & irritat. Saul suis obiecit minus studiosè, quàm fas esset, ipsum colere, & Dauidis causam tueri: *Coniurastis omnes aduersum me*: eis tamen verbis est vsus, vt reddiderit benevolos, non probris exasperatos: *Audite nunc filij Iemini.* Nobilissima vena exortos protulit, vt plus adhortatio proficeret. Non uit Abulensis *quæst.* 12. *Ista sunt verba ad reddendum attentos. Vocauit autem illos filios Iemini ad reddendum illos benevolos.* Eisdem verbis corripuit, & honorauit, immò honorauit, vt corriperet; nam si inhonestis eos verbis feriret, attentos non redderet, sed furiosos. Cùm Dauid exoculatam Absalonis ambitionem fugeret, Semei nactus infelicem sibi occasionem verba amaritudine plena, & probrosa in Dauidem protulit, & lapides iecit: 2. Reg 16. v. 6. *Maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid.* Huius maledictionis verba Textus expressit: *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial.* Dauid patienter sustinuit, sed jam morti proximus Salomonem dignam ob maledictionem sumere vindictam admonuit: 3. Reg. 2. v. 8. *Habes quoque apud te Semei filium Gerà, filij Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra. Tu noli patiendum esse innoxium.* In vtroque Dauid prudentissimus apparuit, dum supplicium distulit, ne quid liceret indignationi, & inultum non reliquit, ne detraheretur aliquid maiestati; verùm si refert iactas maledictiones, cur iactos obliuiscitur lapides? Semei non solùm deliquit lingua, sed dextera: ergo reducat in memoriam lapidum grandinationem, non solùm probrorum congeriem. Profectò vtroque deliquit, sed acerbius Dauidi fuit inhonestis verbis referiri, quàm lapidum grandine impeti. Hieronymus, quæ huius maledictionis verba fuerint, sic ex Hebræis refert: *Adulter, Moabita, impius, leprosus, abominatus.* Ægrius tulit verba, quia ingenuis minus dura sunt saxa, quàm probra: ergo Saul, quos voluit corripere attentos, noluit probrosis verbis à mente auertere exasperatos.

§. XXVII.

A politicis, aulicisque plus attendi solet, quàm rationis pondus, generis decus.

Nobilitas. Aulicus.

SI quid in nobilitatis, & generis decus peccetur, summo studio à magnatibus vindicatur: si quid contra æquitatem facilè præteritur. Vt sequereris æquitatem, rationis partes suscepisti; verum si quis te aliqualem eius splendori nebulam obtendisse rationem defendendo arbitretur, implacabili odio armabitur. *Gloriatur* (aiebat Cassiodorus *de aulico* 5. *variar.* 41.) *non extrema luce natalium.* Aulicis, palatinisque pro summa gloria est natalium illæsum splendorem afferuare, non adeò exambiunt rationem colere: etiam refragante ratione splendori consulunt, & vt consulant, rationi resistunt. Saul, etsi nihil iniustum Dauid contra ipsum fuerit molitus, immò magnis eum obsequijs dignatus, suorum in eum arma concitauit, & nobilitatis splendorem ni Dauidem persequerentur obscurandum asserit *Audite nunc filij Iemini.* Eadem ac ipsum origine exortos in memoriam reuocauit, vt contra Dauidem accenderet: Acsi dicat: Quantò Dauidis augeatur splendor, tantò vestri generis minuetur: cur ergo eum non proditis, & occidendum adducitis? *Non est, qui vicem meam doleat ex vobis.* Hunc penitissimum huius sententiæ esse sensum tradit noster Sancius: *Vocat filios Iemini, quia cognati erant, aut saltem contribules, ex eadem videlicet tribu, quo illos pro cognato sanguine aduersus hominem alienum, nempè ex tribu Iuda, & inopem accenderet.* Dauidem innoxium, insontemque persequi ratio vetabat; verùm si existimarint nobilitati, generique suo aliquod resultare ex Dauidis salute detrimentum, æquitatis leges proculcabunt, & pericula adibunt; nam magnates contra rationem etiam student auctoritatem generis defendere, splendorem seruare. Si Dauid (inquit Saul) purpura colluceat, jam vestra tribus hoc honore priuabitur, & splendor originis vestræ minuetur: ergo arripite arma, & quantumuis insontem viuere non permittatis, vt splendorem vestrum conseruetis: *Vocat filios Iemini, quia cognati erant.* Si Dauid regnum adeat, vos etsi Saulis sitis Regis non eritis cognati; si cadat, eritis. Ergo vicem Regis vobis sanguine coniuncti dolete, & vobis ipsis consulite. Cùm Dauid in suæ fidelitatis argumentum regiæ chlamydis quid præcidisset: *Præcidit oram chlamydis Saul silenter:* mox intimo dolore adurgetur, & tutiora sibi profugia quærere admittitur: *Dauid, & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.* Inquires, cur modò tutioraquærant profugia, qui non quæsierant, dum Martia desudarent prælia? Iam Saul sopita indignatione reuertitur, & Dauid ad tutiora inuolare molitur? Ecqua huius causa? Quia cùm præcisâ orâ jam splendor tantisper imminutus, & honor aliquomodò videretur immobilitus, timuit Saulem acriùs contra ipsum inflammandum, & irascendum. Frustum illud veneretionis, fidelitatisque erat certissimum argumentum, sed obscuratæ nobilitatis, & imminuti splendoris videbatur indicium: ergo tutiora quæsiuit loca, quasi timeret Beniaminitas omnes irruinros in arma. Ita Rabannus *in Glossa: Summotam chlamydis silenter abscidit, quia Christus Iudæs non occidit, sed gloriam regni abstulit.* Vbicunimarent Saulis contribules, quid gloriæ ablatum, durissimum instruerent prælium: ergo tutus quærendum erat profugium.

§. XXVIII.

Apud politicos, & aulicos causa melior, à qua eis fructus prouenire potest copiosior.

CAusæ varijs implicatæ nodis iudicia suspensa tenent, & non est facile, vbi nimis implicata est causa, vt semper sine aliquo conscientiæ morsu proferatur sententia. *Causarum nodi* (aiebat Cassiodorus 6. *variar.* 23.) *iuris disceptatione soluantur.* Iudex à se prolatam subitram iudicium sententiam credat, sibique conducibilius, quod legibus inuenitur consumius: verùm eo aliquando aut ambitionis cæcitas, aut cæca excreuit cupiditas, vt iura videantur deserta, aut saltem lugeant varijs cauillationibus constuprata. Non attenditur sæpè quid ius requirat, sed quid patrocinium vtilitatis afferat. Perbellè Hildebertus *Epist.* 59. Principem de eius ministris allo-

quens:

quens : *Circa pauperes, & sanctuarium Dei quidquid impiè volunt, impunè agunt.* Eiusmodi ministros Saul videtur sortitus, multiplices ipse, & captiosas Dauidi obtendebat insidias, & de suis, quia eius partes contra ius, rationemque non tuerentur, grauissimas dabat querelas. Adiecit nihil à Dauide posse, qui eius tuebantur partes, sperare, cùm non esset dubium Saulis causam agentes dignitates posse sortiri : *Nunquid omnibus vobis dabit filius Isai agros, & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos, & centuriones ?* Non ignarus quantum contra æquitatem valeat vtilitas, Saul vt causam eius tuerentur, tacuit iura, & retulit commoda. Nec effectu querela caruit, nam statim Doeg, quod celarat, aperuit : *Vidi, inquit, filium Isai in Nobè.* Desperata vtilitas silentium rupit, & jam quantumuis iniustam, causam Saulis egit. Notauit Hugo Cardinalis : *Quasi dicat : creditis, quòd Dauid, qui est de tribu Iudà, ditet vos, qui estis de tribu Beniamin ? Quasi dicat : Non ; sed potius suos, scilicet de tribu Iudà ditabit : & ita alliciebat eos sibi.* Dauid causa erat iustior, Saulis vtilior : ergo oculis proposuit vtilitatem, vt qui non dubitabat apud aulicos, & politicos eam causam studiosus defendi, ex qua speraretur vtilitas maior, & obuentura dignitas splendidior.

Exod. 23. v. 8. Moyses iudicem instruens sic ait : *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. Peregrino molestus non eris.* Non erat consideranda persona, sed causa ; verùm causa sæpè despicitur, quia persona attenditur. Opportunè Philo *lib. de Iudice : Præses venalis muneribus iustitiam suapte natura pulcherrimam dehonestare se non intelligit, & peccat non simpliciter. Primum, quod assuefacit se ad auaritiam, arcem iniquitatum omnium : deindè quòd accepto pretio mulctat eum, cui prodesse debuerat.* Hoc habet pessimi cupiditas, quòd non solùm adducit oculis cæcitatem sed eius etiam ignorationem. Plures cupiditatis nebulis obcæcati se esse cæcos ignorant, & prouentum ex causa, æquitatem existimant. Causa Dauid erat iustissima, sed à qua præter æquitatem nulla sperabatur dignitas, aut commoditas. Saulis causa prorsus erat iniqua, sed à qua oriri poterat & commoditas, & dignitas. Ergo Doeg Saulis suscepit causam, & contra Dauidem, Sacerdotesque maledicam obarmauit linguam. Mulctat eum, cui prodesse debuerat. *Illud est auaritia* (aiebat Diphilus apud Stobæum *cap.* 10.) *cùm neglecta consideratione iusti, quanis in re lucro seruieris. Dicis, sed quidquid dicis, accipiendi causa dicis.* Consonat etiam ibi Mænander : *Quisquis ambitiosum, & auarum ingenium habet, nihil ille iustum sapit, neque cupit.* Vbi Saul proposuit cupiditati agros, tribunatum ambitioni, inuenit linguam, quæ eius, quantumuis iniustam, tueretur animitus causam.

TEXTVS.

VERS. VIII. Quoniam coniurastis omnes aduersum me, & non est, qui mihi renuntiet, maximè cùm & filius meus fœdus inierit cum filio Isai. Non est, qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi : eò quòd suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me insidiantem mihi vsque hodiè.

§. XXIX.

Magnatum seruis opus est aut iustitiam violare, aut querelam inuidiosam subire.

Magnates. Seruus. Querela.

ARrogans (aiebat Philo *de charitate*) *insana opinione inflatus non tam virum, aut heroem, quàm genium quendam se existimat.* Deus, qui summa ratio, & æquitas est, iustissimè sibi non obtemperantibus irascitur, & rationabiliter queritur. Cùmque magnates, & Principes insana arrogantia se Deos arbitrentur, etsi ab æquitate sæpè prorsus discedant, nihilominus contra sibi non obtemperantes ardentissima indignatione inflammantur, suamque voluntatem pro ratione habendam adnituntur ; non expendunt, an decreta aut vota æquitate fulta, aut euersa, quia ab omnibus amplectenda deliri existimant, vt diuina. *Arbitratur* (prosequitur Philo) *se omnium ditissimum, nobilissimum, pulcherrimum, fortissimum, prudentissimum, temperatissimum, iustissimum, solertissimum.* In id delirium incidere solent magnates arrogantiæ, ambitionisque phrænesi, vt quidquid velint, arbitrentur iustissimum, & sibi non obtemperari peccatum. Hac cæcitate laborare proditur Saul, Dauidem summis virtutibus perpolitum, & magnis de illo beneficijs meritum insano adeò ardore prosequebatur, vt nullibi tranquillè quiuerit degere. Cumque serui Saulis, ne furentem acrius inflammarent, & insontem contra iustitiam proderent, ora prudenter continerent, amaris eos querelis ferit, & reos maiestatis prodit : *Coniurastis omnes aduersum me, & non est, qui mihi renuntiet.* Renuntiare vbi esset Dauid erat graue peccatum vt tradit Abulensis *qu.* 13. quandoquidem contra iustum igniculos ingerebant furenti, & pericula conquirebant insonti ; & tamen Saul eos graui indignatione percellit, & veluti maiestatis reos adurget. Iam non posse sine crimine Sauli obtemperare tradit Abulensis. Ipsum audi : *Erat cooperari Sauli ad malum, qui autem cooperatur alteri in crimine, reus est.* Vides seruos indicando denigrari culpa, & non indicando, graui referiri querela. *Monit querimoniam de familia sua* (inquit Lira) *quasi aliqui fauerent Dauid.* O miseram inseruientium conditionem ! Si Sauli morem gerant, grauissimam admittunt culpam, ni gerant, ardentem indignationis sustinent flammam ; inter syrtes periculosas enauigant, nec facile est sine æquitatis querela iussis obtemperare, aut sine magnatum offensione æquitati inseruire. Decreuit Rex Israel Syris bellum inferre, aderant quadringenti circiter viri, reuerà adulatores, & nomine solùm Prophetæ. Hi omnes vno ore Regis extollebant vota, & felicissima fore augurabantur trophæa : verùm cùm Michæas aduentaret adscitus, & veritatem clarè fatetur Principis votis aduersus, ea incanduit cæcissima indignatione, vt vinculis imperarit constringi, & tenebricoso carcere includi : *Mittite virum istum in carcerem.* Et quod Prophetæ crimen ? Principis votis non annuere, & veritatem proferre. Expende quale aulam ingresso periculum : Si cæterorum adhæserit opinioni, vt Regi morem gerat, admittit culpam ; si non gerat, & proferat veritatem, patitur grauem querelam : *Non prophetat mihi bonum,*

3. Reg. 22. v. 27.

sed semper malum. Vt qui inter scyllam, Carybdimque nauigat, velit nolit, incurrit naufragium, nam vitato vno scopulo incidit in alterum; ita non semel qui magnatibus inseruit, si culpam vitet, sustinet querelam, si querelam vitat, admittit culpam. Adest Lira: *Quasi dicat: Iste falso prophetat mihi malum ex odio.* Itaque non assentiri eius votis, existimauit delictum, & esset assentiri peccatum.

§. XXX.

Vera charitate flagrans iniuriam sibi factam sustinet patienter: ne inferatur alteri, se opponit audacter.

1. Cor. 13. v. 4. CHaritas (aiebat Paulus) *patiens est.* Vt quidquid contra se improbitas architectatur, deglutiat, sed huic eximiæ tolerantiæ admixta est adiutrix pietatis ira; nam etsi illatas sibi iniurias sustineat immota, ne alius, quid patiatur, inuigilabit solicita. Notauit Anselmus ad hunc locum: *Patiens est, quia tranquillam mentem in aduersis seruat; benigna verò, quoniam misericorditer sua bona proximis indigentibus impendit.* Se charitas non defendit, quia pati gaudet: alios verò premi benigna non sustinet. Moyses duos conspexit Hebræos rixantes, nec passus est alteri ab altero fieri iniuriam, immò se opposuit, & restitit: *Dixit ei qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum tuum?* Iniurius, etsi molli correctione fuerit admonitus, incanduit, & Moysem iniquum, & homicidam asseruit. *Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?* Non inuenies Moysem verbum aliquod pro se protulisse, nec sibi illatam iniuriam vindicando propulsasse. Et cur Moyses, qui pro Israelita malè tractato causam suscepit, quique pastoribus multis se opposuit, ne puellis iniuriam inferrent, ora premit, & ad speciem timidus tacet? Iniuriam corripit, ne alter patiatur, & sibi iniurium corrigere non admittit? Pro se respondeat, aut pro alio taceat. Profectò Moyses veræ charitatis factis ostendit ingenium, dum curat, ne alteri inferatur iniuria, & ad suam comprimit ora. Huc voco, quod aiebat philo lib. 1. de vita Mosis: *Philosophiæ præcepta quotidiè factis repræsentabat, mentem verbis exprimens, facta dictis accommodans, vt cum sermone vita congrueret.* Dictis accommodauit facta pro se non respondendo, & proximi iniurias studiosè vitando. Quod imitatus videtur Ionathas. Nam cùm Saul in Dauidem inflammaretur, innocentis causam suscepit, & potentis furori se intrepidè opposuit: *Quare morietur? quid fecit?* A patre arguitur, quòd fœdus cum aduersario inierit, & debitam tantis nominibus parenti reuerentiam violarit: *Nec est, qui annuntiet mihi, eò quòd suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me;* Et tamen crimen falsò sibi obiectum non repulit, sed modestè tacuit. Itaque honorem Dauidis non est passus falsis criminibus denigrari, & passus est iniustè iniuisse fœdera sibi obijci. Nec mirum; nam cùm Ionathas interpretetur columbæ donum, eadem charitate patienter sustinet iniurias proprias, & vitare gestiuit alienas. Audi Abulensem *quæst. 16. Verisimilius erat ibi filium suum esse: sed dicendum est, quòd dato, quòd ibi fuisset Ionathas, nullo modo respondisset pro se.* Quæ charitas edocuit pro Dauide resistere, persuasit Ionathæ pro se tacere. Conatus est à Dauide auertere infortunium, ne quid charitati detraheret; sustinuit, quæ in se dicta, ne quid patientiæ minueret; est enim charitas in suis patiens, ad aliena vitanda incommoda laudabiliter inardescens.

Charitas. Iniuria. Patientia.

Exod. 2. v. 13.

Sup. c. 20. v. 32.

TEXTVS.

VERS. IX. & X. Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat primus inter seruos Saul: Vidi, inquit, filium Isai in Nobè apud Achimelech filium Achitob Sacerdotem, qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei, sed & gladium Goliath Philisthæi dedit illi.

§. XXXI.

Plus aliquandò à magnatibus grata obtinetur adulatione, quàm eximijs meritis, & virtute.

PEccati nutrix adulatio (aiebat Beda *ad Luc* 6.) *sicut oleum flammis; sic in culpa ardentibus solita est ministrare fomentum.* Oleum lenissimum, & blandissimum est, cæteris liquoribus innatat: ergo adulatio, vt emineat, olei imitatur ingenium, affectat alterius splendori consulere, causas tueri, laudes mentiri, & hoc totum, vt in modum olei innatet, & se supra alios tumidè efferat. Doeg Idumæus obscuro genere natus; olium mulio, & ignobili ministerio addictus, refertur inter Saulis seruos & primus, & maximus: *Erat primus inter seruos Saul.* Et cur primus? Ob natalium splendorem? ob facinorum claritudinem? Ob morum facilitatem? Nequaquam (inquit Abulensis) sed adulationum merito, & assentationum artificio: Eius verba sunt *qu.* 17. *Doeg, per istas adulationes peruenerat in magnum fauorem Regis, quia hoc non est nouum, nec insolitum, adulatores in domibus Regum, & Principum primas obtinere vices, nisi Rex virtuosus valdè sit, qui per veram virtutem falsas laudes & fauores compescere queat.* Gaudent superbi tam magnos, quàm præsumunt, esse se audire, summisque elogijs extolli: ergo, cùm Doeg Saulis non ignoraret mores, blandissimus ei adulatur, sicque promeruit sibi benevolentiam, & peruenit ad dignitatis supremæ gloriam. Vidit Nabuchodonosor proceram illam arborem prolatis ramis extensam, & fructu copiosam; volucres altiora tenebant, & integris, ac saporatissimis fructibus exundabant; leones verò deciduis fructibus alebantur: *Subter eam Dan. 4.*
habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli. Arborum regni fulsere ænigma tradunt Interpretes; in animalibus ferocibus, mansuetisque agnoscunt agricolas, & milites, vt etiam in volucribus adulatores, & mendaces. Audi Hugonem: *Animalia, & bestiæ rustici, & militares; volucres leues, & mendaces, vt dicit Glossa.* Si spectes militares labores, dura certamina, anxia pericula, censebis loco eminenti collocandos, nec volucribus postponendos, & tamen garrulæ, otiosæque volucres altis nidulis fouentur, & saporatioribus cibis aluntur. Ecqua huius causa?

causa! Quia à Nabuchodonosore plus obtinebat adulatoria mendositas, dulcis garrulitas, quam militaris sudor, & castrensis labor. Audi Glossam moralem: *In ramis eius conuersabantur volucres, id est, adulatores, & mimi.* Et quidem jam arbor securis ictibus objiciebatur, cùm ita dispositа somniabatur: adulatores gratis mendaciis animum superbissimum veluti diuinum extollebant, & fastigia arboris occupabant; milites verò de papilionibus substrictis in campum procedentes, & omnem imbonitatem experti cum hoste decertantes reptabant, & vel deciduos ex arbore fructus discupiebant: ergo cœlesti arbor securi decisa, & Nabuchodonosor pernicioſa politices emendata.

§. XXXII.

Aliquando malè collocatum præmium fuit militaris virtutis fascinium, & attulit largienti periculum.

Præmium. Periculum Ardor.

NIhil benè dispensatis præmiis Reipublicæ vtilius, nihil malè collocatis nocentius. Si præmium benè collocetur, & dignis meritis, ac eximiis laboribus exhibeatur, ad virtutem allicit, immò honesta æmulationis vi ad imitationem compellit: at, si quod debebatur virtuti, adulatio furetur, aut ignauiæ concedatur, militaris vigor lacessit, & virtus languet. *Tribuenda est* (aiebat Cassiodorus 2. *variar.* 28.) *iustis laboribus compensatio præmiorum.* Iustis laboribus redditum præmium ad majora est incentiuum, & remunerantis præconium. Irremunerati labores suadent otium; verùm si remuneretur ignauia, jam affert mærendi tædium, & est dilargienti sæpè periculum, quod indignis constat adjectum. Doeg seruorum Saulis refertur: *Erat primus inter seruos Saul. Præcedenti* §. vidimus hanc dignitatem fuisse adulationibus consequutum; transi modò *ad cap.* 26. vbi Saul magno fuit periculo obnoxius, quia Abner somno traditus: *Inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius. Abner autem, & populum dormientes in circuitu eius.* Itaque Abner, & milites, qui debuissent excubias agere, maluerunt dormire; & nisi Dauid Abisai prohiberet, Saul sua hasta transfixus periret. Ecqua huius somni causa? Fortassis Doeg præmium. Nam Abner renuit excubiarum laborem subire, quia ægrè tulerat Doeg sine meritis refulgere. *Aliquis respondebit* (scribit Abulensis *quæst.* 16. etsi non ex propria sententia) *quòd fortè Saul tantum dilexerat Doeg Idumæum, quòd eleuauit eum ad maximum principatum in domo sua, & abstulit eum Abner.* Abner Idumæo postpositus maluit dormiendo quiescere, quàm laboriosis, & prolixis excubiis defatigari: Doeg præmium Abnero persuasit otium, Abneri otium Sauli ascit periculum. Vt hinc noueris grauissima damna emergere, si præmia, quæ merito, ac virtuti debentur, otio, adulationique conferantur.

Infr. cap. 26. v. 7.

TEXTVS.

VERS. XI. Misit ergo Rex ad accersendum Achimelech sacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris eius sacerdotum, qui erant in Nobe, qui vniuersi venerunt ad Regem.

§. XXXIII.

Si judex degeneri præoccupetur affectu, innocentia graui obscuratur reatu.

IVdicis animus, si iniqua aliqua præsumptione corruptus, aut potentis alicuius instigatione irritatus judicium prorsus adulterat, & causæ qualitatem malignè deprauat. *Innocentiæ professio est* (aiebat Princeps 4. *var.* 9.) *nostram elegisse præsentiam, vbi nec violentiæ locus datur, nec auaritiæ vitia formidantur.* Nihil esse potest felicius, quàm homines legibus confidere, & aduersus casus illæsis legibus non timere. Et quidem jura sunt certissima humanæ vitæ solatia, infirmorum auxilia, judicum fræna, si tamen judices amarint, vndè & veritas patet, & conscientia proficit; verùm si animus furoris sit ardoribus adustus, aut prauis opinionibus informatus, tribunal non erit justitiæ auxiliũ, sed turbulentum æquitatis naufragium. Vndè aiebat Tertullianus *in Apologetico cap.* 15. non esse Christianis timendum, si eorum causæ judices inuenirent falsis opinionibus repurgatos, & æquitati solùm attentos. *Hoc prius capite, & omnem hinc Sacramenti nostri ordinem haurite: repercussis ante tamen opinionibus falsis.* Ni animus ab omni se affectione purgauerit, adulterabit judicium, & iniquæ sententiæ sustinebit innocens detrimentum. Saul sacerdotes accersit à Doeg iniquè accusatos, sed tribunal solùm iudicis erat vmbra, quia jam judicis animum præoccuparat insania: *Misit Rex ad accersendum Achimelech sacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris eius.* Venerunt sacerdotes non ad judicium, sed vt oues ad macellum, vt rei probauit euentus. Et quid aliud sperandum erat à judice indignatione præoccupato, & delationibus falsis corrupto? Sacerdos euidenter pro se respondit, & nihilominus periit. *Quæ omnia* (inquit noster Sancius de Doeg accusatione agens) *Regis æstuantem inuidiam, & malè sanum animum eò perpulerunt, vt talem in populo, ac statu sacerdotali stragem ediderit, qualis neque ab hoste, quantumvis alieno, immò qualis à fera timeri non posset.* Consonat Abulensis *quæst.* 21. *Hic ponitur Sacerdotum citatio: accusauerat enim illos Doeg, ideò Rex fecerat illos vocari magis ad puniendum quàm ad respondendum: nam ira Regis nimis increbuerat: ideò quamquàm iustè satisfaceret Achimelech de obiecto sibi crimine, non auditus est.* Vmbratilis illa judicij forma solùm profuit, vt agnosceretur nihil insonti illæsam proficere justitiam, si jam corruptus judex prædefiniuit sententiam. *Commutauerunt* (aiebat Paulus) *veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ.* De omnibus idolatris loquitur Paulus; verùm benè quadrat

Judex. Innocentia. Affectus.

Ad Rom. 1. v. 25.

judicibus, qui, vt idolorum ſuorum inirent gratiam, malebant, quàm veritatem audire, punire ſuppliciis grauiſſimis innocentiam. *Infantes* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap.9.*) *penes Africam Saturno immolabantur palam.* Vt Saturni demererentur gratiam, qui populo tunc præerant, trucidabant ſacerdotes candidiſſimam innocentiam. Nil infans commiſerat morte dignum, ſed ſubibat necem, vt ſacerdos adularetur ſaturno, & mereretur ingentiſſimo juſtitiæ, innocentiæque detrimento.

TEXTVS.

VERS. XII. & XIII. Et ait Saul ad Achimelech: Audi fili Achitob, qui reſpondit: Præſto ſum, Domine. Dixitque ad eum Saul: Quare conjuraſtis aduerſum me tu, & filius Iſai, & dediſti ei panes, & gladium, & conſuluiſti pro eo Deum, vt conſurgeret aduerſum me, inſidiator vſque hodiè permanens.

§. XXXIV.

Fidem vni delatori præbere, eſt ſe multis erroribus implicare.

Delator. Fides.

GRauatur *apud nos actio Præſulis* (aiebat Caſſiodorus *6. variar. 22.*) *ſi eam tam longinqui potuerint accuſare petitores. Falſus enim dolor eſſe non creditur, vbi tanti laboris tædia ſubeuntur. Et ideò maiore cura tractanda ſunt, vndè inuidia plus timetur.* Plures petitores ad Principem inuolarant, actiones eorum Præſulis criminantes; verùm diſertus, & cautus Princeps, ne ſibi inconſulto decreto procrearet inuidiam, diligentiore trutina examinare decreuit cauſam; ſi facilè aurem præberet delationibus, fors obſcuraret prudentiam, & læderet imprudenter juſtitiam. Quod ſi pluribus etiam delatoribus fidem abſque diligenti, & ſolicito examine præſtitiſſe eſt inuidioſum, quàm erit vni tantum credere erroribus implicatum? Singularis Doeg ſacerdotem accuſat, & mendaciis accuſationem adornat; eius Saul accuſationem adeò indubiam credidit, vt jam ab accuſatis non tam inquirat, quam ſupponat, culpam & culpæ decernat pœnam: *Quare coniuraſtis?* Ecce conjurationem ſupponit, & cauſam ſolùm inquirit. Achimelech ritè pro ſe ſatisfecit, ſed maluit Saul vnico delatori, & quidem mendaci credens ſacrilegam, execrandamque ſtragem edere, quàm per otium veritatem excutere: *Trucidauit in die illa octoginta quinque viros veſtitos ephod lineo.* Non expectauit, vt tempus veritatem aperiret, non allegatæ ab Achimelech pondera rationis expendit, ſed vnico delatori, & mendaci adhibens fidem puniuit innocentiam, & æternam ſibi conciliauit inuidiam. *Non ſimplici* (inquit Caietanus de Doeg) *ſed iniquo animo hæc retuliſſe teſtantur ſubiuncta geſta: interpretatus ſiquidem, quæ viderat à ſacerdote fieri bona, in malam partem, accuſat eum tanquam celans pro Rege.* Conſonat Hugo: *Mentitur Doeg, non enim legitur, quòd Abimelech conſuluerit tunc Dominum pro Dauid.* Zelum affectans, quod erat virtutis, detorquebat ad prauitatem, & Saul men tito, coloratoque zelo deluſus omnem legem probatur fuiſſe tranſgreſſus. Solertiſſima ſuperioribus opus eſt cautela, nam ſunt, qui zeli ſpecie tegant inuidiam, & citò credenti ſuperiori imprudentiæ afferunt notam. Ioānis diſcipuli ad ipſum tunc celebrem quaſi zelo huius honoris inuolantes, criminabantur Chriſti virtutem: *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Quid tunc Ioannes? Criminantes arguit, & ad Chriſtum, vt omnem inuidiam deponant, mittit: *Mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Ioannis diſcipulos, vt criminarentur Chriſti facta, ad coloratum zelum accurriſſe, ſed cupidine gloriæ, & inuidia teneri, tradit Baſilius Seleucienſis *orat. 34. Cùm aliquanto poſt capite truncãdus eſſet, videretq; domeſticos diſcipulos ad Chriſti documenta non itare, immò ex cupidine gloriæ in obuiam ire, quæ Dominus annuntiabat, & nonnunquam ex Chriſti inuidia ad criminationem procedere, legationem inſtruit.* Ioannes, vt qui Dei ſpiritum habebat, coloratum agnouit zelum, & mederi conſuluit delatoribus, non delatis: ſuis nos factis erudiens magna opus eſſe cautela, quia ſunt, qui falſi zeli aſſumant ſpeciem, cùm vera adurantur maleuolentia, aut inuidia.

Ioan. 3. v. 26.

TEXTVS.

VERS. XIV. Reſpondenſque Achimelech Regi, ait: Et quis in omnibus ſeruis tuis ſicut Dauid fidelis, & gener Regis, & pergens ad imperium tuum, & glorioſus in domo tua?

§. XXXV.

Improbitate conſtat laborare, qui in alio vera non punit delicta, & in alio punit ſolummodò colorata.

IVdex ſi neſciat ſuis moribus modum imponere, omnia legum ſtatuta euertet, juraque violabit. Eadem actio in alio erit delictum, in alio meritum. *Deteſtabilis eſt quidem omnis iniuria* (aiebat Caſſiodorus *4. variar. 27.*) *& quidquid contra leges admittitur, iuſta execratione damnatur: ſed malorum omnium probatur extremum inde detrimenta ſuſcipere, vndè credebantur auxilia prouenire.* Cui judicia committuntur, debet ſequenda decernere, & ſibi modum juſtæ cõmerſationis imponere. Quod ſi aliter contingat, jus totum euertitur, & omnis æquitas conſternatur. Doeg, qui Regi ſemper aſſiſtens non poterat ignorare contra Dauidem furere diu, quod in Nobe obſeruarat, tacuit, Regi tandem remittit, & Achimelecum ſilentij reum accuſauit. Aſcitus Achimelech reſpondit, credidiſſe ſe Dauidi, qui ſe à Rege miſſum aſſeruit, & variis allegatis rationibus panem, & gladium expetiuit: *Et quis eſt in omnibus ſeruis tuis ſicut Dauid fidelis, & gener Regis, & pergens ad imperium tuum?* Quæ non tam crimina, quàm criminum commenta ſibi objecta fuerant, Achimelech veriſſima reſponſione eneruauit, immò penitus à ſe expunxit. Ac ſi dicat; ſe fideliſſimum Danidem ſemper reputaſſe, præcipuè cùm ipſe Rex in generum adoptaſſet, & de mandato eius illud iter inſtituiſſe dixiſſet.

Delictum.

dixisset. Quid tunc? Doeg non carpsit, quia diù ora continuerat, & sacerdotem puniuit, quia non Principi denuntiarat: *Et ait Rex emissariis, qui circunstabant eum: conuertimini, & interficite Sacerdotes Domini: nam manus eorum cum Dauid est: scientes quòd fugisset, & non indicauerunt mihi.* Et cur in Doeg non irascatur, cùm idem ac sacerdos sciuerit, diúque silentio presserit? si sacerdotibus objicitur non indicasse, Doeg etiam objiciatur tacuisse. Immò cùm Doeg, quæ in aula acciderant, nequiuerit ignorare, & sacerdos tunc non posset scire, si aliquod erat crimen, non sacerdoti applicandum, sed Doeg erat adscribendum, & tamen in sacerdote punitur, quod in Doeg remuneratur. Notauit Abulensis *quæst.* 20. [Quomodò non timebat Doeg nunc annuntiare ista Sauli, nam debuisset ea annuntiare à principio, quando vidit Dauid cum Achimelech, alioquin pœna videbatur dignus. Si culpauit Saul sacerdotes, scilicèt quòd scientes de fuga Dauid non annuntiauerunt ei illicò, vt patet infrà in litera.] Si culpa erat non annuntiasse, Doeg tribuenda erat fugam scienti, non sacerdoti ignoranti, & tamen culpa Doeg sibi grati impunita relinquitur, & colorata solùm culpa Achimelech castigatur. O quàm torno Saul mouebatur spiritu, & quàm erat indignus throno!

TEXTVS.

VERS. XV. Num hodiè cœpi pro eo consulere Deum? Absit hoc à me, ne suspicetur Rex aduersus seruum suum rem huiusmodi in vniuersa domo patris mei: non enim sciuit seruus tuus quidquam super hoc negotio vel modicum, vel grande.

§. XXXVI.

Eadem actio pro aspicientis affectu nunc videtur laudabilis, nunc reprehensibilis.

Actio. Affectus.

AFfectus nomina rebus imponit, eoque colore actiones videntur vestitæ, quo aspicientium affectiones probantur infectæ. *Euenit plerumque* (aiebat Cassiodorus *de Amicitia fol.* 644.) *quòd vnus affectus terminetur, aut mutetur in alterum.* Si in alterum mutetur affectus, altero etiam colore vestitur actus. Achimelech, vt ipse refert Regi, sæpè Deum pro Dauide consuluerat: *Num hodiè cœpi pro eo consulere Deum?* Ac si dicat: si sæpesæpiùs, te vidente, & approbante Deum pro Dauide consului, cur modò mihi objicitur vti reprehensibile, quod tunc videbatur laudabile? Interrogationi sacerdotis poterat respondere Saul: quia jam est alius tuus actus, quia meus est alius affectus. Prodest noster Sancius: [ait nihil se de Dauidis consilio, aut insidiis in Regem audiisse, vt haberi potuerit majestatis reus, atque ideò non spectasse in Dauide Regis callidum insidiatorem, sed fidelem seruum. Quod verò pro Dauide diuinum interrogarit oraculum, non deberi sibi crimini, aut perfidiæ verti, cùm aliis sæpè temporibus idem antèa fecerit, vidente, atque approbante Rege, quare quod antèa Regi gratum accidit, non putabat modò futurum offensioni.] Ecce eadem actio, quæ antèa grata, modò grauissimo supplicio censetur digna. Quia consuluit oraculum, majestatis jam reus, qui olim, quia consulebat, Regi gratus, & amicus. Vbi animus passionibus nõ obturbatus laudabat idẽ, quod modò odio obcæcatus carpebat. Ionathas inermi Dauidi juxta lapidem Ezel consultò arcum suum non dedit, etsi dederit antea. *Dedit Ionathas arma sua puero, & dixit ei: Vade, & defer in ciuitatem.* Si Ionathas arcum suum Dauidi dederat antèa: *Expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum*, cur modò non exhibuit, cùm modò essent opportuniora, & antèa non necessaria? Antèa Dauid habebat Goliath gladium, modò nullum: ergo satius erat nunc eum armis munire, quàm antèa ornare. Profectò Ionathas vti prudentissimus experiebatur jam patris affectum erga Dauidem demutatum: ergo licet arcum antèa Dauidi dedisse Regi fuerit gratũ, modò haberetur delictũ. Ionathas arcum Dauidi Innocẽti ad vitam tuendam dilargitus, exerceret virtutem, sed Saul, quia jam Dauidis odio exæstuans, assereret prauitatem. Ita Abulensis *quæst.* 20. *ad cap.* 21: *Dato, quòd Ionathas vellet Dauid dare arcum suum: non conueniebat, quia per hoc incideret in præsumptionem.* Arcu Dauidem adornasse Sauli bene tunc in Dauidem affecto fuit gratum, modò malè affectus maximum criminaretur delictum: ergo sapienter Ionathas modò abstinuit, qui affectum patris immutatum agnouit. Vt verùm sit, eandem actionem pro affectus varietate crimini verti, aut laudibus celebrari.

Sup. c. 20. v. 40.

Sup. c. 18. v. 4.

TEXTVS.

VERS. XVI. Dixitque Rex: Morte morieris Achimelech tu, & omnis domus patris tui.

§. XXXVII.

Index, quam factam sibi suspicatur injuriam, non solùm punit rigidus, sed ferus.

Index. Iniuria.

SEmper judex timendus est, quia in re dignitatis suæ plurimum potest. *Quærat Index* (aiebat Cassiodorus 6. *variar.* 24.) *in vos causas, & non inueniat. Improbis iudicem, testem bonis moribus designamus, vt nemo se cogi sentiat, nisi quem ordo legitimæ conuersationis accusat.* Nullus à probato judice cogitur, si bonis moribus expolitur; verùm non semel, cui esse debuit causas non inuenire jucundum, confingere est gratum. Sunt, qui architectentur delicta, vt lucra acquisiuerint detestanda; verùm etsi Præsulis sit potestas timenda, tunc præcipuè, cùm irrogatam sibi suspicatur injuriam, & illatam arbitratur offensam, nam tunc jura detorqueri solitant, & indignationi corruptæ leges obtemperant. Vt vltionem expetat, non solùm inflammatur rigidus, sed abutitur potestate cruentus. Miserrimus est, qui in manus judicis deuenit, si

factam

factam sibi injuriam æstimarit. Saul ad Tribunal sacerdotes asciscit, quia malè fundata suspicione Dauidis partem sequutos existimauit; & licet Achimelech objecta sibi enidēter diluerit, ei mortem Saul decreuit: *Dixitque Rex: Morte morieris, Achimelech, tu, & omnis domus patris tui.* Quàm citò causam absoluit, quàm citò morte damnauit: leuis adhuc causa longiori indigebat tempore, & solicitiore examine, & grauis adeò citissimè definitur, pœnaque decernitur, & sine mora executioni mandatur. Iam si quæras, cur ferali adeò sæuitia in omnes sacerdotes Saul sententiam p otulerit, respondebit Abulensis, inanissimis conjecturis offensam sibi ab eis factam credidisse, & suspicione ductum sententiam dictasse. Arbitratus est Achimelech, quia pro Dauid Deum consuluerat, sibi aduersari, & sacerdotes c reteros vtpotè eius cognatos Dauidis etiam partes tueri: ergo feralem truculentiam est supergressus, dum ab eis sibi injuriam factam est suspicatus. Audi Abulensem *q. 22. Credidit, quòd isti, qui erant de domo patris Achimelech, coniurassent.* Conjectura malè fundata ductus est sæuitiam omnem transgressus. [Quia cùm Achimelech, qui erat Princeps sacerdotum, conjurasset cum Dauid, videbatur, quòd ipse attraxisset omnes, qui erant de domo sua ad tenendum eandem opinionem.] Itaque falsissimis conjecturis sibi à sacerdotibus illatam est suspicatus injuriam: ergo protulit in omnes duram sententiam. Vt videas, quàm sit timendus judex, qui fruitur potestate, & hujusmodi ducitur opinione. Prouidenter in propriis causis judicibus est potestas erepta, ne desæuirent ferali insania.

TEXTVS.

VERS. XVII. Et ait Rex emissariis, qui circunstabant eum: Conuertimini, & interficite Sacerdotes Domini: nam manus eorum cùm Dauid est; scientes quòd fugisset, & non indicauerunt mihi. Noluerunt autem serui Regis extendere manus suas in sacerdotes Domini.

§. XXXVIII.

Manus in Dei Sacerdotem extendere, est in se ardentissimam iram Numinis concitare.

Sacerdos. Irreuerētia. SAcerdos Dei gerit personam, & cœlestem portat imaginem. Vndè vel idololatriæ cæcitate deliri, sacerdotes semper sunt magna studiositate reueriti. *Sacerdotibus etiam ignotis* (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 34.) *honorem debemus, quantò magis illis, quos amabili veneratione conspeximus.* Etiam sacerdos, cuius proba nobis conuersatio non cognita dignitatis jure exigit venerationis obsequia; aliter, si in specialiter sibi famulantibus Deus despicitur, ardor cœlestis ad vltionem armatur. Et licet sæpè Deus sua sibi patientia videatur detrahere; validam tamen manum in vindicandis sacerdotis injuriis consueuit ostendere. Ob id emissarij, quamvis Saulis adurgerentur præcepto, eius maluerunt indignationem subire, quàm sacerdotum sanguine defædari: *Noluerunt serui Regis extendere manus suas in sacerdotes Domini.* Vel emissarij humano sanguine aspergi assueti, & vitam adimere hominibus assuefacti detrectarunt, non solùm trucidare, sed manum etiam ad tangendum irreuerenter extendere. *Digni sunt laude satellites Saulis* (inquit Theodoretus apud Glossam) *neque enim cùm Rex iussisset, toleraruntinquinare manus cæde sacerdotum.* Timendum erat, ne Rex ira percitus sibi non obtemperantes acerbissimis suppliciis mulctaret; illi verò maluerunt Numinis iram vitare, quàm Regis indignationem effugere. Et vide Dei prouidentiam. Sacerdotes reueriti Saulis non subierunt iram, quia ipsa exhibita reuerenter obsequia, quæ imminere videbantur, depulere pericula. Pilatus in Christum Patris Sacerdotem manus exhorruit extendere, & ab eius morte se prorsus immunem, manus abluendo adnisus est ostentare: *Lauit manum coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Audi Hilarium ad illud: *In cathedra pestilentiæ non sedit, Psal. 1. Illa ergo erit pestilens, cuius contagium Pilatus manus abluendo declinat.* Vti pestilens contagium exhorruit mortis decretum: & jura, nam contra se nocentissimam aduocat pestem, qui inferre sacerdoti non timet mortem. Duos filios Respha tradidit Dauid exigentibus Gabaonitis cruci affigendos: *Tulit itaque Rex duos filios Respha.* Cur infami supplicio perierint Respha filij, inquirunt Interpretes. Hieronymus ex traditionibus Hebræorum ait apud nostrum Sancium operas suas Doeg præstitisse ad inferendam sacerdotibus necem, & ob id, Deo justissimo vindice, tulisse infamem, & acerbissimam mortem. Sancium audi: [Sunt, qui putent duos Saulis filios ex Respha concubina susceptos in illam impiam cædem manus quoque sacrilegas armasse. Ita ex Hebræorum traditionibus *in lib. 2. Reg. 2.* quod item placuit ibidem Angelomo; & idcò credunt hos duos filios Respha actos fuisse in crucem.] Manus in sacerdotes armatæ clami duriſſimis sunt transfossæ. Et Saul etiam, dum manum in Samuelem sacerdotis munere sanctum extendit, jam à se regnum scissum amisit: *Apprehendit summitatem pallij eius, quæ Sup. c. 15. scissa est. Et ait ad eum Samuel: scidit Dominus regnum Israel à te hodie.* Expende illud, *Hodie.* Multis se Saul piaculis infecerat, sed dum audacter manum contra sacerdotem misit, jam contra se indignationem complent. *Interpretatus est Samuel* (inquit Caietanus ibi) *scissionem sui pallij, signum esse scissionis regni à Saule decretæ à Deo.* Quousque manum in sacerdotem extendit, non videbatur supplicium illud fixè adeò stabilitum; ast manu jam missa irreuocabiliter est decretum. Sic Deus irreuerentiam suis sacerdotibus factam punit, & supplicio, quàm sit graue piaculum, docet.

Matth. 27. v. 24.

2. Reg. 21. v. 8.

§. XXXIX.

Principibus in iussis rationabiliter est promptissimè obtemperandum, in iniquè decretis nullatenus est parendum.

Princeps. Obedientia.

INsitum debet esse subditis Principes suos pura mente diligere, & obsequiis promptissimis eorum iussis obtemperare. *Quam enim vicissitudinem* (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 14.) *reddat, qui maximo labore defenditur, cuius per dies singulos ciuilitas custoditur, nisi vt illos diligat super omnia, per quos habere probatur vniuersa? Absit enim à temporibus nostris, vt in vobis tale aliquid reperiamus, quod nostris indignationibus esse possit idoneum.* Dominis, à quibus ciuilitas custoditur, & à quibus honor seruulis exhibetur, ex prompta hilaritate præstari debet obedientia, vt obsequendo rependat gratiam, qui liberalem est expertus munificentiam. Verùm tunc solùm honestè obtemperatur, cùm nihil contra æquitatem iubetur; nam si obedientia est legis iniuria, obtemperantis est nota. Saul emissariis imperat in sacerdotes irruere, quos nulla defœdauerat culpa, & solùm morti destinarat cœcissima indignationis excandescentia: verùm etsi Regis adurgeret præceptum, exequi contra rationem detrectauere mandatum: *Noluerunt serui Regis extendere manus suas in sacerdotes Domini.* Tunc vere Regis extiterunt serui, cùm non obedierunt furori. Erant designati ad inferendam meritam nocentibus pœnam: ergo noluerunt muneris querela immeritis intulisse iniuriam. *Emissarij sunt* (inquit Hugo) *qui imperio Regis emittuntur ad interficiendos reos.* Reos debebant interficere, non innocuos: ergo noluerunt munus adulterare, & contra æquitatem extendere. Consonat Lira: *Sciebant, quòd non erat obediendum Regi in illis, quæ sunt contra Deum.* Vbi rationalis est obedientia, debet promptè executioni mandari, vbi rationi aduersa, repelli. Adde, aliquando citiùs diuinam indignationem pati exequentem inhonesta mandata, quàm alia perpetrantem delicta. Nabuchodonosor cœco furore repletus idola, ac vanissima figmenta despicientes pueros voracibus tradi flammis præcepit. Regis ministri, vt adularentur furori imperium exequuntur; sed ignis, qui pepercit Regi approximanti seruulos flammarum, ac tetri fumi mersit torrente: *Erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis.* Miseri famuli, qui dum obtemperando satagunt vitæ acquirere commoda, inuenerunt dura supplicia, & dum exambiunt Principis gratiam, Numinis experiuntur flammantem iram. Notauit Hugo *ad hoc cap. 22. Argumentum, quòd non est obediendum Dominis in his, quæ sunt mala. Vndè ministros Nabuchodonosor, qui ad imperium eius miserunt pueros in fornacem, combussit flamma ignis.* Vt mandata exequantur, fornaci accedunt, sed dum accedunt ad exequenda iussa, currunt imprudenter ad voracissima incendia: *Incendit, quos reperit iuxta fornacem.* Distantiores erant, qui adorauerunt statuam, proximiores periculo, incendioque, qui executi sunt detestabilem obedientiam.

Dan. 3. v. 48.

§. XL.

Quæ ob virtutem pericula despiciuntur, ipsa virtute frustrantur.

VIrtutis sæpè assecla variis perturbationum molestiis impetitur, & periculis adurgentibus diuexatur; verùm si animos resumat, & horrorem periculorum generosè repellat, ipsa alacritate securam defensionem inueniet, & periculum effugabit. *Defensio vos obsidet* (alloquitur deuotos seruulos Princeps apud Cassiodorum 10. *variar.* 18.) *ne manus inimica circumdet, & à periculis excipimus, quos nostrorum sanguine vindicamus.* Dum periculi terror despicitur, ipsa despectus honestate fugatur. Saul iubet sacerdotes interfici: *Interficite Sacerdotes Domini.* Serui prudenter obsurdescunt, & quòd à Rege ira percito imminere videbatur, periculum animosè despiciunt: *Noluerunt serui Regis extendere manus suas in sacerdotes Domini.* Putares vti refractarios dura castigatione puniendos; non tamen audies Saulem contra ipsos aut decreuisse supplicium, aut asperum protulisse verbum. Hanc difficultatem tradit Abulensis *quæst. 26.* aitque agnouisse rationabilem obedientiam, sicque continuisse iram. Eius verba sunt: *Videbat eos iustè repugnare ei, & sic non irascebatur eis.* Ipsa causa, quæ dictionem consulnit extrahere, inuenta est indignationem sopire, & dum Saul agnoscit iustè iussis refragari seruum, ausus non est inferre inobedienti supplicium. Vt videas, quàm sit verum periculum eludi, cùm ob virtutem generosè contigit despici. Darius insidiantium dulci adulatione inescatus, superbum profert decretum, ne quis Deum exorarit, aut aliquid ab eo impetrare præsumpserit. Verùm Daniel, etsi non ignorarit captiosas insidias, & indignationis ardentes flammas, orationi incubuit, & minas Regis contempsit: insidiantium accusatione feralibus leonum rictibus traditur, sed ab ipsis carniuoris bestiis custoditur: *Deus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum.* Edictum adimplere noluit, vt religioni inseruiret, & dum leonis ferocia ob iustitiam contemnitur, ipso contemptu frænatur. Audi Zenonem *serm. de Tirno. Leonibus obiectus in periculo prandet, qui solet extra periculum ieiunare.* Inter leones sedet securus, qui in aula stabat quasi ad bella paratus, & variis suspicionibus impetitus. *Daniel erat in foribus Regis.* In palatio stat veluti in regione hostili; in lacu & securus prandet, & quietus dormit. Ipse Rex, cuius edictis non paruit, quia non paruerat, suspexit, & eximium Dei cultorem dilaudauit: *Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te.* Dignè de Deo præsumpsit, & Danielis Religionem commendauit. Itaque Dei timore timorem Propheta vicit, & periculum abegit.

Virtus. Periculum.

Dan. 6. v. 22.

Dan. 26 v. 49.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Et ait Rex ad Doeg: Conuertere tu, & irrue in Sacerdotes. Conuersusque Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo.

§. XLI.

Quod pluribus generalitate præcipitur, aut lente, aut nunquam impletur.

Præceptum. Obedientia.

SVfficit dominantis votum, vt deuotos seruos ad exhibendum excitarit officium; quid erit, si apertè prodat mandatum? Verùm dum quisque quod pluribus committitur, ad se specialiter non pertinere arbitratur, mandati executio prompta differtur. *Nullum decet* (aiebat Cassiodorus 3. *variarum* 5.) *nostras grauanter suscipere iussiones, quæ magis vtilitates noscuntur extollere deuotorum.* Sæpè Principum iussio studet vtilitates inseruientium augere, sed opus est ad aliquem mandatum specialiter spectare; nam si sub generalitate iubetur, nullus se ea constringi iussione arbitratur. Præceperat Saul in communi seruis suis rem satis impiam, sacerdotes scilicèt Dei occidere: *Interficite sacerdotes Domini*: verùm cùm quisque se contineret, specialiter Doeg dedit præceptum: *Conuertere tu, & irrue in sacerdotes*, & iam Doeg impium explet mandatum: *Irruit in sacerdotes*: Quærit Abulensis, cur vniuersali manum continuerit præcepto inclusus, & modò perfecerit adeò expromptus? Respondetque *quæst.* 25. putasse illud sibi non iuberi, & ob hoc se priùs continuisse; ast dum ad eum specialiter est iussio delata, in exequendo nulla fuit mora. *Respondendum est* (inquit) *quòd Doeg non fecit hoc, quando iussum est seruis Israel in vniuersali, quia putabat, quòd Rex non intenderit ei iubere hoc, ideò quamquam ipse esset vnus de seruis, noluit illud agere, quousque plus constaret ei de voluntate Regis.* Generalia mandata sunt perfunctoria præcepta; nam dum quisque aut propria desidia personatus, aut ne abrodatur à cæteris ambitiosus, moras nectit, & nihil facit. Quod ad Reipublicæ vtilitatem spectat, speciali ministro debet delegari, alioquin omnia videntur confundi; nam dum quisque ad se existimat non pertinere, contingit omnes executionem morari. Cùm Apostoli piscium multitudinem concluisissent, aliquos sub generalitate Christus iubet afferri: *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.* Quid tunc? Petrus ascendit, & traxit: *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram.* Chrysostomus *in Catena* eximium Petri feruorem agnoscit: *Petrus feruentior erat.* Alioquin quod sub generalitate iubebatur, lentiùs fortassè perficeretur: eximia reluxit Petrus obedientiæ virtute ornatus, cùm adeò promptè studuit absoluere, quod audierat sub generalitate iuberi.

Ioan. 21. v. 10.

§. XLII.

Implacabili dæmon persequitur odio Eucharistia hominem obarmantes, & ab voluptatis insidiis eripientes.

NIhil tam dolori dæmoni est, ac sacerdos, qui solicitat homines Eucharistia munire, & à captiosis voluptatis fraudibus assernare. *Ex eo enim* (aiebat Clemens Alexandrinus *lib. 3. Pædagog. cap. 9.*) *quod est ignitum, fulgor, & splendor accedit.* Eucharistia ignis est: ergo ab ignito epulo fulgor menti emanat, & splendor, qui obscuras dæmonis versutias eneruat. Dum Christus cruci affigitur, princeps huius mundi depellitur, dicente Domino: *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras.* Cumque Eucharistia sit incruenta passio, in Eucharistia, vt in cruce suum dæmon videt exitium, & verissimum veretur tormentum. *Vt nullus horror cruoris sit* (aiebat Ambrosius *lib. 4. de sacrament. cap. 1.*) *& pretium operetur redemptionis*: Quod salubre homini epulum, dæmoni est venenum lethiferum: ergo implacabili ardet odio in eos sacerdotes, qui studiosiùs hunc panem impertiunt, & contra eius technas quasi coniuratione valida insurgunt. Saul à dæmone exagitatus, immò dæmonis persona vestitus ardenti adeò furore in Achimelech, sacerdotesque insaniuit, vt omnes trucidarit: *Irrue in sacerdotes.* Et quod sacerdotis delictum? Iam ipse explicuit: *Quare coniurastis aduersum me tu, & filius Isai, & dedisti ei panes?* Vbi pane sanctificato vesci Danidi suasit, validà dæmonem coniuratione imperiit. Sic Saul deluit Dauid cœlesti innutritum epulo, vt in sacerdotem implacabili insurgat odio. Ob id Doeg, vt gratissima Saulem sibi adulatione pelleret, manus in sacerdotes armauit. Et quid dæmoni gratius, quàm sacerdotes Eucharistiæ frequentationem persuadentes affligere, & variis afflictationibus diuexare? *Credidit Rex* (inquit Abulens. *q. 25.*) *quòd nemo esset de illo, qui tantum in hac parte faueret ei sicut Doeg.* Nullus adeò Sauli gratum exhibere potuit officium, vt Doeg, cùm sacerdotum procurauit interitum. Sæpè cæpisti mecum expendebam, cur contra Iesuitas dæmon tot persecutiones excitarit, tot in campum inimicos produxerit? Sed iam furoris inuenio causam, Iesuitas scilicèt ab exordio religionis studiosissimè persuasisse hominibus, cœlestis panis frequentiam: ergo cùm hanc validâ coniurationem contra vitia disposuerint, in eos implacabili odio dæmon exarsit, & volumina persecutionũ aduxit.

Eucha. i. Damas. Ioan. 12. v. 31.

§. XLIII.

Ille præ aliis habetur amicus, qui ad perpetranda scelera est socius.

CVm vera amicitia legitima sit virtutis progenies, honestatisque proles, sic delirant homines, vt eos præ aliis sibi existiment amicitia coniunctos, quos ad scelera inueniunt auxiliares, & promptos. *Furentes iusta non sentiunt* (aiebat Cassiodorus 4. *variar.* 10.) *quia dum commoti animo in vindictam seruiunt, rerum temperantiam non requirunt.* Quisquis aliqua animi peste laborat, iusta non sentit, temperantem non admittit, & solùm præstantem, quas exambit operas amicum credit. Cùm nullus è tot seruis manus armatas vellet contra sacerdotes adducere, Saul impium adeò facinus Doeg commendauit. Et

Amici Simile.

Et ait Rex ad Doeg : Conuertere tu , & irrue in ſacerdotes. Conuerſuſque Doeg Idumæus irruit in ſacerdotes. Cur ſpecialiter hoc dederit Doeg mandatum rogant Interpretes. Abulenſis *q.* 25. exiſtimat Saulem credidiſſe Doeg præ cæteris ſibi amicum , & ob id de præſtandis ad cædem operis non dubitaſſe. *Quare magis ei ſpecialiter hoc dixerit , quàm aliis ?* Iam reſpondet : *Quia Doeg erat adulator, & ſuperexcellens amicus, ideò Regi vellet complacere in omnibus approbando factum eius.* Ecce Doeg præ cæteris habebatur amicus, quia iniqua Saulis deſideria fouebat , & operas ad exequenda præſtabat. Multoties qui animi furorem frænat , qui peccandi occaſiones eliminat, habetur aduerſarius, cùm adulator, & qui igniculos ad vitia adiicit , verus reputetur amicus. Doeg linguam contra ſacerdotes armans Saulis inflammauit furorem, poſteà executus eſt impiam necem : ergo hic præcellens habebatur amicus , & cæteris præcellebat dilectus : *Doeg erat adulator , & ſuperexcellens amicus.* Prodigi frater hœdum ſibi non datum quæritur, vt amicis conuiuium inſtrueret : *Nunquam dediſti mihi hœdum, vt cùm amicis meis epularer.* Pinguis , & tenerrimus vitulus apparatur, & tamen ad menſam diſcumbere prorſus renititur. Domum intrare , & cum patris ſeruis epulari non vult. Et quare ? Quia ipſe non computabat inter amicos, immò habebat aduerſarios patris ſeruos , qui menſam parauerant , & in patris gratiam conditum prodigo vitulum exhibuerant , à quibus ſe in patris obſequium videbat & amari, & admoueri extraneos reputabat. Accipe Chryſologum *ſerm.* 4. *Amicos paternos ſuos eſſe non computat, hos non amicos, ſed extraneos credit, à quibus vidit in patris gratiam ſe amari.* Patris domeſticos auerſatur vti infenſos ſibi inimicos , quia vitulum Euchariſticum apparant, & prodigum cibant, & quia eum optimis monitis ad virtutem allectabant , & intrare ſuadebant , eos ſolùm amicos computabat, qui ei improba conſilia ſuggererent , & probarent.

Luc. 15. v. 29.

§. LXIV.

Sæpè apud ſæculi Principes excellit præmiis, qui eorum annuit iniquiſſimis votis.

Præmium. Princeps. Votum.

PRæmium honeſtè virtuti tributum penditur, & ſoluentis etiam laudibus applicatur. Quid enim dignius , quàm merita dignis honoribus compenſare , & alios ad honeſtam ambitionem accendere ? Verùm apud Principes non benè moratos ille præ cæteris eminere ſolet honoribus, qui concinnat occaſiones cupiditatibus. Expendebat Seneca *epiſt.* 41. Leonem , ſi ſpecioſo , & naturali horrore depoſito tractari ſe permittat, & indecenter obtemperet, auro apud Principes fulgere , & pretioſis ornamentis veſtiri : *Aliter Leo aurata iuba demittitur, dum contrectatur , & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus : aliter incultus integri ſpiritus : hic ſcilicèt impetu acer , qualem illum eſſe natura voluit ; ſpecioſus ex horrido, cuius hic decor eſt non ſine timore adſpici, præfertur illi languido , & bracteato.* Præferendus erat Leo integri ſpiritus, & à naturali conſtitucione non deprauatus ; verùm fulget aureis ornamentis bracteatus , qui languidus ducentem ſequitur. Inter Saulis ſeruos Doeg refertur primus : *Erat primus inter ſeruos Saul.* Et expende tunc referri primum, cum conceptam contra Danidem iram ſuſurrationibus inflammauit , & ſacerdotum ſanguine manus pollut : *Irruit in Sacerdotes , & trucidauit in die illa octoginta quinque viros veſtitos Ephod lineo.* Præ aliis opem tulit Sauli cœco vindictæ ardore inflammato , ſtabiliendi ſceptri ambitione deliro : ergo præ aliis eminuit honoratus , & amicitia Principis dignus. Notauit Abulenſis *quæſt.* 25. *Doeg erat adulator , & ſuperexcellens amicus ; ideò Regi vellet complacere in omnibus approbando factum eius.* Dum iniquis deſideriis obtemperat , dum executioni mandat, fulget ſimilitudinis merito, & adulationis officio. Ramnus propinquiores ſibi eſſe voluit inconditos, ſylueſtreſque frutices : *Si verè me Regem vobis conſtituitis ; venite , & ſub vmbra mea requieſcite.* Ramnus Abimelech ænigma fratrum ſitiebat cædem , vt ſibi arriperet dignitatem. Sylueſtres arbores opem contulerunt , & iniquam cædem perpetrarunt : ergo his requies placidiſſima procuratur , & ad eorum commoda vmbra protectionis extenditur : excludebatur malus pulcherrimis pomis ornata , palma triumphali virore celſa, quia dumeta familiaritate coniuncta. *Significantur* (inquit Gloſſa moralis) *homines indigni promotione, promoueri tamen procurant multiplici fictione.* Fouendo ambitioſiſſima deſideria, perpetrando feralia homicidia meruerunt approximare, & requie ſibi placidiſſima frui : *Requieſcite ſub vmbra mea.* Proh infeliciſſimam requiem ! Proh deteſtandam propinquitatem ! Doeg Idumæus refertur amicus , quia mali Principis votis exequendis paratus.

Iudic. 9. v. 15.

§. XLV.

Frequenter mors eſt vitæ legitima conſequentia , & morum lingua.

Mors. Vita.

VT in via impreſſa tranſeuntis relinquuntur veſtigia , ex quibus ſæpè non indubia deſumuntur argumenta ; ſic in morte, qua ad aliam ſe vitam omnes dirigunt, aliquæ apparent notæ, ex quibus qualis fuerit retroacta vita, dignoſcitur, aut coniicitur: Mors à Poeta vocatur imago: *Triſtiſſima mortis imago*: nam , vt in imagine idæa videtur ; ſic in morte vita dignoſcitur. *Cogita* (aiebat Seneca) *lib. 5. de Beneficiis cap.* 17.) *non eſſe ſummum bonum in tempore ; quamtumcumque eſt, boni conſule , vt prorogetur tibi dies mortis, nihil proficit ad felicitatem : quoniam mora non fit beatior vita , ſed longior. Quanto ſatius eſt gratum aduerſus perceptas voluptates non aliorum annos computare , ſed ſuos benignè æſtimare , & in lucro ponere.* Mors eſt vitæ lucrum , immò & ſpeculum. Abelo vitam abſtulit frater , quo iam impietas à ſuo auſpicata in alienum ſanguinem armaretur : Abeli mors in agro contigit , vbi paſcebat agnos, ibique audiebatur vocalis ſanguis, vt fratrem auerteret ab erroribus ; vbi Abelus, dum vineret, vocem emittebat , qua tutam viam oſtenderet gregibus: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Quod Abelus exercuerat vius, & modo exercet vita priuatus, vt mors ſit vitæ non indubium argumentum , immò certiſſimum teſtimonium. Prodeſt Baſil. Seleuc. *orat.* 4. *Vt aggreſſoris nequitiam vſu meliore commutet , vt vietum morti ſubiiciat fundamentum.* In Abeli morte legitur eius vita ; clamat , vt fratrem à gehennalis lupi rictu prouidenter auertat ;

Gen. 4. v. 10.

qui vinus arcebat lupos, & florida ostenderat pascua ouibus. Non otiosè Dei sacerdotes referuntur in morte Ephod vestiti: *Trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo.* Qui adspiceret mortuos, ex ipso habitu sacerdotio agnosceret functos: honorabile in morte fuit ornamentum, quod in vita fuerat præstitum Numini officium. Eisdem, quibus in vita ornati, in morte apparebant vestiti, lineo Ephod altaribus inseruientes resplendebant ornati, & eodem in morte conspiciebantur vestiti. Notauit Lira: *Venerant ad Regem in vestibus, in quibus ministrabant ante Deum.* Ad mortem properabant: ergo non potuerunt vitæ ornamentis nudari, etsi potuerint è vita expungi. Si eo ante Deum, dum viuerent, non floruissent ornatu, dum morerentur, eo non adornarentur amictu; verùm in morte adornabantur candido amictu, quia eo in vita Deo inseruientes resplenduerant ornatu. Itaque in morte legebatur vita, & erat Ephod vitæ testimonium, & non dubium dignitatis indicium. Ea est diuina misericordia, vt plures turpem vitam honesta finierint clausula; verùm frequenter mors vitæ respondet, & vt corpus post se vmbram proiicit, in qua etsi obscuris lineis depingitur, sic in morte, quæ est vitæ vmbra vita legitur, aut coniicitur.

§. XLVI.

Apud Principes innocentia rarò inuenit tutelares, potentia, & nobilitas plurimos obtinet defensores.

Virtus. Princeps. Nobilitas.

Virtus (aiebat Seneca 2. *de Ira cap. 6.*) *vt honestis rebus propitia est, ita turpibus irata esse debet.* Virtus turpibus irascitur, honestis fauet: verùm politices, quæ frequenter non tam virtuti accedit, quàm ambitioni, minus tuetur honesta, quam apud sæculum celebrata. Non inuenit pauper patronum, qui eius causam iuri conformem defendat, ad diuitem inuolat, qui eius partes rationi aduersas defendendas suscipiat. Virtus non inuenit tutamentum, potentia inuenit facillimè patrocinium. Ionathas, quia legem transgressus, mortis pronuntiatur reus: *Morte morieris Ionatha*; verùm populus à morte eripuit, & pro Ionatha patrocinium suscepit: *Liberauit populus Ionatham, vt non moreretur.* Sacerdotes Domini hoc in capite ob iniquam suspicionem morte damnantur: *Morte morieris Achimelech tu, & omnis domus patris tui.* Sententiam impius Doeg impleuit, & Sacerdotes Domini trucidauit: *Irruit in Sacerdotes.* Fas erat populum consurgere, & Domini Sacerdotes insanis suspicionibus morti addictos liberare; & tamen non audies aliquem regio furori obuiasse, cùm legas totum populum causam Ionathæ suscepisse. Ecqua huius discriminis causa est? Quia Ionathas (inquit Chrysostomus) potentia, & nobilitate conspicuus, Achimelech innocentia, & virtutibus exornatus: ergo hic cauit in curia patrocinio, ille multiplici est defensus patrono. Audi Chrysostom. *in Psal. 134.* & apud Glossam, *Quando Ionatham filium Saulis eripere oportebat, omnes communiter assentantes eripuerunt. Quando autem volebat occidere tot Sacerdotes, ne vocem quidem emiserunt, nec eos defenderunt.* Idem Rex & Ionatham, & Sacerdotem damnabat. Ionatham cœlestis sors declarauit edicti reum, Sacerdotem sola iniqua suspicio publicabat crimine defœdatum, & tamen nullus pro innocentia restitit, & omnis populus Ionatham discrimine eripuit. Principis culpa mansit inulta, Sacerdotis virtus morte mulctata. Vt noueris, quàm apud sæculi tribunalia virtus indefensa doleat, quàm potentia reclamante iure crimina eludat. Iustam causam defendendam susceperat aduersus potentem Plinius, & se cum ingentibus difficultatibus testatur colluctatum, immò & iudicibus ipsis indefensum. Ipsum audi *3. epist. 9. Quàm ardua, quàm molesta tot reorum amicis secretò rogantibus negare, aduersantibus palam obsistere? Referebam vnum aliquod ex omnibus his, quæ dixi, cùm mihi quidam è iudicibus ipsis pro reo gratiosissime reclamaret.* Quid aderent innocentiæ defensores, quando ipsi pro reo conspicuo, sibique familiari apparerent indices tutelares.

TEXTVS.

VERS. XIX. Nobe autem ciuitatem Sacerdotum percussit in ore gladij, viros, & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouemque, & asinum, & ouem in ore gladij.

§. XLVII.

Ambitiosus desæuit truculentissimus, & præ feris extimescendus.

Ambitiosus.

AMbitio modum ignorat, mensuram æquitatis excedit, vtque perueniat ad exopta-ta fastigia, ferarum aliquando mutuatur ingenia. Vbi Isaias Luciferi retulit ambitionem, gentes etiam vulneribus confossas, & ferali sæuitia protulit laceratas: *Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam.* Cum ambitione nata est altrorum deiectio, gentium vulneratio, quasi ambitio nequeat sanguinem non spirare, & sæuitiam omnem supergredi: *Qui vulnerabas gentes* (inquit Lira) *id est, Angelos alios.* Nec similitudo defendit, nec cognatio protegit, si ambitio gliscit. Saul, vt sibi stabilierit regnum, nihil non tentauit, trucidauit Sacerdotes, in Nobe nullos reliquit ciues: *Nobe autem ciuitatem Sacerdotum percussit in ore gladij*, &c. Qui Amalecitas contra præceptum seruauit asinos, modò innocuos prorsus perdidit ambitiosus. Prophetæ asino fera truculenta pepercit. Saul asinos etiam occidit: *Asinus stabat iuxta illum, & leo stabat iuxta eum.* 3. Reg. 13. v. 24. *dauer.* Mira res. Leo Prophetæ asino non nocet, sæuitiam moderatus, Saul nec asinis, nec bobus parcit, leonis truculentiam supergressus. Ecqua huius causa? Quia ambitio vicit ferarum truculentiam, Leonum sæuitiam. Notauit Caietanus: *Bouem, & asinum, & ouem in ore gladij. Vide crudelitatem plusquam ferinam.* Leo asini cruore abstinuit; Saul asinos vita mulctauit; plus timendum erat asino à Saule, quàm à Leone; nam Leo nouit frænare sæuitiam, Saul ambitione furens omnem est supergressus audaciam. *Non emo* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap. 42.*) *capiti coronam.* Alij legunt, *capite*, id est, non discrimini proprium abiicio caput coronæ

coronæ ambitu, nec alterius capitis dispendio mihi coronam emo, etsi ambitioni non insolitum, nec extraneum. Dauid Leonum ferociam edomuerat, & Vrsorum feritatem deuicerat: Euri. 47. v. 3. *Cum Leonibus lusit quasi cum agnis.* Qui de insurgentibus Vrsis, Leonibusque reportarat trophæum, à facie Absalon non præsumebat effu- 3. Reg. 15. v. 14. gium: *Surgite, fugiamus; neque enim erit nobis effugium à facie Absalon.* Ea in Leones audacia apertè hanc timiditatem sugillat: Cur enim à facie Absalon desperet effugium, qui de leonibus, Vrsisque toties reportarat trophæum? Quia Absalon (inquit Lira) furebat ambitiosus, desæuiebat truculentus, nec adeò est arduum truculentiam edomare, ac sæuitiam ambitionis effugere: *Eius ambitio in tantum inualuit, quod patrem de regno expellere voluit.* Duriorem sibi existimauit Dauid cum ambitioso conflictum, quàm cum leonibus, & vrsis prælium: ergo quod filium fugit prudentiæ fuit, non ignauiæ.

§. XLVIII.

Qui humana sitienter exambit, nullum apud se virtutis vestigium remanere permittit.

Temporalia. Virtus. Cupiditas. IN homine (aiebat Seneca *epist.* 41.) *id laudandum est, quod ipsius est. Familiam formosam habet, & domum pulchram: multum serit, multum fœnerat, nihil horum in ipso est, sed circa ipsum. Lauda in ipso, quod nec eripi potest, nec dari, quod proprium est hominis. Quæru quid sit: animus, & ratio in animo perfecta.* Ita profectò est; verùm eò aliquos communis perduxit insania, vt solùm existiment bona foris splendentia, eoque ardore ista discupiant, ea siti exambiant, vt ex animo omnem rationem depellant, veriti, ne quid de cupiditatibus suadeat præcidere, aut nitatur insanis cupiditatibus obuiare. Vt huius veritatis nobis sacer Textus edoceat exemplum, Saulis refert delirium. Nebe Sacerdotum ciuitatem penitùs euertit, cùm pretiosa Amalecitarum seruarit: *Nobe ciuitatem Sacerdotum percussit in ore gladij, viros, & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouemque, & asinum, & ouem in ore gladij.* Tam impiè hîc desæuiit ferus, quàm pe- Sup. cap. 15. v. 9. percit ibi benignus? *Pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum.* Nihil Dei voluit apud se remanere, nihil sæculi deperire. Notauit Hugo: *Ecce malitia erat in Saule, ipse de Amalec contra præceptum Domini retinuit sibi animalia multa. sup. 15. hic autem de sacerdotibus nihil retinet, sed totum interficit contra voluntatem Domini.* Ardor temporalium, quidquid virtutis erat, extinxit; nam incrementum cupiditatis est abolitio virtutis. Nec Dei memoriam retinent, qui ad temporalia sitienter inhiant, & despicienda, ac volatica anhelant. Pharao, dum iniquis artibus populum satagit retinere, vel Dei notitiam inuenitur ex- Exod. 5. v. 2. pungere: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Vsque ad Dei ignorationem peruenit cœcitas, quia cœca flagrabat dominium extendendi cupiditas: & quomodò debito cultu adoraret, quem fatebatur nescire: ea ignorantia erat ambitionis, & cupiditatis filia, vtque posset aliena retinere, vel quem bruta agnoscunt, affectabat Dominum ignorare. Huc voco, quod aiebat Tertullianus *de spectaculis cap.* 2. *Quàm sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana, præsertim cum aliquid eiusmodi de gaudiis, & de fructibus sæculi metuit amittere.* Ipsam conscientiam corrupit in retinendi occasionem, & affectauit ignorantiam in dissimulationem. Depranatus habendi affectus omnium cœlestium expungebat notitiam, & intellectui effundebat cœcissimam ignorantiam.

TEXTVS.

VERS. XX. & XXI. Euadens autem vnus filius Achimelech filij Achitob, cuius nomen erat Abiatar, fugit ad Dauid, & annuntiauit ei, quòd occidisset Saul Sacerdotes Domini.

§. XLIX.

Deo adhærere, est vitam producere, & periculum salutis repellere.

FAcis rem optimam (aiebat Seneca *epist.* 41.) *& tibi salutarem, si, vt scribis, perseueras ire ad bonam mentem.* Virtus corpori, & animo probatur commoda, culpa vtrique inuenitur noxia. Per peccatum mors intrauit in mundum, & delirus adeò error homines tenet, vt, quò tueantur vitam, ad rationis inuolarint offensam; indulgent voluptatibus, quarum est legitima consequentia macies, & torpor; sibique adnituntur consulere, quibus est certissimum lædere. Dum ieiunium coluit vir ille Dei, periculum elusit, & audentem Regem repressit, dum vires studuit cibo recreare, super ipsam mensam sententiam mortis meruit audire: *Non infe-* 2. Reg. 13. v. 22. *retur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum.* Ieiunus vitam produceret, pastus breuiauit: *Temerè pastus* (aiebat Tertullianus aduersus Psychicos *cap.* 16. *secundùm verbum Dei ibidem factum super mensam non est in paternis sepultus.* Daniel Deo accedens Leonum edomuit ferociam, produxit vitam: qui vires reficere studuit, incidit in Leonem. Abiatar pluritum strage edoctus, vt tueretur vitam, inuolauit ad Dauidis consortium vti ad tutissimum castrum: inopina aliorum mors ad salutem inuolare edocuit, & Dauidi Christi ænigmati adhærere suasit: *Fugit ad Dauid.* Dauidi adhærens inuenit dignitatis honorem, & protelauit etiam salutem. Notauit Lira: *Effugerat, vt per ipsum Dauid tutaretur.* A Saulis insidiis vixit Dauidi adhærescens securus, & à Dauide distans periculis semper angeretur obiectus. Res est salutaris ad bonam mentem ire, & à vitiis longè recedere. Nulla vitæ, aut saluti prosunt auxilia, si interiùs culpæ foueantur venena; vbi culpa plagam sauciauerit, caligant oculi, manus rigescunt, sanguis gelascit; & vndè vitæ quærebatur auxilium, sæpesæpiùs promanauit nocentissimum detrimentum. Israelitæ terram, quam secundum Dei præceptum fas erat inhabitare, deuoratricem arbitrantur: *Deuorat arbitratores suos,* & à Iosue Num. 13. v. 33. sententia recedere totis viribus adnituntur: *Constituamus nobis ducem, & reuertamur in* Num. 14. v. 4. *Ægyptum.* Quid tunc? *Mortui sunt, atque percussi in conspectu Domini.* Mortem declinantes, mortem sibi maturarunt, &, quam fugiebant,

Virtus. Periculum. Vitæ.

celeriter incurrerunt. Oleaster ad literam, citissimè ait morte interiisse, & lue pestifera laborasse: *Non explicat Textus qualis fuerit ista percussio, Complutensis vertit, Peste.* Quàm ab studio dissidebat euentus. Dei præceptum sequuti viuerent longa spatia, & vegeta fruerentur salute; recedentes perierunt ardentissima peste. Peccatores voluptatum tenebris obscurati vitæ, ac salutis quærunt tutamina, sed deerrantes ab itinere deuiant, & ad præcipitia imprudenter inuolant. Abiatar in Dauidis consortio & vixit, & floruit, & viguit.

§. L.

Si honesta alterius facta referantur, quid frequenter præciditur, si inhonesta, aliquid semper augetur.

Obmurmuratio. Virtus.

NEscio quo homines malignitatis pruritu, dum inhonesta referunt, aut augent, aut exornant, aut verbis peiora denotantibus indicant. In virtutum relatione parciores sumus, aliquid detrahimus, aut frigidis verbis deprimimus. *Sacrilegij, & maiestatis rei conuenimur* (aiebat Tertullianus *in Apologetico cap.* 10.) *summa hæc causa, immò tota est, & vtique digna cognosci, si non præsumptio, aut iniquitas iudicet, altera, quæ desperat; altera, quæ recusat veritatem.* In sceleris relatione quid addit præsumptio, & quod fieri potuisse temerè coniectat, vt factum publicat. Itaque virtus, & egregium factum remissioribus verbis profertur, immò aliquid frequenter substrahitur. Hinc laudandus est Abiatar, qui exoculatum Saulis furorem Dauidi referens, aliquid de perpetratis criminibus tacuit: *Annuntiauit ei, quòd occidisset Saul Sacerdotes Domini.* Non solùm occidit, sed ferali sæuitia trucidauit: *Trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo.* Nec feralis sæuitia tanto sanguine satiata est, totam Nobe ciuitatem penitus euertit, & cùm Amalecitarum oues effugerint gladium iniqua misericordia, oues Sacerdotum sustinuerunt iram exoculata sæuitia: *Nobe ciuitatem Sacerdotum percussit in ore gladij.* Et cur Abiatar tanta reticuit, nec retulit? Quia Abiatar (inquit Lira) vtpotè Dei Sacerdos solùm denuntiauit, quæ ad ipsius pertinebant tutelam, non quæ Saulis augebant culpam. Eius verba sunt: *Hic consequenter ponitur huius facti denuntiatio ipsi Dauid per ipsum Abiatar, qui effugerat, vt per ipsum Dauid tutaretur.* Itaque Saulis in Sacerdotes retulit odium, vt Sacerdos ipse inueniret profugium; reliqua Saulis sæuitiam ostendebant, & culpam exaggerabant; ergo probus Dei Sacerdos non exaggerauit culpam, sed solùm retulit, quæ ad ipsius spectabant tutelam. Quàm diuersam inierit viam Doeg iam vidimus *hoc in capite.* Pro Dauid asserunt Sacerdotem Deum consuluisse: *Consuluit pro eo Dominum,* ex cerebro suo hoc addidisse tradunt Interpretes. Ita Caietanus: *Non simplici, sed iniquo animo hæc retulisse testantur subiuncta gesta: interpretatus siquidem quæ viderat à Sacerdote fieri bona, in malam partem accusat eum tanquam Zelans pro Rege.* Consonat Glossa Moralis, *Per Doeg, qui bonum factum innocentis Sauli retulit in malum, signantur adulatores, & maligni relatores.* Vbi retulit, quod sibi videbatur delictum, mendaciis adauxit, & quod voluit finxit. Dæmon compulsus Christi Domini virtutem fateri, aiebat: *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Venerat Christus non solùm ad Dæmonem depellendum, immò præcipuè ad hominem liberandum; verùm improbus relator malignè tacuit, quæ pertinebant ad gloriam, & quæ remlit, detorsit ad excitandam inuidiam. Notauit Tertull. *lib. 1. aduersus Marcion. c. 6. Increpuit illum Iesu planè vt inuidiosum, & in ipsa confessione petulantem, & malè adulantem, quasi hæc esset summa gloria Christi, si ad perditionem Dæmonum veniss̃et, & non potius ad hominum salutem.* Retulit tormentum, tacuit auxilium, quia diabolici relatores virtutem adulterant, prauitatem semper exaggerant. Matth. 8. v. 29.

TEXTVS.

VERS. XXII. & XXIII. Et ait Dauid ad Abiatar: Sciebam in die illa, quòd cùm ibi esset Doeg Idumæus, proculdubio annuntiaret Sauli: Ego sum reus omnium animarum patris tui. Mane mecum, ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque seruaberis.

§. LI.

Iusti culpis suis solent adscribere, qua infausta Rempublicam solent premere.

Iustus. Respublica. Calamitas.

IVstus accusator est sui, sibi sæpè adscribit ad pœnitentiam, quam sustinet Respublica aduersam fortunam: nulla dedecorantur viri sancti culpa, & se diseruciant acerbissima pœnitentia. Dauid ad Achimelech confugiens, panemque petens vitæ consuluit, nec quid acerbum tot Sacerdotibus, aut ciuitati posse contingere existimauit. Saul vanis suspicionibus irritatus, ferinam est sæuitiam longè transgressus; cumque cladis notitia ad Dauidem peruenisset, iam lachrymabili voce pœnituit, & se rem perpetræ stragis protulit: *Ego sum reus omnium animarum patris tui.* Ecce veluti culpam dolet propriam, quam intulit stragem feralis ardor, & cœcus furor: à culpa immunis stragis se reum deplorat, & sibi adscribit. Notauit Chrysostomus apud Glossam: *Quando Sacerdos, qui impia Regis manus effugerat, cladem luctuosissimam annuntiauit Dauidi, erupit in amarissimam illam vocem: Ego sum causa mortis tot animarum.* Adnectit: *Huius sibi causam imputans reis omnibus infeliciùs degebat.* Qui facinus perpetrarat, gloriabatur, & Dauid dolenter discruciabatur; sibi imputabat, quæ non commiserat, & vera humilitate culpas proprias reputabat alienas. Nam sæpè sæpius Sancti ita suis in oculis vilescunt, vt sibi feliciter imponant, & quæ nullatenus perpetrarunt, suis culpis contigisse ceritissimè credant. Calamitatem, quam Hebræorum populus tunc patiebatur, tres illi sanctissimi pueri sibi adscribunt; inuisis retrò miraculis nobilitati, quæ Israelitæ sustinebant, infortunia deplorauere confusi. *Iudicia vera feciſti iuxta omnia, quæ induxisti super nos, & super ciuitatem sanctam Patrum nostrorum Hierusalem: quia in veritate, & in iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra.* Hierusalem culparum metropolim, & tunc Dan. 9. v. 18.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tunc iniquitatis emporium appellant sanctam,& sibi ipsis mirandis virtutibus expolitis attribuunt aduersam eius fortunam. Innuit Theodor. apud Gloss. *Cùm multi essemus secundùm pollicitationem, propter peccata nostra ad paucitatem redacti sumus.* In aula oratione intenti,inter delicias ieiuni,inter idololatras religiosi, inter flammas puri humiliter confunduntur,& quam Hierusalem patiebatur,calamitatem sui causa accidisse & existimant, & deplorant. Mos namque est sanctissimis viris suis culpis adscribere, si alios videant fortuna amarissima diuexari.

CAPVT XXIII.

1 ET annuntiauerunt Dauid, dicentes: Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam, & diripiunt areas: 2. Consuluit ergo Dauid Dominum, dicens: Num vadam, & percutiam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad Dauid: Vade, & percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis: 3. Et dixerunt viri, qui erant cum Dauid, ad eum: Ecce nos hic in Iudæa consistentes, timemus: quantò magis si ierimus in Ceilam aduersum agmina Philisthinorum: 4. Rursum ergo Dauid consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthæos in manu tua: 5. Abiit ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduersum Philisthæos, & abegit iumenta eorum, & percussit eos plaga magna: & saluauit Dauid habitatores Ceilæ: 6. Porrò eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad Dauid in Ceilam, Ephod secum habens descenderat: 7. Nuntiatum est autem Sauli, quod venisset Dauid in Ceilam: & ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est, introgressus vrbem, in qua portæ, & seræ sunt: 8. Et præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam descenderet in Ceilam: & obsideret Dauid, & viros eius: 9. Quod cùm Dauid rescisset, quia præpararet ei Saul clammalum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica Ephod: 10. Et ait Dauid: Domine Deus Israel, audiuit famam seruus tuus, quòd disponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me: 11. Si tradent me viri Ceilæ in manus eius? Et si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus? Dominus Deus Israel indica seruo tuo. Et ait Dominus: Descendet: 12. Dixitque Dauid: si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent: 13. Surrexit ergo Dauid, & viri eius quasi sexcenti, & egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nuntiatumque est Sauli, quod fugisset Dauid de Ceila, & saluatus esset: Quamobrem dissimulauit exire: 14. Morabatur autem Dauid in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus: & non tradidit eum Deus in manus eius: 15. Et vidit Dauid, quod egressus esset Saul, vt quæreret animam eius. Porrò Dauid erat in deserto Ziph in sylua: 16. Et surrexit Ionathas filius Saul, & abiit ad Dauid in syluam, & confortauit manus eius in Deo: dixitque ei: 17. Ne timeas, neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus, sed & Saul pater meus scit hoc: 18. Percussit ergo vterque fœdus coram Domino, mansitque Dauid in sylua: Ionathas autem reuersus est in domum suam: 19. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce Dauid latitat apud nos in locis tutissimis syluæ in colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti: 20. Nunc ergo, sicut desiderauit anima tua, vt descenderes, descende: nostrum autem erit, vt tradamus eum in manus Regis: 21. Dixitque Saul: Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam: 22. Abite ergo, oro, & diligentiùs præparate, & curiosiùs agite, & considerate locum, vbi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quod callidè insidier ei: 23. Considerate, & videte omnia latibula eius, in quibus absconditur: & reuertimini ad me ad rem certam, vt vadam vobiscum: quod si etiam in terram se abstruserit, perserutabor eum in cunctis millibus Iuda: 24. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: Dauid autem, & viri eius erant in deserto Maon, in campestribus ad dexteram Iesimon: 25. Iuit ergo Saul, & socij eius ad quærendum eum: & nuntiatum est Dauid, statimque descendit ad petram, & versabatur in deserto Maon; quod cùm audisset Saul, persecutus est Dauid in deserto Maon: 26. Et ibat Saul ad latus montis ex parte vna: Dauid autem, & viri eius erant in latere montis ex parte altera: Porrò Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul: Itaque Saul, & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid & viros eius, vt caperent eos.

eos : 27. Et nuntius venit ad Saul, dicens : Festina, & veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram : 28. Reuersus est ergo Saul desistens persequi Dauid, & perrexit in occursum Philisthinorum : propter hoc vocauerunt locum illum, Petram diuidentem.

TEXTVS.

VERS. I. Et annuntiauerunt Dauid, dicentes : Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam, & diripiunt areas.

§. I.

Præcipua dæmonis cura est homines cælesti pane priuare, quo facilius possit subruere.

Eucharistia. Dæmon.

MIlites, qui ad Martia dicantur bella, competenti nutriri debent annona ; nec enim possunt alacriter certaminibus incumbere, si constet famis morsibus adurgeri. *Nec possessor dispendia* (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 5.) *nec exercitus laborans sustinere possit inopiam.* Si inopia vires militantium eneruet, hostis sine magno labore triumphos acquiret. Hinc est, quòd dæmon, cùm cœlestem panem roboris agnoscat fomentum, & ingens ad decertandum subsidium, nihil studiosiùs curet, quàm fame animas debilitare, quo faciliùs possit sub iugum mittere. Philisthiim non mœnia subruere, non acerrimo ariete muros laborant impetere, sed præcipuum eorum studium est, quo validiùs oppugnent Ceilam, frumento nudare aream : *Et annuntiauerunt Dauid, dicentes : Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam, & diripiunt areas*, id est, diripiunt de areis collectas fruges. Ita Hugo Cardinalis : *Patet, quòd Dauid semper fuit solicitus de salute populi. Diripiunt areas, id est, annonam de areis, vel segetes deuastant.* Si annona Ceilani careant facilè aduersariis cedent, nec quibunt arma tractare, si egnerint frumento, quo vires possint reficere : ergo prima Philisthinorum solertia, & sagax astutia fuit areas diripere, quo facillimè Ceilanos possent euertere. Iosias eodem tempore Phasè celebrat agnum mactans, & lucos succidit, araſque idolorum prorsus euertit:

4. Reg. 23. v. 20. *Occidit vniuersos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria, & combussit ossa humana super ea, reuersusque est Hierusalem, & præcepit omni populo dicens : Facite Phasè Domino Deo vestro.* Dum Phasè non celebrabatur, densis arboribus luci cœli impediebant prospectum, & idola inter densas lucorum caligines obtinebant dominium ; at vbi agnus iam editur, quidquid erat dæmonis dissipatur. Notauit Tilmannus *in Allegor. ad hunc locum : succidit lucos : lucos succidere, & replere ossibus mortuorum, est vitæ sæcularis delicias exterminare per memoriam mortis. Iosias facturus Phasè purgauit terram, & templum, & eiecit figuras idolorum.* Itaque agnus fuit lucorum incendium, fatale idolorum excidium, & populus sacro epulo pastus infamem illam idolorum seruitutem depulit, & se felici libertati restituit : ergo, cùm vel Eucharistiæ vmbra hominibus indat animos, & dæmonis euertat dolos, nihil mirum si primũ fuerit Philisthinorum studium ex areis frumentum diripere, vt Ceilam possent facillimè expugnare. *Diripiunt* (inquit Glossa Moralis) *id est, rapiunt alimenta de areis, per quæ significantur verba diuina, & Eucharistiæ sacramentum, quibus fideles spiritualiter reficiuntur.*

§. II.

Dei auxilium semper est promptum, auxilium creaturarum frequenter est tardum.

Deus. Creatura. Auxilium.

PVtas aliquem supra fortunam, nisi à Deo auxilium exurgere ? Ille dat consilia recta, & salubria, ille in opportunitate confert suppetias, ille præsentaneas affert afflictis, & laborantibus operas. *Non sunt* (aiebat Senec. *epist.* 41.) *ad cœlum eleuandæ manus, nec exorandus adituus, vt nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat : propè est à te Deus, tecum est, intus est.* Stultum prorsus est æditui gratiam sibi muneribus conciliare, reuerentiam simulacris pendere, à quibus nullum subsidium, & cum quibus magnum dispendium. Propè est Deus, quem si, vt decet, colas, tibi opportunum præstabit auxilium, & impertiet laboranti solatium. Hanc veritatem Ceilani vtiliter præcalluerunt ; nam cùm à Philisthinis dura cingerentur obsidione, & copiosa aduersariorum premerentur illuuie, non ad Saulem confugerunt, sed ad Dauidem, vt suppetias ferret, inuolarunt : *Annuntiauerunt Dauid, dicentes : Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam.* Satis fuit afflictionem denuntiare, vt Dauid adniteretur succurrere ; esset namque à viro ingenio, pioque alienum, si, cùm posset, vicinis, ac cognatis magna afflictione pressis non subueniret, & suppetias denegaret. Abulensis quærit, cur spes in Dauide collocarint, nec ad Saulem, cui inferuiebant, recurrerint ? *Quæret aliquis* (ait q. 3.) *quare viri Ceilæ non vocauerunt Regem suum Saulem, vt eriperet eos ?* Iam respondet : *Aliquis respondebit, quòd crediderunt, quòd fortè Saul nollet pugnare contra Philisthinos pro illis, ideò orauerunt Dauid.* Preces ad Dauid agnouerunt non fore irritas, ad Saulem timuerunt vacuas : ergo niluerunt secura despicere, ambigua quærere. Aliam affert etiam rationem Tostatus : *Non proficiebat, quòd Ceilani vocarent Saulem, quia si Saul venturus esset ad defendendum Ceilam, primum congregaret exercitum, quem dum ipse congregaret, recederent Philisthini. Iuerunt ergo ad Dauid, quia ipse manebat apud Ceilam.* Dauid Christi personam gerens erat propè, Saul distans : ergo dum Saul exercitum cogit, dum acies instruit inimici potientur triumphum, & aduentabit auxilium tardum : ergo sua prudentia eduocuerunt, afflictis tardè à creatura auxilium prouenire, à Deo expromptissimum emanare. O quoties post dilatæ spei tormenta, post impensas non modicas inuenerunt in creaturis auxilium nullum, aut tardum, qui si ad Deum accederent, & deuoto corde inclamarent expromptum inuenirent solatium ; & periculis opportunum auxilium. Ceilani Philisthinorum, hoc est, dæmonum vota frustrarunt, quia primò, & ex corde ad Dauidem accurrerunt.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. II. Consuluit ergo Dauid Dominum, dicens: Num vadam, & percutiam Philisthæos istos? Et aït Dominus ad Dauid: Vade, & percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis.

§. III.

Oratione debet præmuniri, qui adsultus dæmonum cupit repellere.

Oratio. Tentatio.

ORatio est opulentum armamentarium, vnde comparamus arma, quibus aduersariorum frustremus vota. Qui periculosos dæmonum discupit repellere adsultus, oratione incedat armatus: oranti Deus salubria inspirat consilia, & contra inuisos hostes validissima ministrat jacula. *Omnipotens oratio* (aiebat Theodoretus in histor. Relig.) *cùm sit vna, omnia potest.* Hinc est, quòd Dauid, cùm Philisthiim repetitis adsultibus Ceilam premerent, confugit ad orationem, Deumque consuluit: *Consuluit ergo Dauid Dominum.* Nondum contra hostes arripuerat arma, & jam ei oratio præbet trophæa: *Percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis.* Quàm erat Philisthæis exitialis oratio, quandoquidem qui Ceilam sibi promittebant euertere, indecorè compulsi sunt auolare. Prodest Theodoretus apud Glossam: *Diuina scriptura ostendit Dauidis pietatem. Semper enim Deum sciscitans, & aciem instruebat, & quiescebat.* Vbi Deo accessit, eius voluntatem prænouit, inopinamque dæmoni ruinam, & Ceilanis attulit opportunam victoriam. Audebat leo contra Dauidem robore eximio præditum insurgere, ouemque rapere; orantem verò Philisthæus extimuit, & terga vertit. Adde, aliquando, quod omnipotentiæ est, orationi adscribi, & eius valentiam prodi. Gerasenos Christus Dominus adit, vt, quam fuerat nactus violenter, prædam dæmon relinquat: *Exi spiritus immunde, ab homine.* Vt à Chananæa filia impuratum depellat spiritum, ad eius domum non tendit, sed matri curationem committit: *Fiat tibi sicut vis.* Inquires, cur matris voluntati committat dæmonem abigere, aut cur Gerasenis non committat depellere? Quia matris oratio, inquit Origenes in Catena, omnipotentiam æmulatur, & ad dæmonem depellendum efficaciam sortitur. Vbi supplex non audiebatur oratio, sua præsentia Christus dæmonem & torsit, & depulit; aut vbi oratio adfuit, ei curationem commisit: *Clamabat, dicens ei, Miserere mei, Domine, fili Dauid.* Contra dæmonem oratio pugnat: ergo Dominus, vt eius efficaciam commendet, quod apud Gerasenos sua præsétia effecit, precibus fieri voluit. *Inexpertum negotium petit* (inquit Origenes in Catena) *& lamentum suum producit in clamorem.* Orationis clamor erat dæmoni sæuus dolor, & pro voluntate pellebatur orantis: *Fiat tibi sicut vis*, qui omnipotentiam reueritus est jubentis, vt constet de dæmone orationem reportare triumphum, & salutis afferre augmentum.

Matt. 5. v. 8.

Matth. 15. v. 28.

§. IV.

Ita proximis est exhibendum auxilium, vt virtutis non patiaris detrimentum.

Proximus. Auxilium. Detrimentū

CHaritas eximia effulget pietate, alienis periculis adurgetur, & ærumnis diuexatur; eius oculi misericordia pleni non patiuntur tristes vultus adspicere, immò internis maulit doloris flammis æstuare, quàm anxios gemitus miserorum audire. *Magna est quolibet tempore* (aiebat Cassiodorus 12. *var.* 10.) *monstrata deuotio, sed tunc acceptior redditur, quando necessaria plus habetur.* Cùm granior dolor miseri depascit viscera, gratior tunc succurrit medela, & dum tristia sustinentur dispendia, opportuna plus æstimantur auxilia. Ceilani, qui amœnis, spatiosisque campis fruebantur, ipsa frugum copia Philisthinorum rapacem famem vocarunt, qui dum tædia agriculturæ refugiunt, alienis diteſcere sudoribus ambiunt: ergo dum inimici fœcundis se campis infundunt, Ceilani solicitudine anxij, anxietate soliciti à Dauide suppetias petunt: *Annuntiauerunt Dauid, dicentes: Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam, & diripiunt areas.* Quid tunc Dauid? Ad Dominū confugit, & quid è re sit opportunitus, requirit: *Consuluit ergo Dauid Dominū, dicens: Num vadam, & percutiā Philisthæos istos?* Et quid opus consultatione, quando Ceilanorum labor adurgebat charitatem, & vocabat celerrimam compassionem? Dauid pietate radiabat, sed prudentia etiam fulgebat. Ceilanorū afflictio vrgebat misericordiā, sed proprium periculum consulebat prudentiam, ne, dum aliis impertitur auxilium, sustineat ipse grauissimum detrimentum, & fiat ipse Philisthinorū, hoc est, dæmonum præda, dum inconsulta mouetur misericordia. Opportunè Abulensis *q. 5. Dauid consuluit hic Dominū propter duo. Primò, propter magnitudinē periculi, cui se exponebat, volendo pugnare cōtra Philisthinos.* Dolebat afflictorū dānum, sed cognoscebat imminere sibi detrimentum: ergo cōsuluit Dominū, ne ipse incurrat majorē calamitatem, dum alienam depellere adnititur afflictionem. Suis nos gestis erudiens ita proximorum miseriis attendendum, vt nihil Philisthæo, hoc est, dæmoni in te liceat, esset namq; stultum animæ subire detrimentum, vt alteri incommodis laboranti exhibueris solatium. Hædos à lupinis rictibus eripere, & salubribus alimentis pascere monebatur sponsa: *Egredere, & abi: post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Vt laboris defatigationem melliat, & omnem timorem sopiat, adjecit sponsus: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te.* Itaq; equitatus induit similitudinem, vt campis exernantes hædos pasceret, & juxta pastorum tabernacula gerit curam, & hædorum agit tutelam: *Iuxta tabernacula pastorum.* Ambrosius hic in Collectis ait assimilari equitatui idem esse, quòd Apostolicam virtutem induere, & in se Christū semper circumferre: *Huius equæ similis æstimatur hæc anima, hoc est Propheticæ, vel Apostolicæ virtutis.* Præmiserat: *Egredere, & abi: exi quasi exuta vinculis pedem, & nudo exerta vestigio, vt carnalia integumēta non sentias: vestigiū mentis tuæ corporalia vincula non implicent, vt pes tuus speciosus appareat.* Bonum erat hædos pascere, & eorum petulantiam reprimere, sed Christum sessorem circumferendo, & pedem nullis maculis sordidando. Vt audiuit equitatui assimilari, ausa est ad pascēdos petulcos exire. Et fortassis ob id Dominus suos instruens, aiebat: *Vos estis lux mundi.*

Cant. 1. v. 7.

Matth. 5. v. 14.

Nam vt sol cœlo hæret, cùm ad depellendas mundi tenebras radios emittit; sic qui hominum caliginem vult abigere, tenetur in cœlestibus habitare. Audi Senecam *epist.* 41. [Radij solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt, vndè mittuntur: sic animus magnus, & sacer, & in hoc demissus, vt propriùs diuina nossemus, conuersatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. Illinc pendet, illuc spectat, ac nititur, nostris tanquam melior interest.] Sol optima subueniendi præbet exempla, dum cœlo residet, & radios ad terram mittit: ergo Dauid solem imitatus impendere non recusat auxilium, sed ita, vt Domino adhæreat, & omne peccatum fugiat.

TEXTVS.

VERS. III. Et dixerunt viri, qui erant cum Dauid, ad eum: Ecce nos hic in Iudæa consistentes timemus: quantò magis si jerimus in Ceilam aduersum agmina Philistinorum.

§. V.

Animus vera in Deum confidentia obarmatus nec periculis deterretur, nec humanis persuasionibus reuocatur.

Confidentia. Periculum. Persuasio.

SÆpè qui ardua virtutis sectatur opera, & laborantibus proximis adnititur ferre auxilia, humanis difficultatibus deterretur, & ne decreta perficiat, amicorum persuasionibus reuocatur: verùm tunc inconcussa in Domino fiducia perstat, & se honestissimè indurat. *Fertur apud Græcos* (aiebat Philo *lib.* 1. *de Præmiis*) *antiquum illum Triptolemum sublimem vectum alatis draconibus fruges in vniuersam terram seminasse, vt pro esu glandium alimenta mitiora genus humanum capesseret.* Porcorum cibo homines alebantur, sed Triptolemus eorum sortem miseratus nobiliori cibo eos vti desiderauit; cúmque opus esset alatis draconibus equitare, vt fœcundæ posset semina telluri committere, eis vsus est, & honestus zelus, quæ deterrere videbantur, & vicit, & subegit, ac tandem venena conuersa sunt in auxilia. Memoriam subit sanctissimus noster Xauerius, qui, cùm ad Mauri insulam pergere decreuisset, vt gentes illas ferarum more viuentes Euangelij luce manuefaceret, repetitis amicorum persuasionibus passus non est detineri; allegabant illic medicatis venenis citò conficiendum, & repetitis jaculorum ictibus vita mulctandum. Ille verò aiebat: *In Domino confido.* Qua fiducia obarmatus gentes edomuit, & Euangelij imperio subjugauit. In præsentiarum etiam Dauid, cùm à Ceilanorum ceruicibus Philisthinorum, hoc est, dæmonum jugum auertere conaretur, efficacibus, validisque suorum argumentis circumvenitur. Objiciebant Philisthinorum multitudinem, Saulis insidias, & iter illud non Ceilanis afferre remedium, sed contra Dauidem maturare periculum: *Ecce nos hic in Iudæa consistentes timemus, quantò magis si ierimus in Ceilam aduersum agmina Philisthinorum.* Ast Dauid, vt qui in Domino confideret, & virtutis causam ageret, nec periculis est deterritus, nec allegatis ab amicis rationibus persuasus, ininit pugnam, & triumphalem arripuit palmam. Prodest noster Sancius: *Cùm eo affirmasset animum, vt suppetias ferret laboranti populo, obtendebant socij rem esse minus ex suo, atq; suorum vsu, si in vrbem Palæstinæ proximam proficiscerentur, cùm in Iudæa vix se turò communire possent.* Quæ à sociis allata, vel flectere constantiâ possent; verùm Dauid, vt qui cœlestibus confidebat auxiliis, constanter est prosecutus benè decreta, & miranda resplenduit coronatus victoria. Huc voco, quod aiebat Philo jam datus: [Præmium accepit certam in Deo fiduciam, ei verò, qui ingenio tam felici perditus fuerat, vt se ipso magistro virtutem prædidicerit, præmium obtigit gaudiũ. At illi meditatori conatu magno, ac pertinaci virtutem assequuto videre Deum fuit operæ præmium palmarium, ea fiducia, lætitiaq; perpetua cum visione Dei conjuncta quid cogitari potest in vita vtilius, aut honestius?] Pertinax, rationabilisque fiduciæ Ceilanos eripuit, & Philisthinos abegit. *In Domino cõfido* (aiebat Psaltes) *quomodò dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer? quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra.* Psal. 10. v. 2. Amici, Dauidisque familiares celerem consulebant fugam, vt intentum jam contra ipsum arcum, & paratas sagittas prouidus declinaret; ipse verò in Deo inuictam confidentiam opposuit, & omnia pericula elusit. Opportunè Euthymius hic: [Suadebant ei benevoli ipsius, vt ad montes potiùs pertransiret, tutiorem illic eum futurũ esse asseuerantes. Huiusmodi igitur amicos tanquam non rectè suadentes accusat præsenti Psalmo. Ego, inquit, confido in Domino, & omne aliud auxilium respui.] Hac munitus fiducia victricem assecutus est palmam, eoque edocuit in Deo religiosam confidentiam esse inuictam armaturam.

TEXTVS.

VERS. IV. Rursum ergo Dauid consuluit Dominum, qui respondens ait ei: surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthæos in manu tua.

§. VI.

Multorum in contrarium iudicia te non debent ab honestate auertere, sed prudentia suadet rem maturius prætractari, & attentiori solicitudine expendere.

VT damnabilis est pertinax duritia, sic magni habenda in exequendo honestè decreta laudabilis pertinacia. Non respuit prudens, præcipuè si multorum consilia, sed rationabili tractina eorum rationes expẽdit, & quod honestius, exambit: si semel decretum rationi inuenerit consonum, terroribus spretis absoluet, & virtuti tenaciter adhærebit. *Conscientia recta* (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 17.) *vias publicas tenet, plurimorum collocutione gratulatur, & cùm diuersa gratanter inquirit, laboris tædio non granatur. Amicum est autem crimini velle nescíri, & qui vias suas occulit, conscientiam prodit.* Decreuerat Dauid opem Ceilanis ferre, consilium sanum militibus prodit; illi verò humana ratione remetiti, plures objecerunt rationes, quæ eò rendebant, vt sententiam retractaret: *Ecce nos hic in Iudæa*

Constantia. Prudentia.

dæa consistentes timemus, quantò magis, si ierimus in Ceilam aduersum agmina Philisthinorum? Non ignorabat Dauid cœlesti luce illustratus consilium suum ex vsu futurum; verùm ne videretur semel decretis pertinaciter inhærere, & tot consilia despicere, ad Deum iterum recurrit, & sincero animo consulit: *Rursum ergo Dauid consuluit Dominum.* Abulensis *quæst. 6.* inquirit, cur iterùm Oraculum consuluerit, cùm reportandam victoriam non ignorauerit? respondetque consuluisse non incredulum, sed prouidum, ne videretur suorum consilia spernere, si iterùm nolet ab eis objecta profunda meditatione pensare. Abulensis verba sunt: *Quæsiuit secundò non propter se, sed propter suos.* Adnectit: *Putabant, quòd consilio humano descenderet in Ceilam, & ideò recusabant illuc ire.* Iterùm rem pensitans pertinacis à se amouit notam, & persuasionibus amicorum non cedens obtinuit palmam: in vtroque nos edocens, fixè honestatem sequendam, & omnem pertinaciæ opinionem animitus euitandam. Decreuerat Christus Hierosolymam adire, discipulis
Matth. 16. v. 21. patefecit: *Cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportebat eum ire Hierosolymam, & multa pati.* Petrus, qui omnium os erat, adnisus est ab eis consiliis auertere, vt qui captiosas Pharisæorum insidias non poterat ignorare: *Absit à te, Domine, non erit tibi hoc.* Quid tunc Dominus? Petrum in montem ducit, & cum Moyse, Eliaque de eadem re colloquens decreti vtilitatem ostendit: *Dicebant excessum eius,*
Luc. 9. v. 34. *quem completurus erat in Hierusalem.* Et quid opus erat iterùm de hac re agere, & Petrum iterùm admonere? Quia volebat (inquit Chrysostomus *in Caten. Diui Thomæ ad Luc. 9.*) *Apostolos ad regimen instruere, & vtilissimam regulam tradere.* Verba Chrysostomi sunt: *Inducit eos, vt ostendat crucis gloriam ad consolandum Petrum, & alios passionem timentes.* Non erat opus Christo iterùm de hac re agere, vt qui erat Patris sapientia: verùm quia Petrus difficultates opposuerat; iterùm de hac materia cum Moyse, Eliaque egit, vt prudentiæ formam discipulis traderet, ob contrariaque amicorum consilia rectè decreta non reuocanda edoceret, & iterùm de hac re egit, vt propriæ sententiæ nimia tenacitate non adhærendum suis nos exemplis vtiliter erudiret.

§. VII.

Iterata erga arduum negotium consultatio clariorem lucem solet afferre, & animum confirmare.

Consulere. Lux.

ARdua negotia fideli prudentiæ trutina debent expendi, ne inopinè difficultates contingat emergere, & decreta mediis in conatibus retractare, etsi diligenti examine semel decretum videatur discussum, non officit iterùm in examen reuocare, nam tunc aut clarior lux confirmat animum, aut omne depellit dubitationis ambiguum. *Ad finem debet perducere* (aiebat Cassiodorus 4. *variar.* 31.) *quæ prudentum intentio visa est suscepisse; quia sicut perfecta laudem pariunt, ita & vituperationem generant, quæ in mediis conatibus ægra deferuntur. Defectus enim rerum aut consilium titubare, aut vires arguit defuisse.* Quæ prudens suscepit intentio, debent perfici, sed iuuat sæpè iterata meditatione pensari. Dauid prudenter decreuerat Ceilanis opem ferre, sed nihilominus iterùm Deum consulit, & difficultates expendit: *Rursum ergo Dauid consuluit Dominum.* Idem audiuit, sed clarius. Ei respondetur oraculum priùs: *Percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis.* Modò ait: *Ego tradam Philisthæos in manu tua.* Qui anteà solùm percutiendi, clariùs modò referuntur subjugandi; & quamvis nihil secunda consultatione fuerit adjectum, fuit apertiùs explicatum. Notauit Abulensis *quæst. 6. Iterùm respondit, clariùs iudicans, quòd daturus esset ei victoriam.* Addit: *Decuit, quòd secundò consuleret.* Itaque dum iterùm cum Deo eandem rem tractat, clariùs agnoscit se reportaturum victoriam, & quamvis Dauid nulla titubarit diffidentia, repetita consultatione viuidior resplenduit fiducia, & nobis vtilis exhibita est norma. In negotiis scilicet magni momenti oportere semel, & iterùm diuinam lucem implorare, & repetita oratione acquirere. Hoc ipso in capite cum Dauid fama increbrescente audiret, quòd Saul exercitum instrueret, vt eum caperet, Deum consuluit: *Domine Deus Israel, audiuit famam seruus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam; vt euertat vrbem propter me.* Oraculum consultum clarè respondit Saulem aduenturum: *Et ait Dominus: Descendet.* Hac cœlesti luce accepta iterùm Deum consuluit: *Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui sunt mecum, in manus Saul?* Hac in secunda consultatione clariùs agnouit se; suosque à Ceilanis prodendos: *Et dixit Dominus: Tradent.* Ceilanorum ingratissimos fore adeò clarè non prænouisset, ni Deum iterùm consultasset. Notauit Abulensis *quæst. 13. Hic ponit iterùm quæstionem, quam iam posuerat: sed quia Deus iam respondit ad illam, repetit eam: si tradent me viri Ceilæ.* Priùs satis audiuit, vt se tueretur, sed posteà apertiùs, & clariùs. Prodest namque iterata consultatio ad clariorem lucem, & ad firmandam priùs agnitam veritatem.

TEXTVS.

VERS. V. Abiit ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduersum Philisthæos, & abegit jumenta eorum, & percussit eos plaga magna, & saluauit Dauid habitatores Ceilæ.

§. VIII.

Parum iuuat veritatem agnoscere, ni admittaris implere.

Veritas.

NOtitia veritatis est salutis principium. Quid enim melius, quàm ea præcallere, quæ ad salutem possunt conducere. Ignorantia, dum, quid expediat, non nouit, multis sæpè se difficultatibus irretiuit: verùm quam ignorantia excusationem potest prætendere, nequit notitia sortiri; vnde grauiori tenentur reatu, qui præditi salubri notitia, otiosa torpent ignauia. *Definitam rem* (aiebat Cassiodorus 4. *variar.* 17.) *ab antiquo Rege, quam tamen constat rationabiliter esse decretam,*

nulla volumus ambiguitate turbare, quia decet firmum esse, quod commendatur probabili iussione. Quid juuat rationabili edicto recti notitiam indere, si aut torpor parere differat, aut improbitas temerariis ausibus repugnare contendat. Victrici non coronatur palma, qui facienda agnoscit, sed qui operibus agnita impleuit. Hinc est, quòd Dauid, vt ab oraculo audiuit oportere Ceilanis opem ferre, hostesque abigere, executioni mandauit, & quia mandauit, triumphum accepit: *Abiit ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduersum Philisthæos, & abegit iumenta eorum, & percussit eos plaga magna.* Nil prodesset scire assequendam victoriam, si certamina detrectasset, aut prosilire in campum distulisset. Triumphali palma redimitus est, quia, quæ cognouit, perfecit. Notauit noster Sancius: *Cùm didicisset fore, vt Palæsthinorum agmina subigeret, deleretque, statim eò se magnis itineribus contulit, perfecitque quod ex oraculo futurum esse cognouerat.* Vbi notitia cum actione concordauit, victoriam obtinuit, & oraculum honorauit. Magi, Herodesque Christum Dominum aduentasse cognoscunt; Magi eloquenti didicerunt stella; Herodes accepta à Magis, sacerdotibusque notitia, & tamen Herodes notitiæ fructu priuatur, Magus vberem fructum sortitur: *Intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Ecqua discriminis causa? Quia Herodes Magos comitari distulit otiosa ignauia, Magus quæsiuit solertissima diligentia; qua Magus felix, infelix notitia Herodes. Quia Magus, quod agnouit, opere impleuit, Herodes distulit, immò ad insidias conuertit. Notauit Chrysologus *serm.* 156. *sic deposito errore sequitur, currit, peruenit, inuenit, gaudet, procidit, adorat.* Dum stellæ sequitur Magus ductum, peruenit ad gaudium, & dum Herodes notitiam adulterat, æternum sibi maturat luctum, quia non verbi auditores, sed factores justificantur, & palmam feliciter assequuntur.

Matth. 2. v. 11.

TEXTVS.

VERS. VI. Porrò eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad Dauid in Ceilam, ephod secum habens descenderat.

§. IX.

Magnum tibi perueniet lucrum, si benignè exceperis miserum.

Eleemosyna. Lucrum.

IN *lucrum cedunt* (aiebat Cassiodorus 4. *variar.* 24.) *quæ benemeritis conceduntur, & de ipso munere magis acquiritur, cùm optimis digna præstantur.* Quæ misericorditer misero, pauperique honestè præstantur, laudabili lucro adaugentur. Negotiatio est pauperem excipere, & miserum confouere. Abiathar ad Dauid peruenit anxius, quia à Saule ad mortem quæsitus: Dauid benignè excepit, & licet satis angustè tunc viueret, generosa liberalitate pauit: *Mane mecum, ne timeas.* Quanta Dauidi hinc exorta commoda, scriptura non tacuit: *Ephod secum habens descenderat.* Secum sacerdos ephod attulerat, sicque Dauid præ-noscere potuit Saulis studia, & Ceilanorum insidiosissima obsequia. Negotiatio fuit ea humanitas, quandoquidem Dauid matura se fuga præripuit, & hostiles dolos euasit: *Dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica ephod.* Ni Abiathar cum ephod aduentasset, Dauid per ephod, quæ præsciuit, non agnouisset, & fortè, ni agnosceret, captus lugeret, aut occisus disperiret; secum ephod afferens sacerdos auertit à Dauide, quod imminebat, periculum, & magnum pro hospitio reddit pretium: quod afflicto exhibuit solatium, Dauidi extitit tutamentum, & lucrum. Innuit Lira: *Fugiens ad Dauid, secum apportauerat ephod, quæ est vestis summi sacerdotis, in qua erat rationale iudicij, in quo apparebat responsio Domini.* Per Abiathar, cuius Dauid miseriam leuarat, consultum oraculum lucem impertiuit ad discrimina vitanda, & dolosa Saulis machinamenta eludenda. Sæpè ob pauperem benignè exceptum, ob solatium ærumnoso exhibitum à Deo homo lucem accipit, qua hostiles eludat insidias, & quas disponebat hostis, prænoscat technas. Vbi Sareptana vidua excepit Eliam, farina est aucta, & filij mors est depulsa: ibi primum legitur mors imperio suo dispoliata, vbi Dei seruo eleemosyna præstita. Sponsa dilecti sui pulchritudinem depingens, aiebat: *Coma eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus: oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentes iuxta fluenta plenissima.* Coruus Eliam pauit: ergo quæ refert coruum pullicentem, refert palmam longa vita vitam, & crispantibus ramis præcelsam. Audi Cassiodorum hîc apud nostrum Delrium: *Palmarum rami productiores, & excellentiores interdum aureosi coloris crispantes, & semper ad excelsa tendentes, & nunquam virorem suum amittentes.* Palma vita longæua, triumphorum judex, cœlestia petens: columba plenissimis fluentis vtitur, & quò præmaturè periculum effugiat, vmbram insidiantis accipitris intuetur. Itaque pullicenti coruo adjungitur, & trophæum acceptum & periculum effugatum. Vt in Dauide eum euentu apparet, qui per sacerdotem benignè exceptum reddito oraculo Saulis effugit insidias, & accepit de Philisthinis victorias.

Cant. 5. v. 11. 12.

TEXTVS.

VERS. VII. Nuntiatum est autem Sauli, quòd venisset Dauid in Ceilam. Et ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est, introgressus vrbem, in qua portæ, & seræ sunt.

Sup. cap. 22. v. 23.

§. X.

§. X.

Peccatores, quod à Deo est, dæmoni solent applicare, & quod à diabolo, Deo adscribere.

Peccator. Cæcitas.

SIc peccatores cæcutiunt, vt rerum nec qualitatem agnoscant, nec agnouerint, vndè veniant. *Vitia nobis* (aiebat Seneca *Epist.* 45.) *sub virtutum nomine obrepunt; temeritas sub titulo fortitudinis latet; moderatio vocatur ignauia, pro cauto timidus accipitur: in his magno periculo erratur: his certas notas imprime.* Quia nobis vitia placent, conscientiæ morsum sopimus, & à Deo auctore nobis contingere illusi credimus. Nobis errores nostri adulantur, & quo lædunt, placent; ipsa fallacia, vt in præstigiatoribus, nos delectat, nobis præstigiatorem imponere non ignoramus, & tamen, vt fallaciam repetat, petimus: *Ista sine noxa decipiunt* (addit Seneca) *quomodò præstigiatorum acetabula & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat.* Quia fallacia delectat, mens humana imponere sibi procurat. Saul à diabolo possessus, & exagitatus Dauidis cædem sæpè meditatus est: non dubitabat, quo auctore odium sufflammaretur; verùm secum ipse luctabatur, vt persuaderet sibi à Deo disponi Dauidis cædem. Vbi agnouit in Ceilam deuenisse, audi, cui adscribat, quam suspirabat, captiuitatem, & mortem: *Et ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est.* Dei speciali dispositioni adscribebat, quod erat criminis, & furoris, & Dauidem, quem ad Ceilam confugere eius cogebat inuida insania, sibi à Deo traditum speciali existimat prouidentiâ. Notauit Caietanus: *Dictio interpretata, Deus, est nomen Elohim, tanquam ex diuino iudicio traditum in manu sua Dauidem existimabat.* Cœlestibus decretis admitebatur adscribere, quod constabat à diabolicis odijs promanare. E contra etiam aliquando contingit: quod à Deo constabat peragi, diabolo homines adnituntur adscribi. Depulerat Christus Dominus impuratum spiritum: cumque miraculum communi plausu celebretur, veritatis æmuli Beelzebub tanquam auctori attribuendum proclamabant, & contendebant: *In Beelzebub Principe dæmoniorum eycit dæmonia.* Acsi dicant: Dæmon aufugit pulsus, non Christo obsequens, sed Beelzebub eius principi obtemperans, & ob id hominis libertas, & sospitas non Christo adsignanda, sed Beelzebub est adscribenda. Itaque quæ Dei erant, attribuebant dæmoni, & quæ dæmonis, Deo; nam humana peruersitas discupit cæcitatem suam honestare, & honestatem corrumpere. Videbis aliquos, qui delictorum occasiones à Deo sibi oblatas arbitrentur, quasi iniquitatis sit auctor, & criminum sit promotor. Saul iustissimo Dei iudicio Dauidem deprædicat sibi traditum, Ceilaque conclusum, quando pectore fouebat ardentissimum odium. Consonat Abulensis *quæst.* 12. *Ecce quantum excæcauerat Saulem malitia; nam cùm esset in manifesto crimine, quia persequeretur Dauid, putabat, quòd Deus faueret ei contra Dauid.* In eam deuenerat amentiam, inuidiæ, & odij tetris caliginibus obcæcatus, vt crederet à Deo auctore venire, quod ignorare non poterat à liuore, odioque promanare. Tanta erat vis ambitionis, vt conscientiam corrumperet, sibique imponeret.

Luc. 11. v. 15.

TEXTVS.

VERS. VIII. Et præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam descenderet in Ceilam, & obsiderent Dauid, & viros eius.

§. XI.

Ad perpetranda mala plures inueniuntur exprompti, ad virtutem non sic inuolant aliqua difficultate implicati.

Vitium. Virtus. Promptitudo.

NEscias qua dulcedine deteriora delectent: facilè assecla sibi conducit improbitas, nec retardat vllum impedimentum, etiamsi imminens deterruerit periculum. In re virtutis animus inuenitur tepidior, & ad quæ emergere possunt, difficultates, inoculatior. Saul exercitum cogit, vt Dauidem iniqua, ac dura obsidione cingat, & capiat: *Præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam descenderet in Ceilam, & obsideret Dauid, & viros eius.* Non inuenies quempiam ex militibus in contrarium quid allegasse, aut imminere aliquod periculum, obiecisse, cùm hoc ipso in capite Dauidis milites, cùm Ceilenses defendere, annuente oraculo, disponeret difficultates obiecerint, & expeditionem tardarint: *Dixerunt viri, qui erant cum Dauid, ad eum: Ecce nos hic in Iudæa consistentes timemus, quantò magis, si ierimus in Ceilam aduersum agmina Philisthinorum.* Si milites Dauid inuenerunt, quid opponerent, quomodò Saulis milites inuenerunt nil, quod obijcerent? Iam Dauid lapidis ictu præcipuum, & columen Philisthinorum deiecerat, iam eorum infamia sponsalia sibi acquisierat, & nihilominus exaggerant, qui nomina Dauidi dederant, Philisthinorum robustas vires, instructas acies: *Contra agmina Philisthinorum.* Saulem sequentes nec Dauidis opponunt dexteritatem, nec reportato recens de Philisthinis triumpho fore audaciorem. Verùm hic nodus non difficilis solui. Saul vocabat ad perpetranda delicta, Dauid ad opera charitatis heroica, & virtus rarissimè inuenit animos adeò præparatos, vt improbitas expromptos. *Quasi dicant* (scribit Abulensis *quæst.* 5.) *ibi in maiori timore erimus, quam hic. Et declaratur causa timoris, cùm dicitur: Aduersus agmina Philisthinorum, & est nobis durum pugnare cum illis.* Cum Philisthæis dæmonum vmbris est durum pugnare, contra Dauid Christi personam gerentem facillimum fuit in campum prodire. Iosue ad terram promissionis ingrediendam allicit efficaci satis ratione: *Neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem, ita eos possumus deuorare, recessit ab eis omne præsidium, Dominus nobiscum est, nolite metuere.* In Iosue, Calebque multitudo consurgit, & ni Dei gloria eos tegeret, lapidum imber obrueret: *Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini.* Ex exploratoribus nonnulli ad Ægyptum redire statuunt, & iam omnes eorum amplectuntur consilia, & sequuntur vota: *Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Communi plausu in Ægyptum redire approbatur, ad promissionis terram pergere, contradicitur. Quemcumque ducem versus

Num. 14. v. 9.

Ægyptum sequentur; Moysem versus promissionis terram refugiunt. Notauit Oleaster *ad literam*: *Decreuerat populus ex se caput, seu ducem reuersionis in Ægyptum dare, abijciendo à Domino datum, scilicet Mosen.* Moyses paucos inuenit sibi obtemperantes, plures resistentes, cùm cuique duci versus Ægyptum anxijs votis discupiant obtemperare, & qua voluerit via, alacritate contendere. Nam qui ad vitia proritat, socios sortitur faciles, qui ad honesta vocat, difficiles.

TEXTVS.

VERS. IX. Quod cùm Dauid resciisset, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica ephod.

§. XII.

Frustrantur vota, quia consiliorum participes prodiderunt sæpè secreta.

Secretum. Votum.

NIhil conducibilius est siue ducibus, siuè Principibus quã eos suorum consiliorũ habere participes, qui nullatenus immaturè prodant verbis, aut signis. Propensus est homo ad euulgandum secretũ sibi commissum, & dum quisque eius, quem sibi fidelem putat, auribus arcanum stillat, citissimè est fama, quæ occulta credebatur cautela. Seneca *Epist.* 3. edocet, fideli amico nihil celandum, sed alijs nullatenus secretum aliquod committendum: *Quid est ergo quare vlla verba coram amico retraham? Quid est, quare me coram illo non putem solus? Quidam quæ tantum amicis committenda sunt, obuijs narrant, & in quaslibet aures, quidquid illos vrit exonerant: quidam rursus etiam charissimorum conscientiam reformidant, & si possent, ne sibi quidem crederent, interius premunt omne secretum.* Adæque vitiosum est omnes habere suspectos, & putare omnes amicos. Addit Seneca: *Neutrum faciendum est, vtrumque enim vitium est & omnibus credere, & nulli, sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius.* Tutius est secretum premere, præcipuè vbi plures concurrunt; nam dum quisque putat posse alteri secreti manifestationem adscribi, non veretur euulgare. Saul, vt agnouit Danidem Ceilam intrasse, decreuit eos, quibus Reipublicæ administratio commissa, corrumpere, & solicita cautela proditionem disponere; verùm astuta industria, & industriosa cautela frustrata est; nam Dauid prænouit, & fugit: *Quod cùm Dauid resciisset, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica ephod.* Omnis Saulis solicitudo effectu caruit, quia Danid præsciuit. Quis Danidem præmonuerit, quærunt Interpretes, existimantque ex ipsis, quibus secreta committebantur, non defuisse aliquem, qui Dauidi renuntiaret, & aperiret. Ita Abulensis *quæst.* 12. *Cognouit Dauid, quod Saul per insidias disponeret eum capere, scilicet iubendo, quòd clauderetur intra vrbem, & deindè quòd cingeretur obsidione ipsa vrbs. Hoc autem fortè audiuit ab aliquo de Ceilanis, quia Saul miserat nuntios secretè ad Ceilanos.* Cùm hoc negotium sine Ceilanorum notitia nequiret absolui; Saul eis solùm commisit, sine quorum ope nequibat res perfici. Verùm etsi eos solùm consilij sui fecerit participes, quibus notitia subtrahi nequibat, non defuit inter eos, qui Dauidi renuntiaret, & Saulis studia eluderet. Postquam Christus Dominus in montis vertice cum Moyse, Eliaque de morte Hierosolymis perficienda egit, tribus electis discipulis, qui aderant, ora silentio premere iussit: *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Si diuulgaretur illud mysterium, humani generis redemptioni forsitan opponeretur obstaculum. Ergo elegit Christus, vt coram eis dissereret, Apostolorum præcipuos, & silentium eis imposuit, vt nos factis erudiret. Ita Remigius *in Catena*: *Si maiestas illius diuulgaretur in populo, populi impedirent dispositionem passionis eius, resistendo principibus Sacerdotum, & sic redemptio humani generis retardaretur.* Theophilactus notauit, Petrum, Iacobum, Ioannemque præ alijs electos, vt qui commissa sibi secreta celare nouerint, & potuerint: *Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderant.* Addi Theophilactum *in Caten. ad Luc.* 9. *Assumit hos tanquam hanc rem celare potentes, & nulli alij reuelare.* Summo studio eos delegit Apostolos, qui secreta premerent, ne votum retardaretur, si promerent. Vt est arduum commissa secretò premere, ita esse debet curum committere. adhuc inter paucos ægrè possunt seruari secreta, quid erit, si pluribus non dubitentur commissa.

Matth. 17. v. 9.

Luc. 9. Act. 1. 36.

§. XIII.

Sæpè magnis beneficijs obligati, metu, aut spebus inueniuntur corrupti.

MAguis beneficijs obstrictum non decet ingratitudine dinigrari, etsi spes solicitet, aut metus inquietet; sunt tamen plures, qui si aliquod incommodum imminere conijciant, aut commodum fore credant, ad contraria casta transiliant, & sibi indecorè consulant. Opportunè Seneca *lib. 6. de Benefic. cap.* 38. *Quibus quisque morte profuturus est, vita nocet. Omnium tamen istorum tam nota sunt vota, quàm impuita. Denique se quisque consulat, & in secretum pectoris sui recedat, & inspiciat, quid tacitus optauerit; quam multa sunt vota, quæ etiam sibi fateri pudet, quàm pauca, quæ facere coram ipso possimus.* Strictum naturæ vinculum, consanguineo vitam persuadebat optare, solet tamen mortem sibi vtilem exambire Ceilani à grauissimo discrimine liberati, & summis beneficijs obstricti à Saule solicitantur, vt Danidem prodant, & tradant. Non latuit Danidem; verùm cùm Ceilanos Saulis adiuturos consilia non crederet, delatam ad se notitiam oraculo consulto certiùs explorauit: *Quod cùm Dauid resciisset quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica ephod.* Oraculum consuluit, quia vltra omnem fidem videbatur Ceilanos Saulis votis annuere, & Danidem, à quo tanta, tamque eximia beneficia acceperant, tradere. *Si tradent me viri Ceilæ, & vires quæ sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent.* Et cur tradent? Quia etsi magnis fuerint beneficijs obstricti, modò à Sanle aut spebus solicitati, aut metu deterriti: ergo vbi spes affulsit,

affulsit, aut periculum deterruit, in contrariam partem transeunt, & Dauidis proditionem decernunt. Prodest noster Sancius: *Rogat, an quod incertus disseminarat rumor, venturus esset Saul in vrbem: & an Ceilani parum memores recentis beneficij ipsum essent inimico Regi tradituri? Quod cùm vtrumque Deus affirmando respondisset, exemplo ille profectionem adornat.* Ni fugisset, mortem oppeteret, & (quod videbatur impossibile) à Ceilanis tradendum oraculum consultum respondit. Vt hinc noueris quantum apud homines summis etiam beneficijs obligatos assequendæ vtilitatis spes valeat, aut subeundi incommodi timor vrgeat. Rechab, & Banaa, quos Isboseth ad exercitus principatum euexerat, vbi sibi persuaserunt posse Dauidis gratiam elucrari, si innoxium Miphiboseth aggrederentur occidere, quantumuis ratio, gratitudoque reclamarint, studiosè obsurduerunt, & scelus impium perpetrarunt: *Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen vni Baana, & nomen alteri Rechab.* In Hebræo habetur: *Principes turmarum, vel cuneorum.* Itaque à Miphibosethi patruo ad dignitatem euecti nepoti necem intulerunt, & beneficium hac gratitudine compensarunt. Ita tradit Lira: *Mortuo Abner Isboseth constituit Rechab, & Banaa, alias Baana, qui erant de tribu Beniamin, vt patet in Textu, duces suarum expeditionum.* Adnectit: *Dolose venerunt ad interficiendum Isboseth, vt per hoc à Dauid munera reportarent.* Videtur apud Liram amanuensis mendum, nam non occiderunt Isboseth, sed Miphiboseth, sed pro nostra thesi expende recentium beneficiorum oblitos, & improbis spebus illectos.

TEXTVS.

VERS. X. & XI. Et ait Dauid: Domine Deus Israel, audiuit famam seruus tuus, quòd disponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me. Si tradent me viri Ceilæ in manus eius? Etsi descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus Israel, indica seruo tuo. Et ait Dominus: Descendet.

§. XIV.

Prosunt præstita Numini obsequia, vt imminentia eludere valeas pericula.

Obsequium. Periculum.

DEus afflictorum semper est securissimum tutamentum, miserorum promptum auxilium. Vndè prodigus ille, qui Deum offenderat, benignissimum sibi patrem forè præsumpsit: *Ibo ad patrem meum.* Ad quæ Chrysologus *serm. 2. Ego perdidi, quod erat filij, ille, quod patris est, non amisit.* Verùm etsi omnibus florem lucis suæ spargat, nec fidem in eo ritè sperantium confundat, suis tamen seruis maiora impendit beneficia, & ab eis citiùs auertit incommoda. [Graue nimirum est (aiebat Cassiodorus 2. *variar.* 21.) vt fructu laboris sui frandetur industrius, & cui debetur pro sedulitate conferri præmium, dispendium patiatur iniustum in ea

Luc. 15. v. 18.

præsertim re, quæ ad nostram respicit largitatem, cui nihil debet licere negligentiæ, ne videamur minus profutura sanxisse.] Ius exigit sedulis prouidere, & inseruientibus auxiliari. Hinc est, quòd Dauid magnis periculis afflictus semel, & iterum fideliter operas suas nauasse testetur in Dei obsequium, quo facilius inueniat auxilium: *Domine Deus Israel, audiuit famam seruus tuus.* Et iterum: *Domine Deus Israel, indica seruo tuo.* Acsi dicat: seduli, ac deuoti serui munus impleui, & honori tuo semper prouidi: ergo me instrue, & à periculis erue. Quod & Dominus statim fecit, & sine ambiguitate respondit: *Tradent.* Notauit Abulensis *quæst.* 12. *scilicet ego, qui sum seruus tuus, audiui famam de Saule.* Quàm citò, quod desiderabat, obtinuit, qui fideliter Numini inseruire verè allegauit. Dauid cœlesti, præsentaneaque luce illustratus effugit, quod imminebat, periculum: *Tradent*, quia pro se allegauit fideliter præstitum famulatum Rahab à Iosue exploratoribus incolumitatis tesseram flagitauit: illi humanitatem mulieris demirati, ipsum funiculum, quo eos liberarat, salutis dederunt signum: *Signum fuerit funiculus iste coccineus.* In fenestra ligatus inconcussum adeò domus fuit firmamentum, vt collapsis etiam, quibus domus hærebat, muris firma permanserit, & periculum eluserit. Si quæras, cur funiculum pro tessera dederint, respondebit Procopius apud Glossam, nihil opportunius exhibere potuisse, nam cùm esset funiculus præstitum obsequium, imminens auertebat periculum: *Funis, quantumuis debilis, non disrumpitur, per quam euaserunt exploratores.* Funis, etsi debilis, adeò firmè domum ligabat, vt casum nesciret, & ruinam prorsus repelleret; firmissimum fuit retinaculum deuotè præstitum Iosue obsequium; nam exhibita Numini obsequia imminentia auertunt pericula.

Iosue 2. v. 18.

TEXTVS.

VERS. XII. Dixitque Dauid: si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent.

§. XV.

De alienis defectibus non est loquendum, præcipuè si occulti, & silentio pressi.

Defectus.

NEscias quo pruritu gestiant homines aliorum defectus prodere, & malè etiam fundatas suspiciones effundere. Quod fama testante notum, non requirit silentium, sed quod adhuc occultum, non est vllatenus euulgandum. *In odio sunt* (aiebat Plutarchus lib. de Garrulitate) *quod mala nuntient, & quia arcana non continent.* Odiosi sunt, qui aliorum arcana nesciunt non effundere, quæcumque mala euulgare. Saul delectum cogit, vt Ceilam vbi tunc erat Dauid, adeat, arctaque obsidione cingat, & capiat. Consilium Ceilanis secretissimè communicauit, & profectionem disposuit. Verùm cùm Dauid votum præsciret, oraculum consuluit, & de Saulis aduentu interrogauit, & quia prudenter vereri poterat, an Ceilani beneficij immemo

immemores eum traderent hoc etiam ſciſcitatur: [Domine Deus Iſrael, audiuit famam ſeruus tuus, quòd diſponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me: ſi tradent me viri Ceilæ in manus eius, & ſi deſcendet Saul, ſicut audiuit ſeruus tuus?] Conſultum oraculum veram eſſe famam reſpondit: *Deſcendet.* De Ceilanis tacuit: Dauid iterum humiliter orat, vt de Ceilanorum animis eum inſtruat: *Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui ſunt mecum, in manus Saul. Et dixit Dominus: Tradent.* Hinc oritur quæſtio, cur ſcilicet oraculum de vtroque interrogatum ſolùm de aduentu Saulis reſponderit? Ignorabatne Ceilanorum animos, quando tacuit, an rogari iterum voluit? Profectò quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, Saulis aduentum fama atteſtabatur. *Audiuit famam ſeruus tuus.* Ceilanorum decreta adhuc latebant occulta: ergo de notis facilè reſpondit, occulta arcano ſilentio preſſit; quo ſuis nos factis inſtrueret occultos defectus facilè non euulgandos, aut cui prodendos. Notauit Abulenſis *quæſt.* 13. *Hic ponit iterum quæſtionem, quam jam poſuerat; ſed quia Deus non reſpondit ad illam, repetit eam.* Præmiſerat *quæſt.* 12. *Saul miſerat nuntios ſecretè ad Ceilanos, vt clauſa vrbe non permitterent egredi Dauid.* Eodem modo ſciebat Deus Saulis facta, & Ceilanorum ſtudia; verùm quia hæc ſecretò tecta, expectauit iterum interrogari, & quia illa publica non diſtulit prodere. Profectò quæ omnibus nota, non grauat vulgare, ſed quæ ignota, conſcientiam lædit, aperire. Chan patrem irriſit, fratres nuditatem pietate operuerunt: *Operuerunt verenda patris ſui.* Procacis filij pater irriſionem agnouit, & puniuit: *Cùm didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor.* A quo didicerit, rogant Interpretes; aſſeruntque diuina cognouiſſe reuelatione. Ita Interlinearis; *Cùm didiciſſet prophetico ſpiritu.* Vide fratrum pietatem, circunſpectionemque: ita patris operuerunt ignominiam, vt fratris non euulgarint offenſam: opus fuit prophetico ſpiritu ad dignoſcendum Chan delictum; ſe enim criminis reos putarent, ſi cui prodidiſſent ſecretum.

Gen. 9. v. 23.

TEXTVS.

VERS. XIII. Surrexit ergo Dauid, & viri eius quaſi ſexcenti, & egreſſi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti, nuntiatumque eſt Sauli, quòd fugiſſet Dauid de Ceila, & ſaluatus eſſet quamobrem diſſimulauit exire.

§. XVI.

Nulla interponenda eſt mora, vbi imminent ſaluti pericula,

Mora. Salus. Periculum.

DEteſtabilis eſt quidem omnis ignauia, & quidquid contra prudentem cautelam admittitur, iuſta execratione damnatur. Adurgeri improuiſis periculis infortunium eſt, quæ verò prænoſcuntur, non effugere prouidenter, aut eſt temeritatis delirium, aut prudentiæ probrum. Exaggerat enim inertiæ culpam futuri præſcientia, & grauiori tenetur reatu, qui cùm potuerit matura vigilantia expediri, voluit anxijs difficultatibus implicari. *Quis nouit* (aiebat Caſſiodorus 12. *variar.* 17.) *cum qua gente conſligat? ideoque omnes debent agnoſcere, quod futuris hoſtibus gratum non ſit audire.* Expedit, quod hoſtibus ſit ingratum prænoſcere, ſed præſcientia ipſa accuſatur, ſi ſe contra pericula non tuetur. Dauid aduentu Saulis rumore pulſatus ſemel, & iterum Deum conſulit, nec tempus in conſultatione poſitum malè exiſtimat collocatum; cumque ab oraculo didiciſſet Saulem venturum, & Ceilanos, à quibus poſſet, auxilium ſperare, ſecretò meditari eum Sauli prodere, matura ſe fuga ſubripuit, & hoſtiles technas fruſtrauit: *Surrexit ergo Dauid, & viri eius quaſi ſexcenti, & egreſſi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti.* Bona incertitudo, quæ ſpem hoſtibus adimebat, & pericula vitabat! Statim ac audiuit Dauid periculum imminere, ſibi prouidit ſalubri fuga, ne in hoſtis deueniret manus incauta ignauia. Notauit noſter Sancius: *Cùm vtrumque Deus affirmando reſpondiſſet, extemplo ille profectionem adornat, ne Ceilani incautum per inſidias opprimant, aut ipſius fugam antevertat, & occupet Saulis aduentu.* Tota ſalus à matura pendebat fuga: ergo nec leui Dauid detentus eſt mora: *Exemplo profectionem adornat*: Hinc eruditi debent, qui animæ non ignorant periculum, cùm eis conſcientia oſtendat perpetratum peccatum. Dignus eſt, qui pereat, conſortia ſibi nocua non fugiens, & conſilia dæmonis ſibi nota non anteuertens. Apud Ceilanos fruebatur Dauid ampla domo, inſtructa delicijs menſa; verùm dum gratis adulationibus retinere moliuntur, implacabili Saulis odio adulantur. Miraculo, & quidem quod Apoſtoli efficere non valuerunt, opus fuit, vt lunaticus ille puer rediret ad mentem: Acceſſit ad Chriſtum pater, Chriſtus tempus ægritudinis rogat: *Quantum temporis eſt; ex quo hoc ei accidit?* Non interrogauit vt ſciret, ſed vt nos interrogatione edoceret. Pater induratum ſatis reſpondit malum: *Ab infantia: & frequenter eum in ignem, & in aquas miſit, vt eum perderet.* Ipſum tempus, ipſa pueri calamitas patris fugillabant ignauiam, quandoquidem nec ſalubria inijciebat vincula, vt imminentia naufragia vitaueret, & incendia. *Exprimit* (inquit Gloſſa D. Thom. *in Cat.*) *in verbis ſuæ petitionis fidei defectum.* In filium, & in prudentiam peccabat, dum nec incendia, nec naufragia impedire ſatagebat. Audi Chryſologum *ſerm.* 51. *Benè Dominus à parente fidem repetit, dicens: Si potes credere.* Profectò qui deſpiciunt pericula, quæ ſibi imminere non ignorant, videntur aut à fide deficere, aut prudentiæ notam inferre.

Matth. 9. v. 21. Marc. 9. v. 20.

§. XVII.

In terrenis radices non figat, qui pericula eludere anhelat.

Terra. Periculum.

QVidquid facere te poteſt bonum, tecum eſt (aiebat Seneca *Epiſt.* 80.) *quid tibi opus eſt, vt ſis bonus? Velle. Quid autem melius potes velle, quàm eripere te huic ſeruituti, quæ omnes premit.* Eadem lege potuiſſet dicere. Tecum eſt, quidquid te reddit ſecurum. Quiſquis terrena concupiuit, quiſquis rebus humanis affectu hæret, ſeruus eſt, & eiſdem, quibus falluntur, delicijs premitur; libero cœlo vtitur, creaturarum fugiens conſortia, & ab omnibus exan

exambita generosè proculcans oblectamenta. Dauid in Saulis aula expertus est insidiosa tela, in Achis curia prudenti periculum redemit insania: apud Ceilanos, quibus opportunum fuerat auxilium, pro mercede fraudulentum inuenit dolum. Vt repetat Cassiodorus, *quod 4. variar. 27. Malorum omnium probatur extremum indè detrimenta susci pere, vndè credebantur auxilia prouenire*: Ergo decreuit omnia relinquere, & nulli loco inhærere: *Egressi de Ceila huc, atque illuc vagabantur incerti.* Iam Saul audit hostem saluatum, jam quod corde fouebat, agnoscit illusum votum: *Nuntiatumque est Sauli, quòd fugisset Dauid de Ceila, & saluatus esset, quamobrem dissimulauit exire.* Vbi Saul agnouit nullibi pedem figere, desperauit. Et quare? Quia jam Dauid non inhærebat terrenis, nec detinebatur delicijs. Innuit Abulensis *quæst. 14. Vagabantur huc, atque illuc incerti, scilicet quia non audebant manere in aliquo determinato loco, ne Saul ponere insidias super eos.* Omnia reliquerunt non habentes manentem ciuitatem, sed inquirentes futuram, & vbi agnouit Saul humana omnia generosè relicta, fraudulenta pectore repressit vota. Profectò qui ab omnibus terrenis se expedit, dæmonis fraudes eludit. Pro certo habe contra temporalia despicientem dæmonis astutiam non prævalere, immò omne robur eius euigorari. Apocal. 12. contra mulierem lunam calcantem: *Luna sub pedibus eius*, draco versutus in campum prodit. *Draco stetit ante mulierem:* Mulier celeri se fuga proripuit, & solitudinem adijt: *Mulier fugit in solitudinem.* Muliere jam solitudinem petente inter Michaelem, & draconem desudauere certamina: *Factum est prælium magnum in cœlo: Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius.* Duo hic examine digna occurrunt, cur scilicet Michael arma non tractarit, nec suppetias mulieri exhibuit anteà quàm solitudinem peteret? & cur serpens, qui habetur astutus, tempus insumat cum Angelis decertando, quod elucrari posse videbatur, mulierem pertinaciter persequendo? Profectò eadem est pro dracone, & Angelis ratio: Mulierem lunam proculcare, idem erat, ac omnia temporalia, & sublunaria despicere: ergo ipsa generosa despicientia ad repellendos serpentinos adsultus erat munitum castrum, & veluti inexpugnabile fortalitium: ergo ad nostram eruditionem Angeli abstinuerunt tantisper armis, quasi mulier eorum non indigeret auxilijs. Serpens muliere fugiente cum Angelis iniuit certamen, quasi præsumpserit facilius de Angelis obtinendam victoriam, quàm de muliere reportandam victoriæ palmam. Innuit Rupertus lib. 1. in Apocal. *Luna pro sui mutabilitate rectè mundi huius bona mutabilia significat, quibus stultus seruit, sapiens imperat.* Vbi mulier prudenti pede, quæ alijs miranda proculcat, & despicit; serpentis prorsus debilitantur vires, & tectæ disparent fraudes: ergo Angeli bellum non adornarunt, vt quàm insuperabile castrum sit omnia despicere ostenderint; & serpens cum Angelis maluit deprælari, quàm cum fœmina temporalia omnia generosè despicienti confligere.

Apoc. 12. v. 1.

TEXTVS.

VERS. XIV. Morabatur autem Dauid in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus, & non tradidit eum Deus in manus eius.

§. XVIII.

Deserta delicijs nuda contra fraudes dæmonis sunt validissima castra.

PLura sunt loca non tantum edita, sed iacentia, quæ ignem euomant. In Æthnæ confinio tutò non viuitur. Attendenda sunt locorum ingenia, quia sæpè salus periclitatur, vbi periculum non timetur. Aiebat quidam politicus: Non ego ambitiosus sum, sed Romæ nemo aliter potest viuere: Non ego sumptuosus sum, sed vrbs ipsa magnas impensas exigit. Deliciæ, voluptatesque seuera etiam ingenia ad se rapuerunt, & quæ omnibus communia, videntur honesta. *Quemadmodum* (aiebat Seneca *Epist. 51.*) *inter tortores habitare nolim, sic nec inter popinas quidem.* Profectò in Regum curijs plurimum sibi luxus permittit; illic quasi loci priuilegio maior sit licentia, morum concinnitas constupratur, & virtutis vigor resoluitur. Ecce Dauid plurimis à Saule insidijs impetitus ad confragosa contendit, & desertorum asperitate se munit: *Morabatur autem Dauid in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco.* Inter syluestres arbores, & incultos frutices latitabat, ne quem videre, nec à quoquam posset spectari. Tutissima erant illa deserta, & quo plus humanis carebant voluptatibus, securiora erant ab aduersariorum adsultibus. Degebat ibi Dauid luridus, & famelicus, sed discriminibus non expositus. Notauit noster Sanctius: *Loca sibi ad fugam elegit confragosa, & aspera, tum, vt locum teneret natura munitum, vbi se, si qua vis incesseret aduersa, ab hoste tueretur, & hostem ipsum ab ascensu deterreret scopulorum asperitas.* In Ceila copiosa ciuitate expertus fuerat captiosos dolos, Saulis non ignorabat contumaces conatus: ergo desertorum delegit asperitatem, quò facilius tueretur salutem. Iam si vis nosse, quàm sint loca delicioſa virtuti aduersa, expende tres illos decantatissimos pueros inter flammarum vortices vnico Angelo fuisse asseruatos: *Ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.* Loth à Sodomis, ne pereat, extrahitur, sed gemino Angelo communitur: *Cum esset mane, cogebat eum Angeli, dicentes: Surge.* Hinc oritur difficultas. Quid interest igneus imber è cœlo ruat, num inter flammarum vortices asseruare Lothum nequibit duplex, quàdo vnicus Angelus flammarum volumina vertit in roscidum ventum? Maneat Loth Angelorum suffragio inter ignes illæsus, quando puerorum vnius Angeli ope inter ignes concinit chorus. Profectò Angeli suis factis edocuerũt, non minus aliquando timenda esse locorum contagia, quàm cœlestia flammarum incendia. Sodoma erat delicijs plena, erat vitiorum diuersorium, erat virtutis exilium: ergo licet Angeli ignis ardorem sopirent, ipsa

Deserta. Delicia.

Dan. 3. v. 24.

Gen. 19. v. 15.

fortassis regio flammas deteriores accenderet: ergo monent, ne stet in omni circa regione, quasi ab ipsa regione grauius immineret periculum, etiam cùm à cœlo ardentissimum descendebat incendium. *Nec stes in omni circa regione, sed in monte salutem tuam fac.* Delicioſa regio vires eneruat, & quò placet, nocet. Prodest Hugo: *Non sufficit demoliri peccatum, nisi & omnis eius circunstantia, & adiacentia, & occasio destruantur.* Ipsa regio prætendebat insidias, mons asperrimus erat auxilium contra fallacias: ergo ad montem fugiat, & quàm periculosa aliqua loca sint, factis edoceat.

§. XIX.

Ambitio nullo labore frangitur, virtus aliquando difficultatibus deteritur.

Ambitio. Virtus. Labor.

Libertas proposita est: (aiebat Seneca *Epist.* 51.) *ad hoc præmium laboratur, quæ sit libertas quæris? Nulli rei seruire, nulli necessitati, nullis casibus.* Qui verè liber, cùm fortuna bellum gerit, & ne imperata faciat, honestè resistit: verùm pauci sunt, qui iugum non recipiant, & difficultatibus cedant, cùm sæpè qui cupiditati, aut ambitioni inseruire decreuerunt, asperrima deuorarint; & nulli difficultati cesserint. *Quid si præter pudorem* (aiebat Tertullianus *de Pœnitentia cap.* 11.) *quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quod inlotos, quod sordulentos, quod extra iustitiam oportet diuersari: in asperitudine sacci, & horrore cineris, & oris de ieiunio vanitate.* Plures virtutum castra deserunt sacci asperitate deterriti, & ieiuniorum labore defatigati, cùm sæculi sectatores nullis difficultatibus frangantur, immò ipsis laboribus indurentur. Nabuchod. superbus, & ambitiosus fæno alitur, rore tingitur, æreo vinculo premitur, & nihilominus plurimis annis perstat, & se contumaciter satis indurat: *Fenum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est.* Quis tulit ob virtutem, quæ Nabuchod. ob vanitatem, & tamen perstitit induratus, & contra tot laborum volumina obstinatissimus. Notauit Cyrillus Hierosolymitanus *Cateches.* 2. *In bestiam transmutatus est, in solitudine degebat.* Septenni squalore tabuit, vnguibus aquilarum sorduit, capillamento leonum horrorem retulit, & mala tractatione nihil suadente induruit, & oculos ad cœlum leuare noluit. Ecce cùm Dauid desertorum horrores inhabitaret, & ipsis asperitatibus hostis audaciam deterreret, nunquam Saul malitiæ suæ otium fecit, sed pertinaci ambitione, & implacabili odio omnia deuorabat, & vt persequeretur innoxium, labori nulli parcebat: *Mansit in monte solitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus.* Saul à contumaci studio non desistebat, quantumuis deterrerent montium confragositas, & implexa syluarum asperitas. Notauit Abulensis *quæst.* 14. *Quamquam Dauid lateret in locis asperrimis, non desistebat eum quærere Saul, quia furor magnus, quem conceperat in Dauid, faciebat eum nulli labori cedere.* Rex delicatus, & delicijs assuetus subdio dormiebat, & cliuos asperrimos superabat. Proh vires ambitionis portentosæ! Proh maleuolentiæ furores pertinacissimi! Saul virtutis alumnos confundit, dum nulli labori cedit.

Dan. 4. v. 30.

§. XX.

Cœlestis dispositio nullis queit artibus impediri, aut machinamentis labefactari.

Diuina dispositio. Labor. Industria.

DEus omnibus profutura disponit, præclarè de nobis cogitat, & quæ in salutem nostram, decernit, ad perfectum semper perducit. *Illud solummodò perfectum dicitur* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 16.) *quod de voluntate simul, & actione laudatur.* Diuina prouisio medijs in conatibus non languescit deserta, nec cedit humanis artibus impedita. Medijs in conatibus deficere, aut virium arguit inopiam, aut sententiam demutatam; cùmque Deus, nec viribus destituatur, nec aliqua noua notitia informetur, quæ fixè decreuit, feliciter semper absoluit. Dauid in Regem sibi prouidit, vtque humanas artes nil suis obstare decretis ostendat, in exemplum Saulem producit, qui cùm nil non tentarit, vt Dauidi mortem inferret, effectu caruit: collato cum dæmone consilio hastam eiaculatur, qua latebat, domum Dauidis milite cingit, Ceilanis dolos persuadet, delectum cogit, sed omnia irrita, & expectatione vacua: *Quærebat eum Saul cunctis diebus, & non tradidit eum Deus in manus eius.* Non tradidit, id est, capi, aut occidi non permisit, quia fore Regem decreuit. Ita Abulensis *quæst.* 14. [Quamquam Saul conatus fuisset capere Dauid, inquirendo eum diligenter, tamen nunquam potuit illum tenere, quia Deus voluit, quòd nunquam teneretur ab eo: nam disposuerat, quòd futurus esset Rex in Israel, ideò euitabat omnia illa, per quæ posset impediri dispositio sua.] Nullum lapidem non mouit Saul, montes circuit, perscrutatur syluas, instruit exercitum, disponit dolum, nihil tamen infelix prodest astutia, nec ambitiosa proficit pertinacia. Miraberis in hominem cruci affixum, à discipulis desertum, & omni ad speciem ope destitutum potentissimorum hostium non potuisse prævalere consilia, & irrita fuisse vota, ut præcipuè in re, quæ facillimè videbatur assequenda, & vel solo nutu impetranda. Tantum delere totis nisibus procurarunt. *Nolì scribere, Rex Iudæorum.* Et tamen Pilatus, qui eis morem gesserat, & eorum se voluntati subdiderat, ea constantia restitit, vt nullis precibus, nullis artibus potuerit adduci, vt vel apicem immutarit: *Quod scripsi, scripsi.* Ecqua huius ratio? Iam Psaltes explicuit, dum cecinit: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.* Decreuerat Deus in ligno Christum regnare: ergo nullis artibus regnum potuit de ligno tolli. Prodest Beda *in Catena*: *In quo monstrabatur jam tunc regnum ipsius non, vt ipsi putabant, destructum, sed potius augmentatum.* Omnia, quæ fecerunt, vt eius regnum euerterent, stabiliendo regno deseruiebant, & à Deo decretum nullis posse machinis impediri manifestissimè declarabant. Latent sub diuersa specie sæpiùs contrariæ causæ, & erut, quæ videbatur velut acerrimus aries regnum euertere, inuenta est firmissimè stabilire: ergo Saul, quantumuis fremat, & furat, Dauidem nequibit capere, quia decreuit Deus regali throno fulgere.

Gen. 19. v. 21. Psal. 95. v. 10.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XV. Et vidit Dauid, quòd egressus esset Saul, vt quæreret animam eius. Porrò Dauid erat in deserto Ziph in sylua.

§. XXI.

Nulli labori parcendum est, vt hostis mature deprehendas consilia, & frustraueris desideria.

Hostis. Consilium. Labor.

HOstium arcana nosse præcipua esse debet ducis strenui cura, vt opportuna conatibus obijciantur obstacula, & tempestiuè frustrentur vota. Cum Lisimachus, familiarem, quid suorum ei posset participare, rogasset, teste Plutarcho in Apophthegmatis; ille prudenter satis respondit: *Quidlibet, modò ne arcana?* Ducis honori consuluit amicus, quandoquidem eum edocuit, vt vel sibi ipsi, si posset, denegaret arcanorum notitiam. Aiebat Tacitus *lib. 13. Annalium*: *Pleraque in summa fortuna auspicijs, & consilijs, quàm telis, manibus, geri.* Consilium prouidum semper hosti inuenitur aduersum. Dauid exigua manu instructus Saul copioso exercitu refertur armatus, & tamen Saulis irrita extiterunt arma, Dauidis tutissima vita. Ecqua vtriusque fuit causa? Iam Textus retulit; scilicet sic Dauidem latuisse, vt nunquam hostis eius posset indagare consilia, sic Saulis solerter inuestigasse decreta, vt omnia mature præcalluerit arcana. *Vidit Dauid quod egressus esset Saul, vt quæreret animam eius. Porrò Dauid erat in deserto Ziph in sylua.* Sic Dauidis respluduit industria, vt nil hostis tentarit, quin ipse præsciret, & sic in sylua ipse latuerit, vt non facilè ad Saulem certa notitia peruenerit. Ita Abulensis *quæst. 15. Quæret aliquis, quomodò Dauid cognouerit, quòd egressus fuerat Saul ad persequendum eum?* Quæstioni ex aliorum sententia respondet: *Hoc cognouit per consultationem Domini, scilicet quia nunc cùm esset in periculo quotidiano, sæpè consulebat Dominum de statu suo.* Oratio erat Dauidi pro armis, quibus aduersarij irrita reddebat vota, & structa vitabat pericula. Addit Abulensis ex propria sententia: *Habebat Dauid aliquos viros de suis, qui ibant ad curiam Saulis secretè, & sciebant quid moliretur Saul contra Dauid, & per hos audiebat hæc.* Subijcit *quæst. 16. Porrò Dauid erat in deserto Ziph in sylua; erat enim locus ille præruptus, nemorosus, & opacus, in quo latere possent Dauid, & pueri sui.* Solicito Dauid procurabat studio præcallere à Saule dispositа, & sua celare prorsus consilia, quod quàm fuerit vtile, euentus ostendit: nam Saul opportuna notitia nudus cassis laboribus deerrabat, & Dauid prouidus pericula anteuertebat. Sponsus dilectæ suæ prærogatiuas commendans, nasum Dauidis turri comparauit: *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Et quid commune naso cum turre? Turris ea (vt placet Delrio in litera) ideò fabricata fuerat, vt Syrorum conatus, atque insidias excubiæ subodorarentur: ergo nasus turri assimilatur, quia dum ex odore cibos diiudicat, respuit venena, & corpori approbat salubria. Delrium audi: *Nasus signum Eman. de Naxera in Reg.* Tom. II.

Cant. 7. v. 4.

est probi odoratus, nam hoc membrum odores malos à bonis discernens hominem monet, quæ aspernari, & quænam ori admouere oporteat. Consonat Philo *de Nomin. mutat. Odoratus gustui præpositus esculenta, & poculenta fermè præiudicat omnia: vndè prægustatorem sensus rectè quidam nominauere, cùm ipsius effectum animaduertissent.* Nasus veluti totius corporis columen est, dum præsentit nociua, quæ respuat, & salubria, quæ admittat. Certè sine hac præscientia periclitaretur salus, dum hostiles non prænoscit insidias, & tectas, inauratasque haurit venenorum fallacias. Itaque pro fortissima turri est insidiarum præscientia, fraudumque notitia: ergo Dauid bellicæ artis peritus solertissimè studuit sua tegere, & quæ Saul moliretur, tempestiuè prænoscere.

TEXTVS.

VERS. XVI. & XVII. Et surrexit Ionathas filius Saul, & abijt ad Dauid in sylua, & confortauit manus eius in Deo; dixitque ei: Ne timeas: neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus, sed & Saul pater meus scit hoc.

§. XXII.

Qui ob virtutem persecutionibus afflictatur, supernis, dum afflictatur, consolationibus fruitur.

VIrtus nequit ab interno gaudio diuidi, vt vitium à dolore separari. Notauit Philo *de Nomin. mutat. Edocet virtutem natura rem esse delectabilem, vtque ea præditus semper gaudeat, vtque è contrario vitium molesta res sit, eoque contaminatus summis doloribus, & molestijs afficiatur.* Virtus, quæ mentem Deo subijcit, quæ voluntatem disponit, quæ præstigiatrices affectiones præcidit, secum affert tranquillitatem, & ad proculcandam aduersam fortunam animosum vigorem: non desunt illi superna auxilia, tunc præcipuè cùm confusis laborum voluminibus ingemiscit afflictata. Ecce Dauid sylua latitat multiplicibus Saulis insidijs impetitus, & incommodis afflictatus; illuc tamen conuolat Ionathas, qui vt sæpè ex Glossa vidimus, interpretatur, *Donum columbæ*: Cœlestis columbæ consolatione, ne manus lassescant, confortantur, & indubiæ de futuro regno spes confouentur. *Surrexit Ionathas filius Saul, & abijt ad Dauid in sylua, & confortauit manus eius in Deo.* Si externa solùm respicias, censebis Dauidem infortunatum, vt qui cogatur inhabitare sylvas fructibus vacuas, & asperitatibus plenas; ibi tamen inuenies columbæ donis frui, inuicta fortitudine obarmari, & se ipsum pacificè possidere. *Opportunum habuit cum Dauide colloquium* (inquit noster Sanctius) *& primum illum bono esse animo iubet, & tantisper contra parentis iniurias, & locorum incommoditates obduret ferendo superandâ esse fortunam, & sperato rerum euentu, & exitu secundo leuandum esse laborem.* Indubia regni spes labores columba mellit, &

Afflictio. Solatium.

inuictas vires addit; jam Dauid supernis donis confortatus ipsa gaudet persecutione, præuidens de amara adeò radice dulcissimos demetendos fructus, & felicissimos orituros prouentus. Aaron Ægypto degens Regis inuidiam sustinebat; verùm tunc Moyses mittitur, cuius aspectu lætatur: *Ecce ipse egredietur in occursum tuum, videnſque te lætabitur corde.* Non erat lætitia Aaron externa, sed intima; exterius videbatur labore attritus, sed internè lætabatur solidissimo gaudio plenus: *Lætabitur corde.* Non est idem exterius ridere, & interius lætari, non est idem exterius affligi, & interna tranquillitate carere. Moyses, qui Pharaonis Deus, Aaroni aderat, & securas spes fouebat: non poterat Aaron interius non gaudere præscius afflictionem citò vertendam in duraturam felicitatem, non poterat corde non lætari præsagiens pro laboribus trophæa, pro seruitute ditissima spolia. Philo de Nomin. mutat. sic legit: *Lætabitur in se ipso quasi solus studiosi aspectus abundè sufficiat ad implendam lætitia mentem, deposita mœstitia, quæ animi malorum molestissimum est.* Carebat Aaron inter labores mœstitia, quia ex Dei consortio imbuerant animum gaudia. E contrario Æyptij virgam intuentes, non poterant inter externa gaudia interna non adurgeri mœstitia. Ita datus Philo: *Improbo nemini gaudere permittitur, vt in propheticis canitur sententijs: lætari non est fas impijs, inquit Deus, est enim oratio veritati consentanea, & oraculum diuinum, praui cuiusque vitam mœstam, tristitiæque, & miseriæ plenam esse, tametsi vultu se videre simuler.* Pharao, quantumuis splendenti pompa circumdatus, opulenta mensa innutritus, & externis gaudijs circumfusus, nequibat anxijs solicitudinibus non vrgeri virgam conspicatus, quæ Nili delicias in cruorem verteret, & Ægyptios naufragio traderet. Aaron corde gerebat lætitiam virgam pro se sortitus, quæ disrumperet vincula, & duceret per amæna.

Exod. 4. v. 14.

§. XXIII.

Certa futuri regni spes durissimos etiam labores emollit, & asperitates mellit.

Spes. Labor.

VT anchorâ contra ventorum adsultus fundantur naues; sic corda stabiliuntur Christiana spe contra laborum, ac persecutionum turbines. Spes non confundit, sed, quæ sperat, prægustat gaudia. *Ob speratum bonum* (scribit Philo *de Nominum mutat.*) *gaudium percipit, vt lætitia quodammodò lætitiam antegrediatur; & delectatio hilaritatem præcurrat.* Adnectit: *Vitem excultam aspice, vt mirificè sit à natura ornata sarmentis, adminiculis, propaginibus, & pampinis vinosis, quæ tametsi vocem nullam edant, arboris tamen lætitiam ob fructum aduenientem indicant.* Vt vitis viridante, ac florida pompa vestita hyemis mœstitiam excludit, & lætam fructuum spem sine voce hilaris adspicientibus ostendit; sic spes, quæ est futuri fructus lætum prænuntium, infundit cordibus gaudium. Dauid implicatam arboribus syluam incolens refertur in Domino confortatus; *Confortauit manus eius in Deo.* Huius confortationis causam Textus subiungit: *Regnabis super Israel.* Sustinebat molestiam, sed regalem sperabat coronam, & jam quodammodò prægustabat acclamationes faustas, vel cùm anxias experiebatur miserias. *Spes* (aiebat *suprà* datus Philo) *ad id à natura comparata videtur, vt futurum bonum quasi prægustaret, idque animo commendaret, qui firmiter possideret.* Consonat noster Sanctius ad hunc locum: *Spes in arduo quantumcumque rerum conflictu confirmare debet languentes animos.* Languebat Dauidis animus respiciens ad sylnam, ni spectaret ad coronam; verùm futuræ coronæ firmis spebus inuictos animos opponebat arduis laboribus. Promisit Deus Abrahamo legitimam prolem, vbi audiuit, statim risit non incredulus, sed jam futuro risu quodammodò deliturus: *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit.* Datus Philo ait futurum Isaacum, qui interpretatur risus, jam quodammodò adesse, à parenteque præsentiri, & ipsa spe possideri: *Risit merito, cùm nondum satus videretur in mortali genere risus. Nec ipse tantum, verùm etiam mulier ridet, prænuntiatur enim denuò. Risit autem Sara in semetipsa.* Adeò certa erat spes futuri risus, vt jam parentes gaudium prægustarent, & prægustando riderent: ergo Ionathas, id est, Columbæ donum Dauidem confortat, dum futuram coronam in memoriam reuocat. O immortalem gloriæ coronam attendant, qui varijs calamitatum fluctibus iactati adlaborant? sic enim labores emollient, & mellient.

Gen. 17. v. 17.

§. XXIV.

Magni amoris indicium est, si gaudeas tibi alium præferri, teque postponi.

HVmana splendendi sitis nunquam placatur, immò augmentis ipsis augetur. *Eo maiora cupimus* (aiebat Seneca *lib. 2. de Beneficijs cap.* 27.) *quo maiora venerunt, multòque concitatior est auaritia in magnarum opum congestu collocatæ, vt flammæ infinito acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit, æquè ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, qua quondam eius fuit impudens votum.* Qui ambitionis sui olim arguebat audaciam, si ad concupita peruenerit, non quiescit, sed maiori conatu mira exambit. Non respicit sæpè ambitio, quos post se habeat, sed quos ante se sustineat. Secundo loco poni ægrè fertur, quia eminere supra omnes cæcis votis desideratur. Opportunè Tertullianus *lib. 1. ad Vxorem cap. 3. Ad primum locum certamen omne contendit: secundus solatium habet, victoriam non habet:* immò secundus, etsi plurimos antecedat, non tam solatium habet, quàm tormentum. Hinc mirandus est Ionathas, qui generoso adeò amore Dauidem amplectebatur, vt primas illi desideraret, & secundo se loco poneret: Cessit amori ambitus, & dum cessit, amorem generosissimum compotauit. Ita Abulensis *quæst. 20. Aliquis dicet, quòd hoc dixit Ionathas ex affectione.* Magna affectio, malle Dauidem regnare, quàm locum sibi primum, ac debitum possidere. O quid non faciat vis amoris! Anteà Ionathas, vt Dauidem nobilitaret, regalem exuerat tunicam, nunc ei primatum cedens quodammodò exuebat ipsam naturam, quandoquidem inglorium habetur esse secundum. Zara manum retraxit, & fratri cessit: *Illo verò retrahente manu egressus est alter.* In hac manus retractione aliquod Abulensis suspicatur miraculum. *Hoc à Deo factum est,* inquit

Amor. Præfatio. Cupiditas. Ambitio.

Gen. 38. v. 29.

inquit ad hunc locum. Si solùm attenderetur natura, nullatenus Zara cederet, sed primas semper ambiret. D. Thomas ad hunc locum in Zara Christi Domini agnoscit ænigma: *Per Zaram, quod interpretatur oriens, intelligitur Christus.* Christi referebat passionem fratri cedens, & secundo loco se poni patiens, immò Christi etiam erga homines referebat amorem fratri concedens primatum, & secundum sibi diligens locum: ergo jure Ionathas columbæ donum interpretatur, quia magni, generosique erat argumentum amoris primatum concedere dignitatis.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Percussit ergo vterque fœdus coram Domino, mansitque Dauid in sylua: Ionathas autem reuersus est in domum suam.

§. XXV.

Qui Christo Domino adiungitur, dum à plurimis deseritur, facilè assequitur vota, & impetrat postulata.

Votum. Christus. AMici frequenter indè fugiunt, vndè probantur: si calamitas vrgeat, si in contrariam artem fortuna vergat, omnes aut periculum declinant, aut se periculi metu exonerant. Circa euersos ingens solitudo est; verùm qui amico laboribus afflicto adstat, dum veram ostendit amicitiam, majorem sibi conciliat beneuolentiam. Hinc est, quòd filiorum Zebedæi mater petitura pro filiis accessit, cùm Christum Dominum crucifigendum audiuit: *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans, & petens aliquid ab eo.* Et cur tempus illud elegit, vt impetraret. Quia tunc ipsa humiliter adorabat, cùm inimicus crucem pangebat. Audiebat crucem: ergo tunc accessit, vt faciliùs impetraret thronum. Notauit Basilius Seleucienſis *orat.* 24. [Vis mulieris fidem cernere? Supplicationis quære tempus. Quando libellum supplicem effert? quando postulationis tempus? Crux erat parata, passio appetebat, Iudæorum instructus erat exercitus.] O mulieris prudentiam! Videbat Christum ad mortem à plurimis expeti, videbat exercitum in ipsum armari: ergo tunc accedens, & supplicitèr adorans nil negandum sibi præsumpsit, & quidem ni desiderium minus rationi esset consentaneum, assecuta fuisset feliciter votum, tempus namque gratiam conciliabat, & impetrandi quodammodo jus acquirebat. Quid enim non mereretur, quæ Christo adhærebat, quando totus populus morte dehonestare turpissima adlaborat. Ecce Ionathas secundum in Dauidis regno esse postulat: *Tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus.* Dauid annuit, & inito fœdere fixè stabilit: *Percussit ergo vterque fœdus coram Domino.* Ad hoc fœdus fuisse initum, vt scilicet secundus in regno esset, testatur noster Sanctius: [Hæc fuit eorum summa, quæ in eo congressu locutus est Ionathas, & cùm petiisset, vt cum rerum Israelitarum potiretur, ipsum haberet in regni administratione secundum, fœdus, quod erat inter illos ante percussum, adhibita iterum, vt est verisimile, jusiurandi religione, firmatum est.] Vide, quo tempore accessit Ionathas, cùm scilicet in sylua variis insidiis impetitus, & adornatus à Saule contra ipsum exercitus: *Abiit ad Dauid in syluam:* ergo cùm persecutionibus circumacto adhæreret, & tempore adeò afflictationibus pleno occurreret, non potuit non impetrare, & inito fœdere, quod desiderabat, sancire. Felix ille latro, quod desiderabat, citissimè obtinuit, quia confessus est Dominum redemptorem, cùm ferè omnes linguis percuterent, & blasphemiis dehonestarent: *Dicebat ad Iesum: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Quid tunc Dominus? *Hodiè mecum eris in paradiso.* Reliquorum infidelitas latronis fidem commendabat, & tempus ipsum, vt citissimè impetraret, fauebat. *Vberior est gratia* (aiebat Ambrosius in Catena) *quàm precatio:* Citissimè, & plus obtinuit, dum Christo Domino ferè ab omnibus spreto deuotè accessit. *Luc. 23. v. 42.*

TEXTVS.

VERS. XIX. & XX. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce Dauid latitat apud nos in locis tutissimis syluæ in colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti? Nunc ergo sicut desiderauit anima tua, vt descenderes, descende: nostrum autem erit; vt tradamus eum in manus Regis.

§. XXVI.

Apud sæculum florentes Christi proximitatem auersantur, & vitiis inseruire totis viribus adnituntur.

Socrates interrogantibus (Scribit Democritus apud Stobæum *cap.* 103.) *quinam essent felices, respondit: illi, qui mentem bonam, & rationem possident.* Qui bona mente præditi, & æquitate adornati, felices sunt; qui verò insanis appetitionibus inseruiunt, qui vitiis viuunt, miseri sunt; vt etiam in horum censu locandi sunt plurimi ex his, quibus vulgus inuidet, & beatos, quia exteriùs resplendent, credit. Frequens non est opulentam fortunam cum bona mente conuenire, & à ratione non dissidere. *Stultissimus est* (aiebat Seneca *epist.* 47.) *qui hominem aut ex veste, aut ex condition, quæ vestis modo, nobis circundata est, æstimat. Seruus est, sed fortasse liber animo.* Adnectit: *Dabo consularem aniculæ seruientem, dabo ancillulæ diuitem: ostendam nobilissimos iuuenes mancipia pantomimorum: nulla seruitus turpior est, quàm voluntaria.* Apud sæculum felices, & florentes vitiis famulantur, immò, quò turpiùs famulentur, à se longissimè virtutem ablegare adnituntur; alios ad vitia trahit egestas, & nuditas, hi architectantur vitia, & se ipsos vrgent, vt properent ad scelera. Hanc veritatem probant Ziphæi, qui non ferentes apud se commorari Danidem, indè pellere cogitarunt, vtque traderent, Saulem adierunt: *Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce Dauid latitat apud nos in locis tutissimis syluæ?* Et cur Ziphæi nullum à Dauide detrimentum *Felix. Vitium. Virtus. Seruitus.*

paſſi eum inde depellere geſtiant, & proximitatem faſtidiant? Quia Ziphæi (inquit Rhabanus apud Gloſſam) interpretantur florentes, vel germinantes: ergo apud ſæculum floridi, & fortunati nec virtutem ſibi approximari permittunt, ſed quàm longiſſimè abigere geſtiunt. Rhabannum audi: *Apud ſe latitantem Dauid Sauli prodiderunt, & cum eo de morte eius tractauerunt. Ziphæi autem florentes, vel germinantes interpretantur.* Vide quales hi flores parturiant fructus, Regis deſiderio adulantur, & Dauidis necem moliuntur. Et quid ſperes à florētibus, & vernantibus, niſi à virtute long diſtare, & eius etiam proximitatem faſtidire. Iſaias idololatriam abolendam prænuntians Damaſci fortitudinem aſ-
Iſai. 8. v. 4. ſeruit auferendam: *Auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum.* Itaque Damaſci fortitudo aufertur, vt idololatria auferatur, quaſi nequeat idololatria expungi, dum Samaria videatur florere. Prodeſt Tertullianus *lib. 1. in Marcion. Idololatriam Samariæ nomine notauit, vt ignominioſæ ob idololatriam, qua deſciuerat tunc à Deo ſub Rege Ieroboam.* Ieroboam inuenculas aureas coluit, & ad Dei templum iter quaſi oppanſis retibus impediuit. Virtutis prop inquitatem abhorruit Samaria, quæ florida, & copioſis fructibus diuitata idola multiplicauit grauioribus implicata reatibus, quia magnis affluebat felicitatis prouentibus: ergo Ziphæi florentes, germinanteſque Dauidem circa ſe inhabitare non permiſerunt, ſed de eius nece ſtudioſè tractarunt.

§. XXVII.

Nonnulli gratis operas ſuas offerunt, quo alij inſana expleuerint deſideria, & deteſtanda perpetrarint peccata.

Opera. Peccatum.

NVllum vitium ſine patrono eſt. Sunt qui lucri ſpebus inſana aliorum vota foueriṅt, aut excitarint. Sunt, qui falſis nominibus illudant, & rerum naturā quodāmodo euertant: inter omnes tamē vitiorum vernulas hi deteſtabili prauitate inueniuntur infecti, qui nulla mercede ineſcati; nulla ſpe illecti operas ſuas gratis offerūt in alienæ prauitatis ſuffragiū; & inſanæ appetitionis fomentū. *Vt lucida & ſplendida pictores* (inquit Plutarchus *lib. de adulatore*) *vmbroſis, & caliginoſis intendunt, propè admotis: ita contraria obterendo, inſectando, perſtringēdo, & deridendo celebrant, aluntq; vitia quibus imbuti ſunt illi quibus aſſentātur.* Itaq; gaudent aliorū vitia alere, immò ſuis operis oblatis ad effectum perducere. Ex horum cēſu erant Ziphæi, qui cùm non ignorarent Saulem implacabili odio contra Dauidē furere, nulla ſpe pellecti, nullis perſuaſionibus incitati operas ſuas ei obtulerunt, vt Dauidem innocuum, & caperet, & occideret: *Aſcenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce Dauid, latitat apud nos in locis tutiſſimis ſylvæ in colle Hachila quæ eſt ad dexteram deſerti? Nunc ergo ſicut deſiderauit anima tua, vt deſcenderes, deſcende: noſtrum autem erit, vt tradamus eum in manus Regis.* Balaan improba deſideria Balac ad effectū perducturus tetendit, ſed muneribus jam corruptus, & ambitioſis honorum ſpebus ineſcatus. Ziphæi nec donis prouocati, nec promiſſis illecti promittunt inſanienti Sauli Dauidem tradere, & inſana eius deſideria adnitūtur fouere. Notauit Ioſephus apud Gloſſam: *Cùm nil mali ſuſtinere potuiſſent, ſi Dauidē non indicaſſent Sauli propter blādimenta regia virum religioſum, & ad mortem iniuſtè quæſitum, & qui latere poterat, prodiderūt, & ſe eum tradere promiſerunt.* Conſonat Lira: *Patet malitia eorum, qui contribulem ſuum innocentem accuſauerunt, & cum hoc ad tradendū eum proditoriè ſe obtulerunt.* Gratis ſe obtulerunt, vtque hydrope laborantes, dum internum ardorem nequeunt copioſis potionibus reſtinguere, alios ad bibendū incitant, & amplos ſcyphos haurire obnixè rogāt, ita Ziphæi ea prauitatis ſiti laborabant, vt Saulem excitarint, & ad Dauidem perſequendum quodammodò impulerint. Cùm Rex de Dauidis ſtirpe jam defuiſſet Herodis tempore, & prophetia Chriſtum adeſſe clariſſimè demōſtraret, plurimi Herodem Chriſtum eſſe aſſerebant, & peſtiferam hæreſim ſeminabāt: Hanc ob cauſam Chriſto Domino aduerſabantur, & necem eius meditabātur. Cúmq; Phariſæi hæc Herodianorum deliria non ignorarēt, nec vocati, nec ſpebus vllis allecti ad ipſos acceſſerunt, & ad explenda contra Chriſtū cogitata incitarunt: *Exeuntes Phariſæi ſtatim cum Herodianis conſilium faciebant aduerſus eum, quomodo eum perderent.* Phariſæos igniculos injeciſſe Herodianis, vtque contra Chriſtum cogitata perficerent, ſuas operas promiſiſſe, tradit Theophilactus in Catena D. Thomæ: *Hæreſis quædam noua ſurrexerat, quæ Herodē Chriſtum eſſe dicebat: prophetia enim Iacob innuebat, quòd quando deficerent Principes de Iuda, tunc Chriſtus veniret, & quia Herodis tempore nullus ſupererat Iudaicorum Principum, ſed ipſe ſolus regnabat alienigena exiſtens; quidam ipſum eſſe Chriſtum putauerunt: iſti ergo cum Phariſæis Chriſtum interficere conabantur.* Herodiani necis Chriſti deſideria fouebant: ergo Phariſæi ſua ſponte accedunt, operas ſuas offerentes, & Herodianos contra Chriſtum Dominum irritantes. Sic namque peruerſi peccata fiunt, vt alios ad peccandum foueant, & ne deſiterint, perſuadeant.
Marc. 3. v. 6.

TEXTVS.

VERS. XXI. Dixitque Saul: Benedicti vos à Domino, quia doluiſtis vicem meam.

§. XXVIII.

Nunquam exiſtimant Principes ſatis remuneratum, quem explendis ſuis inſanis appetitionibus inuenerunt idoneum.

Præmia.

PRæmium virtutibus debitum ſæpeſæpius virtutum auctoribus conſtat exhibitum. Qui vitiis magnatum inſanis appetitionibus auxiliantur, qui gratis aſſentationibus ſuperbiam nutriunt, ſtrenuis militibus præferuntur. Hinc eſt, quod plures operas ſuas offerant ad delicta, quia magna indè promiſerunt ſibi præmia. *Hac re* (ſaiebat Plutarchus de Adulatore) *Romanas tunc adeò opulentas penè euertit, & perdidit, cùm Antonij luxum, libidines, & inſolentiam, res latas, atque luxuriantes indulgentiis ei potentiæ, & fortunæ blando nutu ne Romani prædicarent.* Ex Romanis nonnulli Antonij vitia fouebant, & dilaudabant, quia Antonius Adulatores, & ſuæ inſaniæ coadjutores efferebat, & adiuuabat. Adnectit Plutarchus: *Complures denique Reges nonne Apollinei, cùm cantillant: Bacchi, cùm vino merſi ſunt: ſi lubentur,*

tur, dicuntur Hercules? Quòd illis, si placeat, in omnem impelluntur à blanditiis infamiam. Dum adulator magnates deos appellat, ad vitia sectanda quasi adjectis calcaribus irritat, & dum vitia honesta deprædicat, prudentiam de mentis arce deturbat. Ziphæi vt nouerunt posse insana Saulis facta desideria fouere, ad ipsum inuolarunt, & strenuam se operam nauaturos promiserunt. Quid tunc Saul? Eos vti fidelissimos, & benedictos magnis dignos honoribus censet, & profert: *Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam.* His verbis asseruisse nihil satis esse ad illud obsequium remunerandum testatur Abulensis *quæst.* 25. [Congandet Saul Ziphæis, & imprecatur eis benedictionem, quia voluerunt obsequi in eo quod ipse maximè desiderabat; ideò tanquã ipse nõ potens sufficiẽter retribuere illis, pro obsequio, orat à Domino benedictionem super illos, id est, multiplicationem bonorum.] Ziphæos arbitratur nunquam satis remunerandos, quantumvis magnis eos præmiis afficiat: quod si Ziphæorum meritum quæras, nullum aliud reperies quàm industriam suam promisisse, vt Saul execrabile assequeretur votum, & insanum prorsus perficeret desiderium. Ad Ziphæos remunerandos quævis præmia videbantur exigua, cùm exigua strenuè decertantibus exhibita satis viderentur magna.

TEXTVS.

VERS. XXII. Abite ergo, oro, & diligentiùs præparate, & curiosiùs agite, & considerate locum, vbi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quòd callidè insidier ei.

§. XXIX.

Nunquam otiandum, si hostem sustineas potentia instructum, & multiplici fraude armatum.

Hostis. Solicitudo.

QVi in hostili regione versatur, anxia solicitudine semper vrgetur, cùm vbique vrgeat periculum, vbique recurrendum est ad solertis vigilantiæ remedium. *Male constructio loci tunc quæritur* (aiebat Cassiodorus 1. *variar.* 17.) *quando iam pericula formidantur.* Cùm pericula jam vrgent, ipse timor præpedit, & tarda pœnitentia otio inerti torpuisse luget difficultatibus implicatus, & multiplici fraude circumuentus. O quàm est lætum prouido studio hostis captiosas elusisse insidias, & vigilantiæ solertia obtentas frustrasse pedicas! Vbi Ziphæi apud se Dauidem latitare Sauli denuntiarunt, eis persuasit, vt nulli labori parcerent, sed omni se in tanti ponderis negotio solicitudine gererent. *Abite ergo, oro, & diligentiùs præparate, & curiosiùs agite, & considerate locum vbi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi.* Solicitam imperat diligentiam, diligentem requirit curiositatem, vtpotè ad negotium arduum, & absolui difficillimũ. Et cur Saul sibi non promittat facilè Ziphæorum industria Dauidem capiendum? Iam ipse refert: *Recogitat enim de me, quòd callidè insidier ei.* Ac si dicat: cùm Dauid agnoscat magnis me viribus prævalere, omniq; insidiarum genere vti, ea sibi cauet vigilantia, vt nulla nobis sit industria superflua, nec cura otiosa: ergo nulli labori parcendum est, alioquin nostra spes carebit effectu. Profectò Saul cæcitate odij in Dauidis impegit suffragium, & nobis Dauid imitandum præbet exemplum: quia se ab hoste doloso, magnisque viribus instructo agnoscebat ad necem quæri, tutissimis locis se præmuniebat, & insomni vigilantia seruabat. Innuit noster Sanctius: *Iubet eos callidè inuestigare, quem locum subierit, vbi lateat, idque iterùm atque iterùm accuratè prouideant. Cùm enim (inquit) suspicetur nihil ipsum omissurũ, vel virium, vel solertiæ, quo tãdem illum in laqueum, & insidias trahat, mutabit sæpè locum, & alias, atque alias instabili, & erranti gressu latebras subibit.* Itaque ipsa hostis solertia, potentia ipsa erat quodammodò Dauidi auxilio, quandoquidẽ prouido timore armatus loca tenebat munitissima, & quæ hosti forent incerta. Quis non incusaret Dauidem, si vires, & solertiam hostis agnoscens somno se traderet, & delitiis indulgeret? ergo quisque suam conueniat conscientiam, expendatque qualiter se gerat, quando non ignorat insidiantis sibi dæmonis validam potentiã, & solertem semper astutiam. Ob id Apostolus Petrus aduersarij sæuitiam, & potentiam adlaborat ostendere, quo omni vigilantia, solicitudine neque nobis opus esse non possimus ignorare: *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* 1. Petr. 5. v. 8. Ac si dicat Petrus: si amens haberetur, qui ferocientem leonem intuitus tuta non peteret, sed otiosus dormitaret, qua erit censura dignus, qui cùm diaboli nec sæuitiam, nec virium ignorarit valentiam, inerti otio indulget, & dormit? Opportunè Cyprianus *lib. de zelo & liuore*: [Excubandum est, fratres dilectissimi, atque omnibus viribus elaborandum, vt inimico sæuienti, & jacula sua in omnes corporis partes, quibus vulnerari possumus, dirigenti, solicita, & plena vigilantia repugnemus, secundùm quod Apostolus præmonet dicens: sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tãquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.] Vt nos, ipsa periculi notitia, si inuigilemus, obarmat, ita si dormitemus, condemnat. Samson cum sæuo leone colluctatus vicit, quia se grandi spiritus fortitudine armauit; periret, si ignauè, & negligenter se gereret, solicitiùs se ad pugnam accinxit, quia periculi magnitudinem nouit.

§. XXX.

Peccatores omni solertia curant, ne vitiorum occasiones labantur; virtutis assectæ non adeò adlaborant, vt exercendæ virtutis occasiones elucrentur.

PLerosque hoc opus (aiebat Tertullianus de Pœnitentia *cap.* 10. *vt publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo.* Adnectit: *Ne tu verecundia bonus ad delinquẽdum expandes frontem, ad deprecandum verò subducens.* Nullum rubori locum peccatores faciunt, si occasio voluptatis inuitet, nullum ignauiæ tempus concedunt si ambitionis, aut cupiditatis occasio inflammet; virtus differtur, dũ opportunior occasio aut præsumitur, aut speratur. Perbellè Nazianzenus *orat.* 10. *In nostram perniciem fortes sumus, & aduersus sanitatem nostram periti.* Quàm periti sumus ad temporalia acquirenda lucra, quàm fortes ad labores perferendos; vt assequamur voluptuosa, omnia

Vitium. Virtus. Occasio.

omni solertia inuigilamus, ne occasio vitiorum possit elabi, & detestabili vigilantia conamur implere. Vbi Saul per Ziphæos agnouit capiendi Dauid opportunam occasionem adesse, nihil non tentauit, nihil non prouidit, vt assequeretur votum, & perpetraret delictum: *Abite ergo, oro, & diligentiùs præparate, & curiosiùs agite, & considerate locum, vbi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi.* Quanta solertia omnia effugia studuit impediri, quanta curiositate latibula inuestigari, quàm celeriter iter arripi? & totum hoc, ne spe frustraretur regnum stabiliendi, & amplificandi. *Vt non proficiscatur* (inquit noster Sanctius) *in incertum, & iterum assumpti conatus, sicut anteà sæpè, cum ignominia, & dolore suo excidant inanes.* Cùm agitabatur à dæmone, opus fuit abhortamentis, vt quæreret medelam; hic summis precibus Ziphæos ipse adhortatur, vt Dauidis impediant fugam. Mirandus fuit ipsis cœlitibus Abrahã, cùm filium in monte oblaturus, seruos, quos secum duxerat, manere
Gen. 22. v. 5. jussit: *Expectate hic cum asino.* Seruos noluit montem inscendere, veritus, ne, si sacrificio interesseat, humana moti commiseratione impedirent: ergo, dum omnia impedimenta virtutis remouit religiosè prouidus, qui sumptuosis elogiis celebraretur, fuit dignus. *Nunc cognoui, quòd times Deum.* Prodest Oleaster hic ad mores: *Omnia relinquit, quæ ad immolationem filij possint impedimento esse. Si enim serui viderent patrem puerum iugulare volentem, nonne eum senem delirum vocarent, eumque ab hoc, quod facinus putarent, prohiberet?* Si alius esset Abraham, ægrè non ferret impediri, aut retardari: ergo dum, vt elucraretur sacrificij occasionem, omnia solerter auertit impedimenta, cœlestia meruit elogia. Quandoquidem de more est plurimis patienter ferre virtutis occasionem impediri, vt ægrè vitiorum opportunitatem elabi.

TEXTVS.

VERS. XXIII. Considerate, & videte omnia latibula, in quibus absconditur, & reuertimini ad me ad rem certam, vt vadam vobiscum; quòd si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.

§. XXXI.

Subditi, si agnouerint Superiorem inerti marcere ignauia, diligenti non obtemperabunt solertia.

Superior. Subditi. Solertia. Ignauia.

PRincipis ad exemplum totus populus componitur, & quæ in Principe agnouerit, imitatur. *Necessarium probatur esse* (aiebat, Cassiodorus 10. *variar. Reipublicæ personas dignitatibus aptas eligere, vt cui iustitia committitur, malis moribus non grauetur. Alioquin inefficax est ab homine exigere, quod agnoscitur non habere: contra, confidenter quæritur, quod inesse sentitur.* Esse nequit castitatis exactor, qui agnoscitur honestatis corruptor, nec à subjectis extorquere potest indefessam solertiam, qui in se ipso ostendit dormitantem ignauiam; sed licet hoc quauis in materia certum, in ea præcipuè, quæ ad ipsum superiorem, aut Principem spectat, inuenitur indubium. Quis enim miles laboriosas excubias agat, si ducem inerti somno oculos tradidisse cognoscat. Vbi Saul in tentorio dormit, Abner somno etiam oculos tradit: *Inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio.* Quid tunc? *Abner autem, & populum dormientes in circuitu eius.* Nolebant Infr. cap. 26. v. 7. subjecti laboriosas excubias agere ad Saulis tutelam, quia ipsum sectari intuebantur ignauiam, nec Saul ausus est Abnerum obdormisse seuerè carpere, quia eum arguebat conscientia, & vocem eripiebat ignauia. *Inefficax est ab homine exigere, quod agnoscitur* (qui exigit) *non habere.* Ob id cùm Saul Ziphæis, quibus se Dauid tegeret, latibula curiosissimè præcepisset vestigare, & ad se reuerti: *Reuertimini ad me ad rem certam, vt vadam vobiscum*, eos secutus demutauit sententiam, & arripuit statim viam: *Abierunt in Ziph. ante Saul*; nec contentus est iter arripere, sed licet profundis Dauid telluris visceribus latitaret, se perscrutaturum asseruit, & extracturum promisit: *Quod si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.* Inquires, cur non expectarit Ziphæos meliori notitia informatos ad se reuerti, cùm satiùs videretur in incertum non tendere, aut cassis sudoribus laborare? Dubio respondet Abulensis *quæst.* 17. dum ait demutasse sententiam, ostentasseque indefessam vigilantiam, veritus, ne Ziphæi eum remanere palatio intuiti, in perscrutando Dauide torperent ignaui. Abulensem audi: *Saul à principio disposuit manere in domo, quousque Ziphæi asferrêt ei rem certam; postea tamen iudicauit hoc esse inconueniens.* Præsumpsit in re ad se penitus spectante Ziphæos minus solerter se habituros, si ipsum viderent perscrutationis laborem respuere, & palatij otia sectari. Ergo nil hac in re laboris recusaturum promisit, vt viuidiùs Ziphæos accenderet. Subdit Abulensis: [Hoc autem dicebat Saul ad animandum Ziphæos, vt persequerentur Dauid, inquirentes diligenter, nam fortè ipsi putarent, quòd Saulem tæderet laboris syluarum, & nolet perquirere Dauid; ideò etiam ipsi remisse agerent inquirendo Dauidem.] Cùm tota illa causa ad Saulem spectaret, timuit, ne Ziphæi à solicita perscrutatione desisterent, si tardantem ipsum viderent: ergo ostentauit ardere studium, vt eis adjiceret animum: *Nam considerate quæritur, quod inesse sentitur.* Agnus stans refertur, cùm spiritus in omnem terram missus proditur: *Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram,* & *venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum.* Et cur non sedens spiritus mittat, sed ad aperiendum librum celeri gressu contendat? Profectò vt suis nos actionibus instruat. Stetit, quia stare est habitus pugnantis, vel adjuuantis, vt notauit Anselmus ad hunc locum: *Stantem, quasi laborantem, & sanctis certaminibus subuenientem.* Spiritus ritè exequerentur mandata, sed vt nouerimus, quàm oporteat subjectos exemplo Principis instrui, & ad gnauiter laborandum accendi, cùm agnus spiritus ad peruigiles excubias mittit, inoculatus inuigilat, & cùm ad peragrandam tellurem delegat, ambulat: *Et venit, & accepit de dextera sedentis librum.* Ne à sibi injuncto munere deficerent missi, mittentem judicem stantem, & decertantem sunt consecuti.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXIV. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul. Dauid autem, & viri eius erant in deserto Maon in campestribus Iesimon.

§. XXXII.

Non facilè dæmonis cedunt studia, si ab eò impetitus omnia mundi deponat impedimenta.

Dæmon. Impedimentum. Tentatio.

NIhil melius, & tibi vtilius facere quibis, quàm si te periculis maturè eripere adlaboraris; eripies autem te, si quæcumque sæculi abieceris, & quæ videntur auxilia, agnoueris esse reuerà certissima impedimenta. *Quid autem melius potes velle* (scribit Seneca *epist.* 80.) *quàm eripere te huic seruituti, quæ omnes premit, quàm mancipia quoque conditionis extremæ, & in his sordibus nata omni modo exuere conantur? Peculium suum, quod comparauerunt ventre fraudato, pro capite numerant.* Vel extrema mancipia, dum inhiant ad libertatem, nouerunt ventrem fraudare, & quidquid reclamante fame acquisierunt, pendere; pecunia denudantur, sed gaudent liberi, qui dum potiebantur peculio, gemebant serui. Hac solertia vsus est etiam Dauid, qui cùm nec ignoraret Ziphæorum studia, nec Saulis odia, locum mutauit, & quidquid oneri esse poterat, prouidenter abiecit: *At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: Dauid autem, & viri eius erant in deserto Maon in campestribus ad dexteram Iesimon.* Hieronymus apud Hugonem ait Dauidem quidquid sibi oneri esse poterat, in petra Hachila reliquisse, expeditioremque ad Maon deserta inuolasse. Itaque dum Saul, Zipheique collata peruersitate cogebant delectum, Dauid ad paupertatis, & generosi omnium rerum contemptus tutissimum confugit castrum, & abiiciendo à se sæculi onera conatus est eneruare aduersariorum consilia. Audi Hug. *Petra locus est quidam muntissimus, vbi, vt dicit Hieron. deposuit Dauid, quæ sibi erant oneri, & ipse versabatur in deserto Maon.* Etsi Petra locus esset munitissimus, ibi Dauid aliquibus rebus erat grauatus: ergo etsi de loci tutamine non dubitaret, maluit omni onere abiecto campestria petere, quàm prægrauatus oneribus Petram incolere: nec sua eum fefellit opinio, quandoquidem in Maon omnes artes Ziphæorum, & Saulis vires elusit, & ni expeditus, fortassis quantumuis Petra munimina exhiberet, captus ingemisceret, & detentus: dum quidquid oneri esse poterat, abiecit, manus aduersariorum euasit. Quæ putamus commoda, insidiæ sunt: difficulter dolosos, frequentesque dæmonis absultus quibit effugere, qui ambitu, cupidine, & insanis aliis affectibus inuenitur prægrauari. Saul copiosam manum adlegerat, Ziphæus iniquè operas nauarat; verùm Dauid aufugit, quia onera mundi deposuit: *Deposuit Dauid, quæ sibi erant oneri.* Qui reliquit Sindonem, insidiantium manus euasit; *Nudus profugit ab eis.* Aufugit nudus, ne haberet vndè apprehendereturvestitus. Opportunè Hieronymus *in Catena*: *Sicut & Ioseph relicto pallio nudus de manibus impudicæ fœminæ aufugit.* Qui vult diabolicas artes eludere, quidquid grauat, ab animo conetur prorsus amandare, aliter namque ingemiscet cupiditatis seruus, ambitionis captiuus.

Marc. 14. v. 52.

TEXTVS.

VERS. XXV. Iuit ergo Saul, & socij eius ad quærendum eum, & nuntiatum est Dauid, statimque descendit ad Petram, & versabatur in deserto Maon: quod cùm audisset Saul, persecutus est Dauid in deserto Maon.

§. XXXIII.

Qui vult prætensos à dæmone laqueos effugere, ad superna semper conetur ascendere.

Laqueus. Superna.

NVlla solicitudo *in alto est* (aiebat Seneca *epist.* 80.) *etiamsi qua incidit cura, velut nubes leuis transit.* Ad demissa loca, & humilia confluunt torrentes, asperos, elatosque silices tangunt, sed excurrunt. Gigas ille procerus lapidis ictu in valle prostratus est: lapis ad alta violenter dirigitur, ad ima sponte defertur. Fortè si Gigas in montis cacumine staret, lapis infirmior peruenire, toto pondere in valle stantem percussit, & percussum deiecit. Ergo Dauid vbi audiuit inimici aduentum, humilia statim deseruit, & ad superna inuolauit: *Statimque descendit ad petram, & versabatur in deserto Maon.* Illud *Descendit*, idem valet ac confugit, quandoquidem tutum non erat se densis vallis arboribus implicare, & salebrosis tractibus impedire: ergo editissima montis cacumina tenuit, vndè quosuis hostiles motus posset prænoscere, & maturè sibi consulere. Ita noster Sanctius: *Neque id latuit Dauidem, quare è locis demissis, atque campestribus statim ad petram, id est, ad montis commoda fastigia conscendit.* Ad petram, hoc est, Christum, se contulit, humilia deseruit, & quò velociùs superna adibat, facilius pericula etiam vitabat. Capimur sæpè ab animæ hostibus, quia reuerà humilia, & deserenda relinquere nolumus, immò eis tenaciter inhæremus: alter diuitiis detinetur, alter insanis amoribus irretitur; alter ambitionis vinculis illigatur. Dæmonis contra nos adiuuamus consilia, vtque faciliùs capiamur, studiosè iniicimus nobis impedimenta. Pharao, vt secum Iosephum detineret, splendida stola induit, & torquem auream collo iniecit: *Vestiuit eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.* Philo in torque illa agnouit vinculum. Ipsum audi *lib. de Ioseph. Torques aurea non ad gloriam solùm, sed & ad pœnam pertinere videtur.* Torques aurea vinculum erat, quo in Ægypto detineretur, & dum collum ornabat, etiam ad terram, ne leuaret oculos, deprimebat. Omnia ista, quæ miraris, ad quorum splendorem stupes, externa sunt corporis ornamenta, sed interna, & quidem strictissima cordis vincula. Zachæus, vbi corde fouit videndi Christum Dominum desiderium, inscendit arborem, & quidem fructu carentem: *Ascendit in arborem sicomorum, vt videret eum.* Vt videret Christum, auram transcendit, despexit terram, & vbi despexit, vidit. Prodest Titus Bostrensis *in Catena*: *Duo erant impedimenta huic visioni, nam retardabat tum populus, non tam virorum, quàm peccatorum:*

Gen. 41. v. 42.

Luc. 19. v. 4.

torum : erat autem paruus statura : quousque terrena reliquit, erat pusillus ; vbi reliquit, altissimis exæquari potuit. Consonat in Catena etiam Beda : *Pusillus terrena relinquendo, & arborem crucis ascendendo, turbam obstantem transcendit.* Non sine grandi misterio Christus Dominus, qui in templo nunquam potuit capi, hortum capiendus contendit : *Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus.* In Thaboris vertice luce vestitur, in horto, & Cedronis valle vinculis premitur, quo nos edoceat non distare à deliciis, & hortis vincula, & frui claro splendore superna.

Ioan. 18. v. 1.

TEXTVS.

VERS. XXVI. Et ibat Saul ad latus montis ex parte vna : Dauid autem, & viri eius erant in latere montis ex parte altera : porrò Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul : itaque Saul, & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid, & viros eius, vt caperent eos.

§. XXXIV.

Imprudenter præsumit periculum euadere proximitate vicinus, cùm prudenter timeat longa distantia protectus.

Periculum. Fortuna. Manus.

VItia contactu nocent, & pericula vicinitate solicitant : verùm sunt, qui sibi imponant, & reclamante conscientia falsam securitatem effingant. *Multa extra sunt* (aiebat Seneca *epist.* 82.) *quæ circumeunt nos, quo aut fallant, aut vrgeant : multa intus, quæ etiam in media solicitudine exæstuant. Philosophia circumdanda est inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis lacessitum non transit. In insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit, & arce se sua vindicat : infra illum omne telum cadit. Non habet, vt putamus, fortuna longas manus, neminem occupat, nisi hærentem sibi, itaque quantum possumus, ab illa resiliamus.* Expedit resilire, sed contingit inhærere. Aduersus ipsam se oculis ingerentem veritatem variis cauillationibus vtimur, & periculis sponte irretiti securitatem nobis promittimus. Dauid suis hanc factis edocet veritatem ; nam cùm delectum in campum Saul produxisset, & eliuosa montium superasset, toto interiacente monte fugiebat, & nihilominùs desperabat : *Ibat Saul ad latus montis ex parte vna : Dauid autem, & viri eius erant in latere montis ex parte altera : porrò Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul.* Mons totus diuidebat aduersarium, Dauid solicito, anxioque conatu adnitebatur eludere ambitiosum eius studium, & nihilominus non spondebat sibi seueritatem, immò prudenti timore se adurgebat, & celeriter versus contrariam partem inuolabat. Notauit Abulensis *quæst.* 30. *Saul erat in latere montis ex parte vna, in qua non erat Dauid ; nam Dauid descenderat ad illud latus montis, quod magis distans erat à Saule, vt per illud posset euadere.* Consonat noster Sanctius. *In eum igitur locum totam aciem corripuit Saul, qui sic accessit propè, vt tantum mortis interposita moles vtrumque diuideret.* Montis tota moles vnum ab altero separabat, & nihilominus Dauid prudenter extimescebat : quod si longa adeo distantia protectus timet, quid faceret, si mons nullatenus separarit ? Vndè mirandi sunt, qui non adeò, vt Dauid, fortes periculis vicinantur, & spebus euanidis, ac stultis prorsus inniuntur. Dum gloriosam quondam Babyloniam ardentissimum circumiret incendium, qui longè stabant, amarè lugebant acri timore correpti, & pauido terrore perculsi : *Longè stantes propter timorem tormentorum eius.* Cœlestis vox admonet propinquos fugam, & eorum denotat admonitione cœcissimam imprudentiam. *Audiui aliam vocem de cœlo dicentem : Exite de illa populo meus, vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* Quanto stupore tenebantur, qui propinquabant incendio, quando longissimè distantes adhuc vrgebantur periculo : distantissimi verebantur anhelantibus flammis aduri, & vicini sibi persuadebant, vel incendij fumum euadere. *Exite* (inquit Anselmus) *opera eorum ne faciatis.* Ni exeant, facient : ergo in contrariam partem oportet flectere, ni velint aduri. Consonat Interlinearis : *Longè stantes, quia vellent fugere, si possent.* Adstipulatur etiam Ambrosiaster : *Stabunt igitur longè mente, & voluntate.* Timor mente, & voluntate longè recedentium desidiam, stultitiamque arguit appropinquantium. Sibi ipsi non constitit Petrus ; nam cùm à Christi Domini aduersariis dolosas prætendi non dubitaret insidias, montisque delegisset recessus, quo frustrare quiret conatus : *Bonum est nos hic esse*, non multò post de se præsumpsit, & in Sacerdotum Principis domum periculis propinquauit incautus, vndè contigit, vt negaret infidus : *vidisset quædam ancilla sedentem ad ignem, & eum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat. At ille negauit eum.* Timor, qui montis delegerat latebram, condemnabat astus imprudentiam, quandoquidem si longa adeò protectus distantia trepidabat, se periculis immiscere non debuerat ; verùm non semel plus timet, qui à periculis remotior, & intrepidè præminuit, qui discrimini vicinior. *Sciebat Sardus insidiari ei* (scribit Origenes *in Catena ad Matthæum* 17.) *cogitabat etiam, quòd Elias ascenderat, qui in monte ignem descendere fecit, & Moyses, qui intrauit nebulam, & Deo loquutus est. Vndè occultari poterant, vt nullus persecutorum sciret, vbi essent.* Satis remotus adhuc quærebat, quò discrimini obuiaret, auxilia, & præsumpsit inter hostes subiturum nullatenus detrimenta ; negatio tamen ostendit tutum non fuisse periculis proximare, quando vel distans potuit timere.

Matth. 17. v. 4.

Luc. 22. v. 56.

§. XXXV.

De propriis viribus desperare, est sibi auxilia cœlestia adscisere.

Auxilium. Electionis. Securitas.

SIbi inuidet, qui de propriis viribus audacter præsumit. *Qui securus agit* (aiebat Tertullianus *de cultu fœminarum capite secundo*) *non est solicitus, non possidet tutam, & firmam securitatem, at qui solicitus est, is verè poterit esse securus.* Præsumptio enorme est virtutis falcinum, quia dum sibi promittit non bonam secu-

ritatem, salubrem eneruat solicitudinem, & qui non

Timor. Præsumptio. non timet, sibi non cauet. *Qui præsumit* (inquit datus Tertullianus) *minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris.* Econtra, qui de se nullatenùs præsumit, totam in Deo spem collocat, & opportuna de se diffidendo auxilia maturat. Dauid manu fortis, tot, tantisque triumphis coronatus, arcta à Saule obsidione cinctus desperat se posse euadere: *Porrò Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul.* Non desperabat à Deo posse eripi, sed suis viribus posse euadere: *Desperabat se posse euadere*, id est, agnoscebat nullas sibi vires ad acies oppositas euertendas, aut superandas: ergo dum nihil de se præsumpsit, præsentaneum, ac cœleste subsidium habuit; nam aduentauit insperatus nuntius, qui Philisthinorum aciebus quàm celeriter occurrendum Saulem admonuit, ni grandi strage suos disperire vellet, nuntióque perculsus, quam iam in manibus habebat, prædam reliquit, & sic Dauid periculum facilè euasit: *Reuersus est ergo Saul desistens persequi Dauid.* Innuit Lira: *Certus erat de impletione diuini promissi, sed desperabat se posse euadere.* Cœlesti promissione fidebat: sed de propriis viribus desperabat, ipsaque de se diffidentia cœlestia maturauit auxilia, & dum non præsumpsit, euasit. Cùm Dominus longum cum discipulis de morte sibi imminenti sermonem texisset, & ne insciùm, sed spontaneum pati prænoscerent, futura indicasset, Petrus plus, quàm fas erat, sibi fidens aiebat: *Etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo.* Vnicus fuit, qui negauit, qui mortis timore ab statione non deturbandum promisit. Citò cecidit, qui fragilitatem suam non benè agnouit. Notauit Augustinus *serm. 24. de tempore*: *Petrum paululum Dominus subdeseruit, vt in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia præualere.* Humanum robur plus lassescit, dum sibi plus fidit: ergo negauit Petrus, quia propriis viribus fissus; Dauid euasit periculum, quia viribus propriis non fretus.

Matth. 26. v. 35.

§. XXXVI.

Qui pro virtute alacriter subiuit periculum, desperatis in periculis Deum sortietur sibi patronum.

Virtus. Periculum. Fidelis est Deus, nec permittit seruos suos captiosis aduersarij dolis capi, si non detrectarunt alacriter pro virtute periculum subire, & cum aduersario manus conserere. *Intelligite* (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 18.) *quid excogitauerit consolatorium Principis pro vobis ingenium: defensio vos obsidet, ne manus inimica circumdet, & à periculis excipimus*: Æquum erat à periculis eripere, quos nouerat Princeps pro eius gloria periculum non timere. Ecce cùm nullus è toto exercitu probaretur, qui honorem Dei vindicaret, & cum Gigante congredi auderet, Dauid alacriter duellum arripit, & in campum armatus fiducia prodit: *Vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* Dauid pro religione, fideque durum illud certamen inire non timuit, & ipsa alacritate hostem non solùm deterruit, sed vicit. Huius facinoris merces fuit Saulis manus effugere, & sospitate gaudere: nam cùm Saul copioso milite montem, quo Dauid latitabat, cingeret, nec humanum auxilium suppeteret, Deus misit Angelum, qui ab eis angustiis Dauidem trepidantem eriperet, & in libertatem assereret: *Saul, & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid, & viros eius, vt caperent eos.* Nullus erat, qui opem Dauidi ferret, & à præsentaneo discrimine liberaret; verùm Deus, qui Philisthinorum irruptionibus citissimè subueniendum assereret, nuntium misit, & iam Saul, vt copioso militi occurreret, receptui cecinit: *Et nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, & veni.* Nuntium hunc fuisse à Deo missum Angelum, testantur Interpretes. Ita Abulensis *quæst. 32. De isto nuntio dicunt aliqui Iudæi, quòd erat Angelus.* Præmiserat: *Ex omni parte Dauid, & viri sui conclusi erant, ita vt non maneret eis locus effugiendi nisi per miraculum, & sic factum est.* Hebræis omni humano auxilio destitutis attulerat Dauid opportunum auxilium: ergo ei omni ope humana nudo subuenit etiam miraculum. Et quomodò denegaret Deus opem afflicto, quando ipse ob Dei honorem truci occurrerat aduersario? Deum est sortitus patronum, quia pro Dei gloria deuòrarat periculum. Moyses, & Aaron exolui populum deposcebant, & subire labores non recusabant. *Ingressi itaque Moyses, & Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus.* Posteà vt popularem seditionem, tumultumque euaderent, ad Dei tabernaculum inuolarunt, ibique experti sunt tutissimum Dei auxilium. Moyses, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. *Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini.* Grauissimo Moyses, & Aaron adurgebantur periculo; à suis magis, quàm ab Ægyptiis sustinebant detrimentum, adfuit tamen, quæ eos protegeret, nubecula, & resplenduit Numinis gloria: *Apparuit gloria Domini.* Et cur modò Domini appareat gloria, cùm eos defendit nubecula? Quia cùm Moyses, & Aaron duros pro Deo, & populo deuoraffent labores, & subiissent calamitates, Dei erat gloria opportunum ostentare patrocinium, & præbere tutamentum. Ita Oleaster hic ad literam: *Visa est gloria Domini, id est, nubes illa, in qua Dominus occultabat se; veniebat enim Dominus ad protegendum seruos suos.* Non poterat diuina protectio Moysi, Aaronique deesse, quando ipsi pro Dei honore, & afflicto populo duros labores non detrectarant subire; nam qui ob Numinis reuerentiam cum difficultatibus colluctatur, opem diuinam cœcis in difficultatibus experitur.

Exod. 7. v. 10.

Num. 16. v. 43.

TEXTVS.

VERS. XXVII. & XXVIII. Et nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, & veni, quoniam inuaserunt se Philisthiim super terram. Reuersus est ergo Saul, desistens persequi Dauid, & perrexit in occursum Philisthinorum: propter hoc vocauerunt locum illum petram diuidentem.

§. XXXVII.

Sæpè Principes Rempublicam præsidio nudant, vt affectionibus insanis deseruiant.

SEmper fuit hostibus commodum insanum gubernantis Rempublicam desiderium; nam dum

Principis Arma. Cupiditas

dum totus huic rei impenditur, Respublica opportunis solicitudinibus denudatur. De Liuio Druso sic Sen. *de Breu. vitæ c. 6. Quò non irrumperet tam immatura ambitio? Scires in malum ingens, & priuatum, & publicum euasuram illam tam procoquam audaciam.* Dum Liuius superbiæ, ambitionique suæ adulabatur, æquitas corrumpebatur, ingentissimoque Respublica incommodo laborabat, quia Drusus suis affectionibus inseruiebat. Saul etiam, dum copiosum delectum cogit, & implacabili in Dauidem odio blanditur, Philisthæis, vt Israelitarum ditionem deuastent, opportuna occasio præbetur. Vt nouit Philisthæus Saulem copiosis aciebus, vt Dauidem capiat, in campum prodire, aggressus est armis nudum populum deprædari, & quidem, ni opportunus nuntius grauissimum imminere periculum admonuisset, Philisthæus regionem omnem vastasset: *Et nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, & veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram.* Huius irruptionis fuisse causam præsidio denudasse populum, vt Dauidem caperet, & suis insanis votis pareret, testatur noster Sanctius: *Quo tempore vt hostem suum Dauidem opprimeret Saul, regnum totum à militari præsidio nudauerat, eruperunt ipsi de finibus suis, vt Hebræorum fines latè deprædati copiosas in regionem suam reportarent exuuias.* Ecce quia Saul iniqua affectione ducitur, Philisthæus opportunam occasionem nactus tellurem sine obice deprædatur, & ni citò occurreret, fortasse Saul irreparabile damnum legeret. Arma sunt hostibus regentium nimiæ deliciæ; nam exarmata relinquuntur regna, dum tota deliciis, voluptatibusque impenditur cura. Balthasar, qua nocte interfectus est ab hostibus, opiparam instruxerat cœnam; idolis suis adulatus, defensionis regni desi-
Dan. 5. v. 4. piebat oblitus: *Bibebant vinum, & laudabant deos suos.* Non attendebat armatas aduersariorum iam phalangas irrumpere, quia totam attentionem sibi rapuerant idola, & cœna. Ita Hieronymus apud Glossam: *Iosephus dicit, obsessa Babylone à Medis, & Persis, Balthasar Regem Babylonis venisse in tantam obliuionem sui, vt celeberrimum conuiuium iniret.* Medus, vt agnouit deliciis Regem occupatum, & idoli sui obsequiis prorsus deditum, occasionem arripuit, & ciuitatem victor intrauit. Fortè pensa à Republica tributa profundebantur, non ad conseruanda præsidia, sed ad exornanda idola, & celebranda conuiuia: ergo Philisthæus irruptionem tentauit, quia Saulem insanis occupatum affectionibus nouit.

§. XXXVIII.

Ipsum quod exhibuisti Domino obsequium, salutare inuenies tibi profugium.

Obsequium. Profugium.

Meritò testimonium solutionis securitas dicitur (aiebat Cassiodorus 11. *variarum* 7.) *de qua non solum animus, sed substantia communitur.* Quod Deo obsequium penditur, offerentis vtilitati applicatur, & offerenti proficit, quod Numinis veneration deseruit: sibi pro tempore opportuno reposuit, quod pietas, & religio Numini obsequium exhibuit. Lucrosa negotiatio est habere Dominum debitorem, quandoquidem certum est apto tempore magnis cum vsuris reddere, quod in Dei honorem agnoscitur dedicari. Iam Dauid capiendus erat, nulla iam effugij spes aderat, ni Saul, vt communi discrimini occurreret, licèt inuitus Dauidem persequi destitisset, & subuenire suis properasset: *Reuersus est ergo Saul desistens persequi Dauid, & perrexit* in occursum Philisthinorum. Notauit Caietanus à præda, quam habebat in manus, abstinuisse, vt boni Principis munus impleret, & impendenti Reipublicæ calamitati obuiaret, maluit vim sibi inferre, quàm Rempublicam præsidio nudam relinquere. Caietani verba sunt: *Boni Regis officio functus est, præponens bonum publicum priuato.* Vt publicam salutem tueretur ardentissimum, quo furebat, odium repressit, & in aliud tempus distulit. Vtque Textus nobis vtilem eruditionem traderet, notauit Petram vnum ab altero diuisisse: *Propter hoc vocauerunt locum illum Petram diuidentem.* Itaque Petra erat Saulis conatibus grande obstaculum, Dauidis afflictionibus securum profugium. Iam si inquiras, cur Dauid inuenerit in Petra salutem? Respondebit Textus, Petra dexterè funda rotata pro religione, & populi libertate deiecisse olim Gigantem: *Tulit vnum lapidem,* 1. Reg. 17. *& funda iecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte.* Petra vsus est, vt Religionem vindicaret, & à populi ceruicibus iugum auerteret: ergo Petra Saulem diuisit, & Dauidis libertatem asseruit. Notauit noster Sanctius: *Cur hæc Petra talem nacta fuerit compellationem, meo iudicio illa est non lenis ratio, quia illa in medio duorum castrorum interiecta ea diuidebat.* Petra interiecta erat Dauidis scutum, quia Petra religioni Dauid exhibuerat obsequium: inuenit opportunissimo tempore in Petra auxilium, quia Petra vsus deiecerat monstrum. Cùm Aaron ambitiosis tumultibus oppugnaretur, iubet Deus virgas tributim accipi, vt florens fragranti eloquentia eligendum designaret. Aaronis virga florida venustate eius virtutem ostendit, & non sine magno incremento aemulantium querulas lites dissolvit: *Inuenit germinasse virga Aaron in domo Leui.* Cùm facile Deo fuerit alio signo eligendum ostendere, quamue Interpretes, cur virga voluerit esse Aaronis dignitatis testimonium, & procacium linguarum frænum? Sors cœlestis designanit Sanctum: ergo sors designet Aaronem. Expende Aaronem virga vsum fuisse ad dracones magicos deuorandos, & Israelitas in libertatem asserendos: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Ergo vt Exod. 7. v. 12. nosceremus virgam calamitoso tempore vertim Aaronis auxilium, quia virga vsus fuerat ad Reipublicæ, & religionis obsequium inflit Deus virgas desumi, & hanc præ aliis virgam voluit efflorere. Nescias, an sumptuosius fuerit miraculum, linguaces, ambitiososque reprimere, quàm dracones magicos deuorare. Nescias an difficilius fuerit externorum vires frangere, an cognatorum artes eludere. Innuit Gregorius *lib. 14. Moral. cap. 29. Virga Leui viruit, & quid virtutis Aaron in munere haberet, ostendit.* Ecce Aaroni virga opportuno tempore fuit auxilium, quia virga Numini populoque exhibuerat obsequium.

CAPVT.

CAPVT XXIV.

1 ASCENDIT ergo Dauid indè, & habitauit in locis tutissimis Engaddi: 2. Cumque reuersus esset Saul, postquam persecutus est Philisthæos, nuntiauerunt ei, dicentes: Ecce Dauid in deserto est Engaddi: 3. Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad inuestigandum Dauid, & viros eius etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruiæ sunt: 4. Et venit ad caulas ouium, quæ se offerebant vianti, eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul vt purgaret ventrem: porrò Dauid, & viri eius in interiore parte speluncæ latebant: 5. Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul silenter: 6. Post hæc percussit cor suum Dauid, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul: 7. Dixitque ad viros suos: propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est: 8. Et confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt consurgerent in Saul, porrò Saul exurgens de spelunca pergebat cæpto itinere: 9. Surrexit autem & Dauid post eum, & egressus de spelunca clamauit post tergum Saul, dicens: Domine mi Rex, Et respexit Saul post se, & inclinans se Dauid pronus in terram, adorauit: 10. Dixitque ad Saul. Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersum te: 11. Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: & cogitaui vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus: dixi enim: Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est: 12. Quinpotiùs pater mi vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cùm præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te: animaduerte, & vide quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te: tu autem insidiaris animæ meæ, vt auferas eam: 13. Iudicet Dominus inter me, & te, & vlciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te: 14. Sicut & in prouerbio antiquo dicitur: Ab impiis egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te: 15. Quem persequeris, Rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem vnum: 16. Sit Dominus iudex, & iudicet inter me, & te: & videat, & iudicet causam meam, & eruat me de manu tua: 17. Cùm autem complesset Dauid loquens sermones huiuscemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox hæc tua est fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem suam, & fleuit: 18. Dixitque ad Dauid: Iustior tu es[1], quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala: 19. Et tu indicasti hodie, quæ feceris mihi, bona: quomodò tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me: 20. Quis enim cùm inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo, quod hodie operatus es in me: 21. Et nunc quia scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel: 22. Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei: 23. Et iurauit Dauid Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam: & Dauid, & viri eius ascenderunt ad tutiora loco.

TEXTVS.

VERS. I. Ascendit ergo Dauid indè, & habitauit in locis tutissimis Engaddi

§. I.

Eorum solerter est fugiendum consortium, à quibus expertus es promanasse tibi periculum.

Consortium. Periculum.

IMprudens est, qui è discrimine erutus saluti suæ non consulit, & longè à periculo non recedit: ècontra prudens est naufragio liberatus, si exindè repudium & mari, & naui dicit, Dei beneficium salubri metu honorans, & periculi recordatione periculum prouidenter propulsans. Opportunè Tertullianus *de Pœnitentia cap. 7. Bona certè solicitudine iterum experiri vitant, quod semel didicerunt timere.* Qui diuinam semel misericordiam experti debent iterum ei esse oneri formidare, & acceptum beneficium ipsa cautela fateri; secundum nolunt expectare miraculum, quia miraculo euaserunt grauissimum detrimentum. Dauid à Ziphæis proditus in eas deuenit angustias, vt quodammodò necessarium fuerit miraculum, vt euaserit mortis periculum: ergo statim ac sospitatem recepit, locum demutauit, ne, dum temerarius repetendum præstolatur miraculum, subeat inexitabile detrimentum. *Ascendit ergo Dauid indè, & habitauit in locis tutissimis Engaddi*: Expertus Ziphæorum studia, Saulis odia, tutiora sibi loca prouidit, & à Ziphæorum propinquitate recessit. Notauit Abulensis *quæst. 2. Quia fuerat in periculo magno in deserto Maon, noluit ibi manere, quia hoc esset tentare Deum, cùm ibi semel euasisset miraculosè, & vellet adhuc manere ad hoc, quod iterum egeret miraculo ad liberationem suam.* Cœleste contemneret beneficium, si otiosus repetendum expectaret, & improuidus crederet: ergo se solicitiùs gessit, & Dei misericordiam honorauit. Consonat noster Sanctius: *Cùm ibi habitarent Ziphæi, qui sua studia Sauli prolixè detulerant, quorum iam animos paulò ante cognouerat, non putabat ibi futurum esse latibulum, quod esset omninò à periculis vacuum.* Miraberis aliquos socios experiri sibi periculosos, loca aliqua euidenter suspecta, è quibus iam Deus grandi misericordia vsus veluti deglutitos extraxit, stulta securitate eadem loca iterare, & eosdem amicos colere. Profectò hi sibi inuident, & dum incauti pereunt, cauendum periculum sua strage monent. Deus Moysi flammanti rubo conspicuus obiicitur, vtque Ægyptum repetat iubet; ille verò dictionem, extrahere molitus iàm opponit linguæ tarditatem, iam à suis nullam sibi adhibendam fidem. Mira res, qui serpentem cauda apprehendere iussus, statim obsequutus est: *Extendit, & tenuit*; modò tot opponit difficultates, ne legationem subeat, & Ægyptum repetat. Et quæ huius tantæ reluctantiæ causa? Subiisse semel Pharaonis odium, mortis periculum. Expertus fuerat sibi ad speciem adulantes insidias obtendisse: ergo nolebat repetere, quod semel didicerat formidare. Opus fuit Deo affirmare omnes eos morte iam consumptos, vt Moyses acceleraret volatus: *Reuertere in Ægyptum, mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.*

Exod. 4. v. 4.

Virga, qua elementis imperaret, armatus adhuc subdolorum amicorum verebatur consortia, & recusabat intrare Ægyptum, vbi grauissima expertus fuerat pericula, vt nos cauto timore erudiret, & prouida formidine armaret. Huc voco Philonem *lib. 1. de vita Mosis: Patulas aui aures impleuerunt plurimis calumniis, hinc indè insusurrantes, vt de amittendo principatu reddiderint solicitum.* Magnates Moysi principi astabant mentitis obsequiis, & verissimis dolis, occultis laqueis à fastigio deturbare animitus moliebantur, & auum de amittendo inopinè regno solicitum reddere conabantur: ergo licèt cùm virga potestatem acceperit in elementa, adhuc verebatur insidiosa aulicorum obsequia, & nihil non tentantia ambitionis studia. Quod semel non sine magno Dei fauore euaserat, detrectabat iterum repetere, & aulam sibi suspectam adire. Adnectit aliquantulum posteà Philo: *Rogabat, vt alius eligeretur ad exequenda mandata magis idoneus. Deus pudore delectatus respondit.* Itaque Deo non displicuit Mosis prudens cautela, qua dignitatem recusabat, vt falsorum amicorum vitaret consortia, & loca sibi suspecta. Discè à Moyse, & Dauide pericula non repetere, ad tutaque prouidenter confugere.

§. II.

Salus miraculosè à Deo accepta vigilanti solicitudine est asseruanda.

Salus. Solicitudo. Miraculum.

QVi adhuc inter asperitates, & desertorum horrores carnis, dæmoniisque est expertus insidias, maiori solicitudine, & asperiori carnis afflictatione sibi debet prouidere, & victoria semel reportata non fidere. *Ne* (aiebat Cassiodorus 11. *variar. 7.* cautelam edocens) *si aliquid horum æstimaueris negligendum, tu tibi absolutè facias esse periculum.* Adnectit: *Nihil posset nocere negligentia, vbi adhibetur solicitudo geminata. Vnde continenter agite, si prouectum vestrum magis desideratis extendere.* Geminanda est solicitudo, ne, dum negligentiùs agit præsumptuosa fiducia, quæ semel euaserat, aduersariorum iterum subierit obtenta retia. In asperis Maon desertis commoratus à Saule dæmonis æmulante Dauid impetitur, & à Ziphæis eius contribulibus afflictatur. Et quidem ni specialis Dei prouidentia seruum suum eripuisset, nullatenus obtenta retia vitasset: ergo ad asperiora conscendit celeri, & prudenti conatu, *Ascendit ergo Dauid indè, & habitauit in locis tutissimis Engaddi.* Engaddi asperiorem fuisse tractum tradit noster Sanctius: *Migrauit Dauid ad tractum Engaddi, quia ille asper erat, & inuius, & vel ipsa specie deterrere poterat inimicum, quantumuis aspiraret ad eadem, cùm vias haberet sic arduas, angustas, & præcipites, vt tantum essent capris, & ibicibus pernie.* Deuictis iam tot aduersariorum insidiis non fidit, sed austerioribus se asperitatibus obarmauit, ea loca adire studuit, in quibus non solùm vitaret damnum, sed hostis etiam congressum: Itaque quam acceperat sospitatem, maiori solicitudine communiuit, & hostem à congressu etiam deterruit, suo nos erudiens exemplo, ne ignauo post victoriam etiam reportatam otio indulgeamus, sed diaboli, cæterisque insidias solicitiùs vitemus. Deus Iosue victoriam de Haiensibus reportandam promisit, & clypeum eleuare præcepit: *Leua clypeum, quo in*

Iosue 8. v. 18.

in manu tua est, contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam. Profectò vbi vrbs traditur, clypeum eleuare superuacaneum videtur. Clypeus est ad aduersariorum ictus frustrandos, & repellendos: ergo deuictis ab eo hostibus potiùs videbatur clypeo denudandus, quàm præmuniendus. Cur ergo Deus oblata victoria iubeat brachium clypeo inserere, & eleuare? Vt noueris (inquit Lyra) deuictis etiam hostibus non esse clypeum abiiciendum, sed maiori alacritate prensandum. *Hoc erat eis pro signo datum.* Clypeus erat datus pro victoriæ signo; est namque certior victoria, dum inuigilat solicitior cautela. Clypeo iussit Deus brachium communiri, vt accepto etiam triumpho Iosue studeat se solicitiùs tueri.

TEXTVS.

VERS. II. & III. Cumque reuersus esset Saul, postquam persecutus est Philisthæos, nuntiauerunt ei, dicentes: Ecce Dauid in deserto est Engaddi. Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad inuestigandum Dauid, & viros eius etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruiæ sunt.

§. III.

Odium, inuidentiaque sic obcæcantur, vt sua contemnant pericula, & inuidiosis procurauerint detrimenta.

Odium. Inuidia. Periculum.

QVid enim acquiri putatur (aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 7.) *vbi bona conscientia perditur, aut in qua parte possit homo proficere, si innocentiam probatus fuerit amisisse?* Certum est non posse hominem proficere, vbi certum est contra æquitatem, & rationem certare: ea tamen furoris amentia obcæcantur, qui inuidentiæ, aut odij deliriis aguntur, vt sua sibi maturarint præcipitia, dum ad aliena auidiùs inuolant detrimenta. Saul delectum cogit, & ad perscrutandum Dauidem per abruptas adeò petras molitur inscendere, vt vel syluestribus capris sit difficile præcipitium euadere. *Perrexit ad inuestigandum Dauid, & viros eius etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruiæ sunt.* Dum solis ibicibus saxa illa erant peruia, indubia erant hominibus præcipitia: & tamen Saul nec loci difficultatibus deterretur, nec periculis manifestis frænatur, quominus Dauidem sibi inuisum capere detestanda, ac pertinaci obstinatione conetur. Sibi, suisque certa Saul præcipitia solicitat, vt Danidem sibi odiosissimum quærat. Notauit Lira: *Ex desiderio occidendi eum exponebat se, & suum exercitum periculis multis, & magnis.* Itaque indubia sibi, suisque præcipitia solicitabat, cùm per petras abruptissimas contendebat, & hoc totum, vt exoculatæ aduletur inuidiæ, & deliræ obsequatur maleuolentiæ. Oseas sic *cap.* 7. aiebat: *Applicuerunt quasi clibanum cor suum, cùm insidiaretur eis: tota nocte dormiuit coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flamma.* Vt persecutor, insidiatorque instos affligat, cliba-

Oseæ. 7. v. 6.

ni ad instar ardentissimis flammis exæstuat, nec videt se impetendum incendio, dum inseruit odio: tetro incendij fumo obcœcatus non videbat contra se eas flammas armari, quibus alios adnitebatur adurere: *Ipse succensus quasi ignis flamma.* Cuius flammæ? Eius videlicèt, quam ipse accendit, &, vt alios coqueret, insufflauit. Locum istum de Ieroboamo intelligit Hieronymus apud Glossam: *Dolosè Ieroboam fecit vitulos, ne fortè populus Israel pergens ad templum Dei Hierosolymis, sumpta occasione reconciliaretur Regi Iudæ. Insidiabatur ergo, ne ad templum Domini ascenderent.* Vt insidiaretur, & aureas iuuenculas tueretur, in Dei virum manum audacter extendit, sed quæ extenta impiè fuerat, ne retrahi quiret, meritissimè exaruit. Tulit dignum supplicium, dum in Dei seruum conflauit odium, verùm, vt expleret odium, auiditatis non consideravit periculum: *Mane ipse succensus quasi ignis flamma.*

TEXTVS.

VERS. IV. Et venit ad caulas ouium, quæ se offerebant vianti. Eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, vt purgaret ventrem. Porrò Dauid, & viri eius in interiore parte speluncæ latebant.

§. IV.

Quisquis iniustè alteri insidias molitur obtendere, eisdem solet miserabiliter implicari.

Insidiæ.

QVod pueris solet accidere ob ignorantiam, peccatoribus etiam contingit ob improbitatis malitiam. Pueri aliqua amplectuntur, vt sibi commoda, quæ inueniuntur esse dispendia. Opportunè Cassiodorus 4. *variar.* 35. *Ignara puerilia contraria gerit, quæ profutura putauerit.* Idem de ambitoribus, & gloriæ euanidæ cupidis potes asserere; nam quæ sibi profutura putarunt, periculosa fuisse inuenerunt; nam superna Dei prouidentia ipsam peruersorum astutiam in eorum obarmat pœnam. Saul magnis laboribus obtendit Dauidi laqueum, sed incurrit ipse obtendendo periculum, & improuidus se se offert Dauidis gladio, dum ardentiori scrutatur odio: *Venit ad caulas ouium, quæ se offerebant vianti: eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, vt purgaret ventrem. Porrò Dauid, & viri eius in interiore parte speluncæ latebant.* Non venit in mentem Saulis posse Dauidem circa viam latitare: Et ob id ipsum (inquit Abulensis) ibi latuit; ipsa quasi publicitate securior, & à suspicione remotior: ergo Saul in aduersarij manus incidit, dum capere studiosiùs disponit. Notauit Rhabannus apud Glossam: *Rex ex improuisis exceptus insidiis, quas innocenti moliebatur, incidit in foueam, quam fecit.* Dauid diuinum meruit præsidium, quando furebat calliditas improborum, & Saul, dum perscrutabatur iniustè innoxium, maturabat sibi periculum. Si alius esset Dauid, qui anhelabat capere, ingemiscret captus, & qui obtendebat technas, iaceret suis artibus irretitus. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens* (aiebat Psaltes) *in operibus manuum suarum com-*

Psal. 9. v. 17.

prehensus

prehenſus eſt peccator. Acſi dicat: Ipſi peccatores imprudenter ſibi ſolicitant pericula, dum contra iuſtos ſolicitiùs obtendunt retia. Nam cùm iuſtitiæ oculus omnia videat, peccatoris arma in vſus debitos conuertit, & nequitiam ſuis ipſis conatibus punit. Saul, qua intentabat Dauidi mortem, interiit haſta transfoſſus: & ſenes, qui Suſannæ infamem concinnauerant mortem, meritiſſimam ſuſtinuerunt ſtragem. *Ponitur cauſa* (ſcribit hîc Euthymius) *quare cognoſcatur Dominus iudicia facere, quia ſcilicèt ex hoc potiſſimum iuſtus videri poteſt, dum facit, vt qui aliis inſidias parant, ipſi maximè in eas incidant.* Quæ ſtudiosè contra alios extruebantur machinamenta, ſolent auctores opprimere digniſſima mulcta: ergo Saul, dum quærit, in Dauidis manus incidit.

TEXTVS.

VERS. V. Et dixerunt ſerui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum: vt facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid & præcidit oram chlamydis Saul ſilenter.

§. V.

Infelicitatis præſagium eſt, ſi pars dignitatis præciditur, & à Principe non aduertitur.

Princeps. Cæcitas.

FOedum eſt ſubiectos iniquis cupiditatibus inſeruire, & diſſimulatis rapinis damnum Principis procurare. Obſequioſi accedunt, ſed quid auferre moliuntur; quod ſi Princeps aut prudentia non impediat, aut ſeueritate puniat, rapacitas viget, & dignitas diſpoliata ſæpiſſimè ſordet. *Sic mala pace* (aiebat Caſſiodorus 5. *variar.* 39.) *quaſi ludo corruunt, quanti vix potuiſſent cadere ſub neceſſitate bellorum.* Inſenſili furto, quæ vix audacibus furum inſultibus contigiſſet, calamitas ſolet premere, & felicitatem perire. Dauid oram præcidit, nec Saul animaduertit: Chlamydis fruſtulum denudandæ purpuræ fuit præſagium: *Cognoſce oram chlamydis tuæ in manu mea.* Saul iam eſt ſuæ calamitatis præſagus, quia inſciſſionis extiterat inſcius: *Scio, quòd certiſſimè regnaturus ſis.* Et vndè hæc indubia certitudo? Quia dum ora præciditur, non aduertitur: *Præcidit oram chlamydis Saul ſilenter.* Saul non ſenſit, & chlamydis partem Dauid præcidit: ergo ipſa ſtupiditas erat infauſtum præſagium, & inauſpicatum prænuntium. *Dauid* (inquit Abulenſis *quæſt.* 8.) *abſcidit partem illius non ſentiente Saule.* Si Saul ſentiret, repreſſa audacia, chlamydis integritatem defenderet: at dum chlamys paulatim minuitur, & quod ſilentiosè agitur, non attenditur, imminere infortunium non dubitatur. Arcano, doctrinalique emblemate depinxit ſacer Textus Nabuchodonoſoris imminentem calamitatem. Multiplices aues conuolabant, & aliquid ex eius fructibus diripiebant, cùm ipſe ſomno oculis traditis non depelleret, & quia exigua furta non ſentiret: *Fœnum quaſi bos comedes.* Inſipido ipſe alitur fœno, quia dum dormit, ſapo-

Dan. 4. v. 29.

rato auis nutritur pomo, & quia auis nutritur pomo, ipſe alitur fœno. Abrahamus volucrum preſſit audaciam, & dum abigit prouidus, felicem eſt fortunam ſortitus. *Deſcenderunt volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham,* v. 11. Non eſt facile cupiditatis vitare audaciam, ſed curandum ſolerter eſt, ne impune aſſequatur prædam. Volucris Abrahami deſeruit felicitati ſolerter abacta, Nabuchodonoſori affert calamitatem pomum rapiens nec deprehenſa. Innuit Theodoretus: *Qui tributum exigebant, ad ſeipſos in reliquum ſine vllo metu lucrum conuertebant.* Ab humo copioſus humor trahebatur, quo arbor ad tempus effloruit, ſed citò emarcuit, quia ſtertente Domino floribus denudabatur, & fructibus diſpoliabatur: *Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit,* aiebat Oſeas. Non erat graue adeò infortunium robur comedi, ac abſumi, & prorſus ignorari. Prodeſt Theophilactus apud Gloſſam: *Exederunt omnes vires eius, & in fortitudine, ſeu potentia, & opibus ſitus, & interim ignorauit.* Ignorantia comedentium famem accendit, & dum paulatim robur comeditur, ad ſalutem neceſſariis corpus viribus defraudatur. Affert Seneca 3. *Natural. quæſt.* c. 11. cauſam, ob quam Hæmus aquarum venis exundans in ſumma aliquando aquarum penuria fuerit, quia ſcilicèt increuerat ſylua, cuius arbores radicibus occultè ſerpentibus trahebant humorem, & dum ignorabatur inopiæ cauſa, grandis premebat Hæmum penuria: verùm Caſſander ſyluas cæcidit, & iam ablatis, quæ ſugebant, arboribus ingens aquarum vis erupit, & tellurem fœcundauit. Audi Senecam: *Fuit aliquando aquarum inops Hæmus; ſed cùm Gallorum gens à Caſſandro obſeſſa in illum ſe contuliſſet, & ſyluas cæcidiſſet, ingens aquarum copia apparuit, quas videlicèt in alimentum ſuum, nemora ducebant, quibus exciſſis, humor, qui deſit, in arboſta conſumi ſuperfuſus eſt.* Profectò Galli prudentiam ſuam commendarunt, dum conſpicati Hæmum aquarum penuria laborantem, & arboſtorum ſyluam florentem, decreuerunt occultas illas aquarum vias inueſtigare, & pompam luxuriantium arborum circumcidere, quo facto ingens aquarum copia erupit, quia prudentia occultos meatus, quibus conſumebatur agnouit.

§. VI.

Prodigioſum eſt intra rationis limites ſe continere, ſi in contrarium inuitent commoda, & vrgeant amicorum conſilia.

DAuid cum vrſis, leonibuſque decertans, & recepta præda triumphans, fuit ſæculis decantandus: cum Gigante confligens, & in certamen adeò arduum deſcendens, extitit cunctis admirationi; mihi tamen mirabilior eſt ſpelunca latitans, & ſibi temperans. In aliis certaminibus lucrum, ſpeſque generoſum animum accendebant, vireſque inſpirabant. In ſpelunca Saul in eius manibus inciderat, cuius morte tranquillam ſibi lucrabatur vitam, & regalem poſſidebat coronam. Ad hæc: ſocij inſtanter proritabant, & opportunam adeò occaſionem nullatenus omittendam importunè ſuadebant; verùm ipſa Dauidis probitatem licentia oſtendit, dum maluit ſe continere, quàm hoſtis ſanguine manus cruentare: *Et dixerunt ſerui Dauid ad eum:* Ecce

Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamidis Saul silenter. Oram chlamydis silenter præcidit, vt tantæ haberet continentiæ testimonium, nec potiri voluit imperium. Prodest Chrysostomus apud Glossam: *Cum esset læsus, tum maxima, tum innumerabilia pro iniuriis bona rependebat.* Concinit Basilius Seleucienſis *orat. 16. Amici nefariè proritabant: quæ passus erat, ad arma vocabant, futuri terror manum acuebat, sed animus Dauidis haud superari potuit. O generosum pectus, & soli gratiæ seruire gnarum!* Tot circunstantiæ ad cædem impellebant, vt solus Dauid ad diuini cordis similitudinem efformatus abstineret à cæde, & deerrare eligeret solitudine. Nec quæ passus fuerat injustè, nec quæ patienda, verebatur prudenter, nec molesta, efficacissimaque amicorum consilia, nec, quæ inuitabat, corona à continentia laudabili detubarunt. Contentus non est inseruire virtuti, sed studuit perfectioni. Benè Cassiodorus 11. *variar.* 7. [Nolite sine præmio credere, quæ videntur ad bonam conscientiam pertinere. Habebunt nos benè agentes, in quo possumus adjutores. Remuneratorem enim illi esse promitto, quem se aliqua honestate tractasse cognouero.] Deum Dauid aspiciebat remuneratorem, & jam Saul prodigiosæ cessit virtuti, qui non cesserat inuicto Danidis robori. Samaritani Dominum friuolis causis vrbano hospitio recipere detrectarunt. Ioannes, Iacobusque inciuilitate exasperati, an ardentibus flammarum imbribus deleri velit, interrogant: *Vis dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* Quid tunc Dominus? *Conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis, cuius spiritus estis.* Dominus suam benignitatem; patientiamque mirè commendauit, dum nec Samaritanorum injuria offensus, nec discipulorum consiliis proritatus se vlciſci voluit, sed mansuetudine cœlesti enituit: plus ad speciem, quam Samaritanorum rusticitate, discipulorum fuit non moueri indignatione. Adest Titus Bostrensis in Caten. D. Thom. [Censetur ab eis multò justius esse Samaritanos perire Dominum non admittentes, quàm quinquaginta seruum excludere tentantes. Dominus autem in eos non commouetur, vt ostenderet, quia non habet vltionis studium perfecta virtus, nec vlla sit iracundia, vbi plenitudo est charitatis.] Dominus charitatis ardentioribus flammis succensus suos edocuit vindictam non expetendam, sed patientiam conducibiliorem seruandam: & dum se injuria, discipulisque proritantibus continuit, quo erga homines amore flagraret, ostendit, & Dauid Dominum imitatus nec vltionis studium fouet, nec amicorum consilium audit, & dum se continet, eximia virtutum perfectione florere patefecit.

TEXTVS.

VERS. VI. Post hæc percussit cor suum Dauid, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul.

§. VII.

Viri perfecti vel dum heroicas operantur virtutes, aliquid inueniunt, quod arguant, & dolore acerrimo deleant.

VT in peccatoribus duæ facilè cæcitatis spe- *Perfecti.*
cies concurrunt; ita viris etiam perfectis accidunt. *Cæcitatis duæ species* (aiebat Tertullianus in Apologetico *cap. 9.*) *facilè concurrunt, vt qui non vident, quæ sunt, videre videantur, quæ non sunt.* Iusti, quas virtutes operantur, non spectant laudabili cæcitate, & quos non habent defectus, acerrimo deplorant dolore. Ecce Dauid importunis sociorum consiliis obsurdescit, Regem reueretur, & vt reuerentiæ indubium habeat testimonium, oram præcidit, & tamen sibi quodammodo imponit, & in tanta continentia præcipitato se gessisse consilio luget: *Percussit cor suum Dauid, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul.* Quàm perspicacibus oculis vel virtutes egregias sancti discutiunt! quàm rigidi suorum operum sunt censores! quàm seueri judices! Dauid opus exercuit admiratione dignum, & tamen se reprehendit, & seuerè carpit. Notauit noster Sanctius. [Illa elegit, in quibus aliqua apparebat obseruantia, & nihil erat, quod pietas, aut religio damnaret. Quare satis habuit abscissa chlamyde referre secum seruatæ regiæ vitæ illustre testimonium: sed quia fidelis erat, ac pius Dauidis animus, in illa tanta continentia aliquid habuit, quod non probaret. *Consonat Caietanus*: Remorsus quidam conscientiæ describitur in Dauide, eò quòd incidisset oram pallij Saulis. Bonarum siquidem mentium est etiam ibi culpam timere, vbi culpa minimè reperitur.] Itaque etsi ea in actione nec religio reclamaret, nec se virtus læsam sentiret; timorata Dauidis conscientia procreatis scrupulis illum momordit, & acri dolore percelluit. Trepidant namque sæpè perfecti, vbi non est timor, & ne aliqua eos defœdarit præsumptio, Deo sic disponente, ex heroicis virtutibus, qui eos vrat, promanat angor. Sponsus pulchritudine sponsæ pedum oblectatus in eorum laudes prorupit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Cant. 7. v. 1. Audis pedes sponsæ pulchrè calceatos, ne candor vel puluere leui obscuretur; audi iterum sponsum candidam columbam, immaculatamque vocitantem: *Columba mea, immaculata mea.* Cant. 5. v. 2. Quid tunc sponsa? *Laui pedes meos.* Si candidula columba, ne quid luti contraheret, si vel in montium cacuminibus, ne leui luti macula sordescceret, pedem figere extimuit, si ad Arcam rediit, quid pedes lauet, à quibus nix, & candor discere, & pulchritudinem poterat imitari? Adeò pulchri eius fuerunt gressus, vt cum infirmis fuerit infirmata, vt afflictis subuenerit, vt ad homines traducendos à curis sæcularibus ad cœlestia desideria studiosè inuolarit, & cùm pulchri adeò gressus sponsi amorem sauciauerint, ipsa nihilominus sibi non fidens repetitis lauacris inseruit non candori, sed anxietati. Prodest noster Delrius in litera: *Cùm infirmis infirmata, cum scandalizatis vsta, cum afflictis gemens,*

eos, qui luto, & lateri vacabant, sæcularibus curis rerum terrenarum eripuerat. Gressum non explicabat, quin charitas dirigeret, & misericordia gubernaret, & nihilominus, ac si fœtulenti essent pedes, iteratis lachrymarum expurgabat ablutionibus, & suspectas solùm culpas veris dolorosis abstergebat gemitibus. Vt Dauidis etiam conscientia doluit, quod honestè manus exercuit.

TEXTVS.

VERS. VII. Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.

§. VIII.

Regia dignitas vel in peruerso debet suspici, & debita veneratione tractari.

Rix. QVi ad dignitatem diuino consilio elatus Dei gerit vmbram, & cœlestem repræsentat personam. Vndè Adam ad imaginem Dei refertur effictus, quia creaturis quodammodo pro visibili Deo datus. Lepidè Basilius Seleuciensis *orat. 1. In throno considens actionum dignitate creatoris imaginem præsefert.* Subjicit posteà: *Denique rerum gestarum vmbra veri Regis habitum gerit.* Antiquitus Principes parentes habebantur, in monetis eorum relucebat insculpta imago non ad gloriæ fastum, sed vt pascere liqueret populum. Eleganter Cassiodorus 6. *variar.7.* [O magna inuenta prudentum! ò laudabilia instituta majorum! vt & imago Principum subjectos videretur pascere per commercium, quorum consilia inuigilare non desinunt pro salute cunctorum.] Eiusmodi esse debent Principes, vt glorioſis factis æternauerint sibi famam, & dignis adornauerint incrementis Rempublicam. Addiderim, quòd licet Princeps Rempublicam potestate abusus ab æquitate exorbitarit, seque moribus indignis infecerit, ipsi nihilominus dignitati est exhibendum venerationis obsequium, & vitandum suspectæ etiam irreuerentiæ periculum. Ecce Dauid importunis sociorum consiliis proritatus, injuriisque multiplicibus offensus Saulem reueretur; nam licet magnis piaculis fordescret denigratus, suprà cæteros eminebat regia dignitate insignitus: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Ac si dicat: Nota est Saulis improbitas, sed suspici debet dignitas; non adspicio Saulem, sed veneror Regem. Innuit Caietanus: *Duas rationes tetigerat; alteram, Domino meo; alteram, Christo Domini: quia tamen præcipua ratio erat, quia Saul erat vnctus à summo Deo, ipsum solùm repetit.* Docuit Dauid summè colendos Principes, venerandosque superiores, vt qui Dei imaginem gerant; quantumvis moribus inconcinnis ab æquitate decisceant. Elisæus psaltem desiderauit, vt sedato piæ indignationis ardore furtiua prædiceret: *Adducite mihi psaltem.* Cur modò psalte indiguerit, quærunt Interpretes. Nonnulli autumant prophetico spiritu ad tempus fuisse priuatum, quia Regem Israel non adeò fuerit reuerenter allocutus: *Quid mihi, & tibi est? Vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ.* Rex ille idololatra erat, figmenta colens, & bellum pietati inferens; verùm dum regia fulgebat dignitate, debebat suspici, & fas erat dignitati reuerentiam exhiberi. Ita ex Rabbinorum sententia Lira: *Dicit hic Rabbi Salomon, quòd spiritus Prophetiæ recesserat ab eo, eò quòd exasperatus fuerat contra Regem Israel.* Non assentior Rabbinorum sententiæ; ex ea tamen vtilis erui potest doctrina, scilicet Principes suspiciendos, nec indecora irreuerentia tractandos. 4. Reg. v. 15.

§. IX.

Pluris est æstimandum à criminis aliquem liberasse contagio, quàm dignitatis splendescere throno.

HOmini proficit, quod Deo seruit, cúmque animæ salus sit gratissimum Numini obsequium, ingens indè solicitatori promanat lucrum. Iam veluti fulgentissimum sidus irradiat, qui ad virtutem proximum ducat: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel,* aiebat Balaam diuino spiritu afflatus. Virgæ stellam prætulit, & tellure natam cœlo inferendam prædixit. Cúmque regnantis majestas denotetur in virga, quærunt Interpretes, cur virgæ præferatur stella? Quia hæc stella à Balaano præuisa (inquit Augustinus *in Caten. D. Thom. ad Matth. 2.*) Magorum cæcos errores repulit, & eloquenti splendore enolare ad Christum recens natum edocuit: *Vidimus stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Florebat virga regnorum dominio, sed stella ab errorum pestifero eximebat contagio: ergo vt nouerit pluris æstimandum animas ad Christum ducere, quam pompa dignitatum florere, virgæ præfertur stella. *Nono Virginis partu nouum sidus apparuit* (inquit Augustinus) *quod mysterium officij sui ipsis Magis quærentibus Christum, tam ante faciem præiret, exhibuit, donec eos vsque ad ipsum locum, vbi Deus verbum infans erat, præuiendo perduceret.* Itaque propheticis oculis aspiciens Balaam stellam posteros ab erroribus eximentem, & virgam regia potestate vernantem, stellam prætulit, virgam postposuit: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel.* Christus Dominus à regni titulo caput in cruce auertens, latronem secum ad paradisum deferre vehementer studuit: *Hodiè mecum eris in paradiso.* Ad nostram eruditionem, vt vt potuit, fugit coronam, sitiuit latronis animam. Opportunè Theophilactus in Catena: *Quemadmodum quisque Rex victoriosus rediens ex triumpho optima prædarum fert secum; sic & Dominus prædatus portionem diabolicarum prædarum, scilicet latronem, ducit secum in paradisum.* Hoc imitatus Dauid, cùm eum regalis inuitaret corona, & amicorum, vt eam arriperet, adurgerent consilia, abstinuit, & fieret, adurgerent consilia, abstinuit, & fiebi propitiandum Dominum credidit: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem.* Mortem Prouerb. Thren. Num. 4. v. 17. Matth. 2. v. 2.

Mortem inferre exhorruit, & ostenso periculo ardentes odij sopire flammas studuit. Sauli oram chlamydis præcissam ostendit, non tam declinandi persecutionem desiderio, quàm Saulem à culpa eximendi studio. Itaque animam orco eximere, lucemque refundere procurauit, coronam non exambiit. Notauit Chrysostomus apud Glossam: [Hic beatus egestatem præ diuitiis, solitudinem præ patria, labores, periculaque præ delitiis, & securitate, perpetuum exilium præ terrarum orbe elegit, vt Saulem ab illo in ipsum odio, maleuolentiaque liberaret.] Vt à crimine liberaret, coronam contempsit, & durissimos, quos vereri posset, iterùm subire labores non recusauit: suis nos factis edocens, quàm sit magni habendum proximum à crimine eripere, & quàm magni æstimandum non sit dignitatum apicibus eminere.

TEXTVS.

VERS. VIII. Et confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt consurgerent in Saul: porrò Saul exurgens de spelunca pergebat cæpto itinere.

§. X.

Prudens superior blandis, sed efficacibus persuasionibus subiectos rationi restituit, & à malè cogitatis auertit.

Superior. Subditus.

REuerendum honorẽ sumit (aiebat Cassiodorus 10. var. 6.) *quisquis magistri nomen acceperit, quia hoc vocabulũ semper de peritia venit, & in nomine cognoscitur, quid sit de moribus æstimandum.* Adnectit thesi nostræ opportunius: *Ad eum nimirum palatij pertinet disciplina: ipse insolentium scholarum mores procellosos moderationis suæ terminis prosperè differenat.* Vtilis, & laudanda peritia adnititur procellosos mores sedare, & prudenti moderatione corripere. Milites, qui Dauidi nomina dederant, vt viderunt facili negotio posse magnis se laboribus expedire, & commodis multis gaudere, ardenter Saulis, quem præ manibus habebant, cædem anhelabant. Ast Dauid non imperiosis præceptis, non vi potestatis, sed blandis, efficacibus tamen rationibus à cæde eis abstinendum persuasit, & eorum audaciam fregit: *Confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt insurgerent in Saul.* Quàm diserta apparuit Dauidis eloquentia, quàm miranda peritia, dum ardentem militum valuit furorem sopire, & ne anhelarent vtilissimam sibi necem suadere. Notauit Abulensis *quæst.* 15. [Viri sui voluerunt subitò insurgere in Saulem: ipse autem tenuit eos, ne insurgerent, non viribus, quia solus erat, nec præcepto, quia non obedirent propter amaritudinem animi, sed sermonibus exhortatoriis. Habebant enim grauem iram contra Saulem, quæ incitabat eos ad occidendum illum. Dauid autem blandis verbis, & nimis efficacibus mitigauit iram eorum.] Blanda efficacia, efficacique adhortatione vsus, quos præcepto, aut vi adasperasset, continuit, & vtilem regiminis normam superioribus præbuit: se melius ostendit Principem, cùm, quid posset, non ostentauit, sed commilitonem gessit, vt repetit datus Cassiodorus: *Sic nominis sui grauitate perfunctus ornat actibus principatum.* Ornauit actibus principatum, dum non imperiosa voce, sed efficaci, ac blando alloquio cæcam iræ procellam differenauit. *Circumdedi mare* (aiebat Dominus apud Iobum) *terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi: vsque huc venies.* Et cur non ait: *Præcepi*, sed, *dixi?* Nonne potuit maris Dominus superbas vndas præceptis cohibere, & tumentes fluctus vi frangere? Ad hæc: si vectem, ostiaque, quibus feruor impediatur, & eruptio ardens videtur, opponit, cur præceptis rigidis abstinet? Quia verbum efficax, & blandum, dum obsequenti quodammodò adulatur, gratiùs auditur, & citiùs adimpletur. Dum mare tractatur vrbaniùs, obsequitur faciliùs, & fortè vectis erat, & porta, quibus detineretur, ipsa comitas, & vrbanitas: Lepidè Basilius Seleucensis *orat.* 1. *Domini vocem litteribus inscriptam cùm intuitum fuerit, curuatis fluctibus termini positorem adorat.* Vidit blanda Dominum voce, non rigida prohibitione vsum: ergo se mare cohibuit, & termini positorem curuatis, ac repressis fluctibus adorauit.

Iob. 3. v. 10.

TEXTVS.

VERS. IX. Surrexit autem & Dauid post eum, & egressus de spelunca clamauit post tergum Dauid, dicens: Domine mi Rex. Et respexit Saul post se, & inclinans se Dauid pronus in terram adorauit.

§. XI.

Comitas, & humilitas animos sibi conciliat, & furores inimicorum honestè incantat.

COmitas, dum officium, obsequiumque, quod ambitio sitit, honestè præstat, præsumptionis tumorem sedat, & honestis furorem incantamẽtis demutat: curãdis iniquis suspicionibus prodest humilitas; nam quem quis aduersariũ existimabat furore ambitionis cæcus, amicum agnoscit vrbanis officiis, & officiosis obsequiis persuasus, & delinitus. *Quæ obseruanda tibi sint* (aiebat Seneca *epist.* 105.) *vt tutior viuas, dicam. Spem improborum vitabis, si nihil habueris, quod cupiditatem alienam irritet. Illud, ne timearis, præstabit tibi & fortunæ mediocritas, & ingenij lenitas.* Hæc vtilia Senecæ monita mirè Dauid exercuit, dum præciso frustulo nihil se ambire euidenter comprobauit, & dum ad obsequium, & vrbanitatem recurrit: *Clamauit post tergum Saul, dicens: Domine mi Rex, & respexit Saul post se; & inclinans se Dauid pronus in terram, adorauit.* Saul persequebatur obstinatè Dauidem, quia suspicabatur dignitatis ambitorem: verùm etsi inceptum iter alacriter arriperet, dum quale antro subierit periculum ignorabat, modò generosum Dauidis animum, & soli gratiæ seruire gnarum intuitus, sententiam retractat, & copiosis lachrimis plorat.

Comitas. Furor. Humilitas.

Quod Dauid adorationis exhibuit obsequium, quod chlamydis ora humilitatis, fidelitatisque prodidit testimonium, sic Saulem flexit, sic eius indignationem sopiuit, sic mentem reluminauit, vt obsequijs, humilitatisque testimonijs honestè incantatus errorem suum defleat, & Dauidis innocentiam extollat: *Iustior tu es, quàm ego.* Iam domum repetit, jam à persecutione desistit, & licèt inuidiæ, ambitionisque fuerit portentum, dum Dauidem ab omni ambitu alienum, & humilitate reuerenti excultum agnouit, ad persecutionis pœnitentiam maturauit. Audi Abulensem *quæst.* 18. *Loquebatur Dauid ad Saulem reuerenter, vocando eum Regem, & patrem, vt patet infrà, quamquam Saul non Rex, sed hostis esset: volebat tamen Dauid obsequijs vincere improbitatem Saulis.* Vt prudens medicus pro morborum qualitate apponit medicamina; sic Dauid ad flectendam Saulis contumaciam confugit ad adorationis obsequia, & nullius ambitus testimonia. Quibus rebus jam Saul non potuit resistere, & sententiam compulsus est retractare; nam comitas, & humilitas sunt honestum animorum incantamentum, & efficax serpentini liuoris fascinum. *Furor illis* (aiebat Psaltes) *secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Vel aspis, si anhelet pestifera fouere venena, obturat aures suas, verita humanitate incantantis fascina. Quæ autem sint hæc fascina, explicat Hugo Cardinalis hic: *Verè qui vult eis aliquia persuadere, oportet, quòd ad modum incantantis se habeat, videlicet, vt suauiter, & leniter loquatur, & cum obsecratione; alioquin effugiunt statim manus illius.* Humiles obsecrationes, lenia verba adeò sunt efficacia incantamenta, vt aspides vereantur, si audierint deponenda fore venena, & ob id aures sopiunt, & ne aditum vox inveniat, obturamentis communiunt. Tantum prodest humilitas & vrbanitas: ergo Dauid, dum ad hæc incantamenta recurrit, Saulis induratum animum flectit.

Psal. 57. v. 5.

§. XII.

Quoduis est periculum deuorandum, vt contra Principem tentasse te nihil, dilucidè ostendas, ac linguas, & suspicionem malenolorum occludas.

Periculum. Princeps. Suspicio.

Licet sapiens patientiæ alumnus plura alia dissimulet, plura deglutiat, plura contemnat, omni solertia studebit malè etiam fundatam suspicionem erga fidem Principi debitam euitare, & clarissimis argumentis linguas obmurmuratorum occludere. Audi Senecam *Epist.* 81. *si pusillum erit, quod intersit, dissimulabit. Etiamsi multum fuerit, si id donari salua pietate, ac fide poterit, remittet: id est, si ad ipsum tota pertinebit iniuria.* Expende illud, *salua pietate, ac fide*; nam si fidelitas aliquam subeat suspicionem, non sustinebit, sed depellere prorsus procurabit; immò quoduis periculum, vt illæsam ostendat fidem, deglutiet. Plures, vt Saulis liuori assentarentur, de Dauidis fide obmurmurabant, & contra suam ipsorum conscientiam suspectam reddebat: ergo Dauid præcisa chlamydis ora de spelunca solus post Saulem egreditur, & quem ante fugiebat, clamore ad se reuocat, & sistere curat: *Egressus de spelunca clamauit post tergum Saul, dicens: Domine mi Rex.* Quo studio Regis oculos allicere, auresque sibi præberi solicitarit, ipse manifestissimè ostendit: [Quare audis verba hominum loquentium: Dauid quærit malum aduersum te? Ecce hodiè viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca] Abulensis *quæst.* 17. quærit, cur Regi oram ostendere tentauerit, cùm graue sibi immineret periculum, & Saulis obarmatum contra se spectaret exercitum: *Quare Dauid exiuit de spelunca ad loquendum Sauli? nam in hoc videbatur tentare Deum ponendo se in magno periculo, cùm possent eum capere viri Saulis?* Si sexcentis viris stipatus celeri pede fugiebat, si Saul, eiusque milites adeò erant proximi, vt eius possint vocem audire, quomodò solus egreditur, & discrimini magno exponitur? Quia ne eius fides (respondet Abulensis) erga Regem violata putaretur, maluit periculum deuorare, quàm suspiciones iniquissimas sustinere. *Securior erat Dauid* (prosequitur Abulensis) *si non egrederetur de spelunca ad loquendum Saul, quàm cùm egressus est; habuit tamen causam egrediendi, scilicet ad ostentandum misericordiam, quam habuerat in Saulem.* Egressus subire quibat periculum, sed euidens fidei suæ erga Regem ostentabat testimonium: ergo, vt honorem in hac parte redimeret, periculum deuorauit. Propheta Christum Dominum mirandum attestatur coluisse silentium inter sæuos tormentorum cruciatus, & cruentos verberum ictus: *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*; & tamen videbo interrogatum, an Rex esset, apertè respondisse, & Pilati suspicionem studiosè vitasse. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Iam pungit difficultas. Si dum tondetur, dum affligitur, dum plurimas alias calumnias patitur, mirando silentio tacet, cur hic respondet? Quia obiecerant inimici (inquit Augustinus in Catena) Cæsari esse contrarium, regnique ambitiosum: ergo etsi ad alia crimina sibi iniquè obiecta tacuerit, ab hac se voluit suspicione respondendo liberare. *Satis ostendit* (inquit Augustinus) *illud ei pro crimine obiectum: tamquam diceret: si tu Regem negas, quid fecisti?* Pilatus interrogatione indicabat de insidijs contra Cæsarem ostensis appellatum, & regni ambitum ei obiectum: ergo Christus respondit, nec suspicionem permisit. Consonat Alcuinus in Catena: *Hu ormbis ostendit Pilatus Iudæos obiecisse hoc crimini, vt diceret se esse Regem Iudæorum.* Cæsari erat obedientiam negare, sibi regnum exambire: ergo qui tacendo sustinuit tormenta, respondendo à se repulit huius suspicionis deliria.

Isai. 53. v. 7.

Ioan. 18. 36.

TEXTVS.

VERS. X. Dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium: Dauid quærit malum aduersum te?

§. XIII.

Susurrones sunt tranquillitatis pestes, & Principum grata lues.

Susurro.

Amicos (aiebat Eurypides apud Stobæum *cap.* 14.) *qui nihil tibi verbis indulgeant; comparato: qui verò vt complaceant, & delectent te, verba faciunt, eos tanquam malos præ foribus excludito.* Qui variis adulationibus, & susurris gratiam sibi studeant comparare, vigilanti solicitudine satagunt affectiones magnatum præcallere: vt dum patulas eorum aures blandis adulationibus, insusurrationibus gratis scalpunt, & affectionis flammis materiam suggerunt, elucrentur gratiam, aut pecuniam. Nihil Reipublicæ pestilentius, nihil Principibus periculosius, quàm eiusmodi susurrones admittere, nam, quò placent, nocent, & dum plaudunt, in procellosos turbines sæpè impellunt. Vt nouerunt politici, aulicique Saulem malè in Dauidem affectum, esse ambitionis reum obmurmurabant, & insidias prætendere è suo cerebro confingebant; & quamuis Saul tot, tamque illustria testimonia fidelitatis fuisset expertus, nihilominus falsis rumoribus adhibebat fidem, quia Dauidem persequendi desiderabat colorem: ergo Dauid modestè queritur, quòd eiusmodi hominibus aures præbuerit, & Reipublicæ pacem turbarit: *Quare audis verba hominum loquentium: Dauid quærit malum aduersum te?* Susurrones mellitis adulationibus animum ex se expromptum inflammabant, & nouos quotidiè igniculos adijciebant: Ad quæ noster Sanctius *Docet inanes esse, atque omnino fallaces voces illorum, qui Regi persuadere studebant contra ipsius salutem, & vitam, aliquid hostile meditari Dauidem.* Inter aulicos erat adulandi certamen, quia quisquis animum tumentem, furentemque vinidius proritabat, erga se magis gratum etiam sentiebat: ergo confictis de industria mendacijs Saulem præcipitabant, & Reipublicæ columen depellebant. *Susurro* (inquit Ecclesiasticus) *coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur, & qui cum eo manserit, odiosus erit.* Qui susurronem audit, odia in se conflat, & tranquillitatem turbat. *Odiosus erit* (inquit Lira) *eius vitio coinquinatus.* Fallax susurro in cæcam solet iram impellere, & odia omnibus periculosa conflare: ergo Dauid modestè carpit Saulem, quòd eiusmodi hominibus aures præbeat, & confictas fuisse veritatis testimonio contra innocuum ab eis inuidiosas calumnias euidenti argumento demonstrat. *Cùm agnouerunt* (scribit Abulensis *quæst.* 18.) *quòd Saul declarabatur audire accusationes in Dauid, & quòd proderetur ei ad mortem, quilibet conabatur formare accusationes, & confingere mendacia in Dauid, vt placeret Regi.* Vt odorati sunt Saulis odium, & studium, quisque pro ingenij viuacitate adnitebatur mendacia, & Dauidi adscribere ab eo nunquam excogitata delicta; sicque Saul delusus furebat, & Dauid innoxius campis exul deerrabat.

Eccl. 21. v. 31.

§. XIV.

Prudens industria est Principum errores eo modo carpere vt eis non videantur adscribi.

Princeps. Correctio.

SEneca *lib.* 3. *de Ira cap.* 39. aliquos sufflammati animi impetus docet sanandos prudenti potiùs fallacia, quam aperta medicina: *Ipsum impetum, quem non audet lenire, fallet.* Adnectit: *Quædam non nisi decepta sanantur. Alteri dices: Vide, ne inimicis iracundia tua voluptati sit.* Alteri etiam aliquando dicitur, quod prodesse alteri intenditur. Hac ergo vrbana arte vsus est Dauid, nam cum Saulis furori mederi discuperet, non ei obiecit interno odio furere, sed dixit ab iniquis seruulorum instigationibus inflammari: *Quare audis verba hominum loquentium. Dauid quærit malum aduersum te?* Instigatoribus eam adscripsit culpam, vt Regi applicarit medelam. Notauit satis opportunè Chrysostomus apud Glossam: *Crimen transfert in alios, vt illi præbeat occasionem excutiendi malitiam. Hoc & parentes sapè faciunt erga filios culpam in alios reijciendo, qui seduxerunt, vt à malitia respiscant.* Consonat Abulensis *quæst.* 18. *Dauid volebat hic placare Saulem, vt non persequeretur eum, & quia si totam culpam huius persecutionis Dauid imposuisset Sauli, magis eum efferaret in iram, quàm ad misericordiam flecteret, voluit culpam transferre in seruos.* Vt retineret, aliorum instigationibus persecutionem adscripsit, & occasionem honestæ excusationis ei præbuit. Addit Abulensis: *Quasi dicat: Scio, quòd tu non moueris à te ipso ad persequendum me, sed alij concitant te accusantes me apud te; quos non debes audire: & ista est cautela eorum, qui volunt impetrare à dominis, vt desistant à malis.* Honesta cautela est magnatum culpas aliorum consilio adscribere, & instigationi applicare, sic namque excusato rubore se continent, quasi propriam sententiam non reuocantes, sed errorem deponentes. Cùm Pharao Israelitas durissimè affligeret, nec vires illis suppeterent, ad ipsum conuolarunt, & contra se iniquè agi à ministris lachrymabili voce protulerunt: *En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum.* Non aiunt: iniustè agis, sed *iniustè agitur*: quasi dicant: Quod patimur, non tibi adscribendum, sed ministris, qui per otium desæuiunt, est applicandum. Prodest datus Abulensis: *Quasi dicant: Non agis tu hoc, sed ministri tui agunt: sciebant tamen Israelitæ, quòd Pharao hoc ageret.* Benè politici, ne inflammarent odium, quasi ignorantiæ offerebant effugium, vtque facilius eum possent ab iniquis decretis auertere, alijs maluerunt culpam imputare: nam, vt aiebat Seneca: *Impetum, quem non audet lenire, fallet.*

Exod. 5. v. 16.

TEXTVS.

VERS. XI. Ecce hodiè viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca, & cogitaui vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus. Dixi enim: Non extendam manum meam in dominum meum, quia Christus Domini est.

§. XV.

Iusti aliquando virtutes suas referunt, non vt sibi arrogauerint gloriam, sed vt alijs profecerint ad doctrinam.

Iusti. Laus. Gloria. Doctrina.

ID inter iustos, ac vanitulos discrimen est: hi, si quid heroicè patrarunt, referunt, vt euanidum sibi conciliauerint plausum: illi, vt honestum, & tacitum præstiterint documentum. Aliorum anhelant iusti mores concinnare, non se de benè factis efferre. *Cognoscitis* (aiebat Theodahadus Rex 10. *variar.* 16.) *prudentes viri verba, quæ loquimur, vel nunc clementiam, quam vobis ante promittere debuistis, agnoscite. Ecce nec solicitos patimur, quibus infensi esse putabamur. Sic est à Principe grauis vincenda suspicio: sic curare debuit, qui noxius esse non voluit.* Suam ostentabat clementiam, vt suspicios eorum animos persanaret, non vt sibi laudes acquireret. Nec aliter se Dauid gessit, Sauli ostendit quale incautus subierat peri culum, & quàm sibi facile vltionis fuisset solatium, maluisseque, ait quàm in vltionem ruere, hosti adeò obstinato benignè parcere: *Ecce hodiè viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea, in spelunca, & cogitaui, vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus.* Dauidis verba eò spectasse, vt Saulis sopiret iram, & edoceret cautelam, tradit noster Sanctius, Cuius verba sunt: [Loquitur Dauid ad Saulem demisse, vt modestè admoneat sibi vt caueat vel ab omnibus, si iniustè illos, vel obstinato odio persequatur, vel certè à Deo, qui potentiorum calumnias, & iniurias impunitas abire non sinit.] Acsi dicat: Deus te mihi tradidit: ergo Deum time, qui inultas abire iniurias non sinit, & ego facilè potui vltionem expetere, etsi maluerim tuæ saluti consulere: ergo cautiùs age, & ab inceptis desiste. Itaque generosè à se concessam veniam ostentauit, sed vt admoneret vtilem resipiscentiam, & ardentem sopiret iram. Vti legitimus virtutis alumnus non propriam laudem, sed Saulis animæ, & corporis exambiebat Salutem. Cùm Christus Dominus paralytico peccatorum veniam promisisset, Pharisæi semper ad calumnias exprompti, odioque inflammati, vti blasphemum interna sententia condemnabant & morte dignum iudicio deprauato censebant. Quid tunc? Pientissimus Dominus eorum interna prodidit: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et membra paralytici reformauit: *Surge, tolle lectum tuum.* Cùm Christus Dominus miracula studiosè sæpè occulue-

Matt. 9. v. 4.

rit, inquirendum est, cur modò salute restituta potestatem suam voluerit ostendere? Chrysologus *serm.* 50. ostentasse ait cogitationum notitiam, vt præcipites animos coerceret, & patrasse publicitus miraculum, vt cæcis liuore oculis lucem infunderet: *Scrutator animarum preuenit mentium maligna consilia, & deitatis suæ potentiam operis attestatione monstrauit.* Resoluti corporis compaginem reformat, & viuo in cadauere jam sepultos morborum vinculis artus religat, non vt sibi conciliauerit laudes, sed vt liuidas æmulorum præsanauerit mentes. Ergo Dauid Domini discipulus miranda sua refert facta, vt cæca Saulis restinguat odia.

TEXTVS.

VERS. XII. Quin potiùs pater mi vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea, quoniam cùm præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. Animaduerte, & vide quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te: tu autem insidiaris animæ meæ, vt auferas eam.

§. XVI.

Magna Dei misericordia est tibi aliquid de bonis temporalibus præcidi, quo possis ad saniorem mentem reuerti.

Diuitiæ. Misericordia.

FAusta, opulentaque fortuna solet hominem excæcare, & gratis ei fallacijs imponere. Felices, fortunatique nescium mortem mentiram custodire, immò excessibus gestiunt deturpare. *Quemadmodum vilia nar supia* (aiebat Bion apud Stobæum *cap.* 91.) *etsi nullius pretij fuerint, tanti tamen æstimantur, quantum in se nummi matis continent: ita diuites, etiam homines vani, & nihili bonorum, quæ possident, æstimatione, at pretio fruuntur.* Bonorum non solùm fruimur æstimatione, sed ob quæ possident, ventosissima turgent vanitate. Inania simulacra altaribus adoranda runcinis, & scobinis expolibantur, & quidquid proderat concinnitati, deseruiebat etiam adorationi: ergo Deus, quos sibi parat, & limat, vt eorum mores expoliat, aliquid solet ex iis, quæ fascinant mentem, præcidere, quò facilius possit veritatem edocere. *Sequitur* (aiebat Tertullianus in Apologetico *cap.* 41.) *vt omnes sæculi plagæ nobis, si forte in admonitionem, à Deo obueniant.* Deus non affligit, vt torqueat, sed vt vexatio ad saniorem mentem reducat: vndè malè adulabatur ille dæmoniacus, qui aiebat: *Venisti huc ante tempus torquere nos*, cùm non venerit vt duris laboribus affligeret, sed vt affligendo sanaret. Huius veritatis testis est Dauid vmbram Christi Domini gerens. Miranda lenitate Saulem à dæmone liberarat, prodigiosa patientia eius ingratitudinem sustinuerat; cùmque nil prodesset, immò ipsa patientia, & tolerantia Saul audacius inianiret, de regia chlamyde præcidit frustulum vt insaniæ afferret medicamentum: *Vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea.* Quid tunc Saul? *Leuauit vocem suam, & flenit.* Iam

Iam errorem suum publicè confitetur, jam antiquam retractat sententiam, & contrariam init viam. Quàm lucrosa Sauli fuit illa chlamydis præcisio! quàm salubris illa potestatis breuiatio! Notauit Hugo: *Prouocauit eum ad fletum, & pœnitentiam.* Ni chlamys fuisset decurtata, augustiori resplenderet exteriùs pompa, sed turgeret insania; præciso frustulo errorem suum agnouit, & salubri dolore ingemuit; misericordia fuit quid præcidere, rigida fuisset seueritas parcere. Elisæo Syri insidiosos laqueos obtendunt: ille corporalem abstulit visum, sed vt reluminaret tenebris depulsis aspectum: *Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate.* Suspirabant prædam, sed ipsi fiunt præda, & ducuntur in Samariam; ibi Elisæus restituit oculos, & noua infusa luce immutauit affectus: *Vltra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel:* Vt meliorem insereret visum, eis abstulit Propheta aspectum, nec ad agnitionem veritatis deuenissent, nisi cæcitate vtili laborassent. Prodest Ambrosius *serm.* 1. de Elisæo: *Hæc est vera, hæc incruenta victoria, vbi sic aduersarius vincitur, vt de vincentibus nemo lædatur.* Syrus errabat sanitate cæcus, periculum suum agnouit cæcitate percussus: Vt noueris Deum aliquando à nobis aliquid præcidere, vt ipsa præcisio salutem quiuerit animæ reparare.

4. Reg. 6. v. 18.

§. XVII.

Vtilior nobis est iustus offensionibus etiam exasperatus, quàm iniquus beneficijs, & cognationis titulo obstrictus.

Iustus. Iniquus.

VIrtutis alumnus pacem amat tranquillitatem proximis studiosè procurat, & cùm videbatur iniurijs exasperandus, resplendet ardentibus charitatis flammis adustus. Vt stomachus vitali calore vigens noxium aliquando alimentum excoquit, & in salubrem substantiam transfert; sic iustus charitatis ardore sibi illatam excoquit iniuriam, & iniurio rependit ad virtutem reparandam medelam. *Cognoscite, Quirites* (aiebat Theodahadus 10. *variar.* 17.) *quali vos Princeps vester firmitate dilexerit, vt tentatus asperis rebus non vos pateretur esse solicitos: nec volumus amplius vota vestra differri; quos semper optamus in summa Reipublicæ celebritate lætari. Vestra enim securitas noster ornatus est: & hoc verè grauiter accipimus, cùm gaudia vos habere sentimus.* Aspera inurbanitate tentatus adinstar filicis charitatis flammas euomit, & exasperantium tranquillitatem ambiuit. E contra improbus interna malignitate commotus peruersa agitat consilia, & vel sibi coniunctissimis architectatur incommoda. Hanc fulciunt veritatem Dauid iustus, & Saul peruersus. Saul multis titulis obligatus meditatur Dauidi cædem. *Insidiaris animæ meæ, vt auferas eum.* Dauid tot offensionibus concitatus, tot dolis, ac machinis impetitus Saulis anhelat salutem & satagit sospitatem: *Nolui extendere manum meam in te.* Opportunè Chrysostomus apud Glossam: [Perindè vt si aliquod depositum suæ fidei concreditor accepisset, pro quo rationem esset redditurus, non attigit, alios coercuit, satelles optimus, & corporis custos pro hoste factus.] Dauid tot iniurijs irritatus Saulis erat custos, & patronus, Saul tot beneficijs, & cognationis titulis obstrictus contra Dauidem desæuiebat virulentissimus aduersarius. Idem animaduertit in Dauide, & Caino Basilius Seleucensis *orat.* 16. *Cainus ad Deum contentè clamabat: Nunquid custos fratris mei sum ego? Dauid autem vel iniurijs appetitus Saul custos erat.* Nonne vides quàm vtilior sit iustus offensus, quàm improbus naturæ etiam vinculis obligatus? Moysem soror liuida dente abrodit. *Locuta est Maria, & Aaron contra Moysem.* Aaron, sororque obmurmurant, sola tamen soror lepra inficitur, Aaron externis maculis non denigratur, quia fortassis Aaronem illa ad murmurandum suo incitauit exemplo, & dulcedine obmurmurationis fuit illi scandalo. Aaron Sacerdos lepra caret, quia oportuit dignitatem non paruipendi, sed apud exteros æstimari. Qui debuerat sororem compescere, secutus est; & plus potuit fragilis mulier, vt Aaron obmurmurationis macularetur delicto, quàm Aaron, vt correxerit seueritatis exemplo. Quid tunc? Moyses, contra quem exacuerat linguam, pro ea fundit, preces studiosè anhelans medelam: *Clamauit Moyses ad Dominum dicens; Deus, obsecro, sana eam.* Soror naturæ vinculo obstricta murmurat, & Moyses offensus orat. Notauit Oleaster hic ad mores: *Non immeritò vir Dei adeò de humilitate commendaris, qui tam facilè omnia condonas, & pro peccantibus in te oras, & obtines.* Adijcit Oleaster: *Non solùm orat, sed clamat.* Exertis Moyses clamoribus salutem impetrat offensæ oblitus, vt posset magnis officijs illectus.

Num. 12. v. 1.

§. XVIII.

Aliquando Deus laudabili quodammodò pertinacia cum peccatore contendit & reportare palmam honori ducit.

Deus. Peccator. Certamen.

DEus, cùm ei sit facillimum inflictis plagis hostes consumere, & acceptas iniurias dignis supplicijs vindicare, mavult, quàm obtenere, obstinatam peccatoris pertinaciam flectere, & triumphum de obstinatione reportare. *Considerate* (aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 22.) *Principes docti, & abaui nostri historica monimenta recolite. Quantum decessores vestri studuerint de suo iure relinquere vt eis parentum nostrorum fœdera prouenirent.* Suo iuri quid detrahebant, vt florerent fœdera, & discordiarum abolerentur dissidia. Et Deus horum ad speciem mores imitatus, sua sibi patientia videtur detrahere, vt cum hominibus pacta eis salubria possit inire. Hinc est, quòd Dauid Christi personam gerens cum Saulis improbitate decertauit, vt flecteret, non vt supplicijs puniret: *Nolui extendere manum meam in te: animaduerte, & vide.* Dauidis mira humanitate, deuicta pertinacia cessit, & pœnitentiam arripuit: *Tu tribuisti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala.* Iam improbitas se fatetur victam, jam contumacia clamat se flexam: ergo magnificentior hæc erat victoria, quia sine sanguine, quàm à gigante reportata, misera nece. Notauit Chrysostomus apud Glossam: *Egressus est & Dauid liberis oculis cœlum intuens, & magis exultans, quàm cum Goliath deiecisset. Siquidem hæc magnificentior erat victoria.* Cùm de gigante triumphauit, non vicit prauitatem, sed hominem hic seruauit hominem, & deuicit prauitatem: ergo hæc magnificentior erat victoria. Consonat

Basilius

Basilius Seleuciensis *orat.* 16. *Magna erat humanitati cum improbitate, iuri cum iniuria, feritati cum mansuetudine certatio. Hic totus erat, vt oppugnantem conseruaret: ille, vt conseruatorem perderet.* In hac concertatione palmam tulit benignitas, & Saulis cessit improbitas: & Dauid manu fortis honori duxit Saulem vincere merirum non infligendo supplicium, sed contumacem flectendo animum. Samuel etiam populum conuocat, vt cum eo contendat: *Nunc state, vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino.* Et quæ hæc contentio? horrisonis tonitruis aures præcellendo ad pœnitudinem adducere, fugitiuis fulgoribus mentium tenebras pellere: *Dedit Dominus voces, & pluuimas in illa die.* Quod & accidit: *Dixit vniuersus populus ad Samuelem: Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur.* Si fulminibus è cœlo allatis exureret, auferret vitam, sed non extinxisset errorem: at dum offensus orat, & quæ Prophetam decebat, ostendit mansuetudinem, gloriosè subigit pranitatem: ergo felix erat contentio, in qua & humana improbitas resipuit victa, & salus hominis asseruata. Samueli congruit, quod aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 17. *Scimus pro remedio nos datos esse cunctorum: non despicimus sanare subiectos, & ideò licet culmini nostro videretur incongruum, libenter acquieuimus facere, quod generalitatem probamus optasse.* Fecit Samuel, quod generalitas videbatur optare, etsi videretur auctoritati & dignitatis culmini contraire, quia honori duxit contendere, & pranitatem euincere.

Sup. c. 11. v. 7.

TEXTVS.

VERS. XIII. & XIV. Iudicet Dominus inter me & te, & vlciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te: sicut & in prouerbio antiquo dicitur: Ab impijs egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te.

§. XIX.

Sæpè Deus per alium deteriorem peruersum punit.

Supplicium.

Dan. 2. v. 39.

Peccator.

IN statua illa Nabuchodonosori per somnium obiecta aurum obscurabatur argento, argentum ære, æs ferro. Explicuit ænigma Daniel: [Post te consurget regnum aliud minus te argenteum, & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ, & regnum quartum erit velut ferrum. Quomodò ferrum comminuit, & domat omnia: sic comminuet, & conteret omnia hæc.] Ferro ignobiliori Deus æs perdomuit, ære argentum, & aurum subiugauit; vt durior esset vindicta, dum de ignobilitate instrumenti acrior recrudesceret plaga. Notauit Theodoretus *orat.* 2. *Materiæ differentiam apposuit, non vt honoris; sed vt virium discrimen ostenderet.* Itaque iniquo à deteriori emanabat supplicium, vt recrudesceret plus tormentum. Quod Dauid Sauli etiam non incerto prænuntiat vaticinio: *Ab impijs egredietur impietas.* Id est, tu me innocuum acriter persequeris, & ad campis exerrandum iniquè cogis; verùm Deus impiorum contra te manus armabit, & confossus iaculis Philisthinorum occumbes. Ita Lira: *Factum fuit postea, quia à Philisthæis fuit Saul occisus, vt habetur infra* 31. Malus erat Saul, sed peior Philisthæus: ergo Deus peiori vti instrumento vsus est, vt Saulem puniuerit, & acerbam illi mortem inferret. Nonne vidisti aliquando hominem magnatem, diuitemque impunè delinquentem, & suis cupiditatibus studiosè adulantem proscripti manu detruncatum, & conducta scelestissimi vi interemptum? Ab eo enormiter improbo egreditur impietas, sed Deo sic permittente, vt supplicium sceleribus dignum accipiat pranitas. Saul hastam in Dauid ambitiosè contorquebat, sed contra Saulem copiosa Philisthiuorum manus iacula collimarunt, & miserè confossum iaculis occiderunt. Cain orco aperuit ianuam. Abelum occidens, sed ipse meritas dedit pœnas per alium se non meliorem Lamech cæcus, & qui polygamiam introduxit in mundum, in agro, vt Interpretibus placet, emissis Cainum iaculis confodit: *Occidi virum in vulnus meum,* Gen. 4. v. 24. Vt in campo subiret acerbam mortem, qui impiam in agro exercuerat cædem. Notauit Hugo de Foileto in Allegor. Tilman. ad Gen. 5. *Per Lamech Cain occiditur.* In agro sagitta transfixus occubuit, vt ibi solueret pœnam, vbi perpetrauerat culpam. Solet namque Deus deteriori vti instrumento ad infligenda iniquo digna supplicia, & reddenda culparum merita.

§. XX.

Dei iudicium accerrimum timorem debet incutere, & impia desideria frænare.

Iudicium.

DEus suæ perspicaciæ prænaricator non est; sæpè misericorditer dissimulat, vt resipiscentiæ tempus protendat, & obiectis manifestis potentiæ signis quàm eius seueritas sit timenda, indulgenter declarat. Notauit Tertullianus in Apologetico *cap.* 18. *Exindè quæ signa maiestatis suæ indicantis ediderit per imbres, per ignes, quas demerendo sibi disciplinas determinauerit, quæ ignoratis, & deseritis.* Ipse signorum illolitus terror vel lapideos animos concutit, & his prouidere salubribus seueritatis argumentis persuadet. Ob id cùm nullis officijs, obsequijs mollis Saulis obstinatissimum animum Dauid flectere quiuisset, Dei seuerè iudicantis, & malitiæ vices reddentis mentionem fecit, si hoc veluti extremo remedio vsus ad saniorem mentem insanientem reduxerit, & potestati humanæ non subiecto tenebras depellere persuaserit: *Iudicet Dominus inter me, & te & vlciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te.* Acsi dicat: Etsi regia potestate præditus liberè me persequaris, Deus suæ prouidentiæ vindex, & iustitiæ exactor trutinata fideliter causa sententiam edicet, & quas ego manu mea nolo infligere, tunc pœnas dabis. Quid tunc? Iam lapideus Saul mollescit, jam culpam fatetur, jam profusis lachrymis abolere conatur: *Leuauit Saul vocem suam, & fleuit.* Hæc verba protulit Dauidem exambiens terrorem injicere, non desiderans Saulem pœnas persoluere, vt tradit Chrysostomus apud Glossam: *Non hoc dixit cupiens Saulem puniri, sed vt illi formidinem injiceret venturæ condemnationis commemorauit.*

Saulis

Saulis conuenit conscientiam, & in memoriam adducit seuerissimam Dei iustitiam: ergo assecutus est desiderium: nam Saul quantumuis saxeus, quantumuis pertinaciter ambitiosus, quantumuis odio cœcus culpam agnouit, & copiosas lachrymas fudit: *Leuauit Saul vocem, & fleuit.* Iudicij commemoratio silicem etiam emolliuit, & ad gemitus compulit. Dæmon, etsi aliàs nequitiam suam resistendo ostentarit, & ad omnipotentiæ conspectum induruerit, appellenti tamen ad Gerasenos Christo Domino occurrit, & se ad genua prouolutus deiecit: *Clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi Iesu fili Dei altissimi.* Chrysologus inquirit, cur hîc adorarit, qui in deserto adorationem ambierit, testaturque iudicem hîc agnouisse, & iudicium vehementer reformidasse: ergo licèt deserto tentarit, licèt in muto illo aliquando restiterit, modò grandi adeò terrore perculsus est, vt in clamores proruperit, & placare iudicem adulatione tentarit. *Iudicem* (inquit *serm.* 16.) *confitentur, clamant iudicium se debere.* Quem gehennalis clamorem non extorserat flamma, iudicij extorsit memoria, vt vel ipse dæmon confundat iudicij rigorem, præscientes, & se sceleribus sordidantes.

TEXTVS.

VERS. XV. Quem persequeris, Rex Israel? quem persequeris? Canem mortuum persequeris; & pulicem vnum.

§. XXI.

Humilitas, & honesta deiectio superbos persequentis animos frangit, & cor etiam saxeum emollit.

Humilitas.

FRequenter homo pertinaciter non insectatur hominem naturæ odio, sed alicuius vtilitatis studio: aut ambitione honoris pulsatur, aut aliqua spe vtilitatis aduritur. Hinc est, quòd tranquillitatis amatores se humiliter deiiciant, & se nihil ex his, quæ cupiditatem inflammare solent habere manifestis argumentis ostendant. *Quæ obseruanda tibi sint* (aiebat Senec. *epist.* 105.) *vt tutior viuas dicam... Considera quæ sint, quæ hominem in perniciem hominis instigent: inuenies spem, inuidiam, odium, metum, contemptum. Ex omnibus istis adeò leuissimum est contemptus, vt multi in illo remedij causa delituerint. Quem quis contemnit, calcat sine dubio, sed transit. Nemo homini contempto pertinaciter, nemo diligenter nocet. Etiam in acie iacens præteritur, cum stante pugnatur.* Ipse vanitatis tumor, ipsa superbiæ elatio dedignatur homini abiecto nocere, & manus eius sanguine cruentare. Ob hanc causam Dauid, vt ardentissimas odij flammas restingueret, & desæuientem persecutionum tempestatem vitaret, ad contemptum se contulit, vt, dum despicitur, relinquatur: *Quem persequeris, Rex Israel? quem persequeris? Canem mortuum persequeris, & pulicem vnum.* Acsi dicat; ex hac persecutione nihil promanare tibi potest aut honoris, aut commodi: quid enim magnum, si potentissimus Rex canem mortuum insectetur? Esto: ex votis cogitata succedant: quid tibi tunc erit nominis? nec enim maior erit gloria, quàm si insecteris morruum canem, aut exiguum pulicem. Danidem hac humili confessione, & prudenti humilitate intendisse Saulis superbiam frænare, & ambitionem sopire testatur noster Sanctius: *Minus decere indicat dignitatem regiam, bellum suscipere cum hoste neque nobili, neque robusto, ex cuius insectatione nihil referre potest præter ignominiam.* Ad securum humilitatis profugium se recepit, ad sui tutum contemptus munimentum se contulit, vt superbos persecutoris animos frangeret, & æstuantem odio animum deliniret, quod & assequutus est; nam Saul à persecutione destitit, & copiosas lachrymas fudit: *Leuauit Saul vocem suam, & fleuit.* Vidit Dauidem omni habitu nudum, vidit generosa deiectione sibi subiectum: ergo à persecutione abstinuit, & indignationem repressit. Diabolus olim magnum se ostentans, & cum Verbo acriter pugnans deiectus, vt pœnas, quas verebatur effugiat, apparentem humilitatem, & humilem testatus est deiectionem: *Quid mihi, & tibi, Iesu fili Dei altissimi?* Acsi dicat: Tu es Paradisi odor, ego teterrimus fœtor, tu es filius Dei altissimi, ego serpens pectora per tellurem trahens, à muliere etiam attritus, & proculcatus; huc spectasse deiectionem tradit lepidè Chrysolog. *serm.* 16. *Hoc est dicere: Vitæ auctor, quid tibi cum mortuis? Habitator cœli, quid tibi cum sepulchris? Odor Paradisi, quid tibi cum fœtore?* Itaque ad sui deiectionem inuolauit, vt ad securum castrum, & ad nostram eruditionem assecutus est votum; nam cùm in porcos mitti rogaret, obtinuit. *Et concessit eis statim*: dum contra potentissimum se erigit, sibi nocet, & miserè terram verrit; dum prouolutus adorat, & superbum deponit ad speciem tumorem, obtinet votum, & quod horrebat euadit etiam tormentum. Prudentia vtilissima est, Dauidis instar, honestè se aliquando deiicere, & periculum vitare.

Marc. 5. v. 7.

§. XXII.

Nequibis tranquillitate frui, si ex alienis quid concupiscas, aut si, quod alij concupierint, habeas.

SI quæ tibi opus ad tranquille viuendum audire discupis, audi: proiice à te quidquid alienam cupiditatem irritat, quidquid improbas cœcæ cupiditatis spes alit. Quisquis in te nihil recognouerit, quod in sui commodum possit eripere, desistet persequi. Opportunè Seneca *epist.* 105. *Spem improborum vitabis, si nihil habueris, quod cupiditatem alienam, & improbam irritet, si nihil insigne possederis. Concupiscuntur enim insignia, etiamsi parum nota sunt.* Quidquid ad se oculos trahit, improba cupiditas nititur auferre, aut liuida inuidia conatur extinguere: Vndè solus ille frui potest pace, qui nihil ex his, quæ ambitio concupiscit, aut anhelat cupiditas, habet. Hinc est, quòd Dauid præcisa chlamydis solùm ora manifestè ostendit se purpuram non ambire, & appellando se canem mortuum, nihil ex his, quæ cupiditas ardenter sitit, habere: *Canem mortuum persequeris, & pulicem vnum*: ergo Saul his rationibus persuasus à persecutione destitit, & sententiam retractauit: *Abiit ergo Saul in domum suam.* Notauit noster Sanct: *Non maiorem consequetur gloriam ex illa victoria, quàm si mortuum insectaretur canem, aut pulicem vnum.* Dauid respirat, dum proditur interna ambitione non denigratus, & nulla, quam sibi exoptet cupiditas, dignitate insignitus. Hanc philosophiam edocuit ipse Psaltes, dum quietis studiosus columbæ pennas desiderauit: *Quis dabit*

Concupiscentia. Tranquillitas.

Ps. 54. v. 7.

bit mihi pennas sicut columbæ,& volabo,& requiescam. Cuius columbæ? Nam in Scriptura plures columbas inuenio. Eius scilicèt, quæ ad Christum descendit, quæ nihil humanum concupiuit. Ita Ambrosius *in Psal.* 118. *Octon.* 14. *Sicut columba descendit spiritus, illas tibi alas dedit, vt tu discereres euolare de terris. Neque verò cunctandum putes, quomodò tibi volandum sit, quibus alarum remigiis; dixit quidem Dauid: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,& volabo,& requiescam.* Profectò columba venerat ad Noe florentem ra-
Gen. 8. v. 8. mum deferens: *Portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo.* Huius columbæ non concupiuit pennas, & quare? Quia si floridum ramum haberet, fortassis non deessent volucres, quæ, vt ramum eriperent, insectarentur: ergo, vt requiescere posset, eius columbæ pennas concupiuit, quæ omnia humana despexit, & nihil floridum quod aliæ aues concupiscerent, habuit. Vtrumque enim necessarium est, vt cordis tranquillitate fruaris, scilicèt, quæ apud alios in æstimatione sunt, generosè despicere, & nihil insigne, quod alij eripere possint, habere. Iam Dauid aliquali pace fruitur, quia nec purpuram exambit, nec quidquam, quod cupiditas exambiat, obtinet.

§. XXIII.

Satis non est ad obtinendam pacem contra potentiorem bellum non instruere, sed est opus linguam frænare.

Lingua. Bellum. Pax.

IN acie iacens præteritur, cum stante pugnatur: remedij loco est non stare, sed iacere, præcipuè cùm aduersarius & viribus potentior, & potentia inuenitur robustior: verùm parum proderit contentiosum certamen fugere, si periculosam linguæ audaciam nescieris continere. Plures sunt, qui cùm nequeant contra potentiorem viribus insilire, pectoris ardorem conantur stultè euomere; pessimè de aduersariis loquuntur, eos asperis verbis exasperant, & quia liuidos nequeunt dentes infligere, stultis se adnituntur latratibus consolari. *Nihil æquè proderit* (aiebat Seneca *epist.* 105.) *quàm quiescere, & minimum cum aliis loqui, plurimum secum.* Qui cum aliis de aduersario malè loquitur, non propulsat periculum, imò sibi solet adaugere nocumentum; nam verba per adulatores delata indignationem viuidiùs accendunt, & igniculos nouos iniiciunt. Dauid, vt sæuam inuidentiæ, odiique tempestatem declinaret, se non solùm canem dixit, sed mortuum appellauit: *Quem persequeris Rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem vnum.* Prudentia fuit se deiicere, & respectu Regis canem appellare, sed cur addidit, *Mortuum*? Quia canis (inquit Abulensis) viuus etsi dentes non possit infigere, solet latratibus irritare: ergo ostendit se nunquam Saulis facta dentibus detractionis momordisse, nec latratibus infamasse. Audi Abul. *q.* 24. *Canis, si sit viuens, magis latratu, quàm ferocitate terret; cùm autem mortuus fuerit, latratu, & ferocitate caret.* Adnectit moralissimè: *Ita erat Dauid ad Saulem: ipse enim non erat ferox inuadendo Saulem, vel turbando ipsum, quia impotens erat, & potiùs fugiebat. Vocibus quoque non inquietebat eum, quia nihil mali de Saule vnquam dixerat: ergo canis mortuus erat.* Optimè politicus Dauid non solùm contra potentiorem non insurrexit, sed etiam solatium obmurmurationis vitauit, & sic obstinatam duritiem flexit. Plures, etsi nequeant de æmulis vindictam sumere, non desinunt procaci lingua oblatrare, & aliquando contra se viuidiùs iram accendunt latratibus, quàm exasperarent actionibus. Diabolus nequitiæ artifex sic desipuit, vt se ad genna Christi prouolueret indignationem metuens, & simul verbis contra se indignationem exacuens: *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Dum humili Matth. 8. deiectione satagit demulcere, inuenitur inurba- v. 29. nis verbis exasperare. Ante tempus venisse queritur, quasi Christus temporum leges inuerterit, & potestate abusus punierit. *Auctori temporum* (inquit Chrysol. *serm.* 16.) *tempus opponunt... de tempore sic queruntur.* Itaque Christi potentiam sentientes adorabant prouoluti, vtque suo adularentur liuori, maledicam recurrebant ad querelam cœcissimi.

TEXTVS.

VERS. XVI. Sit Dominus iudex, & iudicet inter me, & te, & videat, & iudicet causam meam, & eruat me de manu tua.

§. XXIV.

Humani iudices solent magnatibus morem gerere, & iniustam contra inualidos sententiam promere.

Iudex. Inualidi. Sententia.

IVdex nec potentium debet gratiam blandiendo perquirere, nec pusillorum inualentiam contemnere, alioquin non erit iuris tutor, sed deprauator, & miserum erit excidium, quod efficax habebatur remedium. *Professionem constat esse iustitiæ* (aiebat Cassiod. 8. *variar.* 18.) *legum peritos iudices ordinare, quia vix potest negligere, qui nouit æquitatem: nec facilè erroris vitio sordescit, quem doctrina purgauerit.* Felix, & certa est negotiorum conditio, quando sententiam dicit, qui solùm æquitatem nouit, & attendit: alt si persona litigantis inspicitur, iustitia frequenter constupratur. Dauid causa satis fidebat, sed nihilominus ad diuinum tribunal appellauit, & à cœlesti iudice proferri sententiam concupiuit: *Sit Dominus iudex, & iudicet inter me, & te.* Si nihil illum conscientia reprehendit, cur humanum reuelet iudicem? Discutiatur apud humanos iudices inter Saulem, & Dauidem causa, quando insolitum non est inter superiorem, inferioremque controuersiam examinari, à iudiceque humano decerni. Profectò Dauid suspicionem ingenerat, quando subsellia humana recusat. Attende hanc litem esse inter potentissimum, & inualidum: *Inter me, & te:* ergò licèt eius omni æquitate noneris suffultam causam, veretur Saulis attendendam esse potentiam, & iniquis interpretationibus detorquendam fore iustitiam: ergo iudicem Deum appellat, qui non est personarum acceptator, sed iustitiæ tutor. Ita Abul. *q.* 24. *Dicebat hoc, quia omnes iudices erant sibi suspecti: nam sciebant omnes Israelitæ, quod Saul desideraret nimis occidere Dauid: si ergo aliquis constitueretur iudex de Israelitis inter Saulem, & Dauid, vt placeret Sauli, ferret sententiam contra Dauid.* Quisquis eam causam discuteret, à Dauide inualido, & profugo nihil timere, nihil poterat sperare; à Saule verò potentissimo sperare poterat, & timere: ergo cùm Dauid non ignoraret spei eloquentiam, & timoris efficaciam, humanos iudices habuit suspectos, vepote spe, aut timore corruptos. Miserum hominem truculen-

tus

tus inuaserat dæmon, & sepulchris tumulauerat viuum, inuasi miseratus causam aduentat Christus, & iam dæmon Dei fatetur exertis vocibus filium: *Quid mihi, & tibi, Iesu fili Dei altissimi?* Et cur modò agnoscat Dei filium, quem deserto non nouit, & subruere studuit? Quia vidit potentis latrocinium non dissimulare, & inopis iustitiam tueri: ergo coniecit plus esse quàm hominem, qui incorruptum adeò gerebat Iudicem. Ita Chrysologus *serm. 16. Agnoscunt, agnoscunt Deum, iudicem confitentur.* Adnectit *serm. 17. Ante latrocinante diabolo homo vexabatur innocuus, nunc homo currit, sed diabolus incurrit.* Homo innocuus à potenti anteà denudabatur, nec potens comprimebatur, modò potens comprimitur, & innocuus liberatur: ergo ex ipso iudicio agnouit Deum, quando frequens est apud homines innocuos à potentioribus oppressos damnari, & pro violentis magnatibus sententiam ferri: *Agnoscunt Deum, iudicem confitentur.*

Marc. 5. v. 7.

TEXTVS.

VERS. XVII. Cùm autem complesset Dauid loquens sermones huiuscemodi ad Saul, dixit Saul: Nunquid vox hæc tua est, fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem suam, & fleuit.

§. XXV.

Mirabilius videtur inuidi, pertinaciſque animum flectere, quàm dæmonem effugare.

Inuidus. Dæmon.

HOminis animus sic solet malitia indurari, vt nullis possit doctis incantationibus flecti; contra seipsum arbitrio vtitur, & prauæ consuetudine veluti scutis fusilibus contra æquitatem armatur. Facilius est aliquando dæmonem depellere, quàm hominem insanis obscuratum affectionibus ad sobriam mentem reducere. Dauid Lyræ pulsu dæmonem abegit: *Tollebat cytharam, & percutiebat manu sua*, modò blanda voce Saulem flexit, & rationi restituit: *Nunquid vox hæc tua est, fili mi Dauid? Et eleuauit Saul vocem suam, & fleuit*: Chrysostomo, aliisque Interpretibus mirabilior habetur Dauid Saulis animum persanans, quàm nequitiam dæmonis superans, quandoquidem dæmonis pertinacia laudabili cedebat violentiæ, & nulla erat violentia, quæ inferret vim liberæ pertinaciæ. *En quàm mutatus est Saul à seipso* (inquit noster Sanctius) *quem modo quærebat ad cædem, insidiatorem appellabat, & vt illum venaretur vt feram, vitam ipse ducebat ferinam, & agrestem; iam filium appellat paterno blandimento.* Subiicit: *Tanta animi mutatio facta est, vt nunc cum suauitate audire videatur illius vocem, quam antè quasi leoninum fremitum horrebat.* Patientia deliniuit Saulis pertinaciam, & mollis sermo fregit duritiam, quod miraculi adinstar fuit; quandoquidem facilius est dæmonis malitiam cohibere, quàm hominis pertinaciam lenire. *Excitatus est* (aiebat Psaltes) *tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino.* Bernardus hunc versum de Christo Domino intellexit, quando inferni æreos vectes confregit, & dæmones conculcatos perdomuit. Ipsum audi *in Alleg. Tilman. ad Isai. 61. In spiritu fortitudinis tanquam potens crapulatus à vino descendit ad inferos, contriuit portas æreas, & vectes æreos confregit, alligauit fortem, & vasa captiuitatis eripuit.* Audis dæmonas potenter edomuisse, transi ad *Luc. 10.* vbi vt saucium sanitati hominem restitueret, vsus est non solùm vino, sed etiam oleo: *Alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum.* Inquires, cur vino addidit oleum ad hominem sanitati restituendum, quando solo vino proculcauit dæmonium? Quia homo (inquit datus Bernardus) sibi ipsi inimicus fouebat vulnera, & sua incrementabat cœcissimè damna: ergo vino, & oleo vsus est cœlestis medicus, vt homo ille ab infirmitate viueret liberatus: *Vides quot phialas plenas odoramentis cœlestis medicus præparauit ad sananda vulnera miseri, qui incidit in latrones.* Plus operis requirebat infirmitas hominis, quàm proteruitas dæmonis, ad hominis sanitatem vino, & oleo est vsus, ad conterendos dæmones vino solo descendit quodammodò crapulatus. Cùm Christus Dominus legionem dæmonum eiecisset, nulla regionis illius homines audio admiratione perculsos, & videntes hominem sanæ menti restitutum, video obstupefactos: *Inuenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierunt, vestitum, ac sana mente ad pedes eius, & timuerunt.* Obstupuerunt demirati sæuitiam mutatam in mansuetudinem, delirium in rationem, qui non obstupuerant experti dæmonis violentam tyrannidem subiugatam, & truculentiam cohibitam. Notauit Titus Bostrens. *in Catena D. Thom. Mirati sunt passionis remedium, & obstupuerunt in facto.* Non sic mirati sunt abactam dæmonum legionem, quàm rediisse hominem ad sobriam mentem, quasi facilius fuerit dæmonem expellere, quàm rationi hominem restituere.

Sup. cap. 16. v. 23.

Psal. 77. v. 66.

Luc. 10. v. 34.

Luc. 8. v. 35.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Dixitque ad Dauid: Iustior tu es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.

§. XXVI.

Sumptuosius est innocentiæ testimonium, quod hostis reddidit ipsa veritate compulsus, & virtutis euidentia coactus.

Hostis. Testimoniū.

AFfectio veritatem sæpè exaggerat, odium decurtat. Oculus liuore suffusus actiones adulterat, & adulteratas infamat. Hinc est, quod prolatum aduersarij virtutis testimonium habeatur indubium, quandoquidem odium resisteret, nisi veritas ipsa compelleret. *Oportet* (aiebat Paulus) *illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Acsi dicat Paulus: Testimonium, quod Episcopo, superiorique redditur à suis, potest repelli vt suspectum, & affectione aliqua adulteratum; verùm quod ab ipsis veritatis æmulis, & virtutis aduersariis exhibetur, habetur indubium, vtpote suspicionibus nullis obnoxium. Ita Anselm. ad hunc locum: *Qui irreprehensibilis est non solùm à domesticis, verùm & ab alienis consono ore laudatur. Alieni extra Ecclesiam Iudæi, gentiles, & hæretici. Talis ergo sit Pontifex Christi, vt nec hi, qui foris sunt religioni vitæ eius detrahere*

1. ad Tim 3. v. 7.

audeant. Immaculata est vita, quando aduersarius non solùm nequit detrahere, sed laudibus cogitur quodammodò offerre. Dauid plurima suæ virtutis, innocentisque vitæ habebat testimonia, dæmonis scilicèt expulsio, Gigantis deiectio, ore chlamydis præcisio: verùm sumptuosius eius elogium fuit durum adeò æmulum innocentiam eius confiteri, & laudibus virtutem extollere: *Iustior tu es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.* Lucis energia obcœcatissimam vicit prauitatem, & eximia virtus odij emollìuit duritiem. Prodest noster Sanctius: *Iam agnoscit, fateturque Dauidem esse iustum, se autem illum esse, qui omnem iustitiæ modum abiecisse videatur.* Gigantis arma egregia erant virtutis Dauidis elogia; verùm hæc Saulis confessio grandius, & augustius, quandoquidem nec cœcum adeò odium quiuit veritatem non fateri, nec virtutem non demirari. Iudas, qui de Apostolo iniquorum dux factus, antequàm subiret miserandæ mortis supplicium, Christi innocentiæ reddidit testimonium:

Matth. 27. v. 4. *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Et cur non permisit Deus Iudam suspendio se dæmonibus deuouere, orcoque tradere, antequàm publicè Christi Domini fateretur exertis vocibus innocentiam, & suam detegeret auaritiam? Quia erat egregium virtutis testimonium, quod virulentus adeò reddebat inimicus, & virtutis aduersarius. Innuit Orig. *in Cat. Compulit eum pœnitere de peccato ipsa virtus.* Ipsa Christi virtus, ipsa miranda patientia confessionem extorsit, & sic nullam innocentis adeò vitæ suspicionem remanere permisit; est enim indubium testimonium, quod hostis reddit vel inuitus, & si fas est dicere, ipsa magnitudine virtutis coactus.

TEXTVS.

VERS. XIX. Et tu indicasti hodie, quæ feceris mihi bona: quomodò tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me.

§. XXVII.

Publicè tenetur honorem restituere, qui falsis credendo rumoribus aggressus est publicè denigrare.

Honor. Restitutio. CVm honor apud omnes magni habeatur, & morum concinnitas æstimetur, sæpè aggreditur æmulatio, & praua inuidorum intentio famam innubilare, & indignam vindictam sumere, teste Cassiodoro 4. *variar.* 17. *Nemo plus præsumentibus imperat, quàm quem sua facta commendant*; sed satis esse non solet factis micare, quia maulut sæpè dirum odium vanis rumoribus credere, aut, vt opinionem obscurarit, spargere. Facillimè tetra lingua publicè obmurmurando honorem euertit, & audientibus fidem facit, aut saltem suspicionem iniquam gignit, & cùm fas, insque sit sententiam falsam publicè retractare, & honorem iniquis ablatum præsumptionibus restituere, sunt, qui admissam culpam interiùs doleant, sed fateri publicè errorem malè verecundi detrectant. Nouerint tamen non benè expiari conscientiam, si ablatam proximo non restituant famam. Saul sæpesæpius Dauidem proditorem appellarat, & contra ipsum vt maiestatis reum acies instruxerat; verùm ad meliorem mentem redactus pœnituit, & fleuit, nec contentus est admissam culpam agnoscere, sed publicè aggressus est famam reddere: *Iustior tu es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicasti hodie, quæ feceris mihi bona.* Acsi dicat: Non solùm doleo iniquis te suspicionibus denigrasse, sed publicè fateor nunquam mihi insidias struxisse. Hanc esse horum verborum sententiam tradit Abulensis *quæst.* 25. *Ex hoc, quòd non occidisti me, cùm Dominus tradidisset me in manus tuas, apparet, quòd semper operatus fueris bona erga me, & dilexeris me.* Consonat noster Sanctius: *Iam agnoscit, fateturque Dauidem esse iustum, se autem illum esse, qui omnem iustitiæ modum abiecisse videatur.* Itaque etsi Saul eleuata voce fleuerit culpam, agnouit opus esse restituere publicè ablatam Dauidi famam: ergo restituit famam, & non erubuit suam publicè fateri malitiam. Vt hinc discant, qui alterius honori publicè detraxerunt, honori læso publicè satisfacere, & sic pœnitentiam adimplere. Semei manifestè Regem infamarat: *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial.* Posteà peccatum suum agnoscens festinauit, & cum viris Iuda descendens, Regique occurrens, publicè culpam agnouit: *Descendit cum viris Iuda in occursum Regis Dauid.* Prostratus petiuit veniam, & admissam fassus est publicè culpam. Eius verba audi: *Agnosco enim seruus tuus peccatum meum, & idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph, descendique in occursum Domini mei Regis.* Agnouit satis non esse interna pœnitudine retractare sententiam, sed opus esse publica retractatione restituere famam: ergo rubori non pepercit, sed cui publicè detraxerat, publicè restituit famam, & confessus est innocentiam. Innuit aliquomodò Caietanus: *In signum pœnitudinis præuenisse se dicit vniuersam domum Ioseph.* Signum erat veræ pœnitudinis citiùs aliis occurrere, & erasse se publicè confiteri: aliter enim dum iniuria non satisfacta pœnitentia non resplenderet perfecta.

2. Reg. 16. v. 7.

2. Reg. 19. v. 16.

TEXTVS.

VERS. XX. Quis enim, cùm inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo, quod hodie operatus es in me.

§. XXVIII.

Inimico benefacere est perfectionis elogium, & futuræ felicitatis auspicium.

Vana mirandum encomium. Inimici. INimicorum dilectio Christianæ religionis non dubium inuenitur auspicium: qui inuitante opportuna vindictæ occasione abstinuit, iam humanam naturam quodammodò exuit. Adde: beneficium hosti collatum esse laudabile malignitatis, ac furoris incantamentum; nam vt serpens effumigatus, vt excantatus enomere nequit venena; ita aduersarius honesta beneficientiæ magia irretitus nequit prosequi contra odia.

odia. Inimicis benefacere benignitatis est redundantia. Ita Tertullianus *in Apologet. cap.* 31. *Scito præceptum esse nobis ad redundantiam benignitatis etiam pro inimicis Deum orare, & persecutoribus nostris bona precari.* Lucet virtus in morum floriditate, sed redundat benignitas in hostium prosecutione. Saul expertus Dauidis cythara dæmonem pelli, amenti odio eum persecutus est; nihil non tentauit, vt auferret vitam, infuscaretque famam: verùm, vt nihil prosunt humana contra diuina consilia, imprudens ipse se neci obtulit, & ni talis fuisset Dauid, dignam tulisset mortis pœnam, & Dauid, quam occasio offerebat, arripuisset sibi coronam; verùm ad benignitatis redundantiam, persecutoris curam egit, & eius incolumitati prouidit: Quid tunc? Saul copiosas in lachrymas profusus errorem suum publicitus confitetur, sumptuosisque elogiis Dauidis extollere humanitatem adnititur, & regno adeò stabili, vt nullis possit perturbationibus concuti, fruiturum vaticinatur: *Quis enim cùm inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona.* Hæc admirationis, stuporisque fuisse verba tradit Caietanus. *Prædicit, quod Deus non relinquet sine præmio tantum virtutis opus.* Iam Dauidis præuidit regnum firmandum, iam nouercale exuit odium, iam appellauit affectu tenerrimo filium, & qui anteà tetris inuidiæ, liuorisque tenebris obcœcatus præsumebat posse se Dauidem auferre, iam ex venia sibi præstita non posse coniicit non regnare. *Saul* (inquit Abulensis *quæst.* 25.) *laudabat nimis Dauid, quod ipse vsus fuerit insolita clementia, scilicet quod nemo alius sic facere consueuerat.* Qui aliis mirandis Dauidis facinoribus in furorem agebatur, sic venia flexus est, vt à persecutione abstinuerit, & miris laudibus commendarit. Moyses de Ioseph locutus, sic ait: *De benedictione Domini terræ eius, de pomis cœli, & rore, atque abysso subiacente. De pomis fructuum solis, ac lunæ, de vertice antiquorum montium.* Adiecit: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph.* Illud, *veniat*, valet idem ac veniet. Qui apparuit in rubo, luce fulgebat clarissima, & specie plusquam humana: ergo hac benedictione Iosephum, ait, præ cæteris cumulandum, & cumulatiùs vsurum. Nec mirum (inquit Basilius Seleucensis *orat.* 8.) quandoquidem suis venditoribus opiparum exhibuit conuiuium, & fraternum erga eos ostentauit affectum: *Cum in manibus haberet homines iniurios, & punire non fratres, sed hostes potuisset, quid agit? Vide inusitatam vltionis formam. Inuidiam, venditionem, belluinamque immanitatem humanitatis obsequiis vlciscitur.* Iosephum, cùm à Sole, Lunâ, stellisque adoraretur, inhumanè vendere gestiuerunt, sed inimicis parcentem humiliter adorarunt, quia iam nequibant de eius dignitate, præexcellentiaque ambigere, quia generosè videbant inhumanis hostibus benefacere.

Deuter. 33. v. 13.

TEXTVS.

VERS. XXI. & XXII. Et nunc quia scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel, iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.

§. XXIX.

Indubium est felicitatis auspicium, non quod studiosè possides, sed quod generosè relinquis.

Eleemosynæ. *Felicitas.*

IN *hoc contubernio vita degenda est* (aiebat Seneca *epist.* 95.) *Effugere ista non potes, contemnere potes, contemnes autem, si sæpè cogitaueris, & futura præsumpseris.* Quisquis cœcis affectionibus paruit, libertatem suam imprudenter vendidit; sui non est, qui inordinati alicuius affectus est. Vt præstigiatores oculos etiam perspicaces eludunt, sic nostræ nobis affectiones imponunt: putamus nos plura habere sed ab eis habemur, & fallaci imaginatione decipimur. Dauid, cùm posset Saulis chlamyde indui, generosè contempsit, & horam præcidit in contemptus testimonium, & iam Saul inclamat, & felicem elogiis sumptuosis commendat: *Et nunc quia scio quòd certissimè regnaturus sis*, &c. Et vndè hæc certitudo, quando depulso dæmone, & Gigante prostrato præsumpsit se posse Dauidem deiicere, & omnem felicitatem auferre? Quia faustulum illud chlamydis manifestum erat generosi despectus argumentum: ergo agnouit fortunatum. *Dicunt aliqui Hebræi* (scribit Lira) *quòd hoc sciuit per signum sibi datum à Samuele, quia ille regnaret post eum, qui scinderet vestem eius.* Totam chlamydem potuit sibi coaptare, sed maluit ambitionem euincere: ergo illa chlamydis abscissio felicitatis erat proclamatio, nec adeò felix esset Dauid cupiditati inseruiens, quàm cupiditatem generosè subiiciens: ergo Saul non potuit non agnoscere veram, solidamque Dauidis felicitatem, cùm miranda aliis vidit despicientem, & humanis affectionibus imperantem. Iam regnabat, qui nihil ex his, quæ ad lites, & certamina prouocant, concupiebat. *Capilli tui* (aiebat Seneca) *sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum.* Dum nihil sponsa habet, quod cupiditas tondeat, dum mundi onera à se generosè proiicit, capræ similis & liberè salit, & luporum rictus eludit; in montium culmine degit Capra metus solicitudine libera, quia nullis oneribus prægrauata: Ita in collectis Ambrosius: *Spectantur à Pastoribus suis dumosa de rupe pendentes, vbi luporum incursus esse non possunt.* Consonat etiam ad hunc locum Gregorius: *Libenter onera mundi deponunt.* Quidquid ambitionis oculus potest discupere, possidentem agnoscitur ingrauare: ergo dum libenter onera mundi deponunt, à luporum insidiis liberantur, & expeditiùs gradiuntur. Philosophiam hanc iterum ab sponsæ ore audi: *Ego* (inquit) *dormio.* Et cur adeò placidè quiescit? Iam ipsa edocet: *Expoliaui me tunica mea.* Tunicam exuens dormiebat imper-

Cant. 4. v. 1.

Cant. 5. v. 2.

turbata, non sic quiesceret resplendenti ornatu vestita, & margaritis fulgurantibus exornata. Ipsam audi: *Percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Ecce certamen subiuit splendidè ornata, quæ quiescebat feliciter nuda: tetinebat illa pallium, ne custodes auferrent, sed custodes intulerunt vulnera, vt sibi raperent; anteà delitescebat nuda, sed illæsa, posteà nuda ingemuit, & vulnerata: dum habuit, quod cupiditas exambiret, passa est violentiam, cùm à se omnia generosè abiecit, elusit inuidiam. Notauit Ambrosius ad hunc locum in Collectis: *Sunt cupiditatum quædam intexta velamina: & ideò interdum melius est nudum esse corpore*: Ornamentum, quo splendebat, alienam cupiditatem inflammabat: ergo felicior erat sponsa omnia generosè exuens, quàm possidens. Dauid persecutore caret, dum se chlamydem non ambire dilucidè ostendit.

§. XXX.

Nonnulli parentes iura despiciunt, & solùm filiorum vtilitates attendunt.

Parens. Filius. Ius.

PIetas semper laudanda, nec debet circa filios affectio negligi, quando inuenitur naturæ legibus commendari. *Ipsis* (aiebat Cassiodorus 2. *variar.* 14.) *laboratur ipsis diuitiæ conquiruntur.* Ipsa naturæ vis fertur ad posteros, &, vt soboli conquirat augmentum, non refugit sæpesæpius parens apertum deuorare periculum; verùm, vt honestum est soboli prouidere, sic est reprehensibile iura, & æquitatem violare: qui inficiuntur culpis, qui prægrauantur piaculis, vt filiis acquirant commoda; periculosa laboratere dementia. Saul Dauidem persecutus, vt Ionathæ regnum stabiliret, tandem vota sua irrita, & stabile Dauidis regnum agnouit, & machinis nullis subruendum præuidit; cumque sibi veniam digna debuisset pœnitudine solicitare, solum curauit à posteris, quod imminere periculum videbatur, auertere: *Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me.* Totus fuit in auertendo à filiis periculi contingentiam, & oblitus est admissam delere culpam. *Saul non credidit* (inquit Abulensis *quæst.* 28.) *quòd Dauid vellet occidere posteros suos: ad maiorem tamen securitatem voluit quòd iuraret Dauid, quia nihil nocet negotia cautiùs agere.* O quàm fuit erga posterorum incolumitatem cautus, quàm sui oblitus! Videas aliquando parentes morti proximos tempus terere in stabiliendis filiorum commodis, & differre animam expiare, & perpetratas culpas eluere. Giezi fraude dona acquisiuit, quibus diteseceret, sed cum bonorum copia coniuncta est fœdissima lepra: *Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas olineta, vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas: sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum.* Inquires, cur humillimis precibus Prophetam, vt lepram abstergeret, non rogarit, cùm Naaman saluti restitutum agnouerit? Sed solutio facilis. Vt lepra quiret abstergi, opus erat malè acquisitum aurum restitui; ergo maluit ad splendidum statum transferre prosapiam, quàm diuitias restituendo abstergere fœdam lepram: habere voluit vineas, & olineta, quæ posset semini delegare, lepram à se nullatenus curauit depellere. *Citò turpem in Giezi sequitur lepra mercedem* (scribit Ambrosius ad cap. 4. *Luc.*) *& pecunia malè quæsita corpus, animumque commaculat.* Corporis, animæque detrimento gestiuit posteros diuitiis cumulare, & ad statum splendidiorem efferre.

4. Reg. 5. v. 26.

§. XXXI.

Plus sitit ambitio nomina sibi æternare, quàm animum virtutibus expolire.

NIhil pretiosius est anima, aiebat Homerus *Odis.* 1. sed apud ambitiosos nihil est vilius: toti sunt in nominibus æternandis, & superbis pyramidibus, quibus memoria vigeat, construendis: *Vocauerunt nomina sua in terris suis.* In terris solicitarunt nomina florere, non in cœlis inscribi. Opportunè Euthymius: *Inanis gloriæ cupiditate ducti certis locis nomina sua indidere: perpetuam indè memoriam aucupantes.* Totum aliquorum studium est sui memoriam ita stabilire, vt nulla possit oblivione deleri; de anima non curant, quia apud eos pluris æstimantur volatica, quàm æterna: de eximia animæ perfectione nominis promanat æternitas, sed egregiè adeò obcœcatur ambitio, vt auertetur gloriæ fulcimentum virtutem, & magnis sumptibus suffulcire adlaboraueris vanitatem: Cùm Dauid totus erat in gratia non cruentanda, & in vltione non expetenda, Saul solùm curat nomen suum non auferri, quia solum nomen cupiebat perseuerare: *Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.* Anxius erat de nominis conseruatione, quasi hoc vnicum esset bonum, cui tam solicitum deberetur studium. Notauit Abulensis *quæst.* 27. *Id est, non facias, quod nomen meum non maneat in domo patris mei, id est, in genealogia patris mei.* Maiori solicitudine fas erat tot admissa scelera expiare, quàm nominis memoriam fulcire; verùm vti superbus, & ambitiosus humanam gloriam solùm sciebat, & veram, ac solidam nihili, aut parui æstimabat. Absalon humanæ gloriæ auidus insanum construxit titulum, quo eius nomen contra tacitos temporum adsultus præualeret, & insculptum expolitis affabre marmoribus perseueraret: *Habeo filium, qui conseruet nomen meum.* Conscientiam viderit *monimentum nominis mei.* Conscientiam vicerauerat fratricidio, parricidij anhelis votis le polluerat, & totum eius erat studium nomen æternare, & ad posteros contra oblivionem transmittere. Prodest Iosephus *lib.* 7. *Antiqui. cap.* 10. *Absalon constituerat sibi statuam regiam in valle, quæ duobus stadiis ab Hierosolymis abe-rat, quam appellauit manum suam, dicens: Quia etiam filiis eius morientibus nomen eius in statua remaneret.* Vides nominis solicitum desiderium, & animæ abiectum prorsus studium.

2. Reg. 18. v. 18.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXIII. Et iurauit Dauid Sauli: Abiit ergo Saul in domum suam, & Dauid, & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.

§. XXXII.

Sæpè inimicus recedit, vt facilius incautum subinget.

Inimicus. Incautus.

EVasisse semel periculum solicitiorem doceat cautelam, confidentiam non persuadeat ignauam. Sæpè namque de inepta securitate promanauit grauius detrimentum, quod vitasset prudens cautela, & solicita vigilantia. Inimicus aliquando recedit, sed mentitur, & fingit; vult solicitudinem sopire, vt faciliùs incautum quinerit subiugare. Opportunè Tertullianus *de Pœnitentia cap. 7. de diabolo loquens. Tunc plurimum accenditur, dum extinguitur.* Malitiæ suæ otium versutus ad tempus facit, vt dum se homo arbitratur periculo prorsus exemptum, incurrat periculosius naufragium; itaque recedit, vt impetat, pacem offert, vt oppugnet, dormitat, vt vigilantiùs irretiat. Ob id etsi Saul ad amicitiam videretur reuersus, Dauid eius versuto ingenio ad tutiora loca ascendit diffisus: *Abiit ergo Saul in domum suam, & Dauid, & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.* Solicitiori se gesserunt cautela, etsi hostilia recesserint arma. Et cur Dauid tutiora sibi deligat loca, cùm iam hostis bello abstineat retractata sententia? Quia nouerat Saulis ingenium (inquit Abulensis *quæst. 34.*) & veritus est, ne dum recessu reddit securum, validius premat incautum: *Dauid satis credidit, quod Saul pro tunc dolebat de malo, quod egerat ei; timebat tamen, quòd si maneret apud eum, iterum redeunte furore occideret eum.* Quam fuerat salutem assecutus, studuit noua solicitudine stabilire, & tutiora loca habitare, versipelli Sauli non credidit, & Saul recessit, non vt Dauid securiùs viueret, sed vt incautiùs se gereret, & periret: ergo noua securitati fulcra addidit, & loca tutiora tenuit. Consonat noster Sanctius: *Non putabat minus ab illo cauendum esse, cùm promitteret omnia, quàm cùm omnia aduersa minaretur.* Subiicit: *Nullas credebat inducias insidiis carere, tutiora igitur quærit diuerticula.* Fucatæ illi securitati non credidit, quia nouerat in ipsis amicitiæ argumentis latere insidias, & colore pacis periculosas obtegi technas. Iosue cùm aciem contra Haienses instruxisset, fugam simulauit. Haienses spoliorum cupidi, & victoriam iam se in manibus habere rati, ciuitatem prorsus præsidio nudam reliquerunt: *Cùm recessissent à ciuitate, & ne vnus quidem in vrbe Hai, & Bethel remansisset, qui non persequeretur Israel (sicut eruperant aperta oppida relinquentes)* Quid tunc? Quæ latebant, insidiæ ciuitatem intrarunt, & flammis anhelantibus succenderunt: *Insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim, & pergentes ad ciuitatem ceperunt, & succenderunt eam.* Ostendit ardentissima flamma, ad quid simulata fuerit fuga, & Haienses sera pœnitentia agnouerunt, quàm fuerit stultum præsidio ciuitatem non munire, & simulato recessui credere. Innuit Hugo Cardinalis: *Iosue simulauit fugam, & cùm longiùs protraxisset eos de ciuitate, eleuauit clypeum, quo viso surrexerunt omnes illi, qui erant in insidiis absconditi, & intrantes vrbem succenderunt eam.* Si ciuitatis porta armatis esset militibus præmunita, hostis non auderet, nec in cineres redigeret; ast dum defuit cautela, stulta periit fiducia, vt omnibus notum fuerit hostem aliquando à certamine abstinere, vt incautos possit faciliùs opprimere.

Iosue 8. v. 16.

CAPVT XXV.

1 MORTVVS est autem Samuel, & congregatus est vniuersus Israel, & planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgensque Dauid descendit in desertum Pharan: 2. Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erantque ei oues tria millia, & mille capræ, & accidit vt tonderetur grex eius in Carmelo. 3. Nomen autem viri illius erat Nabal: & nomen vxoris eius Abigail, eratque mulier illa prudentissima, & speciosa: porro vir eius durus, & pessimus, & malitiosus: erat autem de genere Caleb: 4. Cùm ergo audisset Dauid in deserto, quòd tonderet Nabal gregem suum: 5. Misit decem iuuenes, & dixit eis: Ascendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacificè: 6. Et dicetis: Sit fratribus meis: & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax: 7. Audiui, quòd tonderent Pastores tui, qui erant nobiscum in deserto: nunquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore, quo fuerunt nobiscum in Carmelo: 8. Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi: Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus, quodcumque inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid: 9. Cumque venissent pueri Dauid locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine Dauid, & siluerunt: 10. Respondens autem Nabal pueris Dauid ait: Quis est Dauid? Et quis est filius

filius Isai? Hodie increuerunt serui qui fugiunt dominos suos: 11. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vnde sint: 12. Regressi sunt itaque pueri Dauid per viam suam, & reuersi venerunt, & nuntiauerunt ei omnia verba, quæ dixerat: 13. Tunc ait Dauid pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est & Dauid ense suo: & secuti sunt Dauid quasi quadringenti viri: porrò ducenti remanserunt ad sarcinas: 14. Abigail autem vxori Nabal nuntiauit vnus de pueris suis, dicens: Ecce Dauid misit nuntios de deserto, vt benedicerent Domino nostro: & auersatus est eos: 15. Homines isti boni satis fuerunt nobis, & non molesti, nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conuersati cum eis in deserto: 16. Pro muro erant nobis tam in nocte, quàm in die omnibus diebus, quibus pauimus apud eos greges: 17. Quamobrem considera, & recogita quid facias: quoniam completa est malitia aduersum virum tuum, & aduersum domum tuam, & ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui: 18. Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ, & centum ligaturas vuæ passæ, & ducentas massas caricarum, & posuit super asinos: 19. dixitque pueris suis: Præcedite me: Ecce, ego post tergum sequar vos: viro autem suo Nabal non indicauit: 20. Cùm ergo ascendisset asinum, & descenderet ad radices montis, Dauid, & viri eius descendebant in occursum eius: quibus & illa occurrit: 21. Et ait Dauid: Verè frustra seruaui omnia, quæ huius erant in deserto, & non periit quidquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant: Et reddidit mihi malum pro bono: 22. Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent vsque mane, mingentem ad parietem: 23. Cùm autem vidisset Abigail Dauid, festinauit, & descendit de asino, & procidit coram Dauid super faciem suam, & adorauit super terram: 24. Et cecidit ad pedes eius, & dixit: In me sit, Domine mi, hæc iniquitas: Loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis: Et audi verba famulæ tuæ: 25. Ne ponat, oro, dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal; quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti: 26. Nunc ergo, Domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, & saluauit manum tuam tibi: & nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt Domino meo malum: 27. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo: & da pueris, qui sequuntur te Dominum meum: 28. Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi Domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, Domine mi, tu præliaris: malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ: 29. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum: Porrò inimicorum tuorum animæ rotabitur, quasi in impetu, & circulo fundæ: 30. Cùm ergo fecerit Dominus tibi Domino meo omnia, quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel: 31. Non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris: Et cùm benefecerit Dominus Domino meo, recordaberis ancillæ tuæ: 32. Et ait Dauid ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum: 33. Et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea: 34. Alioquin viuit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi: nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam, mingens ad parietem: 35. Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia, quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacificè in domum tuam: Ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam: 36. Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei conuiuium in domo eius, quasi conuiuium Regis, & cor Nabal iucundum: Erat enim ebrius nimis, & non indicauit ei verbum pusillum, aut grande vsque mane: 37. Diluculo autem cùm digessisset vinum Nabal, indicauit ei vxor sua verba hæc, & emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis: 38. Cùmque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est: 39. Quod cùm audisset Dauid mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo: & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius. Misit ergo Dauid, & locutus est ad Abigail: vt sumeret eam sibi in vxorem: 40. Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes: Dauid misit nos ad te, vt accipiat te sibi in vxorem: 41. Quæ consurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit

sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei: 42. Et festinauit, & surrexit Abigail, & ascendit super asinum, & quinque puellæ ierunt cum ea, pedissequæ eius, & secuta est nuntios Dauid: & facta est illi vxor: 43. Sed & Achinoam accepit Dauid de Iezrahel: & fuit vtraque vxor eius: 44. Saul autem dedit Michol filiam suam, vxorem Dauid, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

TEXTVS.

VERS. I. Mortuus est autem Samuel, & congregatus est vniuersus Israel, & planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Ramathà. Consurgensque Dauid descendit in desertum Pharan.

§. I.

Deus sanctos demortuos sumptuosa nobilitat funeris pompa, & latentem virtutem publicat confluente sponte frequentia.

Sanctus. Funus. Pompa.

ET luctuum lamentationes, & flebilis musica (aiebat Homerus in Odyss. 4.) *hic sane solus est miseris mortalibus honor.* Inhonora est mors, quam nullus comitatur luctus, & nullus lamentatur affectus: Ob id antiqui, vt quantæ æstimationis esset, & pretij defunctus, sumptuosa pompa illum funerabant, & nobili adstante frequentia eius virtutes referebant. Vndè Ioseph, vt patrem defunctum honoraret, Gen 50.v.7. Ægyptiorum Principes secum tulit, & defunctum nobilissima pompa planxit: *Ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Ægypti, domus Ioseph cum fratribus suis.* Hunc funeris honorem, qui defunctis Principibus reddebatur, Deus sæpesæpiùs viris eximiè sanctis solicitat, & sponte concurrentibus ad funus populis eorum sanctitatem manifestat. Non semel, qui ab hominum aspectu vixit semotus, ad se populos traxit defunctus, & quæ in vita virtus occulebatur, in morte proditur. Ecce Samuel ab hominum consortio secessit, & in Ramathà delituit, cùmque felicissima vitam clausula consummasset, quin itineris labor retardarit, quin negotia ab eo debitæ pietatis tributo auerterint, ferè totus Israel ad funus confluxit, & vti parentem publicum honorauit: *Mortuus est autem Samuel, & congregatus est vniuersus Israel, & planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha.* Quisque iniussus festinabat, vt viri adeò sanctitate excellentis funeri adesset, & quid sibi pio furto diriperet. Notauit Hugo Cardinalis: *Planxerunt eum nimis singuli tanquam proprium patrem.* Is fuerat Samuel, vt paterna erga omnes viscera ostenderet, & cuiusque saluti consuleret: ergo quisque sibi patrem ereptum dolebat, & dolore Samuelis vitam approbabat. Stephanus dura lapidum grandine impetitus occumbit, sed licèt dum superstes magnis fuerit persecutionibus exagitatus, grandi post mortem hoAct. 8. v. 2. nore est functus: *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* Viuens à peruersis fuit odio habitus, mortuus à timoratis, & iustis honore debito affectus; nec minus erat elogium à prauis despici, quàm à iustis honorari. Hieronymus *Epist.* 25. ad Paulam sic scribit: *Stephano fecerunt Hierosolymæ fratres planctum magnum. Et vtique planctus magnus non in plangentium exanimatione, vt tu putas, sed in pompa funeris, & exæquiarum frequentia intelligendus est.* Magnam funeri adesse frequentiam virtutis æstimatione compulsam defuncti honor erat, & virtutis post mortem claritas radiabat: ergo cùm Samuel aram Deo in Ramatha construxerit, cùm inimicos abegerit, cùm Deum lachrymis placarit, copiosa ad funus multitudine sponte concurrente est nobilitatus, & omnium lachrymis fletus: *Difficile hoc fuisset* (repetere posset Seneca de Clementia *cap.* 1.) *si non naturalis tibi ista honitas esset, sed ad tempus sumpta: ficta citò in naturam suam recidunt, quibus veritas subest, quacumque (vt ita dicam) ex solido enascuntur, tempore ipso in maius, meliusque procedunt.* Nobili frequentia solent summates sepeliri, sed cum eo sonitu eorum etiam sepelitur memoria: at Samuel adhuc sepultus viuit æternitati, & plangitur vero luctu, non fucato gemitu.

§. II.

Superbia sepulchrorum affectat insaniam, virtus in sanctorum consortio deligit sepulturam.

NOnnulli humandis corporibus insanas pi- *Superbia. Sepulchrum. Sanctus.* ramydes struxerunt, & de sepulchri stupore quàm erga corpus curam pectore fouerint, indicarunt, sed dum inseruiunt corpori, adhuc se non liberos fatentur in funere: *Nemo liber est* (aiebat Seneca *Epist.* 92.) *qui corpori seruit.* Qui corpori superstites inseruierunt, adhuc post mortem operosis sepulchrorum machinis curam corporis protelarunt. Sapiens nimia sepulchri cura non tenetur, sed erga statum animæ studiosè occupatur: *Diuinus animus* (aiebat datus Seneca) *egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an fera distrahant, an terra contegat, non magis ad se iudicat pertinere, quàm secundas ad editum infantem.* Nobile animæ receptaculum iusti exambiunt, nimiam defuncti corporis curam non gerunt. Disertè apud datum Senecam aiebat Mæcenas:

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.

Verùm etsi erga reliquias corporis sapientes nimium non fuerint soliciti, frequenter tamen Deus eis morem gessit, & inter sanctos requiescere prouidenter disposuit, vt qui ab improbis in vita seiuncti, improbis in morte non sepelirentur inserti. Hinc est, quod sacer Textus contentus non est retulisse ad Samuelis funus nobilem confluxisse frequentiam, sed expressit etiam honorabilem sepulturam: *Sepelie-*

runt eum in domo sua in Ramathà, id est in parentum, fratrumque sepulchro, vt inter iustos quiesceret demortuus, qui iustitiam studiosè coluerat viuus. Ita Caietanus. *Sepelierunt eum in Ramà in domo sua, hoc est, in sepulchro patris, & fratrum suorum, domus enim pro familia ponitur.* In Elcanà, Annæque virtutibus ornatorum conditiuo reponitur Samuel, vt inter iustos quiesceret, & dormiret. Cùm ad sepeliendam Saram Abrahamus indigeret sepulchro, resipuit, quæ vrbanitas illi gratis offerebat, & operositas commendabat. *Princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum.* Se gratum adoratione humili ostendit, sed duplicem vendi sibi spelunCam precatur, & quouis pretio possidere ad Saræ tumulum nititur: *Sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre.* Et cur Abraham oblata non admittat sepulchra? Quia veritus est Saram(si dici liceat)inter impios quiete placida non fruituram, immò de consortio inquietandam. Prodest Drogo de Sacram. Domin. pass. *Habet mundus electa sepulchra, illos vtique, quos elationis fastigium, vel superstitionis operositas perspicuos reddit.* Subijcit: *In talibus sepulchris noluit Abraham mortuum suum sepelire, sed vbi? In spelunca duplici, vbi spes bonorum operum, & amor contemplatiuæ deuotionis requiescit.* Dedignatus operosa gentilium sepulchra, speluncam delegit, quia noluit cum impiorum reliquijs cineres sanctissimæ fœminæ commisceri, & eorum consortio, si dicere liceat, dehonestari. Pro grandi supplicio datum est illi Dei viro, qui seductori illi Prophetæ fidem exhibuit, cum suis non quiescere, sed impiorum sepulchro recondi: *Non inferetur cadauer tuum in sepulchro patrum tuorum.* Et vbi sepultus est? In impij, & idololatræ sepulchro: *Posuit cadauer eius in sepulchro suo: & planxerunt eum.* Leonis tacuit occursum, qui expressit in paternis non sepeliendum, quasi grauior fuerit pœna in impiorum sepulchro recondi, quàm à leone trucidari. Notauit Tertullianus aduersus Psychicos *cap. 16. Apud exteros conditus pœnam deserti ieiunij luit.* Ergo Samuel, vt virtutis honorabili potiretur præmio, post mortem in sanctorum quieuit consortio.

3. Reg. 13. v. 22.

TEXTVS.

VERS. II. Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erantque ei oues tria millia, & mille capræ: & accidit, vt tonderetur grex eius in Carmelo.

§. III.

Apud sæculum magnus habetur, qui exundat diuitiarum facultate, etsi caruerit virtute.

Diuitiæ.

MIser quidem esse, qui virtutem habet, non potest, aiebat Seneca *Epist. 92.* verùm hæc felicitas introrsum est; nam apud sæculum miser habetur; qui facultatibus destituitur. Adnectit de sapiente Seneca: [Nam quemadmodum incõmodorum onere vsque ad miserum non deprimitur; sic commodorum inopia non deducetur à beatissimo, sed tam sine commodis beatissimus est, quàm non est sub inconmodis miser.] Hoc verum; sed apud sæculum depranatur prorsus iudicium: illum solùm existimat magnum, quem non sine inuidia adspicit diuitijs circumfusum, & commodis septum. Hanc nostet Textus veritatem confirmat de Nabal sermonem instituens; nam cùm *Quempiam* ante relatas opes vocasset, recensitis jam magnum dixit: *Erat vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erantque ei oues tria millia, & mille capræ.* Sic diuitiarũ copia eum apud omnes nobilitauit, vt haberetur magnus, & eximius. Prodest Abulensis *quæst. 1. Ille Nabal erat magnus in diuitijs, quia habebat pecora multa, vt patet immediate.* Si considerares personam, erat despiciendus vti malitiosus, stultus & durus; si attendas diuitias, resplenduit magnus; nam apud sæculum magnitudo non desumitur à virtutum censu sed à diuitiarum cumulo. Vndè Eurypides aiebat, etsi alio sensu in Alcmen. *Nihil est nobilitas comparata pecunijs: nam vel pessimus propter diuitias inter primos recensetur.* Eurypidis sensus est, nihili habendam nobilitatem non à maiorum claritate effluentem, sed à diuitijs emanantem. Verba tamen alium admittunt sensum, scilicet: si conferas nobilem, & diuitem, nobilitas nihil est diuitijs comparata; nam inops nobilis parui æstimatur, diues rusticus inter primos recensetur. Iacobus hanc opinionem sæculi expungens aiebat: [Si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sedes hic benè: pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vos metipsos?] Ecce non iudicabant hominem, ex his, quæ erant hominis, sed ex his quæ hominem circumstabant: præclara veste ornatus quisquis esset, sedebat inter primos, pannosus inter postremos. Quò ferat (scribit ad hunc locum Beda apud Glossam) *eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, & sanctiore.* Vestibus excultus deæstimatur, si inopia pressus; impius deprædicatur magnus, si diuitijs onustus. *Iacob. 2. v. 2.*

§. IV.

Felicissimus debet deprædicari, cui prudentem, moratamque contigit vxorem sortiri.

MAgnum Dei donum vxor prudentia ornata, & moribus concinnis exculta. *Satis Pen magnum regnum est marito liberi, & vxor* (aiebat Eurypides in Oedipp.) *æqualem enim calamitatem viri esse iudico liberis priuari, & patria, & pecunijs, & vxore sedula.* Consonat Sophocles apud Stobæum *cap. 67. Quænam domus inter homines vnquam beatis diuitijs, & delicijs absque bona muliere excreuit?* Prudens fœmina viri emollit iram, familiam componit, rem familiarem adauget. Magnus nimis deprædicatur Nabal: *Homo ille magnus nimis.* Si magnitudo à diuitijs solùm desumenda

desumenda esset, Iob collatus inferior apparet, Nabal namque non adeò copiosi greges vt Iobo: *Erant ei oues tria millia, & mille capræ.* Audis Nabal facultates, Iobi audi diuitias: *Fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes orientales.* Hinc oritur difficultas. Si Iob longè adeò diuitiarum censu Nabalem euincit, quomodò Nabal magnus nimis deprædicatur, & Iob nimis magnus non dicitur? Hanc difficultatem mouit Abulensis *quæst.* 1. *Plusquam tripla erat possessio Iob ad istam, vt patet Iob cap.* 1. *& tamen de eo non dicitur, quòd erat magnus nimis, sed solùm quòd erat vir magnus, & de Nabal dicitur, quòd erat magnus nimis.* Ecqua huius discriminis ratio est? Mihi videtur ab vxoribus desumenda. Iobi vxor inter stultas computatur: *Quasi vna de stultis mulieribus loquuta es.* Nabalis vxor inter prudentissimas demiranda: *Erat mulier illa prudentissima, & speciosa.* Ergo licet Nabalis facultas longè inferior fuerit, magnus nimis deprædicatur, qui vxorem prudentissimam habere dicitur. Iob Nabalem diuitijs superabat, sed Nabal prudentiorem sortitus vxorem euincebat: ergo non adeò magnus Iob dicitur, etsi gregem excesserit copia, ac Nabal, quia eximia vxoris fruebatur prudentia. *Nulli æstimamus* (aiebat Cassiodorus 5. *variar.* 43.) *nos aliquid simile contulisse, quam quòd germanam nostri generis Diualis singulare præconium vestrum fecimus esse coniugium, fœminam prudentiæ vestræ parem, quæ non tantum reuerenda regno, quantum mirabilis potest esse consilio.* Nil pretiosius vxore morata, prudentique. Ecce Abigail virum, familiamque totam diripuit ab imminenti discrimine, dum Dauidis prudentissimo sermone ardentem indignationem sopit, & audaciam militum arcet: ergo Nabal magnus nimis iure dicitur, dum Abigail habuisse vxorem refertur. Dauid leonum domitor, gigantum percussor, furiarum abactor, ni prudentem Michol vxorem fuisset sortitus, à Saulis fuisset lictoribus iugulatus; illa periculum patefecit, illa virum per fenestram dimisit, illa statuam in viri speciem in lectulo conformauit: *Depositit eum per fenestram.* Notauit Seleucensis Basilius *orat.* 16. *Infirmitatem viri prudenter causata, inueteratam patris iram mollire clam sperabat, & fugæ occasiones fugienti procudebat.* Prudenti industria, miranda prudentia lictores detinuit, & Dauidi fugiendi occasionem administrauit. Dauid ob egregia facinora æternam assecutus est famam, sed incolumitatem, & vitam assecutus est ob vxoris prudentiam.

Iob. 1. v. 3.

Iob. 2. v. 10.

Sup. cap. 19. v. 12.

TEXTVS.

VERS. III. Nomen autem viri illius erat Nabal: & nomen vxoris eius Abigail: eratque mulier illa prudentissima, & speciosa: porrò vir eius durus & pessimus, & malitiosus: erat autem de genere Caleb.

§. V.

Stulti frequenter sunt malitiosi.

NEscio quàm cognationem habeant inter se ignorantia, & malitia. *Hoc velim scias* (aiebat Eurypides apud Stobæum *cap.* 4.) *etsi latuerit ante hac, quòd malitia magnæ signum sit imperitiæ.* Imperitia inanibus suspicionibus concutitur, & cæteros deceptores esse, & variis infectos culpis arbitratur. *Stulti* (aiebat Democritus apud Stobæum vbi suprà) *nihil approbant per totam vitam.* Virtutem existimant calliditatem, aliorum prudentiam astutiam, stultisque suspicionibus persuasi, quidquid honestum, decolorant, & quidquid generosum inumbilant. Vbi Nabal stultus proditur, malitiosus refertur: *Durus, & pessimus, & malitiosus.* Notauit Abulensis *quæst.* 1. *Pessimus scilicet in cogitatione, & operibus, quoniam mala cogitabat de aliis.* Prudentia suspicionem corrigit, & iudicia inconsulta reprimit: cumque hoc salubri fræno careant stulti, inueniuntur circa alios imprudenter suspicioſi, omnia deprauant detestabili malitiæ perspicacia pleni, & omni prudentia vacui. Audi Nabalem stultum: *Hodiè increbuerunt serui, qui fugiunt dominos suos.* Abigail prudentem auscultat: *Tu prælaris prælia Domini.* Mulier, quia prudens, Dauidem, ait Domini suscepisse, absoluisseque feliciter prælia; stultus, quia malitiosus diffamat latrocinia. Iniquæ suspicionis auctorem video ab insipientis bruti specie vestitum, & sordidatum. Adam, Euaque paradiseis delicijs fruebantur, eratque voluptas innoxia, quia ab omni culpæ veneno prorsus aliena. Non ignorabant arborem sibi interdictam; verùm prohibitorem in eorum commodum præcepisse arbitrabantur ieiunium. Quid tunc? Serpens brutali stultitia plenus, & prudentia rationabili nudus aggressus est iniquis suspicionibus Dei præceptum denigrare, & inuidum, auarumque asserere: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij.* Sic fallacibus argumentis adnisus est irretire, vt ad quamcumque Eua partem se verteret, periculum deceptionis incurreret: nam si arboris prohibitione sibi ipsi Deum existimet consuluisse, denigrat inuidum, & auarum; si posse demutare sententiam speret, jam denotat varium, & naturæ rerum insciam. Notauit Galfridus in Allegor. Tilman. *Videte laqueos, videte versutiam. Si sententiam tenuerit Deus, ait ille versutus, bonitas eius non apparebit: si mutauerit, veritas eius peribit. Quid facies, Domine Deus? Citò mendax apparet de imposito tibi mendacio.* Ecce suspicatur brutum, Deum beneficij nomine inuidiam texisse, auaritiamque decorasse, & cùm tunc homines prudentes fructus prohibitionem in salutis, vitæque arbitrarentur cedere vtilitatem, stultus serpens vanissimis suspicionibus asseruit esse perniciem. De ipsa Dei scientia stultitia sententiam tulit: *Scit enim Deus*, &c. & serpens brutalitate plenus quasi quid Deus pectore gereret, indubiè præcalleret, indubijs suspicionibus infamauit: est enim stultis agnatum vitium omnia in deterius detorquere, & audacibus suspicionibus denigrare. Ita Æschylius, & Sophocles apud datum Stobæum:

Stultus. Malitiosus.

Gen. 3. v. 4.

bæum : *Stultitia maximè soror est malitiæ.* Eodem nixu prodierunt malitia suspicax, & stultitia prorsus ignorans.

§. VI.

Felicitas non semel est prudentiæ fascinum, & ciuilitatis exilium.

Aurum. Prudentia Felicitas.

APud antiquos cæca depingebatur fortuna, vt quæ sapientes, & imperio dignos inopia premeret, stultosque magnis diuitijs onerare. Cæciores ipsi attribuebant exoculatæ fortunæ, quod adscribi debet inoculatissimæ prouidentiæ. *Sapientia* (aiebat Menander apud Stobæum *cap.* 3.) *diuitijs possessio pretiosior est.* Deus sapientibus pretiosiora dedit, stultis viliora, & contemnenda. Sed esto : opulentia, diuitiarumque copia per se spernenda non sit, ob effectus, quos frequenter producit, erat fugienda. Homines namque prædiuites diuitiarum tumore inflati, dum prudentiam innubilant, & ciuilitatem exterminant, magna sibi procudunt pericula, & dum gestiunt cereis supra cæteros alis euolare, solicitant sibi misere ruere. *Vel parum intelligere difficile est* (aiebat Theogenes apud Stobæum *cap.* 4.) *cum externa bona affluunt.* Eis nebulis mentem obscurare amplam fortunam, eam fatuitatem secum afferre diuitiarum copiam aiebat Theogenes, vt fortunatis esset perdifficile sapientiæ limina attingere, aut aliqua luce aspergi. Vbi Nabal refertur diues, refertur etiam stultus, & inurbanus : *Nomen viri illius erat Nabal*, id est stultus : *Secundum nomen suum* (aiebat Abigail) *stultus est, & stultitia est cum eo.* Veluti geminata stultitia desipiebat; nam qui stultus à natura, stultior reddebatur diuitiarum, & gregum copia. Inciuiliter se cum Dauidis seruis gessit, & stultissimè superbiuit : & quidem ni Abigail periculo occurrisset eximia prudentia, perijsset inciuilis, rusticusque dignissima mulcta. Innit noster Sanctius: *Nabal, cui res erat ampla, pecuaria & rustica, homo ingenio illiberali, distorto, & duro.* Diuitiæ, dum stultitiam fouebant, inciuilitatemque incrementabant, grauissimum inurbano, ac illiberali periculum afferebant. Matth. 13. fortunatus adeò refertur homo, vt thesaurum inopine inuenerit: *Inuenit homo.* Quid tunc? Vniuersa, quæ possederat, vendere festinauit, vt agrum emerit : *Abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum.* Nonne satius esset inuentum thesaurum paulatim prudenti cautela eruere, & quæ habebat, conseruare? Si dum sua diuendit, quia studiosè tectum auferendum aurum non timet, non timeat quid ab alio diripiendum, dum sine arbitris paulatim eruit, domique reponit. Si parabolæ tantum attendas corticem, inuentor fortassis minus prudens tibi videbitur, quàndoquidem nullo præhabitæ substantiæ detrimento frui posset thesauro. Notauit Paschasius lib. 1. in Matth. *Nonne tibi videtur quasi huius inuentor thesauri non satis prudenter egisse?* Sine rerum suarum dispendio potuit diuitias possidere, verum ipse thesaurus, (si rem solùm humanis oculis dimetiaris) fuisse prudentiæ videtur nubilum, quandoquidem venditionis suasit dispendium. Thesauro inuento jam prudentia tumori vendebatur, & ea olim prudens denudabatur, jam comitas in superbiam, jam in rusticitatem degenerabat vrbanitas : omnia laudabiliter præhabita ab antiquo possessore videbantur anolare, prorsusque deserere : quasi ipsa auri copia secum attulerit rusticitatem, superbiæque nebulis prudentiæ innubilauerit splendorem. Nabal diuitiæ stultitiam pepererunt & inurbano ac superbo discrimen grauissimùm maturarunt.

Matth. 13. v. 44.

§. VII.

Stultitia cum ingenij duritie solet coniungi, & aliorum consilia spernere.

Stultitia. Contumacia. Consilium.

VT prudens, si melius appareat consilium, sequitur, & rationi cedere non grauatur : sic imprudens dedecori ducit flecti, & sapientium monitis instrui : Vndè eius malum immedicabile est, quia nec scit se regere, nec ab alijs sustinet gubernari. Opportunè Æschil. apud Stobæum *cap.* 4. *Bonus ille est, qui benè dicenti obtemperat, qui verò neque sibi sapit, neque ab alijs audita animo recondit, hic sanè vir est inutilis.* Vir stolidus si eo nomine dignus, dum flecti nescius probatur sibi inimicus, & alijs semper odiosus dum imprudenter decretis ea animi firmitudine inhæret, vt anteà periculo exponat vitam, quàm retractarit sententiam. Elucet hæc veritas in Nabal, (interpretatur stultus) ita erat flecti nescius, vt nec consilijs optimis obtemperaret, nec à duritia recederet. *Vir ejus durus, & pessimus, & malitiosus.* Abigail, vt imminenti periculo eximeret, Danidi officijs ac muneribus tempestiuè occurrit, sed nil eter his, quæ decreuerat, indicauit : Iam si inquiras, cur ad saniorem mentem non curarit Nabalem reducere, & de eius licentia Dauidi xenia disponere? respondebit Abulensis *quæst.* 5. noluisse tempus terere, vt quæ eius ingenium benè nouerat, & mores calluerat. Abulensem audi. *Non indicauit ei Abigail verbum pusillum*, vel grande, *aut quia erat Nabal duræ conditionis, & tenaci opinionis, nec poterat aliquis eum ad bonum inducere, postquam malum indicasset.* Ecce stultorum ingenium, stultitiam suam pertinaciter adeò tueri, obstinateque adeò persistere, vt nulli aures præbeant, immò consilia prudentis detendeant, vt econtra sapientis est, consilium demetare, & tutiora monstrantem sequi. De stultis, imprudentibusque aiebat Psaltes. *Dormitauerunt,* Psal. 75. v. 7. *qui ascenderunt equos.* Qui dormit, etiã habenas manu gerat, brutum non regit, sed ferisse à bruto finit. Quod Philo lib. de Agricultura sic expendit. *Insessor, & auriga vnus est*, nempe intellectus, *sed auriga tunc, quando ascendit cum prudentia, quando autem cum imprudentia, insessor est. Imprudens igitur præ imperitia non potest habenas retinere, sed patitur elabi è manibus : at iumenta habenis libera temerè discurrunt nullo ordine.* Prudens vigilanti ratione vitæ gressus dirigit, & à præcipitijs sensuum auertit; at imprudens sopita ratione habenas permittit, & est equi insessor, vt corruat, non auriga, vt regat. Itaque imprudens dormitante prudentia non regit, sed fertur, & aliquando præcipitatur : ergo cùm nec velit habenas alteri tradere, nec ipse sciat eis vti, calamitatem sibi maturat, aut saltem periculum creat. Nabal, dum quia stultus, se nescit regere, & quia durus, à sapienti non patitur gubernari, graue incurrit periculum, & quidem sublatus sit,

sit, ni Abigail prudentissima tempestiuè obniasset, & Dauidem prudentissimo alloquio ab indignatione auertisset.

TEXTVS.

VERS. IV. V. & VI. Cùm ergo audisset Dauid in deserto, quòd tonderet Nabal gregem suum, misit decem juuenes, & dixit eis: Ascendite in carmelum, & venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacificè, & dicetis: sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax.

§. VIII.

Sæpè, à quo magna sperabamus, nulla, aut exigua recipimus.

Spes. Ingratus.

SEcurius est aliquos offendere, quàm obsequiis obligare, & beneficiis obstringere; illiberali adeò, duroque ingenio sunt, vt argumentum nihil debentium injuriis quærant, & rusticissima inciuilitate benemerenti respondeant. *Spes* (aiebat Seneca *epist.* 10.) *incerti boni nomen est.* Sæpè exhibita alteri obsequia, officiaque respiciens magnas spes rationabiliter fouet, & frustrandas nullatenus sibi suadet; experitur tamen non semel spem falli, & incerti boni esse nomen, adeóque incerti, vt à quo sibi majora promittebat, aut exigua recipiat, aut nulla. Crebra, adeóque magna beneficia contulerat in Nabalem Dauid, vt pro muro eius gregibus fuerit, & insomnis ab lupi, leonisque incursione seruarit: ergo cùm regium tonsoribus conuiuium instrui audiuisset, opportuna occasione suadente decem ex militibus misit, qui eum suo nomine salutarent, & aliquod vitæ subsidium vrbanè peterent: *Cùm audisset Dauid in deserto, quòd tonderet Nabal gregem suum, misit decem iuuenes.* Tot milites delegasse putant Interpretes, quia sperabat non exigua munera, sed copiosa, & ampla largiturum Nabalem, quibus asportandis vnus, aut alter miles satis esse non videbatur, etsi salutando Nabali satis videretur: verùm adeò euentus præter opinionem fuit, vt solùm conuitiis redierint onerati, qui muneribus sperabantur onusti. Audi Abulensem *quæst.* 1. *Tot misit, vt isti possent portare quidquid eis daret Nabal, ne forte, si pauci irent, Nabal parum daret, quasi illis non potentibus maiora portare.* Quàm Dauid conceptis fuit spebus frustratus! promittebat sibi reuersuros milites muneribus onustos, immò donis prægrauatos, & quidem redierunt onerati, sed injuriis, & contumeliis. Sæpè enim à quibus rationabiliter plura speramus contraria spebus inuenimus. Rex Hiram multa auri talenta Salomoni largitus est: *Misit quoque Hiram ad Regem Salomonem centum viginti talenta auri.* Pro talentis viginti oppida in terra Galileæ ei rependit, sed quæ oculos potiùs offenderent, quàm allicerent, suis obsequiis, & officiis Hiram conquestus est sterilitatem comparasse, & dolorem emisse: *Appellauit eas terram Chabul.* Sperabat Hiram copiosas ciuitates, arua fœcunda, & præmia obsequiis, officiisque digna, sed inuenit spebus contraria, & obsequiis non respondentia. Audi Iosephum apud Hugonem: *Chabul interpretatur germen. Vndè ironicè appellata est terra illa, terra Chabul, quia sterilis, & infructuosa erat.* Impensa auri talenta, pretiosa ligna prò fructu sterilitatem germinarunt, & spes euanidas ostenderunt.

3. reg. 9. v. 14.

§. IX.

Aliqui petendi modo largitorem offendunt, & negare petita cogunt.

Petitio.

SÆpè quod ambimus, aut petendi modò tardamus, aut denegari nobis edocemus. *Ingentia quorundam beneficia* (aiebat Seneca 2. *de benefic. cap.* 3.) *silentium, aut loquendi tarditas imitata grauitatem, & tristitiam corrupit, cùm promitterent vultu negantium.* Quod de dilargientibus dixit, de petentibus etiam dicere potuit: eo supercilio aliqui rogant, vt judices exigere debitum, non petere beneficium, deprecantur, sed imperantium vultu, rogant, sed largiturum exasperant. Modò ob hanc causam Dauid milites delegans, vt eius nomine Nabalem salutarent, & aliquod ad leuandam inopiam subsidium peterent, multus fuit in petitionis modo edocendo, & salutationis stilo commendando: *Salutabitis eum ex nomine meo pacificè. Et dicetis: sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax.* Dicendo *pacificè*, edocuit petendi modum, suggerendo verba, stilum, ne arrogantia militari tumidi petendi modo offenderent, aut verbis minus vrbanis exasperarent. *Hic consequenter ponitur* (inquit Lira) *ipsius Dauid curialis petitio.* Consonat Theodoretus apud Glossam: *Postulatio erat moderata, & significans egestatem rerum necessariarum.* Accedit Abulensis *quæst.* 1. *Hic instruxit Dauid pueros suos qualiter deberent petere à Nabal, ne fortè propter imperitiam petendi Nabal respueret petitionem.* Si oleret modus violentiam, si verba saperent arrogantiam, accipiendi impedimenta sibi apponerent, & quodammodò ad negandum postulata compellerent: ergo milites instruit, ne supercilio, fastuque Nabalem exasperarent, & petendi modo ad denegandum impellerent. *Petitis* (aiebat Iacobus Apostolus) *& non accipitis, eò quòd malè petatis.* Qui petunt, eo possunt errore laborare, vt mala benè petant, vel bona malè, & sæpè petitionis modus votis ipsis inuenitur contrarius. Prodest Beda apud Glossam: *Belligeratis pro temporali gloria, neque hanc obtinere valetis, propter hoc nimirum, quia Dominum postulare non curatis.* Postulant, sed non ea reuerentia, qua fas esset: ergo non accipiunt, quia parere nesciunt. Audi superbientium, arrogantiumque petitionem: *Magister volumus à te signum videre.* Rogant ne isti, aut imperant? Signum videntur petere: *Signum videre*, sed eo modo, vt censeas imperare: *Volumus.* Quid tunc pro sua Sapientia Christus? *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei.* Si Abrahamo signum postulanti concessit, si Gedeoni semel, & iterum petenti non denegauit, cur modò denegat, & petentium orationem nil assecuturam ex desideratis affirmat?

Epist. Iacob. 4. v. 3.

Matth 12. v. 39.

Quia horum verba imperantium videbantur mandata. Accedebant ad speciem rogatores, sed reuera superbia tumidi, & præsumptione superbi: ergo qui demissè, humiliterque deprecantibus plus quàm petebatur, concessit, his tumidis, arrogantibusque jure optimo postulata negauit. Innuit Chrysostomus in Catena: *Verba eorum adulatione, & ironia sunt plena.* Itaque eo modo accesserunt supplices, vt potiùs judices præcipere quàm rogare: ergo, vt assequatur effectum, Dauid milites suos petitionis edocet modum.

TEXTVS.

VERS. VII. & VIII. Audiui, quòd conderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto: nunquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo. Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi. Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis, in die enim bona venimus, quodcumque inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid.

§. X.

Melius est emendicato viuere, quàm æquitatem violare.

Emendicare. Culpa.

HOnesto loco natos (aiebat Menander apud Stobæum *cap.* 89.) *& benè educatos etiam in aduersa fortuna rationem habere decet bonæ famæ.* Adde, & bonæ conscientiæ. Adest occasio ditescendi, sed reclamante æquitate: ergo prudens abstinebit, & ad improba egestatis consilia obsurdescet, immò si alius non appareat modus, eliget rubore contempto emendicare, quàm conscientiam, aut honorem lædere. Hanc Philosophiam Dauid edocuit. Nam cùm ipse, suique milites sæpè famescerent, & copiosi Nabalis greges non distarent, nil violenter abstulerunt. Et nescias, an mirabilior fuerit Dauid ouiculam à leonis rictu extrahens, an oues Nabal à famelicis militibus intactas custodiens. Quandoquidem milites morum nesciunt custodire mensuram, præcipuè si duram patiuntur inopiam. Suos milites edocuit Dauid potiùs emendicare, quàm quid subripere. Sic Dauid suos videtur allocutus; vt de Imperatore refert 1. *var.* 22. Cassiodorus: *Ita per medium iustitiæ tramitem moderatus incede, vt nec calumnia innocentes graues, nec iustis petitionibus retentatores exoneres. Illa enim vera lucra indicamus, quæ integritate suffragante percipimus.* Non existimabat Dauid lucra, æquitate reclamante acquisita, aut ab inualidis, & infirmis violenter erepta: ipse quo facilius milites edoceret, maluit emendicatò viuere, quàm rapinis studere. Ecce de Nabalis gregibus nihil abstulit, & emendicare ab ipso Nabale non erubuit: *Quodcumque inuenerit manus tua, de seruis tuis, & filio tuo Dauid.* Notauit Theodoretus apud Glossam: *Quid differunt hæc verba à verbis, quibus vtuntur mendici.* Itaque cùm tot militibus stipato facile esset gregem inuadere, & pro libito, quidquid placuisset, auferre, abstinuit, & quod mirandum est, famescentes milites continere manus edocuit. Si alius esset Dauid, nollet emendicando rubore suffundi, sed violenter auferendo potestatem testari; ast inunctus etiam in Regem, quæ subjectorum erant, muri adinstar defendit, nec potestate abusus quid tulit. *Nunquam eis molesti fuimus, quia eos, & gregem* (inquit Lira) *securè seruauerant à feris, & prædonibus.* Discant duces militem continere, miles discat innoxias manus seruare. Quidam copiosi domini facultates administrans, sic eas profudit, vt ad Domini aures fama peruenerit, & amouere compulerit, sed cùm ratio esset reddenda, majori defœdatur rapina, & quia nequibat à debito exolui, studuit majoribus debitis onerari: *Fodere non valeo, mendicare erubesco.* Ne ab antiquo splendore caderet, & mendicando erubesceret, periculo occurrit, & vndè vineret, reseruauit, cùm satius esset ruboris subire incommoda, quàm conscientia refragante detestanda acquisisse lucra. Et quidem Dominus, vt nos suo edoceret exemplo, siti adustus, & itineris labore vexatus, à Samaritide elegerit aquam emendicare, non vt pastores à Moyse olim abacti violenter auferre: *Da mihi bibere.* Ecce mundi Dominus non recusat emendicare, & villicus satagit ruborem effugere: *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum* (inquit Chrysologus *serm.* 125.) *Et quis erat homo iste nisi Christus.* Christus siti oppressus mendicat, & villicus emendicare detrectat; cùmque potiùs Christi, quàm villici exempla fuerint tenenda, inuenies paucos Dominica vestigia sectos, & plurimos villici exemplo obscuratos, malunt conscientiam corrumpere, quàm laborem paupertatis subire. At Dauid lædere conscientiam expauit, emendicare non timuit.

Luc. 16. v. 3.

Ioan. 4. v. 7.

§. XI.

Quam miles obedientiam ducibus præstet, nostram erga Deum inobedientiam exaggerat.

MIlitaris disciplina ad exactissimam cogit obedientiam milites obseruantiam. Confusaneus tubæ sonus jam veloces sistit, jam otiosos accendit. *Chrysantam* (inquit Plutarchus *in quæst. centur.*) *laudauit Cyrus, quòd obtruncaturus hostem, subitumque tenens gladium, vt tubam audiuit receptui canentem; hominem missum fecisset, neque, vt prohibitus, percussisset.* Inceptam reliquit victoriam dictam, ne violaret obedientiam. Elegit Chrysantas amittere spolium, & triumphum, ne ad tubæ obedientiæ obsurdescet sonum. Chrysantæ Dauidis etiam milites secuti videntur exemplum, nam cùm desertorum erroribus vagarentur, fame sæpissimè diuexati, sitique adusti elegerunt famis pati morsum, quàm sui ducis violare præceptum: [Audiui quòd conderent pastores tui greges tuos, qui erant nobiscum in deserto, nunquam ei molesti fuimus, nec aliquando defuit eis quidquam de grege omni tempore, quo fuerunt nobiscum in Carmelo. Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi.] Cùm Martia tractantes bella frequenter morum nesciant custodire mensuram, mi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

raculi adinstar fuit Dauidis milites malè suada fame nil de Nabalis opibus abstulisse, aut per minas à pastoribus impetrasse. Seriò Dauid iusserat nil Nabalis attingere, sed innocuas prorsus manus continere: Ergo quantumvis famis premeret, sitis vexaret, malebant milites secum pugnare, quàm mandatis Principis contraire. Iosephum audi apud Glossam: *Opes Nabalis Dauid illæsas custodire suos præceperat, vt neque desiderio, neque egestate, neque pro loco deserto, vbi potuissent latere, aliquis eas vexare præsumeret.* Audis sic milites obtemperasse, vt nullam Nabalis pastoribus querelæ causam præstiterint, immò pro muro prædonibus se objecerint, vt quidquid Nabalis erat, solicitè asseruarint. Nec semel, sed hoc ipso in capite aliud exemplum eximiæ obedientiæ Dauidis milites exhibuerunt. Eos Dauid delegarat, vt pacificè suo nomine salutarent, pacemque offerrent: *Salutabitis eum ex nomine meo pacificè, & sic dicetis: Sit fratribus meis, & tibi pax.* Vrbana, humilique Dauidis petitione sic rusticus efferatus est, vt Dauidem, nuntiosque injuriis multis onerauerit, & à se expulerit: *Quis est Dauid, & quis est filius Isai? Hodiè increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos.* Quid ad hæc strenui milites? Putares enses injurij sanguine cruentandos, & grauissimo Nabali supplicio greges perdendos; ipsi verò nec vlcisci injuriam tentarunt, nec labia aperuerunt: *Regressi sunt itaque pueri Dauid per viam suam.* Et cur milites ad Martia bella semper intenti à rustico injurias sustineant, & patientia suæ ad speciem fortitudini detrahant? Quia Dauid pacem offerre jusserat: ergo, ne à ducis obedientia discederent, injurias deuorarunt, & ardentes furoris impetus continuerunt. Opportunè Abulensis *quæst.* 4. [Cùm habuissent responsum durum, noluerunt amplùs expectare, sed reuersi sunt: nec etiam ipsi responderunt aliquid durum Nabal, quamquam conuitiatus fuisset illis; cùm dixisset eis Dauid, quòd salutarent eum pacificè; noluerunt autem vltra mandatum aliquid agere. Hinc ad vindictam inflammabantur rustici Nabalis conuitiis, hinc ad pacificè se gerendum Dauidis informabantur præceptis: ergo grauissima etiam stimulante occasione elegerunt injurio parcere, quàm à ducis obedientia recedere.

TEXTVS.

VERS. IX. & X. Cúmque venissent pueri Dauid, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine Dauid, & siluerunt. Respondens autem Nabal pueris Dauid ait: Quis est Dauid, & quis est filius Isai? Hodiè increuerunt serui, qui fugiunt Dominos suos.

§. XII.

Superbus dives, quam Deus ei offert occasionem salutis, in causam vertit discriminis.

Dives. Occasio.

RES mala, sed innata diuitibus est (aiebat Eurypides in Faetonte) *improbè viuere. Quænam huius rei causa est? An quia cæcè diuitiæ ipsis connersantur, mentem quoque cæcam habent propter fortunam? Diuitiæ aut contumeliam, & luxuriam pariunt, aut parcitatem in vita.* Sic Nabal diuitiarum superbia obcæcatus est, vt quam Deus illi officia Dauidis remunerandi largitus est occasionem, grauissimum sibi conuerterit in discrimen: nàm cùm per nuntios comiter salutatus, & officiis multis obstrictus se præbere gratum debuisset, insanè intumuit, & injuriis Dauidis milites onerauit: *Quis est Dauid, & quis est filius Isai? Hodiè increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos.* Nihil reliquit intactum, Dauidis originem abrosit, mores damnauit, quos sub eo militare conspexit, infimos, & fugitiuos seruos pronuntiauit: humili petitione in furorem sic exarsit, vt contentus non fuerit postulata negare, sed contumeliis plurimis referire. Notauit Lira: [Hic consequenter ponitur rusticana responsio, quia non solùm negauit, quod petebatur, sed etiam à vituperiis inchoauit, dicens: Quis est Dauid? quasi dicat: Nullius valoris, quia descendit de alienigena.] Nuntij ad Dauid Nabalis responsum deferunt, qui justa indignatione inflammatus crnentam jam anhelat stragem, & contendit celeriter ad vltionem: *Hæc faciat Dominus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent vsque mane, mingentem ad parietem.* Ni Abigail tempestiua prouidentia accurrisset, Dauid omnia Nabalis celerrimè deuastasset. Et vndè graue adeò periculum promanauit? Ex oblata opportunissima remunerandi, & Dauidis gratiam promerendi occasione. Rogatus, & vrbanis verbis salutatus superbiuit, & superbia cæcus sibi periculum maturauit. Videas nonnullos, qui contra mendicos exardescunt, & durissimis verbis carpunt, non solùm denegant eleemosynam auari, sed pauperes confundunt injurij: ergo misericordiæ occasionem in occasionem vertunt offensæ; & indè sibi creant graue periculum, vnde animæ salutis reportare quirent augmentum. Dispensatorem super familiam suam constituit Dominus, qui prælatione superbiens, & administrandis ritè diuitiis abutens, contentus non est lauta mensa frui, amplis scyphis inebriari, sed seruulos, & ancillas malis tractationibus aggressus est premere: *Cœpit percutere seruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari.* Quid tunc? Dominus insperatè aduenies digna eum seueritate puniuit, & muneris honore priuauit: *Diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Si facultatem dignè administraret, si familiam benignè regeret, familiæ amorem, & Domini sibi gratiam conciliasset; at seruulis injurius, & Domino ingratus indè contra se excitauit procellam, vndè, si prudens fuisset, adaugere posset fortunam. Notauit Beda in Caten. D. Thom. *In hoc seruulo cunctorum præsulum malorum narratur damnatio, qui neglecto Domini timore non modò ipsi luxuriæ vacant, sed etiam subditos*

Luc. 12. v. 45.

subditos iniuriis stimulant. Indè iste traxit condemnationem, vndè fulcire quiret felicitatem: & Nabal etiam vndè salutis poterat stabilimentum acquirere, inuentus est sibi periculum procreare.

§. XIII.

Stultus est, qui cùm possit vrbanis verbis quod petitur, denegare, mauult rusticis, iniurioſisque petentis indignationem accendere.

Stultus. Vrbanitas. Indignatio.

NOn debet supplicatio differri, quando modesta humilitate decora, & probabili causa subnixa. Vndè aiebat Cassiodorus 10. *variar.* 20. *Non poterunt vota vestra differri, quando interest, quæ merentur audiri.* Verùm quia aliquando contingit rogari, quod detrimentum esset concedere, tunc prudens ea vrbanitate denegabit, vt nullam petenti irrogarit offensam, immò ipso negandi modo conciliauerit sibi gratiam, etsi in causa sit nolle, alia honesta causa debet prætendi. Profectò si inciuilitas ipsa largitione non delinitur, quid erit denegare postulata, & aspera, amaraque denegando proferre verba? *Quid expectat, qui offendit, dum obligat*, aiebat Seneca *lib.* 1. *de benefic. cap.* 1. Quod si obliganti beneficiis nil est expectandum, offendenti expectandum quid erit, si deneget eo modo, vt patientiam exasperet, & irritet? Cùm ita natura comparatum sit, vt nostris præcordiis altiùs insideant, vel suspectæ injuriæ quàm vera merita, quid non timeat, qui postulata injuriosè denegat, & aspero vultu irritat? Nabal stultus, & quidem dignissimè sugillatur: *Secundùm nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo.* Nam cùm placidis verbis potuisset à Dauide postulata denegare, allegando multos se eo die habere conuiuas, vererique, si quid auferat; rubore affici, & ob id, qua vellet largitate, eorum non posse petitionibus acquiescere, maluit superbissimis verbis milites exasperare, & Dauidis mores arrodere: *Quis est Dauid, & quis est filius Isai? Hodiè increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos.* Verè stolidus sibi maturauit periculum, non tam denegando auarè munera, quàm amara proferendo verba. Notauit Abulensis *quæst.* 3. *Incepit Nabal à conuitiis dicens: Quis est Dauid, & quis est filius Isai? si enim noluisset aliquid dare poterat coloratè respondere, & sine iniuria Dauid, & virorum suorum; incepit tamen ab iniuriis, in quo nimis rusticus erat.* Ipse conuiuarum numerus colorem excusationi obtendebat, & exiguis muneribus Dauid indignationem vitare poterat; ea tamen stulta rusticitate, & rustica præsumptione respondit, vt contra se indignationem inflammarit, & periculum grande subierit. Petebat Moyses Dei nomine populum libertate donari, & qui aduentarant, inquilinos remitti, verùm Pharao sic obruuit, vt Dominum despexerit, & petita superbissimè denegarit. *Quis est Dominus vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* A Domini despectu cœpit, & superbiæ fastui indulsit. Quid tunc? Iam Moyses virga vtitur, & Ægyptus repetitis plagis vrgetur. Notauit Philo *lib.* 1. *de vita Mosis. Rex ab incunabulis innutritus maiorum suorum fastui, nec credens vllum Deum præter ista visibilia, contumaciter respondit: Quis est, cui me obedire iubetis? Non noui istum, quem prædicatis nouum Dominum, non dimitto gentem.* Contentus non est postulatis non annuere, sed fastu offendere, sed quem modò despexit, vindicem injuriarum agnouit: *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Forsitan duram adeò indignationem non fuisset expertus, si respondisset vrbanus, sed dum inciuilis exasperat, contra se indignationis flammam exufflat.

Exod. 5. v. 2.

Exod. 14. v. 25.

§. XIV.

Nobilis ingenuusque etsi sibi iniurio facilè pareat, parentum iniurias ægrè dissimulat.

HOnor matris redundat in filios, & ab origine trahitur, quod sæculis honorandum habetur. *Nemo enim creditur* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 1.) *impendisse veteribus puritatem innocuam, nisi qui eorum stirpem habere probatur acceptam.* Qui immaculatam à parentibus accepisse nobilitatem non creditur, apud homines dœstimatur, cúmque omnes natalium splendore glorientur, quisquis alterius incunabula obscurat, contra se indignationem obarmat. Injurias sibi solùm factas remittere, magnanimitatis est laudibus applicandum; parentibus verò inhonoram adscribi maculam, plurimis non videtur ferendum. Hinc est, quòd Dauid, etsi Sauli acerrimo hosti toties pepercit, contra Nabalem potenter exarsit: *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent vsque mane mingentem ad parietem.* Et cur modò expetat de Nabale vindictam, qui toties assuetus fuerat hostibus largiri veniam? Quia alij hostes probrosis verbis infamarant eius personam; Nabal verò maternam denigrarat prosapiam: ergo contra matris armatur injurium, etsi patrem tulerit aduersarium. Ita Lira: *Quis est Dauid? Quasi dicat, nullius valoris, quia descendit de alienigena muliere, scilicet de Ruth Moabitida.* Dauid dæmonem depulerat, gigantem dejecerat, plurimos de Philisthæis triumphos reportarat, & tamen nullius apud Nabalem æstimabatur valoris, vt qui sortiretur matrem non sordidatam originis: *Quasi dicat, nullius valoris est, quia descendit de alienigena muliere.* Vt Dauidis splendorem innubilaret, matrem obtrosit, quasi plus valeret ad tot egregia tumulanda facinora matris nota, quàm ad acquirendam famam adeò repetita trophæa. Ergo Dauid licet jacta à Semei probra magnanimè tulerit, & generosè pepercerit, modò decernit honorem matris vindicare, & stultum Nabalem digna seueritate punire. Irridebat Tertullianus ethnicos; nam cùm Saturnum Deum colerent, terrena, ignobiliq; origine sordidatum dicebant. Ita in Apologetico *capite decimo. Saturnus vtique ex homine, & quia ab homine, vtique de cœlo, & terra.* Ac si dicat: si Saturnus de maledicta terra traxit originem, quomodò ei applicatis diuinitatem? De cœlo est (dicitis) demus hoc, sed quod de cœlo splendidum, de terræ videbitur nebulis obscuratum: ergo si Deum asseritis, matrem affignate labis, & maledictionis expertem. Nabal Dauidis stultè despicit dignitatem, dum obscuram matris testatur originem. Cùm Christus Dominus Israelitarum mores sæpiùs argueret, aliquando sustinuerunt,

stinuerunt; vbi verò à veritate liberandos asseruit: *Veritas liberabit vos*, ei necem meditati sunt: *Nunc quæritis me interficere.* Quare nunc? Quia eis verbis sibi persuaserant parentem Abrahamum aliqua seruilitatis nota dehonestasse: *Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis.* Vbi suspicati sunt aliquo eos originis dedecore affecisse, in vindictam ruebant, & omnem à parentibus maculam depellere adlaborabant. Notauit Chrysostomus in Catena: *Quasi dicant: eos, qui de genere sunt Abrahæ, qui sunt ingenui, non oportebat seruos vocare: Nunquam enim seruiuimus.* Alia sustinuerunt, sed seruili se vena exortos dici suspicati lapides sustulerunt, & vti blasphemum Christum Dominum lapidare tentarunt. Est enim hominibus molestissimum, si eius origo aliqua nota dehonestetur, audentique lingua abrodatur.

Ioan. 8. v. 40.

TEXTVS.

VERS. XI. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vndè sint?

§. XV.

Nonnulli non reddunt iure debitum, & profusis quærunt donis liberalitatis elogium.

Liberalitas. Iustitia.

LIberalitas regia virtus, quæ & animi nobilitatem ostendit, & plurimorum voluntates sibi deuincit. [Æquitatis ratio persuadet (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 39.) vt exercentibus lætitiam publicam, consuetudinem seruemus antiquam, præsertim à Consule venientem, cuius constat esse propositi, vt debeat ex liberalitate laudari: ne videatur aliud dignitas promittere, & aliud Senatorem velle complere. Quocirca sub opinione munifici parcum non decet inueniri: quia inumbrat famam publicam in consule tenacitas.] Dedecet gloria originis claritate splendidos, & suspiciendis dignitatum infulis decoratos auara tenacitas, quia semper fuit aurum famæ nubilum, si auarè retentum; verùm ita est quærenda liberalitatis fama, vt nullas læsa possit dare querelas iustitia; esset enim iniquum debitam iustis laboribus compensationem non reddere, vt possis liberalitatis famam elucrari. *Diuina sunt ista iudicia, non humana* (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 30.) *vt quem superna ad tempus debitum opus voluerunt perducere, merito videatur & laboris sui præmia suscepisse.* Itaque reddenda est iustis laboribus compensatio, nec aliis debita, aliis largienda sunt dona. Hunc tenacitatis suæ Nabal videtur colorem quæsisse, vt honestè à Dauid petita videretur negasse. Abigail munera obtulit, quin conuiuium aliquod detrimentum sentiret; poterat ergo Nabal Dauidis necessitati non deesse, & conuiuium perficere; verùm dum colorem auaritia quærit, ipso colore politicam instruit. *Tollam ergo* (aiebat) *panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vndè sint?* Ac si dicat: Tonsores tota die laborando desudarunt: quid ergo? Edulia, quibus labor solandus est, ignotis impertiar? Priùs est iustitiæ satisfacere, quàm generositatem ostendere: ergo abite vacui, ne tonsores ingemiscant jejuni. Prodest Lira: *Tollam ergo panes meos*, &c. *Quasi dicat: Non debeo facere.* Mentitum colorem prætendit, sed labores priùs remunerandos edocuit. Major ille filius, vt vidit prodigo laurum conuiuium instrui, fratrem, patremque aggressus est audaci obmurmuratione infamare: *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterii, & nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.* Ac si dicat ironicè: Laudanda generositas, quæ debitum laboribus hædum non solvit, & cui nihil debet, opiparum conuiuium instruit. Profectò si verum diceret, patris famam innubilaret; verùm mentitus est, vt liuori suo adularetur. Ita Chrysologus *sermone quarto. Inuidus simulat semper, mentitur inuidus semper.* Itaque dum liberalitatem de laboris mercede factam abrodit, patris famam innubilare prætendit; quandoquidem iustitiæ injuria quærenda non sunt generositatis præconia.

Luc. 15. v. 29.

§. XVI.

Nunquam auaritiæ deest color honestus, nec tenacitati titulus ad speciem decorus.

Auaritia. Tenacitas. Princeps.

EQuidem hanc sententiam iam olim approbaui (aiebat Eurypides in Heracl.) *quod vir iustus natus sit in proximi commodum. Contra, cuius animus inclinatus est in lucrum, & amicis inutilis est, & difficilis in commerciis.* Parcus, auarusque nec in proximi commodum natus, nec in sui ipsius vtilitatem progenitus; tam illi deest, quod habet, quàm quod non habet, nisi quod habiti solicitudine premitur, & amittendi metu vexatur. *Quisquis ambitiosum, & auarum ingenium habet* (verba sunt Eurypidis apud Stobæum *capite decimo*,) *nihil ille iustum sapit, neque cupit.* Adeò fœda est tenacitas, auaritiaque, vt ipsi, qui hoc morbo se laborare intelligunt, aliquem auaritiæ colorem prætendant, ne auaritiæ detestandam notam incurrant. Dauid, quem multis officiis, obsequiisque obstrictum habebat, à Nabale aliquod vitæ subsidium per legatos humanè deposcit, sed ille auariissimus, tenacissimusque colorem quærit, & se tunc, quod tonsoribus præpararat, conuiuium imminuere non posse, asserit: *Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis.* Ac si dicat: si alio aduentaretis tempore, facile esset desiderata vobis dilargiri, sed cùm hodiè plures tonsores habeam conuiuas, paratis opus habeo, & vtinam satis fuerint instruendo conuiuium. *Quasi dicat* (inquit Lira) *non debeo facere.* Itaque honestam ad speciem excusationem prætendit, ne quid

indigentibus daret; semper enim auaritia fugit liberalitatem, & honestum architectatur colorem. Cùm prodigus cænoso pecori inseruiret, & luridus fame tabesceret, nemo illi, quo famem solaretur, administrabat: *Nemo illi dabat.* Non deerant porcis siliquæ, deerant homini. Et cur nemo illi dabat? Iam textus refert: *Facta est fames valida in regione illa.* Sterilitatis incommoda non sentiebant porci, experiebatur prodigus, quia ad temporum sterilitatem recurrebat auarus, quasi pereunti homini. *Ego autem hic fame pereo.* Non subuenire, esset temporum infortunium, non auaritiæ commentum. Huc voco Philonem *lib. de Ioseph.* [Nec sunt audiendi, qui temerè culpam referendo in difficultates temporum, infelicem prouentum fructuum, agrorum sterilitatem, loci situm in maritimis, aut mediterraneis, in continente, aut insulis, & id genus alia, veritatem dissimulant; est autem vera causa auaritia.] Ne prodigo famescenti quid exhiberet, famem Dominus allegabat, sed pinguis porcus auaritiam veram esse causam ostendebat; quandoquidem temporum sterilitas non vetabat porcos saginare, cùm vetaret hominibus subuenire.

Luc. 15. v. 17.

TEXTVS.

VERS. XII. & XIII. Regressi sunt itaque pueri Dauid per viam suam, & reuersi venerunt, & nuntiauerunt ei omnia verba, quæ dixerat. Tunc ait Dauid pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est & Dauid ense suo, & sequuti sunt Dauid quasi quadringenti viri: porrò ducenti remanserunt ad sarcinas.

§. XVII.

Nullus adeò contra auarum obarmatus, vt pauper abactus, & fame oppressus.

ELeemosyna dantis lucrum, diuitiarum augmentum, & salutis est propugnaculum: vt è contra auaritia salutis pestis, diuitiarum tinea, & calamitatum est causa. *Auaritia* (aiebat Menander apud Stobæum *cap.* 10.) *mortalibus est maximum malum.* Nihil tam contra se habet auarus, quàm ipsum aurum, cui insidiatur violentum ferrum; verùm etsi semper sit auaritia calamitatis origo, tunc præcipuè cùm famelicum pauperem abigit, & opem exhibuisse contemnit. Egebat Dauid in Maon solitudine, cúmque non exigua in Nabalem officia contulisset, opportuno tempore (lautum namque celebrabatur conuiuium) humilibus precibus aliquod dari sibi, sociisque subsidium, ad famis deprecatus est leuamentum; at homo prorsus agrestis, auariissimus supplices iuuenes depulit fame vexatos, & injuriis solùm onustos: *Regressi sunt itaque pueri Dauid per viam suam, & reuersi venerunt, & nuntiauerunt ei omnia verba, quæ dixerat.* Quid tunc? Milites suos extemplo jubet Dauid armari, & de Nabale vindictam sumere: *Tunc ait Dauid pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo.* Lira ad dignam vltionem accinctos tradit: *Accingatur ad accipiendam vindictam de tam vili rustico.* Sed hinc oritur difficultas. Si Dauid, suique milites duræ famis premuntur angustiis, quomodò vires eis suppetunt ad bella aggredienda valido robore, & armis? Si Nabalem Dauid cupit euertere, expectet tantisper, quousque milites cibo animos recreauerint, viresque resumpserint, nam famelici nec strennè inibunt prælia, nec digna inferent auaro supplicia. O vtilissimam nobis eruditionem! Cùm Dauid Christi Domini personam gereret, contra auarum jejunos inopes instruxit, nec enim terribiliores produci poterant hostes, quàm expulsi, famescentesque pauperes: *Tunc ait Dauid pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo.* Expende illud, *Tunc*, scilicet, quando abacti, quando famelici, vt repetat Lira: *Ad accipiendum vindictam de tam vili rustico.* Dines quidam quò vberior prouentuum copia, ipse tantò infelicior auaritia; vbertas reddebat superbum, abundantia anxium, diuitiarum copia inhumanum; erat ille pauperibus inimicus, humanæ naturæ infamia, agrorum nota. Contra huius vitam plures militarunt, & animam plures repetiuerunt: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Luc. 12. v. 20. stultus proditur, dum vitæ sibi prolixos annos promittit, & misericordia caret. Non poterat diù viuere, qui nesciebat inopiam pauperum subleuare. Dum Textus, à quibus anima repetatur, non exprimit, conjiciendi nobis libertatem relinquit. Ecqui repetunt? Animam dæmones, vitam pauperes. Luridus famelici vultus, pauperculæ gemitus, dum accusant auaritiam, contra diuitem mortis impetrauere sententiam. Audi Chrysologum *serm.* 104. [Pauperem te præcedunt gemitus, & sequuntur, accusant te hospitum luridi vultus, te turba impetit plangens petentium, vt addictus à superno judice satietatem pœnarum capias, qui horreorum tuorum seras negando cæteris, tibimet conclusisti.] Expende illud: *Te turba impetit plangens petentium.* Ac si dicat: Acerrimi adinstar ursis turba petentium vitam subruit, alimentis generosè pasta defenderet, & seruaret. Sunt namque pauperes misericordia foti salutis subsidia, luridi, & abacti contra salutem sunt arma. Ergo Dauid, vt durum Nabali bellum inferret, famelicis, & abactis pauperibus aciem instruxit.

Auarus. Pauper.

TEXTVS.

VERS. XIV. Abigail autem vxori Nabal nuntiauit vnus de pueris suis, dicens: Ecce Dauid misit nuntios de deserto, vt benedicerent domino nostro, & auersatus est eos.

§. XVIII.

§. XVIII.

Superiorum error non est obmurmuratione infamandus, sed ei solùm, qui mederi quiuerit, aperiendus.

Superior. Error. Delatio.

QVi dignitatis, aut fortunæ luminibus fruitur, non ob id humanæ naturæ erroribus denudatur, immò ipsa originis claritas, & fortunæ prosperitas, dùm superbè eleuant, miserè etiam præcipitant: verùm superiorum, magnatumque errores non sunt audaci lingua in vulgus disseminandi, sed cauto remedij studio, ei, qui mederi quiuerit, referendi. Non est bonus Christi discipulus, qui euulgat culpam, sed qui solicitat secretò medelam. Cùm Magdalena pretioso vnguento Domini pedes liuisset. Iudas magistrum, & mulierem obmurmurando accusauit: *Vt quid perditio hæc?* Matthæus omnes indignatos refert discipulos, sed Iudam solummodò hæc protulisse verba tradit Ioannes *cap.* 12. Vndè Hieronymus syllepsi Matthæum ait vsum fuisse, & pro vno plures referre. Ipsum vide in Caten. ad Matth. 26. Itaque Iudas fuit, qui mulieris pietatem obmurmurauit vti superfluam iacturam, & à Magistro humanè admissum obsequium delitiarum dixit studium. Quid tunc? Ab Apostolorum ipse se collegio expunxit, & à catalogo discipulorum deleuit: *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad Principes sacerdotum.* Qui obmurmurator, fuit proditor, & dum temerè adscriptam superiori culpam publicat, Apostolatu se exaugurat. Non potuit in Christi Collegio permanere, qui imprudenter ausus defectum præsumere, non est veritus euulgare. Notauit Chrysostomus in Catena Diui Thomæ ad Matth. 26. *Tum scilicet, quando hoc audiuit: quoniam prædicabitur hoc Euangelium vbique.* Vbi vidit imprudenter se iudicasse, & magistrum publicè sine causa arrosisse, rubore suffusus in grauius delirium incidit, & magistrum prodidit. Vt hinc discamus in quantas prolabantur miserias, qui confictas, aut veras superiorum euulgant culpas. Tutiorem nobis viam ostendit Abigail famulus; nam cùm inciuilem, asperumque erga Dauidis nuntios Nabal animaduertisset, vni Abigail, & quidem prudentissimæ, retulit, nec de hero, quantumvis rustico, & inciuili cum conseruis obmurmurauit: *Abigail autem vxori Nabal nuntiauit vnus de pueris, dicens: ecce Dauid misit nuntios de deserto, vt benedicerent domino nostro: & auersatus est eos.* Non exagerauit inciuilitatem, non rusticitatem multis verbis explicuit, sed satis pressè, & modestè dixit: *Auersatus est eos.* Audi Liram: *Præmittitur facti notificatio ipsi Abigail per vnum de famulis suis.* Consonat etiam Abulensis *quæst.* 6. *Quia vidit, quòd durè respondebat, putauit, quòd Dauid ex hoc iratus aliquid mali inferret. Nuntiauit illud Abigail, vt prouideret in hoc.* Verus, & legitimus zelus vni aperuit Abigail, & hoc, vt prouideret remedium, non vt sciret erratum. Itaque Nabal non euulgauit culpam, sed procurauit medelam.

Matth. 26. v. 8.

§. XIX.

Pauper cum vitæ subsidium accipit, grandi benedictione persoluit.

Pauper. Benedictio.

ELeemosyna cœlestis est pluuia, qua humana bona multiplicantur, & cœlestia etiam munera augentur. Stultus vocatur diues ille, qui bona se habere putabat: *Habes multa bona.* Cùm auarè concluderet, & pauperibus denegaret, honestè auarus esset, si pauperibus impertiisset, quandoquidem erat lucrosum fœnus exigua serere, vt copiosam messem colligeret. *Euidenter apparuit* (inquit Chrysologus *sermone* 104.) *qui latebat, quia à destructione incipit semper inimicus. Agit, agit, vt, quæ habes, destruas.* Vbi dæmon consuluit omnia capacioribus horreis auarè includere, studuit omnia labefactare. Ipsa auaritia erat tinea diuitiarum; reponebat stultus, vt asseruaret, sed seruabat, vt perderet. Dum latens inimicus eum inescabat auara cupiditate, ipsa destruebat cupidine. Nam pauperibus dilargita honesta fuissent diuitiarum augmenta; denegata vitæ, & diuitiarum existere ruina. Hanc veritatem præcalluisse videtur seruus, qui Abigail retulit Dauidis nuntios ad Nabal benedicendum venisse: *Ecce Dauid misit nuntios de deserto, vt benedicerent Domino nostro.* Profectò Dauid, vt peterent humiliter à Nabal aliquid ad famem solandam, misit: *Quodcumque inuenerit manus tua, da seruis tuis*; non ad benedicendum legauit: quomodò ergo hic famulus ait ad benedicendum missos? Quia egentis humilis postulatio (inquit Lira) est largienti copiosissima benedictio: *Vt benedicerent eum curialiter salutando, & eius beneficium humiliter petendo.* Profectò faustis, repetitisque imprecationibus Nabalem felicitabant, cùm ab eo vitæ subsidia requirebant. Imprecationes audi: *Sit fratribus meis, & tibi pax, & domi tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax.* Quæ magnis sumptibus emenda foret, ab indignis pax offertur, dum eleemosyna postulatur: ergo, vt benedicerent, aduentarunt, cùm ad postulandum venerunt. Consonat Abulensis *quæstione sexta. Dicuntur isti benedicere, quia quando petunt, imprecantur bona.* Christus Dominus, cùm potuisset denuò creare, & desertorum recessu indigentibus subuenire, quos Apostoli pro se habebant, panes accepit, & eorum manibus distribui voluit: *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces.* Hos panes penu Apostolorum fuisse tradit Chrysostomus in Catena: *Discamus autem hîc, qui voluptati attendimus, quæ comedebant mirabiles viri illi, & magni.* Ex quinque panibus cophini duodecim implentur, & Apostolis asseruantur. Et cur asseruantur Apostolis? Vt notum omnibus esset Apostolos sibi acquisisse dando, & multiplicasse sibi diuitias pauperibus succurrendo: Addiscimus *ex miraculo perpetrato* (scribit Theophilactus in Catena) *non fieri pusillanimes in coarctationibus paupertatis.* Ni panes indigentibus exhibuissent;

Luc. 12. v. 18.

Ioan. 6. v. 9.

quinque ſibi haberent; aſt, dum pauperum manibus ſerunt, cophinos duodecim ſibi recipiunt. Vt videas quantis incrementis redeat ad dilargientem indigenti præſtitum, & miſericorditer dilargitum: itaque ſupereſſe tantam reliquiarum copiam non ſolùm fuit ad euidens potentiæ Dominicæ teſtimonium, ſed ad reddendum eleemoſynæ debitum, nam eleemoſyna eſt ingenium incrementandi diuitias, & compendium promerendi benedictiones copioſas.

TEXTVS.

VERS. XV. & XVI. Homines iſti boni ſatis fuerunt nobis, & non moleſti, nec quidquam aliquando perijt omni tempore, quo fuimus conuerſati cum eis in deſerto: pro muro erant nobis tam in nocte, quam in die omnibus diebus, quibus pauimus apud eos greges.

§. XX.

Qui cum iuſtis conuerſatur, contrà irruentia pericula veluti muro defenditur.

Iuſtus. Periculum.

VT nocua eſt improborum conuerſatio, ſic iuſtorum ſocietas inuenitur ſaluberrima. *Quæris* (aiebat Hecaton apud Senecam *Epiſt. 6.*) *quid profecerim? Amicus eſſe mihi cœpi.* Adnectit Stoicus: *Multum profecit: nunquam erit ſolus, qui ſibi amicus eſt: ſcito hunc amicum omnibus eſſe.* Lipſius ſic verba commentatur: *Qui ſe amat, id eſt, bonum, ſapientemque facit, hunc & alios ſic amare.* Virtutibus excultus, & concinnis moribus expolitus in omnium viuit vtilitatem. Hanc veritatem Nabalis ſeruus teſtatus eſt. Nam cùm Dauid, eiuſque milites cum paſtoribus diù in deſertorum receſſibus commorati fuiſſent, non ſolùm non ſenſerunt aliqua detrimenta, ſed magna lucrati ſunt paſtores commoda, nam vrbana eorum ſocietate moleſtias laborum, ac temporum difficultates leuabant; immò, quas nocte agebant milites, excubiæ gregem tuebantur, ne quid auderent lupus, aut leo: [Homines iſti boni ſatis fuerunt nobis, & non moleſti; nec quidquam aliquando perijt omni tempore, quo fuimus conuerſati cum eis in deſerto, pro muro erant nobis tam in nocte, quàm in die.] Militum paſtores ſolitudinis leuabant tædium, & milites vtiliſſimæ ſocietatis paſtoribus exhibebant ſolatium. Notauit Lira: *Pacificè conuerſati fuerant cum paſtoribus Nabal, licet poſſint omni die accipere, quod habebant.* Adnectit: *Nec aliquando defuit eis quicquam: prædones enim non audebant illuc accedere timore ipſius Dauid.* Dauid ſocijque eius frænabant prædonum violentiam, & truculentam ferarum abigebant sænitiam: tot à bonorum ſocietate, conuerſationeque Nabali promanarunt commoda, tot vitauit grex detrimenta. Deus muſcæ miſeratus à tenebrarum regione ſibilo adnocare decreuit, & ne iterum ad immundiciem rediret, api coniunxit: [Sibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur, & venient, & requieſcent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum.] Et vndè muſcæ vanitulæ ſalubria amare latibula & quietis commoda? Iam retulit Propheta. Quia api coniuncta eſt: apis virgo, & munda fugit oculos, vt fragrantes condat fauos, paſcitur cæleſti rore non nutritur fœtida ſanie: ergo dum muſca api coniungitur, de eius conſortio didicit immunda fugere, & humanos oculos deuitare. Aptè Drogo Hoſtienſis de Sacram. Domin. paſſ. *Sibilat, & euocat eam de extremo fluminum, & iungit api, quæ erat in terra Aſſur. Apis virgo eſt.* Muſca quodammodò tranſit in apim, quia eius exemplo edocta didicit amare latibula. Adnectit Drogo: *Sibilante ergo gratia muſca, & apis conueniunt, & ſimul requieſcunt in torrentibus vallium.* O ambienda ſocietas, et qua tot muſcæ promanarunt vtilitates, dum exempli efficacia denudauit antiquos mores! Ergo, dum Nabalis paſtores cum Dauide conuerſantur, muro contra adſultus inimicorum teguntur: *Pro muro erant nobis.*

Iſai. 7. v. 18.

§. XXI.

Vt accipientis merita imminuunt denantis munificentiam, ſic denegantis exaggerant auaritiam.

HOnor beneficij promanat à gratia, *Beneficium* indè generoſitas dantis augetur; ſi eximium *Meritum.* recipientis meritum non conſpicitur. Nam dum, *Auaritia.* qui poſtulat, multis ornatur titulis, quod accepit, non tam videtur donum, quàm redditum. *Et admones, & rogas* (aiebat Plinius *Epiſt. 17.*) *vt ſuſcipiam abſentis Corellia cauſam contra C. Lælium Conſulem deſignatum. Quod admones, gratias ago, quod rogas, queror: admoneri enim debeo, vt ſi iam: rogari non debeo, vt faciam, quod mihi non facere turpiſſimum eſt.* Acceperat, vt in eadem epiſtola fatetur Plinius, à Corellia plurima obſequia, honeſtiſſima officia: ergo turpiſſimum ei eſſet non reſpondere, & gratitudinem infamare: ergo vt accipientis merita munificentiam imminuunt dilargientis, ſic ruſticam exaggerant tenacitatem negantis: quando turpiſſimum eſt denegare petenti, quod non tam videtur donum, quàm debitum. Miſerat Dauid nuntios ad Nabal, vt in modum ſupplicum quid ab eo ad leuandam inopiam vrbanè peterent, & quàm ciuiliter cum eius paſtoribus conuerſatus in deſertis fuiſſet, allegarent. Nabal durus, inciuiliſque antes clauſit, & inurbanè reiecit: ergo vnus ex eius ſeruis prudens futurorum coniector ad Abigail celeriter inuolauit, & quantis Dauid timilis, quod petebat, deberetur, expoſuit: *Pro muro erant nobis tam in nocte, quàm in die, omnibus diebus, quibus pauimus apud eos greges.* Adnectit de hero: *Ipſe eſt filius Belial, ita vt nemo poſſit ei loqui.* Acſi dicat: Nunquam apparuit ſelariùs dura Nabalis ruſticitas, ac ſtupida tenacitas, ac modò, cùm Dauidi, cui tot tantaque debebat officia, exigua deneganti xenia,

xenia. Ita Abulensis *quæst. 6. Pro muro erant nobis, id est, erant tanquam murus circundans gregem per noctem, & diem, & defendens tam ab hominibus, quàm à feris.* Feræ non audebant gregem inuadere, prædones non tentabant surripere, & hoc totum ob Dauidis vigilantiam, & prouidentiam: ergo summa erat rusticitas, & tenacitas Dauidi adeò de Nabale merito denegare munuscula, & obsurdescere ad vota. Cùm Reges aquæ penuria laborarent, & ad Elisæum tanquam ad calamitatis leuamen accurrerent, sic Regi Israel respondit: *Si non vultum Iosaphath Regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Acsi dicat: Iosaphath multis est nominibus suspiciendus, cùm Sacrificij matutini expensas exoluat, & sedulam religionis solicitudinem gerat: ergo ei, quod postulat, denegare rubori mihi esset, quandoquidem officioso, dignoque petita, debentur, & denegare, esset contra me lingnas ascisscere. Ita Lira: *Si non vultum Iosaphath Regis Iudæ erubescerem, denegando sibi petitionem suam, cùm sit fidelis, & deuotus.* Itaque apparere timuit inurbanus, si merenti denegaret postulata, nec gratificaretur obsequia: ergo summa Nabalis apparuit rusticitas, & tetricitas; quando, cui tanta debebat beneficia, denegauit vitæ alimenta.

4. Reg. 3. v. 14.

§. XXII.

Christi Domini, sanctorumque imagines nobis sunt secura profugia, & salubria munimenta.

Simulacrum. Munimentum.

PRincipibus vrbanè adulata antiquitas eorum imagines insculpsit nummismatis, vt salubre commercium non tam materiæ adscriberetur valori, quàm rectoris imagini. Lepidè Cassiodorus *6. variar. 7.* [O magna inuenta prudentum! O laudabilia instituta maiorum! vt & imago Principum subiectis videretur pascere per commercium, quorum consilia inuigilare non desinunt pro salute cunctorum.] Imago per commercium pascebat, indèque subiectis emanabat commodum, vndè elucebat Principis simulacrum. Quodsi humani Principis vtilitatem imago afferebat, quanta existimas à Christi Domini, eiusque sanctorum imaginibus promanare incrementa, & contra adsultus aduersariorum auxilia? Certum est Dauid Christi Domini gessisse imaginem, vt in agrestibus, sæuisque feris adumbrari sæpissimè dæmonem. Ergo audi quid Nabalis seruus dicat: *Pro muro erant nobis tam in nocte, quàm in die omnibus diebus, quibus pauimus apud eos greges.* Nihil de gregibus testatus est perijsse, quia Dauid, eiusque socij veluti inexpugabili muro grex cinctus, & contra insidias noctium protectus. Cùm desertum illud, vt Abulensi, Interpretibusque placet, truculentis, rapacibusque feris exundet, quærunt Interpretes, qui fieri potuerit, vt leo audaci sæuitia nil tentauerit, nec verax lupus rapuerit? Respondentque ad Dauidis, eiusque satellitij conspectum feras extimuisse, nec stimulante adhuc fame aliquam irruptionem tentasse: nam cùm Dauid Christi Domini, & socij sanctorum essent imagines, muri ad instar tuebantur non solùm pastores, sed greges. Ita Lira: *Gregem securè seruauerant à feris, & prædonibus.* Christi imago leonis frangebat audaciam, virorum sæuitiam, & Nabalis pastores, gregesque veluti inexpugnabili muro quiescebant cincti, quia Christi, eiusque sanctorum imaginibus erant protecti. Moyses desertorum recessibus oues curans animaduertit inualidum rubum ardentissimis flammis impetitum non lædi: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Quò viuidior flamma rubum impetebat, floridior rubus vernabat: desæuiebat flammæ nimia voracitas, sed cohibebatur duro fræno, & rubus seruabatur inuicto muro. Quodsi inquiras, vndè & flammis obstaculum, & rubo securum adeò munimentum? Respondebit Philo lib. de vita Mosis adfuisse ibi Dei imaginem, ad cuius conspectum & rubus integer seruabatur, & flamma auida coercebatur. Accipe Philonem: [E medio promicabat forma quædam pulchertima nulli visibili similis, diuinum simulacrum luce fulgens clarissima, vt suspicari possit Dei esse imaginem.] Frutex inualidus à radicibus impetebatur correptus, manebat tamen non solùm integer, sed floridus, quasi non esset incendij materia, sed fœcunda aleretur vnda; vt notum omnibus fuerit sanctorum simulacra esse validissima contra discrimina tutamenta. *Pone me* (aiebat sponsus) *vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum:* Cùm immediatè egisset de Euæ lapsu ob serpentis astutiam, hæc verba subiunxit. Iam si inquiras, quid hoc in signaculo esset ad serpentis eludendas technas, & detriumphandas fallacias? Respondebit in Collectis Ambrosius, ibi sponsi vti in sigillo apparere imaginem: ergo signaculo armari edocuit, quia contra serpentem mira erat ei efficacia, & salubris energia. Ambrosium accipe: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt sigillum in brachium tuum.* Adnectit: *Infige ergo pectori tuo, & cordi tuo hoc signaculum crucifixi, infige & brachio tuo, vt opera tua peccato mortua sint.* Acsi dicat: Serpens ausus est fraudis euomere venenum, quia in Eua conspexit hominis simulacrum, dictum namque est: *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Ergo in te crucifixi simulacrum conspiciat, quo quasi excantatus, & effumigatus non solùm non audeat, sed ad latebras obscuras, vt delitescat, effugiat. Itaque imago crucifixi in brachio inexpugnabile erat scutum, quo serpentini ictus retundebantur, & adsultus frustrabantur. Vt noueris quantum animæ, corporisque vtilitatis accrescat à Christi Domini, & sanctorum simulacaris, & simulacrorum tutelis:

Exod. 3. v. 14.

Cant. 8. v. 6.

Gen. 2. v. 18.

§. XXIII.

Heroicæ est virtutis elogium stimulante fame continuisse ab illicitis manum.

Fames. Virtus.

Paupertas (aiebat Eurypides in Bellerophon) *mala docet hominem vi necessitatis.* Si homines saperent, paupertas esset diligenda, vtpotè philosophiæ magistra. Vndè Diogenes, vt refert Stobæus *cap.* 95. *paupertatem dicebat subsidium esse ad philosophiam spontè dictum. Nam quæ Philosophia verbis persuadere conatur, ea paupertatem in ipsis rebus cogere.* Philosophia edocet modestiam, abscindit luxum, & vetat superbum fastum: ergo quod philosophia multis suadet verbis, paupertas secum affert animo beneuolo excepta, & generosa indole exculta; verùm si amor corporis vigeat, si tumor superbiat improba secum paupertas affert consilia, vndè à poëtis dicitur male suada. Qui cum paupertate conuenit, dives est, qui non conuenit, grande secum malum habet. *Paupertas* (aiebat Seneca *Epist.* 123.) *nulli malum est, nisi repugnanti.* Sed ne repugnemus, magna virtute opus est. Magnus est, qui quod non habuit, non desiderando suppleuit. Magnus est, qui sibi indicit tolerantiam, & stimulantis famis obsurdescit ad querelam. Nabalis seruus, vt Dauidis, eiusque sociorum virtutem sumptuosius exaggeraret, nihil è gregibus defuisse asserit, cùm sæpesæpius in desertorum recessibus exerrarent famelici, & opportuna occasione ad subripiendas oues inuitati: *Homines isti boni satis fuerunt nobis, & non molesti, nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conuersati cum eis in deserto.* Quis crederet milites ad Martia bella semper intentos, & sæpè ardentissima fame vexatos eam morum custodisse semper mensuram, vt maluerint inopiæ sustinere tormenta, quàm iniqua pollui rapina? Dum seruus nihil perijsse affirmauit, heroica Dauidem, eiusque milites virtute resplenduisse compendio ostendit: est enim difficillimum habere ad manum vitæ alimentum, & famis adurgentis non audire consilium. Prodest Abulensis *quæst.* 6. *Nunquam fuerunt nobis molesti accipiendo aliquid de grege, vel irrogando nobis aliquas iniurias, pro quo grates magnas merebantur, quia difficile erat, vbi manebant tot viri bellatores, & inopes, quòd non læderent gregem, sed non læserunt: ergo ex magna virtute prouenichat.* Ea Dauid milites suos disciplina continebat, vt opportunæ occasioni non cederent, nec querelas famis audirent. Tobiæ innocentia, eximiaque virtus enituit, dum ad summam egestatem redactus, cum balantis hædi vocem audiret, si fortè non benè adquisitus esset, reddi Domino seriò iussit: *Videte, ne fortè furtiuus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Expertus erat probos vxoris mores, videbat tamen egere: ergo etsi non credidit, hædum furtiuum præsumpsit, maluitque fame aduri quàm ad aliena manum extendere. Suspicione, quam fames malè suadeat, declarauit: contingere vetans, quanta emineret virtute, aperuit. Notauit Ambrosius apud Glossam: *Ne quid furtiuum domum suam intraret, cauebat.* Ipsa cautela famis cæcam indicabat audaciam, & eximiæ virtutis ostendebat disciplinam, quandoquidem rarum prodigium erat malle sustinere, quàm famem culpa solari.

Robiæ 2. v. 2.

TEXTVS.

VERS. XVII. Quamobrem considera, & recogita quid facias: quoniam completa est malitia aduersus virum tuum, & aduersus domum tuam, & ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.

§. XXIV.

Qui improbis inseruit dominis, magnis se exposuit periculis.

Seruus. Dominus. Periculum.

SEruis modestè imperare laus est: non est cogitandum quantum possis impunè contra seruitia, sed quantum tibi permittat ratio, & æquitatis mensura. Non est adeò luctuosa seruorum conditio, si libertate dispolientur, quàm si improbos, & inhumanos heros fortiantur. Quid esse potuit miserabilius, quàm Vedio Pollioni famulari, cuius inhumanitas redundabat in seruos, & qui inseruiebant, vt vitam alerent, amittebant vitam quia inseruiebant. Audi Senecam lib. de Clementia *cap.* 18. *Quis non Vedium Pollionem peius oderat, quàm serui sui, quod murænas sanguine humano saginabat, & eos, qui se aliquid offenderant, inviuarium* (quid aliud quam serpentibus) *obijci iubebat? O hominem millemortibus dignum! siuè deuorandos seruos obijciebat murænis, quas esurus erat, siuè in hoc tantum illas alebat, vt sic aleret!* Quàm infelices fuerunt illi serui, quorum sanguine parabat sibi delicias, aut castigabat offensas? Inseruiebant, vt vitam alerent, sed improbum, & inhumanum sortiti dominium serpentum morsibus disperibant lacerati, aut acerrimo metu afflicti. Fortunati fuere illi serui, qui dolent tardiùs in domini potestatem veniisse & gaudent vel tardiùs faustam adeò sortem comparasse. *Nobis propositum est* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 43.) *Deo iuuante sic vincere, vt subiecti se doleant nostrum dominium tardius acquisisse.* Dolet seruus tardiùs acquisisse Dominum, cuius tutela securus, cuius prouidentia altus, cuius exemplo virtuti addictus. Profectò qui domino inseruit malis moribus corrupto, infortunatissimus est, nam quidquid deliirant domini, plectuntur serui, & dum improborum subeunt iugum, non solùm malis moribus corrumpuntur, sed acerbis etiam casibus afflictantur. Cùm Nabal Dauidem rusticis, iniuriosisque verbis exasperasset, ardentem adeò in se, totamque domum, concitauit indignationem, vt jam serui extremam sibi doleant imminere perniciem: *Completa est malitia aduersum virum tuum, & aduersum domum tuam, & ipse est filius Belial.* Acsi dicerent: Cùm Nabal Dauidem exasperarit inurbanus, & rusticus, nostro sanguine culpa expiabitur, aut dura à nobis pœna expetetur. Verùm dixit; decreuerat namque Dauid non solùm de Nabale vindictam sumere, sed ad seruos etiam extendere: *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent, vsque mane.*

Ecce

Ecce serui morti addicuntur, non propria culpa, sed stulta dominantis superbia: si benè morato inseruirent, à periculis longè distarent; at inseruientes procaci, & auaro, extremo adurgebantur periculo. Prodest Lira: *Quoniam completa est malitia aduersus virum tuum, & aduersus domum tuam, id est, in omnes nos redundabit istud malum, quamvis simus innoxij.* Olim decretum erat, vt si non spes esset libertatis, confugere posset seruus ad melius moratum, & clementiorem dominum, & quidem decretum æquitati satis erat consonum; nam, cùm cuique vitæ periculum liceat effugere peruersus non cogebatur dominos sustinere, quandoquidem eiusmodi dominis famulari est periculum frequenter subire. Ita Plutarchus de superstitione: *Est etiam seruitio lex, si quando spes est libertatis abscissa, vt distractionem postulent, & ad dominum migrent clementiorem.* Durus, & sæuus vti iumentis, seruis vtitur, insolens, & inurbanus, dum plurium inflammat iram, & manus armat, familiam discrimini obiectat: pientissimus ille pater iunioris filij improbos mores digno supplicio castigarit, dum inseruire domino inhumano adeò, & crudeli permisit, vt non solùm inseruiens famis non inueniret solatium, sed adderet etiam nuditatis tormentum: *Adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Cænoso pecori addicebatur, vt eius erroribus tereretur, & qui inseruiebat, vt aleret vitam, mortem sibi maturabat, & duriores famis morsus sustinebat. Notauit satis diserè Chrysologus *serm. 1. Sic inuenit, qui se negat patri, qui se committit extraneo, vt sentiat seuerum iudicem, qui fugit indulgentissimum prouisorem. Affectionis desertor, pietatis refuga deputatur pœnis.* Seuerum iudicem pater egit, cùm improbo seruire permisit. Quid enim infelicius, quam diù, noctuque indecoris ministerijs addici, & fame semper vrgeri?

Luc. 15. v. 15.

§. XXV.

Qui aliorum mores abrosit, qui abroderet suos, inuenit.

OBmurmuratio aliquod affert oblectamentum, sed adsciscit etiam periculum: nunquam obmurmuratori deest alius, qui eius mores abrodat, & lingua feriat. *Ipsos Quirites, ipsum vernaculam septem collium plebem conuenio* (aiebat Tertullianus in Apologetico *cap. 35.*) *an alicui Cæsari suo parcat illa lingua Romana?* Lingua nulli parcit, quia obmurmuratione oblectatur, & garriendo infaustam sibi voluptatem comparare adnititur: Verùm, vt septem collium plebs olim Tyberim, & bestiarum schola passa est, quia audaci lingua magnatum honori detraxit, sic non dissimiles vereri debuisset pœnas, quisquis nec famæparcit, nec honori. Profectò qui obmurmuratores, detractoresque Tyberis fluentis tradebant penitus absorbendos, aut bestijs citissimè deuorandos, edocuerunt huius nocentissimæ pestis omne prorsus vestigium, & quàm celeriter, ab humana consuetudine fore exterminandum, & ab humanis conspectibus repellendum. Et quidem Dauid mansuetudine eximius, vbi agnouit Nabalem eius genus obscurasse, moresque sine vlla causa abrosisse, armatam produxit manum, vt extremum rustico inferret supplicium. Ita seruus retulit: *Completa est malitia aduersus virum tuum, & aduersum domum tuam*, id est, maledica Nabalis lingua dignas pœnas exoluet, & mortem ob garrulitatem citissimè incurret: & quidem, ni prudentissima Abigail tempestiuè occurreret, Nabal stultitiæ suæ pœnas seuerissimas daret. Nec solùm effrænis lingua sibi conciliat periculum, sed frequenter simile patitur detrimentum. Maledicentia maledicenti lingua punitur, & obmurmuratio obmurmuratione castigatur. Audisti quid Nabal contra Dauidis mores effutierit: *Quis est Dauid, & quis est filius Isai?* audi, quid seruus contra Nabalis mores verius, certiusque asseuerauerit: *Ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.* Esse filium Belial infamiæ adscribebatur, & notæ: ergo audiuit pejus, qui linguam exacuit. Innuit Caietanus: *Hebræo more appellatur filius Belial (hoc est, licentiæ absque iugo) qui quasi congenitam habeat libertatem à iugo legis.* Dixerat Nabal Dauid, eiusque socios dominorum iugum excussisse: *Hodiè increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos.* Et jam de ipso dicitur, nullum legis iugum admittere, & æquitatem omnem violare: nec enim potuit non pati contra suos veracem linguam, qui contra Dauidis mores stultam obmurmurationis effutiuit audaciam. Aaron etiam, dum contra fratrem linguam exercet, quasi superbiæ tumore se efferret, & anteire omnibus exambiret: *Num per solum Moysem loquutus est Dominus? Nonne & nobis similiter est locutus?* Passus est multiplices linguas, quæ eum vti ambitus flammis adustum, & superbiæ vento inflatum sugillarent, nec clam solùm, sed publicè abroderent: *Cur eleuamini super populum Domini.* Contra Aaronem obmurmurasse expressit Textus: *Quid est enim Aaron, vt murmuraretis contra eum.* Itaque Aaron linguas tulit, quia contra Moysem linguam armauit. Prodest Oleaster hic ad mores verba Chorè referens *Aaron tulit Sacerdotium meum.* Ei impingitur superbiæ, ambitionisque crimen, vt qui fratris mores non timuit audaci lingua denigrare, plures sustineret, qui eius mores publicè adniterentur abrodere.

Num. 12. v. 2.

Num. 16. v. 3. & 11.

Detractio. Obmurmurans.

§. XXVI.

Vt plurimum iustorum sugillant famam qui morum nesciunt custodire mensuram.

DE iniquis agens Psaltes aiebat: *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.* Adiungit: *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Acsi dicat: Ipse Deus omnis sanctitatis fons, perfectionis idea non est immunis à maledicis linguis, vt nec etiam sancti, qui licet veluti astra omnigena morum concinnitate resplendeant in terra, patiuntur, eorum lucem innubilantes procaciissima audacia; sed quorum impetantur linguis opus est animaduertere, eorum scilicet, quorum iniquitas in modum adipis adaugetur, & adipatur. *Per cœlum* (inquit Euthymius) *Deum intelligit, qui in cœlis habitat:*

Psal. 72. v. 7. & 9.

Iustus. Linguax.

habitat : per terram verò homines in ea commorantes : ac ſi diceret : Os ſuum blaſphemantes aduerſus cœleſtem Deum mouerunt, & lingua eorum ſimiliter aduerſus terrenos homines deſeuijt. In modum gehennalis flammæ omnia iniquorum lingua deuorabat, quin iuſtis immò ipſi Numini parceret, aut deteſtandam maledicendi voluptatem reprimeret: vtilius tamen, & honeſtius eſt, ab his maledici, quàm laudari; nam ab iniquo profecta laus non tam videtur virtutis elogium, quàm ſimilitudinis indecorum indicium. Ecce Dauid abroditur, impudenterque ſugillatur: *Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſai?* Sed à Nabale ruſtico, & moribus depranato: *Ipſe eſt filius Belial, ita vt nemo poſſit ei loqui.* Quis niſi Nabal omnis æquitatis corruptor, & legis præuaricator Dauidem eximijs virtutibus prælucentem infamaret, & mores concinnos adeò morderet? Sumptuoſum erat elogium odio à Nabale haberi, & ſerpentina eius lingua dilacerari, quandoquidem obmurmurantis iniquitas Dauidis mores, dum audaciùs abrodebat, ſuptuoſius præter opinionem laudabat. *Hebræo more* (inquit Caietanus) *appellatur filius Belial (hoc eſt, licentiæ abſque iugo) qui quaſi congenitam habet libertatem à iugo legis.* Homo exlex, ruſticus, barbarus Dauidem obmurmurando extollebat, denigrandoque commendabat. Dan in via coluber, ceraſtes in ſemita dentes exacuit, & equi aſcenſorem momordit: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò.* Communi gradientes via audaces linguæ abrodunt, quos ſtrictiorem aſpiciunt ingreſſos ſemitam, quia à terrenis longius recedentes, plus ſæculi ſectatores confundunt, peſtilentiore dente infamare diſcupiunt: ergo peſtifero dente ſanctorum mores infamantes ſibi ſtultè quærunt ſolatium, & luori blandiuntur tetrum euomentes venenum. Qui arctiorem ſemitam eligunt, mordentur, ſed à colubro maledicto, à ceraſte lethalibus venenis infecto. Notauit Gloſſa Interlinearis: *Ceraſtes in ſemita eis ſcilicet, qui per anguſtam viam ad patriam tendunt.* Plures, ſi euanidis rebus animitus renuntiarint, vt expeditiùs virtutis ingrediantur viam, arctiorem paupertatis, caſtitatis, obedientiæque ſemitam linguaces ſuſtinent: contra hos colubri ſibilant, hos ceraſtes infeſtant. Et nota non mordere jam ſuſtinentem miſerum caſum, ſed velocem arripientem curſum. Sunt namque plures tetris inuidentiæ flammis adeò aduſti, vt ſi alios videant altiùs eleuari, eorum proſperos adnitantur impedire ſucceſſus, & dolis ſolicitent caſus; culpas confingunt, aſtuta malignitate in vulgus ſpargunt, & hoc totum, non quia ceciderunt prolapſi, ſed, vt iniquo rumore ſordidati, cadant à dignitatum culmine excluſi: itaque mentiuntur caſum, vt æmuli retardarint progreſſum. Nabal Dauidis mores infamat, ſed perterſus odij cæcitate in ſuffragium impingit, & quàm ſit diſſimilis vita oſtendit.

Gen 49. v. 17.

§. XXVII.

Peccatores, dum proximiores periculis, ſalubribus obſurdeſcunt plus monitis.

VVlgus hominum (aiebat Orphæus in Præfat. de lapid.) *ſimile feris, indoctumque* Peccator. Periculum. *mentis indigentia diuinæ, neque ad conſilium diuinum ſplendens mortalibus fugit ex malitia.* Vt lethale ſcorpionis venenum, quo altius ſauciauerit plagam, grauiori ligat etiam ſenſus torpedine, & infatuando prudentiam, affert ſecum non rarò inſaniam; ſic ſcelera depranata rationis vi cæcitatem afferunt, & de mentis arce præcipitata prudentia delirium nutriunt. Fatui, delirique tunc ſe iactant fortunatos, cùm eos dolemus miſerrimos. Quodſi ad rationem velis reducere, te inſanum ridebunt, & ſubſannabunt. Monebis vitæ periculum imminere, cunidis prorſus inniti, colligere vaſa oportere, ſed ſurdi non audient, aut inſani deſpicient: horum grauius periculum non eſt ægrotare, ſed medicamenta reſpuere. Nabal ſtultorum idea ſic Dauidis contra ſe indignationem audaci lingua concitarat, vt inuolaret armatorum copia cinctus, & ruſtici, ac barbari ſanguine dignam ſumeſe vindictam paratus: *Completa eſt malitia aduerſus virum tuum, & aduerſum domum tuam.* Exiſtimares ſanis aures præbiturum conſilijs, vt tot imminentibus occurreret malis; verùm tunc ſtudioſiùs obſurdeſcebat, & ſalubria audire monita pertinaciùs detrectabat: *Ipſe eſt filius Belial, ita vt nemo poſſit ei loqui.* Aliquod eſſet calamitatis remedium, ſi ſalubria audiret monita, & opportuna ampliceretur conſilia; verùm ſic malitiæ veneno torpebat infectus, vt omni quodammodò ſalubri ſenſuum iaceret vſu priuatus. Tunc Nabal ſtudioſius renuit edoceri, cùm completa jam malitia grauiſſimis agnoſcebatur periculis promare. Notauit Caietanus: *Non abſolutè appellatur Nabal abſque iugo, ſed quoad hoc, quod non poteſt quis ei loqui, hoc eſt, renuit audire bonas ſuggeſtiones.* Si audiret, periculis obuiare potuiſſet prouidus; verùm ſic malitiæ, inſipientiæque morbo laborabat, vt ad ſalubria conſilia prorſus obſurdeſceret, & periculum deſpiceret. Pharao, etſi ambitione cæcus, & cupiditate præpeditus ad Moyſem recurrebat, & humillimis precibus remedium calamitatibus impetrabat: verùm, vt in diem eius excreuit malitia, excreuit etiam inſania. Moyſem à ſe prorſus remouet, & ne eius oculos iterum ſubeat, ſub grauiſſimis pœnis iubet: *Recede à Exod. 10. me, & caue ne vltra videas faciem meam.* Tunc, v. 28. ne audiret, repulit, & omnem ſibi opem imprudenter præcidit, cùm nullum ei aliud eſſet effugium, & calamitatis remedium. Expende ſe tunc duriorem exhibuiſſe, & Moyſis monita ſolicitius detrectaſſe, cùm vna ſola plaga reſtabat, & primogenitorum mors appetebat: vt compertum fuerit peccatores, quò plus vrgentiſſima ſuſtinuerunt pericula, obtorpeſcere plus ad remedia. Huc voco Philonem de Pharaone agentem lib. de Temulentia: *Moyſes decantat eorum exitium deletorum, priùs*

priùs quàm ipsi sibi possint succurrere, & propriis opinionibus absorptorum tanquam fluctibus. Expressiùs Abulensis ad hunc locum : *Inhibuit ei Pharao, ne appareret coram eo, id est, quòd non veniret ad dicendum ei aliquid ex parte Dei, sicut facere solitus erat.* Cùm distantius erat periculum, Pharao aures non prorsus occlusit, cùm iam erat in confinio, obstinatè denegauit. Nam tunc peccatores in sceleris pœnam plus salubribus obsurdescunt monitis, cùm vrgentioribus proximauere periculis. Expendit acute Origenes *homil. 4. in Exod.* impiorum mortem tenebras anteisse : *Hic v. 22.* *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti.* Quàm calamitosa fuit mors, quàm antecesserunt tenebræ, & quàm illæ tenebræ erant indubia præsagia, quod manerent Ægyptios intoleranda supplicia. *Nona plaga tenebræ sunt* (inquit Origenes) *vt mentis eorum cœcitas arguatur.* Qui luci oculos studiosè clauserunt, passi sunt horribiles trenebras, vt iam videre nequirent, qui carere oculis affectarunt, & tenebras dilexerunt. Nabal nullis monitis aures permittit : *Ita vt nemo possit ei loqui*, & cùm Dauid iusta indignatione inuolabat ardentior, obsurdescit ipse obstinatior.

§. XXVIII.

Peccatores sic euanidis rebus addicuntur occupati, vt animæ salutis videantur prorsus obliti.

Peccatores. Anima. Obliuio.

Sic homines tempus terunt in euanidis rebus tractandis, & commodis adaugendis, vt nullum relinquant spatium, quo ad saniorem se mentem reducant, aut sapientes audiant. *Nunquam* (aiebat Seneca *epistola septuagesima secunda*) *non succedent occupationes nouæ : serimus illas : itaque ex vna exeunt plures : deinde ipsi nobis dilationem damus. Cùm hoc peregero, toto animo incumbam : & si hanc rem molestam composuero, studio me dabo. Non cùm vacaueris philosophandum est. Omnia alia negligenda, vt huic assideamus.* Iniusti rerum æstimatores philosophiam, hoc est, virtutem, & in virtute solertiam loco vltimo collocamus, & rebus nullius, aut exigui momenti tempus impendimus. Nobis ipsis imponimus, spondentes à negotiis nos substracturos, & virtutibus addicendos, cùm occupationes seramus, & quotidie multiplicemus. Animæ studium loco vltimo ponitur, cùm alia omnia essent præcidenda, vt huic solicitudini nos traderemus expediti, & attenderemus solida, & salubria prouidi. Quid vtilius Nabal, quàm stultitiam suam exuere, sibique consulere, verùm adeò in ouium tonsura erat totus, vt nec domestici tempus inuenirent opportunum, vt ei periculum quirent denuntiare, nec remedium opportunum consulere : *Ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.* Et cur non poterat seruus loqui ? Quia Nabal ouium tonsioni sic deditus, & in parando tonsoribus quasi regio conuiuio sic occupatus, vt nullum tempus suppeteret, quo seruus aditet, & variis distractum occupationibus admoneret. Et expende quale fuerit conuiuium : *Quasi conuiuium Regis*, & quibus : *Tonsoribus meis.* Oues denudabantur, & diuitiæ profundebantur. Totus erat Nabal in dispoliandis velleribus, in disponendis calicibus : ergo non permittebat tunc de rebus aliis agi, nec vtiliora admonentem accedere. Innuit noster Sanctius : *Accessit extremus malitiæ cumulus, neque videtur vlterius differendum esse supplicium, quod tanta viri intemperies accersit, neque eius esse ingenij hominem ferocem, & stolidum, vt proponi illi, aut ab illo sperari possit aliquid opportunum.* Sic superbiebat stolidus, vt tenaciter suam tueretur sententiam, nec rationis attenderet efficaciam ; sic se totum dederat ouibus detondendis, & conuiuiis regiis rustico tonsori parandis, vt ad alia prorsus obsurdesceret, nec tractari permitteret : ergo nullus ei poterat loqui, quia totum tempus cupiditati, voluptatique constabat impendi. Elias sibilum auræ tenuis percipit, & egressus ad speluncæ ostium obedire Domino exambit : *Post ignem sibilus auræ tenuis, quod cùm audisset Elias, operuit vultum suum pallio.* Confer tenuem hunc sibilum cum valido illo, quo moriens Christus muscam, & apim vocauit : *Et erit in die illa : Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ est in terra Assur.* Et cur Eliam forti sibilo non vocat, aut apim, & muscam leni ? Si Elias præbet aures, & apis aures præbebit, & si Elias obsequitur imperanti, musca, & apis obtemperabunt etiam iubenti. Quæ ergo discriminis causa est ? Quia musca (inquit Drogo *de sacrament. Dominicæ Passion.*) sic in conquirendis Ægyptiis voluptatibus occupata ; sic apis superbiæ, & fauorum studio dedita, vt mirum fuerit præualidum sibilum, audire, & ab eis se occupationibus explicare. *Sic Mariæ Magdalenæ sibilasti, de qua non vnum, sed septem Ægypti flumina eiecisti.* Tempus omne insumebat Magdalena in concinnandis calamistro capillis in colliniendis oculis, & exornandis mentita pulchritudine genis : ergo grandi sibilo opus fuit, vt alicui Christi concioni adstaret, & morigeras aures præberet. Non erat opus grandi sibilo, vt Elias, dum contemplationi vacabat, auribus vteretur, sed cùm se totam superbo fastui, & deflendis posteà voluptatibus impenderet Magdalena, nec attendebat aliud, nec prænidebat periculum. Prudenti Nabalis seruo non concedebatur tempus, vt ei opportunis monitis consuleret, & periculum denuntiaret, quia totum hominem, & tempus totum ouium vendicabat detonsio, & superflui conuuij instructio.

3. Reg. 19. v. 12.

Isai. 7. v. 18.

§. XXIX.

Distare nequit ruina, quando homo inuenitur in euanidis prodigus, & indigenti solùm auarus.

Prodigus. Auarus. Periculum.

Cvm parcitas, prodigalitasque implacabiles intra se inimicitias gerant, aliquando eodem in pectore concordarunt. Homo tenacissimus diuitias prodigit largus, & homo aliàs generosus tenacissimè inuenitur auarus. Voluptati, vanitatique nihil auarus solet denegare, cum alienæ inopiæ, indigentiæque nec obolum sciat porrigere. *Diogenes à quodam prodigo minam petiit* (refert Stobæus *capite 15.*) *quo mirante, quod ab ipso minam, ab aliis tres obolos tantum rogaret : iterum me ab aliis*

respondit Diogenes, accepturum spero: abs te autem nunquam posthac amplius. Mirum erat, si indigenti Diogen, qui bona sua dissipabat imprudenti vanitate, minam largiretur semel, etiam adhibita in futurum cautione. Idem erat prodigus, & parcus, Diogeni auarus, vanis sumptibus generosus. *Crates diuitum, & prodigorum pecunias* (refert ibi Stobæus) *ficubus, quæ in præcipitiis nascuntur comparabat, quibus homines non fruuntur, sed corui tantum, & milui, vt prodigorum opibus scorta, & parasiti.* Magnates, Principesque parasitis magnis muneribus gratificantur ineptias, famulorum neque exiguis reculis leuare volunt inopias, & quidem sibi conciliant calamitatem, quo possent corporis, & animæ elucrari salutem. Completam (ait famulus) contra Nabalem fuisse malitiam: *Completa est malitia aduersum virum tuum.* Et cur eo die completa? Quia conuiuium regium instruxit tonsori, & vel cibarium panem denegauit Dauidi: *Ecce erat ei conuiuium in domo eius quasi conuiuium Regis.* Tonsoribus erat regium conuiuium, Dauidi probrum. *Quis est Dauid, & quis est filius Isai?* Vt vidit famulus tantas diuitias in obsequium vanitatis profundi, & Dauidi Christi Domini imagini vel panis frustum ad famis solatium denegari, prudenter coniecit domus ruinam, & Nabali infligendam durissimam pœnam. *Iste puer* (inquit Abulensis *quæst. 6.*) *erat præsens, quando viri Dauid petierunt aliquid à Nabal, & quia vidit, quod durè responderat, putauit, quòd Dauid ex hoc iratus aliquid mali inferret.* Malitiæ nomine pœnam intelligi docent Interpretes: ergo prudens famulus ait, non posse distare durum supplicium, vbi homo tenacissimus, & parcus ad instruendum tonsoribus conuiuium ostentabat se generosum, & erga tonsores generosus, erga Dauidem de Republica benemeritum exhibuerat se nimis parcum. De collucenti purpura transiuit ad flammam diues ille, qui denegabat inopi, quod prodigè proiiciebat obeso cani: *Homo quidam erat Dives, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè, & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.* Si panis dedisset pauperi micam, fortè etsi opipara frueretur mensa, vitasset flammam; forsitan vitaret flammam pauperi auarus, ni adeò parasitis, & canibus prodigus; at durissimum sibi maturauit supplicium, dum nec parcus vanitati, nec liberalis inopi. *Tantum* (aiebat Chrysologus *sermone 121.*) *pompæ immobile sepulchrum, in quo pietatis totus vtique, & visus defecerat, & auditus.* In diuite viuebat pompa, iacebat misericordia sepulta: ergo, quo morbo fuerit correptus non dicitur, vt tam auaritia, quàm prodigalitate sibi mortem maturauisse agnoscatur. Igitur sapienter seruus coniicit Nabalis ruinam: *Completa est malitia aduersum virum tuum*, quia tam mensæ pompa, quàm erga pauperes auaritia indubia vicinæ calamitatis præsagia, immò argumenta certissima.

Luc. 16. v. 19.

§. XXX.

Seruus prudens, & benè moratus magnum domino lucrum, malè moratus luctuosum semper naufragium.

Seruus. Dominus.

QVàm iucunda res est seruis (scribit Eurypides in Helena) *bonos dominos nancisci, & dominis seruum benevolum in ædibus.* Commune est proloquium tot nos habere hostes, quot seruos; verum falsissimum est; nam qui benè moratos, & prudentes famulos sortitus est, humiles habet amicos, qui pro eius salute periculis subiiciant, & amicorum leges pertinacia laudabili colant. Audi datum iam Eurypidem: *Ego sanè licèt seruus sim, idque à natiuitate, verumtamen inter eximios numerandus seruos, nomen quidem non habeo liberum, sed animum.* Erat seruus conditione, sed animi liber ingenuitate. Non dubito aliquos seruos fastidium dominis parere, dum se ostentant sciolos, & ob præsumptam prudentiam garrulos: *Molestus mihi seruus est* (aiebat Menander apud Stobæum *cap. 62.*) *qui altius famulo sapit.* Famulus obedire debet, non disputare, nec se negotiis conditionem excedentibus ingerere; vt etiam Dominus tenetur adinstar brutorum seruos non tractare, nec limis semper aspicere. Aliter qui coram Domino muti, de Domino malè loquuntur exasperati. Ecce Nabalis seruus, quia coram domino premere labia coactus; malè de domino cum sola tamen Abigail est loquutus: *Ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.* Seruus coram domino tacebat, sed de domino obmurmurabat. Vt noueris quàm verum sit, quod aiebat Seneca *epist. 47. sic sit, vt isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet.* Verùm cum hoc seruo in gratiam reuertamur, quandoquidem cum sola domina de hero loquebatur, non, vt eius insuscaret famam, sed vt, quam prudenter verebatur, antecuertere posset ruinam: *Quamobrem considera, & recogita quid facias, quoniam completa est malitia aduersus virum tuum.* Felix fuit Nabal huic seruum sortitus, quandoquidem, ni ipse vili admonitione obuiandum periculo consuleret, tota familia durissimam mulctam ferret; at serui prudentiâ periculum fuit elusum, & diuitiarum vitatum etiam dispendium. *Non est vlla possessio melior in vita* (aiebat datus Menander) *quàm benevolum sibi famulum adipisci.* Doluit famulus imprudentiam Nabalis, & extinguifecit indignationem Dauidis. *Considera, & recogita* (inquit Lira) *præcauendo tibi, & domui tuæ.* Vides quàm vtilis fuerit seruus; quando acerbus adeò appetebat casus. Cùm Iacob à Labano benè tractaretur, greges adeò solicitè custodiebat, vt lupi frustraretur insidias, & nulli labori parcens gregum adangeret copias. Audi Labanum: *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Antequàm Iacob exhiberet famulatum, non erat Laban opulentus, huiusmodi seruum nactus floruit ditissimus. *Audis hic* (scribit ad mores Oleaster) *quid valeat iustum domi apud se habere.* Econtrà, qui improbum seruum sortitur, nutrit rapinam, obscurat famam. Vtilicus ille domini detrimento sibi consuluit, & quo senex indulgere posset otio, in alienas

Gen. 30. v. 27.

domos

domos transtulit : *Accipe cautionem tuam, & sede citò, scribe quinquaginta.* Fraudem studuit tegere, non vitare, & quia se videbat expelli, secum tulit, quo posset copiosè viuere. Notauit Chrysologus *serm.* 126. *Ad tantam fraudem villicus conspirabat, & agebat vt totam fidem perderet, dum mediat cautionem.* Domini diuitias profundebat, &, vt amicos compararet, cautiores adulterabat. Adeò graue malum est seruus non moratus, grande adeò bonum prudentia, & bonis moribus expolitus.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ, & centum ligaturas vuæ passæ, & ducentas massas caricarum, & posuit super asinos.

§. XXXI.

Qui discupit Deum placare, munera de pretiosioribus tenetur offerre.

Munus. Deus.

MVnera, crede mihi, placant hominesque, deosque, sed prouidendum est, ne laboretur, ipso remedio : munera donante, accipienteque digna, dum testantur beneuolum offerentis affectum, & venerationis studium, indignationem placant, & dilargienti gratiam conciliant. *Commodum* (aiebat Cassiodorus 9. *variarum* 14.) *debet esse cum modo. Nam si mensuram æqualitatis excesserit, vim sui nominis non habebit.* Ab oblatis donis quæsitum commodum, si modò careat, potiùs inflammabit iram, quàm elicietur sibi beneuolentiam. Qui deteriora offert, cùm possit pulchra, auaræ imprudentiæ proditur reus & accipientis honori iniurius. Abigail prudens dilaudatur : *Erat mulier illa prudentissima*, suamque prudentiam commendauit, dum ad placandum Dauid pretiosiora munera elegit : *Quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ.* Non tulit oues, aut capras, sed arietes, & quidem si, cùm posset Arietes, offerret oues, prudentiæ suæ detraxisset. Notauit Abulensis *quæst.* 6. *Arietes, quia meliores sunt ouibus. Non est autem credendum, quòd Abigail tulisset aliquid pro Dauid, nisi de melioribus, quæ habebat, cum vellet eum placare sibi* : Si offerret exigui pretij reculas, indignationem non sopiret, sed inflammaret, quandoquidem ea dona offerentis proderent auaritiam, & accipienti irrogarent irreuerentiam : ergo prudens, quo possit indignationem sopire, studuit de melioribus, quæ habebat, offerre. Deus victimam sibi iubet parari non de Ismaele, sed de Isaaco : *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Zeno Veronensis existimat voluisse Deum deplacandi eum normam exhibere, & ob id non seruæ, sed liberæ filium nobilitandis aris ambire : Amabat Ismaelem Abrahamus, sed quamuis eum aris litaret, pretiosius munus non offerret : *Eman. de Naxera in Reg.* Tom. II. Isaacum offerens amorem sacrificabat, & nobiliorem victimam offerebat : ergo dignius munus offerat ; sic enim sibi elucrabitur gratiam, & ampliorem ostendet erga Numen reuerentiam. Audi Zenonem *serm.* 1. *Hæc mihi victima placet, hoc me sanguine deplacabis : iste meis sacris debetur, vndè immolari iam iubeo.* Itaque veluti imitandam nobis ideam expressit Isaacum postulans, vt nouerimus, quibus deplacetur, & quæ eius maiestati victima debeatur. Qui, cùm possit pretiosum, offert iniurius vile, non deplacat, sed instigat, non elucratur sibi beneuolentiam, sed accendit viuidius iram. Abigail pretiosiora offerenda elegit, & quia elegit, Dauidis indignationem placauit.

Gen. 22. v. 2.

§. XXXII.

Etiam angusto tempore nesciunt fœminæ se non expingere, & speculum consultare.

Fœminæ. Speculum. Ornatus.

PLures fœminæ honorabili student pudicitiæ, & se omni solicitudine custodiunt à sordida voluptate ; verùm nondum didicere placendi studium generosè contemnere, & ornatus insidiatricem pompam amandare. Lepidè satis Tertullianus *de cultu fœminarum, capite sexto. Perseuerant in pristinis studiis formæ, & nitoris sui, eandem sui speciem circumferentes, quàm fœminæ nationum, à quibus abest conscientia veræ pudicitiæ.* Si conscientiam examines, à nationum fœminis inuenies prorsus discordare ; si externa, cum impudicis inuenies sine discrimine conuenire. Abigail castissima, prudentissimaque fœmina vrgentissimo occurrere satagebat periculo ; in ea tamen tanta temporis angustia, vt placet Abulensi, se compsit, & non sine elegantiæ studio exornauit : *Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes.* In ea tanta solicitudine tempus sibi elegantia vendicauit, vtque se expoliret, discrimini exposuit. Ita Abulensis *quæstione sexta. Abigail ornauit se ad apparendum coram Dauid.* Omni Abigail pudicitia efloruit, prudentia claruit ; verùm properanti distulit periculo occurrere, vt se expingeret, & excoleret, suisque factis, quàm non displicere intuentium oculis studeant fœminæ, declarauit. Luctuosa clades, Regis interitus, Reipublicæ confusanea perturbatio dolore dolorem ingeminabant, & omnium animos tristitia implebant, & tamen in tam funesto rerum statu Iezabel se continere non potuit, sed Iehu triumphum speculari è fenestra decreuit : ergo se expinxit, & oculos stibio deduxit. *Depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram.* Ingentem Interpretibus admirationem affert Iezabel luctuoso adeò tempore, quo & assumere planctum, & copiosis lachrymis sordidare debuisset vultum, elegantiam ornatus curasse, & faciem medicatis compsisse. Filius iacet miserè occisus, regni ad extraneum potestas deuoluitur, cor tristi futurorum pauore quatitur, & Iezabel, reclamante ætate, prohibente infortunio, vetante consuetudine habitum lætiorem assumit ? Profectò Ie-

4. Reg. 9. v. 30.

zabel, dum se his in circunstantiis expinxit, ingenium mirè fœminarum expressit ; non possunt à curiositate temperare, nec sine formæ splendore oculos intuentium subire, formam aduersus temporum angustiam, & reluctantiam expoliunt, & ambitiosè placere discupiunt. *Mirum hoc est* (ait noster Sanctius) *& planè gentilitij, & barbari ingenij, tunc lætum, & elegantem cultum assumere, quando sordes assumi debuere funereæ, & lachrymis oculi, & vnguibus deformari genæ.* Vt decreuit fenestram adire, aspicique, se expinxit, & caput tunc sordidatum ornauit. *Depinxit oculos suos* (inquit Lira) *id est, faciem suam fucauit, & ornauit caput, vt esset gratior in conspectu Gehu.* Nesciunt fœminæ laudes non ambire, & intuentium oculis pulchellas recusant non apparere : ergo nec temporis attendunt leges, nec domus calamitates.

§. XXXIII.

Qui Deum sibi præsumit iratum, non tardet arripere dignæ pœnitentiæ remedium.

Pœnitentia. Culpa. Medicina.

VT congrua ægro corpori medicina, sic febrienti culpis animo luctuosa auxiliatur pœnitentia. *Inter vtilissimas artes* (aiebat Cassiodor. 6. *variar.* 19.) *quas ad sustentandam humanæ fragilitatis indigentiam diuina tribuerunt, nulla præstare videtur aliquid simile, quàm quod potest auxiliatrix medicina conferre. Ipsa enim morbo periclitantibus materna gratia semper assistit. Ipsa contra dolores pro nostra imbecillitate confligit: & ibi nos mittur subleuare, vbi nulla diuitiæ, nulla potest dignitas subuenire.* Æstimanda plurimi est medicina, quæ cum infirmitate confligit, & dolorem depellit ; præstantior tamen est auxiliatrix pœnitentia, & quia deteriori morbo medetur, & quia, si digna, nunquam desideratis fraudatur ; medicina non rarò ægritudinis agit præter opinionem causam, & accrescit nocumentum, vndè sitienter sperabatur auxilium : Ast pœnitentia, si vera, omnes animæ abradit sordes, & mortiferas omnes depellit infirmitates. Hinc culpandi sunt, qui, cùm non ignorent conscientiæ morbum, in dies protelauere remedium. Prudentes, vbi lethale persensere venenum, solicito studio procurauerunt antidotum. Iure Abigail celebratur prudentia : *Erat mulier illa prudentissima*, & Nabalis sugillatur stultitia : *Stultus est, & stultitia est cum eo.* Stultus Dauidem offendit, sed stultior ad pœnitentiam confugere detrectauit. Delinquere fragilis, abiicere pœnitentiam fuit insipientis. Abigail, vt Dauidem sensit iratum, confessionis culpæ accelerauit remedium : *Festinauit igitur Abigail.* Hugo ad mores historiam adaptans sic ait : *Festinauit Abigail, quia festinanda est pœnitentia, dum sumus, vbi est locus pœnitentiæ. Eccl. 5. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius.* Plures, quia non ignorant efficax quouis tempore profuturum pœnitentiæ remedium, sibi imponunt, & spes vanissimas alunt ; verùm dum, vt vires ægritudini addant, opportunum sibi fore tempus promittunt, & carent tempore, & acerba rapiuntur morte. Audi quid Dauid dicat : *Nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam.* Si Abigail remedio fissa distulisset, non inueniret tempora, vt morbo succurreret medicaminis efficacia. In brutorum numerum retulit Dauid Adamum : *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis,* Psal. 48. v. 13. Ne contristaret Euam, admisit culpam : cúmque pientissimus Deus ostentaret iras, vt pœnitentiæ prouocaret ad lachrymas, malè pudori consulens arripuit fugam, quasi fugere posset conscientiam : *Abscondit se Adam.* Quid insipientius quàm credere posse se latere, & diuinam perspicaciam eludere ? Ipse, dum latitabat, dum fugiebat, miserando suffragabatur exilio, & obicem opponebat remedio. *Nullum* (inquit Euthymius ad hunc locum) *adhibuit modum, & ita demum libidine actus est, vt brutorum omnium insaniam excesserit.* Ceruus, vbi persentit vrens venenum, ad aquas inuolat, quibus haustis possit euomere, & Adam satagebat fouere, lachrymarum auersabatur salubrem vndam, & augebat pestiferam ægrimoniam : ergo brutorum excessit insipientiam, dum tardat, & refugit medicinam. Gen. 3. v. 8.

§. XXXIV.

Eleemosyna est diuitias conseruandi ingenium, immò adaugendi artificium.

Eleemosyna. Diuitiæ.

COecissimo auari homines laborant errore, existimant, si prorogarint egentibus diuitias amittere, non augere : cùm eleemosyna sit honestum lucrum, & compendiosum facultatum augmentum, qui egentis leuat miseriam, salutis, & temporalium sibi bonorum adauget copiam. Vbi sponsa fons signatus dicitur, ad eam de Libano vberrimos confluere latices, non refertur : *Fons signatus.* At vbi amœnandis hortis crystallinos impertit latices, copiosissimos è Libano thesaurizat sibi torrentes : *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Ad ipsam puriſſimi confluunt vndarum impetus, dum generosè distributis laticibus floridus amœnatur hortus. Innuit Gregorius hîc : *Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium describitur.* Non est puteus, dum aquas claudit ; & copiosus ditescit puteus, dum impertit, quo noueris esse ingenium adangendi diuitias laudabili largitate impertire, & indigentiæ pauperum ministrare. Hanc honestam artem exercuit Abigail. Dauid iusta indignatione commotus appropinquabat omnia deleturus, sed restrinxit Abigail incendium egentibus exhibendo subsidium : *Tulit ducentos panes, & duos vtres vini*, &c. Oblatis muneribus Dauidis indignatio repressa est, & eleemosyna fuit vitæ, & diuitiarum tutela. *Hic consequenter ponitur* (inquit Lira) *ipsius Abigail prudens obuiatio, & secundo ipsius Dauid pacificatio.* Iam Dauid erogata eleemosyna deponit iram, & iam Abigail illæsam seruat substantiam. Ficus, quæ Domino famescenti solamen nullum exhibuit, à radicibus aruit : *Arefacta est continuò ficulnea.* Non arefacta est, quæ Domino non soluebat tributum, & est arefacta, quæ negauit indigenti alimentum. Hanc ariditatem vitauit hydria, quæ Eliæ de pugillo farinæ quid exhibuit : *Hydria farinæ non deficiet.* Quod expendens Drogo *de Sacrament. Domin. pass.* sic aiebat : *Qui modicum in se habet, intelligit, quibus armis debet custodire, ne & hoc ipsum amittat.* Cant. 4. v. 12. Matth. 21. v. 19. 3. Reg. 17. v. 14.

Ergo

Ergo Domine coruus & vidua pascunt te in Sarepta Sidoniorum, cui ficus maledicta aruit in terra Iudæorum. Vidua intellexit, quibus armis farinæ pugillum defenderet, scilicèt Eliam pascendo; fatua ficus sibi asciuit sterilitatem negando. Est namque adaugendi diuitias ingenium eas pauperibus erogare, & indigentibus subuenire.

TEXTVS.

VERS. XIX. Dixitque pueris suis: Præcedite me: ecce ego post tergum sequar vos: Viro autem suo Nabal non indicauit.

§. XXXV.

Fœmina domum egrediens honesto debet satellitio communiri, & contra iniquas suspiciones armari.

Fœmina. Color. Rubor.

PYthias (scribit Democritus apud Stobæum *cap. 31.*) *Aristotelis Philosophi filia interrogata, qui color esset pulcherrimus, dixit: Qui per verecundiam ingenuis oboritur.* Ingenua habetur, quæ verecundiæ testatur studium, impudicique, & suspicioni refrænat ausum: nam quæ decori suo non consulit, occasionem procaci præbet. *In primis existimato* (aiebat Theophrastus ibi) *oportere vnumquemque reuereri seipsum.* Mulier, quæ foras egrediens seipsam non reueretur, linguarum audaciæ exponitur. Thamar, dum sola, & artificiosè velata se extra domum proripuit, de se non bonam suspicionem ingeneravit: *Suspicatus est esse meretricem.* Si secum honestum duceret satellitium, suspicionis vitasset ausum; ast sola, & expicta, & ipso integumento non modestiam suadens, sed colloquiis occasionem præbens, & audaciam nutriens, quæstuaria habita est: *Thamar illa* (inquit Tertullianus *de cultu fœminarum cap. 12.*) *quia se expinxerat, & ornauerat, idcircò Iudæ suspicioni visa est.* Sola, expicta, ipso se velandi modo detecta suspicionem contra se asciuit, & ipse habitus honori, & famæ insidiatus est. Aliter Abigail, quæ dum egredi domum decreuit, decens secum satellitium ducere studuit: *Dixit pueris suis: Præcedite me: ecce ego post tergum sequar vos.* Modus ipse incedendi honestatem, grauitatemque publicabat, & audaces suspiciones arcebat. Innuit Abulensis *quæst. 6. Ferebat nunc secum Abigail pueros.* Noluit sola è domo egredi, ne quantumuis oris modestia testaretur pudicitiam, suspicionis patereretur audaciam. Iudith fœminarum decus ad inimicorum perrectura castra, Abraham secum tulit: *Vocauit Abraham suam.* Interpretes autumant tulisse secum seruam, cuius consortio honori suo prouideret, non cuius immodestia, & garrulitate labefactaret. Non timuit per medios hostes incedere, & verita est ornata, & sola domo prodire. Huc voco datum Tertullianum: *Vnde addiscimus aduersus congressus etiam, & suspiciones impudicas prouidendum omninò esse.* Vt virtutis causam ageret, est egressa, sed si ornata, & sola incederet, audacis suspicionis periculum non vitaret: ergo honori prouidit, & associata modestiam coluit, noluit de se præsumi, quod erat certissimum auersari; nam fœmina expicta, & sola auget procacium audaciam, & bonæ opinionis imprudenter infuscat gloriam.

Gen. 38. v. 15.

Iudith. 10. v. 2.

§. XXXVI.

Aliquorum vtilitas ipsis nescientibus est procuranda, quia aliter insipienter apponet impedimenta.

Vtilitas. Impedimentum.

ARrogans, & animo peccans instar Iouis tonat (aiebat Menander apud Stobæum *c. 4.*) *& caput supra ceruicem tollit.* Arrogantia, quæ sæpè stultitiæ proles est, Iouis adinstar tonat, & cæteros longè supergredi delusa existimat. Hinc est, quod aliorum despicit superbè consilia, salubriaque auersatur non sine fastidio monita; quæ sibi expediant, præ cæteris se arbitratur scire, vndè nec patitur admoneri: huic si consulendum sit, arte, ac industria opus est; nam nisi eius vitetur notitia, apponet salutis impedimenta: ea cum huiusmodi cautela vtendum, vt anteà experiantur remedium, quàm vel leue odorentur indicium. *Medicum aiunt* (scribit Seneca *lib. 3. de Ira cap. 39.*) *cùm Regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leniter fouet, scalpellum spongia tectum induxisse. Repugnasset puella remedio palam admoto: eadem, quia non expectauit, dolorem tulit. Quædam non nisi decepta sanantur.* Si puella remedium præsentiret, sine dubio repugnaret: ergo prudens medicus, vt sanaret ægrimoniam, vitauit prorsus notitiam. Nec aliter se gessit prudentissima Abigail. Imminebat Nabali excidium, & apponendum erat remedium: ergo eo prorsus inscio apposuit remedium, quia aliter durus, & stultus opposuisset obstaculum: *Viro autem suo Nabal non indicauit.* Si alius esset Nabal, Abigail cum ipso de remedio ageret, vtque Dauidis iram effugeret, admoneret; verùm, quia stultum, & durum nouerat, nihil indicauit, & saluti eius prouidit. Notauit Abulensis *quæst. 6. Vir suus erat duræ ceruicis, & credidit, quod impediret eam ab incepto, ideò nihil indicare voluit, quousque factum esset.* Tulit iam factum, præsciens quæsisset impedimentum. Sunt enim aliqui ingenio duri, & insanis adeò affectionibus obscurati, vt remedij sit ab eis abscondenda notitia, ne sibiipsis aduersetur imprudentia. Cùm eleemosyna dilargientis sit commodum, monuit Christus Dominus, ne sinistra sciret: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Inquiramus, cur sinistram celanda sit eleemosyna, quandoquidem in eius vtilitatem probatur expensa. Quid oberit sinistram scire, quod debuisset ipsa solicitare. Ita est profectò; verùm cùm in sinistra denotentur moribus inconcinni, ad eam cœcitatem deuenerunt, vt salubre sibi auersentur commodum, & imprudenter apponere gestiant impedimentum: ergo, quod in eorum vtilitatem disponitur, prouidenter celatur. Diuus Augustinus *in Caten. D. Thom. ad fin. 5. capitis Matth.* aliam horum verborum interpretationem adducit, aitque per sinistram denotari vxorem auaram, & tenacem, à qua abscondendum est quidquid dextera, id est, maritus liberalis, & generosus facit in pietatis obsequium, & ipsius vxoris commodum. Augustinum audi: *Dicunt sinistra nomine vxorem significari, vt quoniam in re familiari tenaciores pecuniarum solent esse fœminæ, lateat eas, cùm aliquid viri alienis impendunt,*

dunt, propter domesticas lites. Quidquid à viro misericorditer dilargitur, in totius familiæ vtilitatem expenditur, sed ne domus litibus perstrepat, prudentia est notitiæ substrahere, quidquid ad eius constat vtilitatem expendi: ergo Abigail vti prudentissima eleemosynam in Nabalis salutem expendendam occuluit, & saluti eius prouidit.

TEXTVS.

VERS. XX. Cùm ergo ascendisset asinum, & descenderet ad radicem montis, Dauid, & viri eius descendebant in occursum eius, quibus & illa occurrit.

§. XXXVII.

Magna Dei miseratione occurrunt nobis impedimenta, ne expleamus malè consulta.

Impedimentum Consilium.

QVi prudentia exculti, & fallacibus oblectamentis alieni, sibiipsis impedimento sunt, ne hiauerint ad fucata venena, amplectunturque prudentiæ, & legibus consentanea. Audi Plinium 9. *epist.* 17. *Nequaquam me, vt inexpectatum, festiuumque delectat, si quid molle à cinædo, petulans à scurra, stultum à morione profertur. Non rationem, sed stomachum mihi narro. Atque adeò quàm multos putas esse, quos æquè ea quibus ego, & tu capimur, & ducimur, partim vt inepta, partim vt molestissima offendant.* Pauciores sunt rationis legem secuti, & prudentiæ consiliis attemperati plures, qui à recta ratione deflectunt, ineptias sequuntur, & studere solùm euanidis oblectamentis conantur: ergo magna Dei misericordia est, si occurrant impedimenta, quibus effectum non sortiantur malè decreta, & imprudenter desiderata. Dauid Nabalis rustica ingratitudine, & iniuriosa linguacitate acriter inflammatus, cruentam inuolabat repetiturus vindictam, nec sine rationis querela, cùm nulli fas sit propria auctoritate irrogatam sibi offensam offendentis sanguine eluere, & pro arbitrio mulctam decernere; cœlesti tamen dispositione Abigail vianti opportuna occurrit, & adæquè humili, & efficaci alloquio sententiam demutare suasit: *Dauid, & viri eius descendebant in occursum eius, quibus & illa occurrit.* Occursu retardatus ardorem sopiuit, saniori consilio à vindicta abstinere decreuit, impedimentumque cœleste beneficium fuisse palam confessus est: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum.* Ira à ratione tantisper abductus vltionis expetiuisset solatium, ni occurrisset impedimentum: ergo gratias Deo egit, quia absoluere decreta non siuit. Audi Caietanum: *Dauid peccauit manifestè contra legem diuinam in hac deliberatione iuramento firmata.* Si Abigail tempestiuè adeò non occurreret, Dauid indignatione percitus cladem toti familiæ intulisset, & diuinam legem violasset: ast vrbanis Abigail officiis, & prudentissimis verbis delinitus sanguine abstinuit, & iniurio pepercit: ergo gaudet se retardatum, & ne malè decreta absolueret, impeditum. Misericordia Dei fuit à militibus ad vltionem non exacui, & à fœmina prudentissima præpediri. Iacob ad Dan, qui interpretatur iudicium, benedictionem deueniens, aiebat: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò.* Gen. 49. v. 17. Cùm inter benedictiones referatur hic morsus, equitis examinandus est casus. Quò tendebat velox hic eques, quem impedire laudabile. Ad euanidam (inquit Vuerricus *in Allegor. Tilman.*) voluptatem, & superbam elationem: *Vir quippè vanus erigitur in superbiam, & vanitate sui sensus, velut equo præcipiti, fertur in ruinam. Huius nimirum serpens vulnerat, & subuertit vestigia.* Dan benedictionem sibi comparat, dum ad ruinam præcipiti cursu tendentem frænat, & equiti salubris fuit & morsus, & casus, miserabilius, ni retrò caderet, rueret: ergo, dum patitur morsum, felix, & ni pateretur, miser. Cùm sacerdotes Arcam humeris gestantes ingrediuntur Iordanem, gurgites alij feliciter indurantur, & alij miserabiliter prolabuntur: *Steterunt aqua descendentes* Iosue 3. *in loco vno, & adinstar montis intumescentes appa-* v. 16. *rebant procul ab vrbe, quæ vocatur Adam, vsque ad locum Sartham: quæ autem inferiores erant in mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt.* Eandem gurgites Arcæ præsentiam sortiti, præsentiæ beneficium non sunt adæquè lucrati; nam alij ad amaritudinem, mortemque inuolarunt, alij salubri obstaculo præditi cursum non absoluerunt. O arcana, admirandaque Dei iudicia! Cùm omnes gurgites eadem Arcæ præsentia fruantur, alij cœlum versus assurgunt vitreos in muros conformati, alij mare mortuum intrant obice nullo detenti. Censeres feliciores mediis in conatibus non impeditos, & minus felices votis fraudatos, verùm cùm ille cursus ad mortem properaret, ingens retardari fuit commodum, sine obstaculo prolabi luctuosum fuit detrimentum. Opportunè Richardus *in Allegor. Tilman. Quæ in mare descendunt, eò amarescunt. Risus, inquit, vester vertitur in luctum, & gaudium in mœrorem.* Inferiores aquæ non præpeditæ dulciter prolabebantur, sed in mare mortuum, vndè iterùm fluere non possent, peruenerunt, & dulcedinem amaritudine commutarunt. Superiores fuerunt felices, quia Arca sanctissimæ virginis vmbra, ne, quam terrenam, fluxamque exambiebant viam, abscederent, optanda violentia substiterunt retardatæ, & cœlum versus tetenderunt detentæ.

TEXTVS.

VERS. XXI. Et ait Dauid: verè frustrà seruaui omnia, quæ huius erant in deserto, & non periit quidquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant, & reddidit mihi malum pro bono.

§. XXXVIII.

Auari, nec apud sæculum honorati, nec apud Deum spectabile nomen sortiti.

Auarus. Nomen.

NOmen sibi facere solicitum ambitionis studium est: nihil studiosius quæritur, quàm apud sæculum famam æternare, & veneration-nem sortiri; egregiè tamen caligant qui arbitrati à diuitiarum congerie, à generis claritate, à dignitatum

dignitatum culmine immortalitatem oriri, & ſuſpicienda nomina promanare. Non eſt ſolidum, etſi exterius niteat, quod à virtute probatur alienum. Opportunè Tertullianus aduerſus Marcionem *cap.7. Ipſa idola gentium Dei vulgò, ſed Deus ea re, qua nemo Deus dicitur.* Idola apud ſæculum habentur dij, quia auro ſplendent, quia cultu nitent, quia mentita potentia florent, ſed re diuinitatis carent. Venerandum nomen in virtutis officina procuditur, & honeſtis actionibus decoratur. Et quid proderit auguſtum apud ſæculum nomen ſortiri, ſi apud Deum nomine contigerit denudari? Cùm Danid contra Nabalem tenderet; ſic aiebat: *Verè fruſtra ſeruaui omnia, quæ huius erant in deſerto.* Et cur Nabalis nomen non exprimat, ſed proferendo, *Huius*, ambiguum prorſus relinquat? Profectò Nabal, etſi diuitiis exundans, apud ſæculum ſplendidum nomen non ſortiebatur, apud Danid Chriſti imaginem nominis carebat honore, & mulctabatur nobilitatis inſigni. *Nabal inſipiens* (inquit Hieronymus apud Gloſſam) *quod ſi legere volueris Nebel menſuræ nomen eſt, ſiue pſalterij.* Nabal, qui & Nebel nomen geſtabat, ſtultitiæ indicem, & auaritiæ præconem, immò apud Danidem prorſus carebat nomine: *Fruſtrà ſeruaui omnia, quæ huius erant*, quia denudabatur virtute. Fruſtrà, & quidem iure ea bona referuntur aſſeruata; cùm nulli prodeſſent, & ſolùm ad poſſeſſoris notam deſeruirent: Purpuratus ille dives, nec viuus, nec defunctus in Euangelio honorem nominis eſt ſortitus; vlceroſus pauper in vita, & poſt vitam nomine inuenitur ornatus: *Homo quidam erat Dives, qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendidè, & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus.* Diuitem audis in vita ſine nomine proferri, & mendicum nominis honore potiri. Nec poſt mortem aliter: *Eleuans oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius.* Qui in vita appellatus dives, eo etiam nomine denudabatur in gehenna, eodem Lazarus, quo fruebatur in vita, honorabatur titulo in gloria. Chryſoſtomum audi *in Caten. D. Thom. Interpretatur Lazarus, qui adiutus eſt, pauper enim erat, & illum Dominus adiuuabat.* Qui humanis ſolùm oculis rem metiretur, diuitem à Deo cenſeret adiutum, Lazarum prorſus derelictum, & deſpectum, falleretur tamen; nam vlcera, pauperies, ſanies data ſunt Lazaro pro armis, quibus cuſtodiret virtutem, qua aſſeruata immortalem aſſequeretur felicitatem: ergo eximiè fuit à Domino adiutus, qui in æternitate conſpicitur laureatus. Gregorius, vt theſi accedamus notauit *homil. 40. in Euang. & in Caten. D. Thom.* apud ſæculum ab omnibus diuitum nomina ſciri, pauperum ignorari, apud Deum verò pauperum nomina referti, & diuitum, auarorum præcipuè obliuioni, & tenebris ſepeliri. Eius verba ſunt: *In populo plus ſolent nomina diuitum, quàm pauperum ſciri. Dominus autem nomen pauperis dicit, & nomen diuitis non dicit.* O ſi hæc attenderent laudis ambitioſi, & æternandi nominis cupidi! Eua ſerpenti aurem præbet, vt diuinitatem acquirat: *Eritis ſicut Dij*; ſed prorſus cœcutiuit, quia media contraria oppoſuit, cum iudici adſtare cogitur, & nomine denudatur. Audi Deum reos compellantem: *Vbi es?* Quem, Domine, vocas? Nonne Eua, Adamque retrò nomina ſortiebantur, cur ergo à te ſine nomine proferuntur? Quia licèt apud ſerpentem dij (inquit Hilarius *Canon. 10. in Matth.*) apud Deum nomine vacui, & honore prorſus nudi: *Diuini nominis ambitione corruperat.* Cœca ambitio, dum ad grandius nomen inhiat, quo nobilitabatur, deperdit, & quod auaris rapinis ſeducta conabatur augere, inuenta eſt imprudenter minuere. Abraham vocabatur *Excelſus*, ſed Deus circumcidi iuſſit, & nomen adiecta arcana litera adauxit: *Abraham nonaginta erat annorum, quando circumcidit carnem præputij ſui.* Circumciſione auguſtius, & obliterandum nunquam nomen acquiſiuit, antiquum denudauit. *Abraham* (inquit ad literam Oleaſter) *eſt pater excelſus, ſed Abraham pater populorum.* Circumciſione, afflictationeque carnis grandius nomen ſibi procudit, quod literis ſolùm celſitudinem ſonabat, abiecit; quo certum ſit ea nomina ſolùm eſſe glorioſa, quæ probantur virtutibus acquiſita.

Luc. 16. v. 19.

Gen. 3. v. 5.

Gen. 17. v. 24.

§. XXXIX.

Qui pro acceptis beneficiis iniurias rependit contra ſe indignationis flammas extorquet.

Ingratus.

NOn eſt promptum ingratitudinis ſpecies diſtinguere, & earum qualitates expendere. Alius beneficia tardè accepiſſe conqueſtus eſt; alius plus detrimenti attuliſſe, quàm commodi. Lentulus (teſte Seneca 2. *de Benef. cap.27.*) cùm omnia incrementa ſua Auguſto deberet, & præcipuè, quod inani labore, & tardo ingenio ſtudiis incumbentem à cæterorum irriſione honeſto titulo eripuiſſet, querebatur ab ſtudiis adductum, & retardatum. Senecam audi: *De Auguſto ſolebat queri, dicens à ſtudiis ſe abductum. Nihil tantum in ſe congeſtum eſſe, quàm perdidiſſe relicta eloquentia. At illi inter alia hoc quoque D. Auguſtin. præſtiterat, quod illum deriſu, ac labore irrito liberauerat.* Itaque Lentulus eis aſpiciebat oculis beneficium, vt putaret præſtitiſſe ſe obſequium; verùm etſi tot ingratitudinis modi, ille deterior, malè ſcilicèt de benemerito loqui, & iniurioſis verbis ferire. *Alij* (aiebat Seneca iam datus *cap. 24.*) *peſſimè loquuntur de optimè meritis.* Qui acceptis beneficiis exacuunt in benefactorem linguas, patientiam, & tolerantiam defatigant, & manus contra ſe obarmant. Danid patientiæ, & humanitatis idea, qui cùm Saulem in manu haberet, generosè pepercit, & curam oſoris habuit, iuratus, quidquid Nabalis erat, deleturus properabat, & perfeciſſet, niſi Abigail maturè, & prudenter obuiaſſet. Et quæ tantæ indignationis fuit cauſa? Iam ipſe refert: *Verè fruſtrà ſeruaui omnia, quæ huius erant in deſerto, & non periit quidquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono.* Quod malum? Iniurioſis verbis percuſſiſſe, & ſeruilitatis nota infamaſſe: *Quis eſt Danid, & quis eſt filius Iſai? Hodie increuerunt ſerui.* Vbi Danid pro laborioſis, ac ſolicitis excubiis ad ſeruandos greges rependi vidit iniurias, ardentes euomit flammas. Nec mirum: quid enim durius, quàm demetere ex beneficiis contumelias, & colligere iniurias? Prodeſt Caietanus: *Danidem fefellit opinio, quæ habenda meritò erat officij eius erga res Nabal, & ipſe Nabal fallens fuit, pro quanto contumeliam redididit pro officio.* Iniurioſa ruſticitas, ruſtica inurbanitas ſtragem ſibi ſolicitauit, dum probra pro offi-

ciis,

ciis, & quidem ſolicitis, & laborioſis rependit. Quid enim ab æquitate, & ratione remotius, quàm benemerentem infamare, & probroſis verbis ferire? Eliſæus à Syris circumdatus, & obſeſſus ſalubri infirmitate percuſſit, &, vt meliorem reſtitueret, viſu priuauit; pane, aquaque recreatos, & clariori viſu ad propria remiſit præditos: *Dimiſit eos, abieruntque in domum ſuam.* Hic idem Propheta pueros, quibus maior commiſeratio ad ſpeciem debebatur, iuſta indignatione percelluit, & vrſorum voracitate puniuit: *Maledixit eis in nomine Domini.* Cùm Prophetarum facta nobis fuerint pro doctrina, inquirunt Interpretes, cur qui in Syros adeò humanus extiterit in pueros adeò ſeuerus. Reſpondentque Iericuntinos, quod nuper fœcunditatis acceperant beneficium iniuriis perſoluiſſe, & Prophetæ irriſionibus compenſaſſe: *Aſcende, calue*: ergo iuſta ira inflammatus exarſit, cùm pueros à parentibus beneficiatis ad congerenda in benefactorem probra incitatos agnouit. *Dum ſterilitatem auertit aquarum* (inquit Ambroſius *ſerm. 2. de Eliſæo*) *ſucceſſionem largitur hæredum. Non enim hoc facto vnum ſanauit hominem, aut vnius domus præſtitit medicinam, ſed totius ciuitatis populum reparauit.* Dum accepta recens beneficia ſoluunt dicteriis, & ſtultis compenſant iniuriis, Prophetæ iram accendunt, & ferarum truculentiam exacuunt. Et expende Prophetæ caluitiem improbis dentibus arrodentes fuiſſe cruentis vrſorum dentibus percuſſos, & laceratos, vt conſtet maledicos, obmurmuratoreſque duriori frequenter dente abrodi, immò diſcerpi.

4. Reg. 6. v. 23.

4. Reg. 2. v. 24.

TEXTVS.

VERS. XXII. Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat: ſi reliquero de omnibus, quæ ad ipſum pertinent, vſque mane mingentem ad parietem.

§. XL.

Princeps ſi delicta non puniat, hoſtiles vires contra ſe armabit.

Princeps. Delictum. Supplicium.

NOcuerint Principes Rempublicam non minus probis moribus defendi, quàm armis, immò ſæpè aduerſariorum præualere arma, ſi ſubiectorum non coerceantur digna caſtigatione delicta. *Per Prouincias nobis Deo præſtante conceſſas* (aiebat Athalaricus 9. *variarum* 9. *tales viros cupimus deſtinare, qui ſint armis præditi, & iuſtitia glorioſi.* Vt hoſtilem à ſuis arceret metum, Martia protulit arma, & in ſuis voluit vigere iura: & quidem, ſi Reſpublica contra ſe habuerit iura, Martia hebetabuntur arma, vt è contrà hoſtilia ſucceſſum non habebunt arma, ſi culta, & aſſeruata floruerint iura. Cùm Dauid à Deo in Regem inunctus ruſticitatem Nabalis iniuriоſam iuratus tenderet digna caſtigatione punire ipſa iuramenti forma, ſi eam culpam dimiſerit inultam, hoſtium ad augendam valentiam voluit indicare: *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat*, id eſt, addet inimicis robur, & armis triumphum, ſi non cohibuero audaciam, & Nabalis puniuerim inſolentiam. Notauit Caietanus: *Nomine inimicorum Dauidis intelligo ipſummet Dauidem, alioquin nulla eſſet imprecatio mali*: Conſonat noſter Sanctius: *Adde his verbis aliquid videri ſignificatum, latum quidem hoſtibus Dauidis, ipſi tamen Dauidi maximè contrarium. Acſi dicat: Det hoſtibus meis Deus, vt ſint in acie ſuperiores, vt me de vita ſtatu deiiciant.* Hebræo Textu, teſte Caietano, hæc verba ſunt non tam imprecatiua, quàm futurorum prælagia: *Iuxta Hebræum habetur: ſic faciet Elohim inimicis Dauidis, & ſic addet*, id eſt, mei inimiciæ exiſtent ſuperiores, & florentes. Et quomodò? *Si reliquero de omnibus, quæ ad ipſum pertinent, vſque mane*, id eſt, ſi ego, qui ſum à Deo Rex electus, hanc publicè admiſſam culpam digno ſupplicio non coerceam, vires meis hoſtibus addam; quandoquidem ſi diuitiis impunita culpa, violati iuris audietur querela, & hæc iuris querela hoſtilia promouebit arma. Quid enim aduerſariorum armis felicius, quàm iura contemni, & inulta diuitum ſcelera præteriri? ergo merita pœna huius diuitis corrigam inſolentiam, ne prætermiſſa addiderim hoſtilibus armis audaciam. Non dubito Dauidem tunc publicitus non vſum regia poteſtate; verùm cùm omnia in figura illis contigerint, & à Deo Dauid fuerit populi Princeps deſignatus, ſatis mihi eſt Dauidem prædixiſſe hoſtium ſuorum fortunam, ni publicam diuitis caſtigauerit inſolentiam. Iudices, & Reipublicæ adminiſtratores Dauidem imitentur, ſi conſulere publicæ vtilitati conantur, quandoquidem ni publica corriguntur ſcandala, ſi inulta diuitum permittuntur ſcelera, totus Reipublicæ ſtatus corruet, & hoſtis florebit. Populi magnates vitulum conflari exoptarunt, & ab Aarone extorſerunt. Moyſis primum ſtudium fuit, quem dolebat præſidio, armiſque nudatum, populum protegere, & audaciam aduerſariorum frænare: *Videns Moyſes populum quòd eſſet nudatus* (*ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat.*) Et quaſi communiuit ſubſidio? Iuſta criminis inflicta pœna, & idoli ruina: *Occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum.* A factis diſcordare, videtur ſtudium; nam ſi dolet populum nuda, & hoſtibus circumſeptum, arma miniſtret, ſi ponat caſtra, ſolicitet tutamenta, non mortem inferat; nam Iſraelitarum vires præcidere, eſt robur hoſtibus addere: O vtilem, & laudandam politicam! Vt generalitati prouideret, publica delicta ſeuera diſtrictione puniuit, & diuina vindicat iura, ſecura conſtruit tutamina; vt qui cœleſti luce illuſtratus nouerat grauius eſſe Reipublicæ detrimentum læſi iuris querelam, quàm inimicorum armatam copiam: ergo aſſeruata, cuſtoditaque iuſtitia hoſtibus reſtitit, & benè politicos Principes ſuis factis edocuit. *Debet Prælatus* (inquit Oleaſter hic ad mores) *quantum poteſt peccata populi occultare, famamque ſeruare, ſed cùm viderit publicata, vindicare, & publicè punire.* Et expende eodem tempore Iopue pugnæ vlulatum audiiſſe: *Vlulatus pugnæ auditur in caſtris*, & Moyſem cantantium choros auſcultaſſe: *Vocem cantantium ego audio.* Nam ſi caſtra vlulant, cum aduerſarij triumphum reportant, iam hoſtium præuidebatur triumphus, & impunita culpa, Iſraelitarum verberabat aures vlulatus, non tam noceret populo hoſtium clamor ſe adhortans ad pugnam, vt ni digno ſupplicio punirentur, chorus ſe pronocans

Exod. 32. v. 25.

cans ad adorationis insaniam. Notauit datus Oleaster : *Magis timenda est in populo latitia inordinata, quàm belli clamor, aut tristitia.* Dum à iudicibus, & populi primoribus ille vituli cultus dignis pœnis non punitus, chorus vertebatur in miserum vlulatum, & impunita festinitas ingens erat generalitati calamitas. Ast cùm Moyses vitulum in cineres redigit, dum legum corruptores pio ferro præcidit, sospitatem populo reddit.

TEXTVS.

VERS. XXIII. Cùm autem vidisset Abigail Dauid, festinauit, & descendit de asino, & procidit coram Dauid super faciem suam, & & adorauit super terram.

§. XLI.

Humilitas commendat preces, & indignationis emollit vires.

Humilitas, Oratio.

HVmilitas, dum nescit tumorem, animi commendat virtutem, & dum laudabili deiectione subiicitur, irascentis furor penitus exarmatur ; ardet ira contra peccantem, sed probro ducit sæuire in humilem. Dauid acceptam à Nabale insperatam iniuriam eius sanguine compensaturus properabat, & spirans cædes tendebat. *Grauiter siquidem* (aiebat Cassiodorus 5. *variarum* 43.) *dolet iniuria, quæ contigerit insperata, & si indè proueniat dolus, vndè expectabatur auxilium.* Cùm à Nabale Dauid iustè expectaret auxilium, inspectatumque accepisset probrum, sic doluit inopina iniuria, vt inflicta se vlcisci vehementer discuperet pœna. Eo rerum statu Abigail prudentissima ad humilitatem recurrit, & se ad Dauidis pedes, vt indignationem deliniret, proiecit : *Descendit de asino, & procidit coram Dauid super faciem suam, & adorauit super terram.* Humili tantæ fœminæ deiectione ardor iracundiæ copiosis veluti laticibus extinctus est, nec vlterius progressus, quia venerabundæ adorationis laudabili incantamento impeditus. Notauit Lira : *Deprecatio Abigail ostenditur acceptabilis ; primò, ex sui humilitate in facto, cùm dicitur : Et procidit coram Dauid, & verbo.* Factis, verbisque cordis humilitatem attestantibus, ira detumuit coercita, & erubuit Martius dux non reuereri humilitatis officia. Tanta est huius virtutis vis ad placandos animos, & hostiles reprimendos adsultus ! De Abigail posset repetere Cassiodorus, quod 11. *variarum* 1. scribebat : *O te beatam Dominam laude multiplici, cui diuino beneficio necessitas tollitur cuncta certaminis, quando aduersa Reipublicæ, aut cœlesti felicitate vincis, aut tuis imperiis spontanea largitate subiungis.* Certamen vitauit prudentissima fœmina spontanea largitate, & laudabili deiectione.

Isai. 2. v. 10. *Ingredere* (aiebat Isaias) *in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* Et quid proderit petra, contra indignationis cœlestis arma ? Quid humus fossa contra vibrata certissima manu tela ? Nonne montes à facie eius, sicut cera fluxerunt ? Ergo malè terra resistet, quando mons timore concussus cedit. O securum humilitatis profugium ! Defossa terra homo absconditur, quia honestè breuiatur, & humili timore protegitur : ergo iam cœlestis indignatio non tam culpa exasperatur, vt feriat, quàm humilitate delinitur, vt parcat : *Descripta culpa* (inquit Glossa Moralis) *hîc subditur medela, cùm dicitur : Ingredere in petram*, &c. Dum homo propriæ vilitatis agnitione veluti humo defossa tegitur, ab indignatione Domini custoditur : ergo Abigail ad terram se deiecit, *Procidit coram Dauid super faciem suam*, & appetens supplicium humili deiectione vitauit.

§. XLII.

Prudentia est laudabiliter deiici, ne contingat ignobiliter conculcari.

Deiectio. Prudentia. Iactantia.

OStendisti (aiebat Cassiodorus 5. *variarum* 44.) *prudentissimè Regum post errores euentum sapientibus subuenire posse consilium, nec pertinaciæ vitium vos amare, quod brutis hominibus videtur accidere. Obligastis animum meum tanta vos in meliùs celeritate mutando. Nam cùm Rex satisfacit, qualibet dura dissolvit* (*quia sic est in Principibus humilitas gloriosa, quemadmodum in mediocribus odiosa potest esse iactantia.*) Qui post errorem pertinaciter turget contra se indignationem viuidiùs accendit : qui errorem humilitate fatetur, consulere sibi non dubitatur : vitat indecorum supplicium humilitas gloriosa, sibi negotiatur despectum ceruix elata. Decreuerat Dauid Nabalem, eiusque familiam & plectere, & proculcare. Abigail, quæ prudentis meruit elogium, se ad Dauidis pedes humiliter abiecit, & iracundiam restinxit : *Procidit coram Dauid super faciem suam.* Alicui videatur Abigail se nimis deiecisse, nec prudentiæ modum seruasse : quid enim opus culpam in se transferre, mariti stultitiam promulgare, & ipsa confessione iracundiæ vires fouere ? Verùm nihil consultius, nihil opportunius potuit excogitare, & efficere ; quandoquidem anteuertit imminentem casum, & despectum. Notauit Lira : *Deprecatio Dauid ostenditur acceptabilis : primò ex sui humilitate in facto.* Expendit Abigail opus esse Dauidis indignationem sustinere, aut errorem admissum humili confessione, deiectioneque releuare : ergo prudens maluit laudabilem humilitatem amplecti, quàm dedecus obscurum subire ; elegit honestè deiici, ne contingeret indecorè tractari. Superbus ille Lucifer exhibere noluit, vt placet Interpretibus, Deo humile adorationis obsequium, sed ambiuit stultè tumidus sibi plausum ; *In cœlum conscendam, super astra Dei* Isa. 14 v. 13. *exaltabo solium meum.* Ad quantam pertinax humiliationem elatio deuenerit, ipse expertus est Apostolorum pedibus proculcatus, & vestigiis eorum subiectus. *Ecce dedi vobis potestatem cal-* Luc. 10. *candi supra serpentes, & scorpionem, & super om-* v. 19. *nem virtutem inimici.* Calcari, pedibusque conteri contumeliosa fuit ignominia, decenter subiici humilitas esset gloriosa : ergo sic desipuit Lucifer, vt laudabilem aspernatus humilitatem, passus sit indecoram subiectionem. Notauit Cyrillus *in Catena ad Luc.* 10. *Conculcatur ab adorantibus*

rantibus Chriſtum. Si Chriſtum adoraſſet, non conculcaretur, & quia adorare renuit, conculcatur: ergo deſipuit ignominioſa abiectione honeſtam commutans humilitatem. Vndè ipſum irridens Propheta aiebat: *Perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te.* Ingemuit ignominiosè proiectus, quia noluit ſe proiicere generosè humiliatus. Gabaonitæ Ioſue ſeruos ſe eſſe fatentur: *Serui, inquiunt, tui ſumus.* Superbi Reges Gabaonitarum prudentia offenſi bella mouent, ſed à Ioſue deuicti ante eius præſentiam ſiſtuntur; & ab eius militibus triumphali pede calcantur: *Ponite pedes veſtros ſuper colla Regum iſtorum.* Quos prudentiores cenſes? Gabaonitas, qui decora humilitate proculcationem redemerunt, aut ſuperbientes Reges, qui elationis tumore proculcationis infamiam ſibi compararunt? Profectò Gabaonitæ benè politici excuſarunt deſpectum, tumidi illi Principes indignum maieſtate paſſi ſunt probrum: ſapientiam coluiſſent, ſi Gabaonitarum imitarentur humilitatem; aſt dum tumidi ſuperbiunt, ignominiam extremam ſubeunt. *Hominibus* (inquit Adamantius in Gloſſa ad Ioſue 9.) *qui ad ſe ſupplices venerant, ſalutem concedens.* Humili eos Ioſue ſeruituti ſubiecit, ſed ſupplicibus ſalutem exhibuit: qui reſtiterunt elati, pedibus ingemuerunt attriti. Vt noueris magnam eſſe prudentiam, ne tibi contigerit ignominiam proculcationis ſubire, decora humilitate obarmari.

Ezech. 28. v. 17.

Ioſue 9. v. 8.

Ioſue 10. v. 24.

TEXTVS.

VERS. XXIV. Et cecidit ad pedes eius, & dixit: In me ſit, Domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obſecro, ancilla tua in auribus tuis: & audi verba famulæ tuæ.

§. XLIII.

Vera charitas, vt à proximo auertat imminentem ruinam, non recuſat ſubire pœnam.

Charitas. Pœna.

EXinanite voſmetipſos (aiebat Balduin. *in Allegor. Tilman. ad Act.* 20.) *& ſeruilem formam accipite, vt interdum efficiamini ſicut homines propter homines, infirmi propter infirmos.* Sæpè homines, dum non verentur culpis inſici, contra ſe probantur calamitatem maturare; verùm charitas didicit, vt ab eis imminentem auertat pœnam, ſibi adſcribere admiſſam culpam. Itaque diſcupit, vt proximorum ſoſpitati poſſit conſulere, eorum culpæ debitam pœnam exoluere. Deliquerat Nabal, cúmque Dauid dignam inflicturus mulctam properaret, Abigail tempeſtiuè occurrit, & ſe infligendo ſupplicio exponit. *In me ſit, Domine mi, hæc iniquitas.* Iniquitatis nomine pœnam intelligi apud Interpretes indubium eſt. Ita noſter Sanctius: *Addo explicationem aliam fortaſsè veram, ita vt iniquitas non ſignificet peccatum ſed peccati pœnam, quod in Scriptura ſacra familiare eſt.* Non dubitabat Nabali luctuoſam imminere ruinam, & Dauidem, quo ſolaretur illatæ iniuriæ dolorem, decreuiſſe Nabalis ſtragem: ergo Dauidem exorat, vt ei liceat ſubire pœnam, ne contra Nabalem cruentam exercerit vindictam. Eſt enim viris perfectis ſatis frequens, vt Numinis iram temperarint, & à proximis ſupplicium auerterint, infligendis pœnis ſe exponere, & ipſam vitam generosè deſpicere: ergo Abigail acceptat pœnam, vt auertat à Nabale ruinam. Vt aſpexit Dauid Angelum cruento gladio populos percutientem, ab eo ſtragem auerteret diſcupiens, immolauit, & gladium contra ſe verti ardenter petiuit: *Vertatur, obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Viuida adeò charitate ardebat, vt celeri greſſu ſe morti obiecerit, ſi quiuerit, à morte reliquos liberare. *Digna ſunt* (inquit Theodoretus apud Gloſſam) *admiratione ipſa verba Regis: ignorans cauſam, ſuum peccatum vocauit, quod fuerat factum, & vt in ſuum genus iuſta ferretur ſententia, ſupplicauit, vtens verbis boni paſtoris, imitans filium ſuum, & Dominum, qui animam ſuam poſuit pro ouibus.* Pro ouibus poſuit animam, vt teneret charitatis menſuram. Et expende ipſa pœnæ acceptatione iram reſtinxiſſe, & æternum ſibi elogium comparaſſe. Vindex hebetabatur gladius, vbi charitate ardens adeò promebatur affectus, & quem merebat gladium culpa, charitatis amouit flamma. Lucroſa ſunt viris ſanctis hæc deſideria, exambiunt pro proximis ſubire mulctam, ſed eo ipſo ardore prouidam negotiantur ſibi tutelam. *Si murus eſt* (aiebat ſponſus de ſponſa loquens) *ædificemus ſuper eum propugnacula argentea.* Propugnacula fiunt, vt à longè hoſtiles repellantur adſultus, & acerrimi arietis muros ſubruentis conatus. Inquires, cur ſponſa præcipuè his propugnaculis ſuffulciatur, cùm murus dicitur. *Si murus eſt.* Murus hoſtilibus adſultibus pater, & patendo ciues protegit: ergo ea ſponſa charitate micabat, vt muri adinſtar exponeret vitam, vt cæteris afferret tutelam; verùm dum aliis ſolicitat tutelam, ſortitur propugnacula, quibus propriam conſeruet vitam. Honorius ſic locum exponit apud Delrium in Anagoge: *Vt ſint ei in die iudicij propugnacula in dilectione, vt argentum ſplendida, quando ſimiſtris dicetur: Diſcedite à me operarij iniquitatis.* Confirmat Gregorius hîc: *Ad reſiſtendum aduerſis impenetrabiliter roboratur.* Argenteis propugnaculis roboratur, quæ ad alios protegendos murus efficitur, & dum charitas pro aliis acceptat incommoda, ipſa acceptatione ſibi acquirit validiſſima tutamenta. Abigail ſe pro Nabale morti offert. *Parata ſum* (verba ſunt Litæ) *recipere quamcumque vindictam pro mariti mei iniquitate.* Sed Dauid, quam tantis vidit virtutibus decoratam, ſibi ſponſam delegit, generosè contemnens aſſeruauit vitam, & immortalem adauxit famam.

2. Reg. 24. v. 17.

Cant. 8. v. 9.

§. XLIV.

Iuramenta inconſideratè emiſſa retractanda ſunt, non implenda.

Iuramenti religio.

IVramenti religio, quæ Deum in teſtem conſtat adducere, omni debet ſtudioſitate adimpleri, quando tantæ maieſtati irrogatur iniuria, ſi fides conſtet violata.

Vos

Vos quoque (aiebat Cassiodorus 8. *variarum* 7.) *prædicta conuenit imitari, vt Gothi Romanis præbeant iusiurandum, & Romani Gothis sacramento confirment se vnanimiter regno nostro esse deuotos. Quatenus & nobis vestra synceritas laudabiliter innotescat, & ad quietem vestram proficiat inuicem promissa concordia.* Concordia vtrimque iuramento firmata omnem ab animis solicitudinem depellebat, quando non erat timendum sacramentum fore violandum. Et quidem vel apud Ethnicos periurium magnis inuenitur pœnis mulctatum. *Ætate nostra* (inquit Eurypides apud Stobæum *capite vigesimo octauo.*) *Fides omnis confunditur, & iusiurandum, quod quidem plurimum terrestres homines lædit, si quis ipsorum sponte peierauerit.* Verùm licitam iuramentum requirit materiam; nam si iuramento firmetur, quod persuadet æquitas non impleri, iniquum esset iurisiurandi sacramentis adstare. *Iusiurandum iniustum vsurpandum non est*, aiebat Chærillus apud Stobæum *capite vigesimo septimo*; sed si forte fuerit emissum, non est adimplendum, sed retractandum. Itaque Dauid inferenda propria manu Nabali strage se vlciscendum seriò iurarat: *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent vsque mane.* Abigail, cùm à cæde auertere conaretur, ne ob iusiurandum Dauid resilire non posse, allegaret, illam iniquitatem sibi imputandam assumit: *In me sit, Domine mi, hæc iniquitas.* Acsi diceret: A iurato abstinere non est iniquitas, immò iniquum esset explere, quando fas non est propria auctoritate vindictam sumere, & immeritam à familia pœnam expetere. *Melius erat* (inquit Theodoretus apud glossam) *transgredi minarum iusiurandum, quàm tantam cædem facere.* Consonat Augustinus *serm.* 11. *de sanctis*: *Iurauit Dauid temerè, sed non implenit iurationem maiore pietate.* Illud iuramentum implere esset prauitas, non adimplere fuit pietas. Persuadet Dauid iuramento non teneri, quandoquidem expetita vltio nec prudentiæ congruebat, nec æquitati. Vndè constat non esse implenda iuramenta, quæ fulciunt imprudentes minas, vel inferendas alteri pœnas: ergo cùm iurasset Dauid grauem inferre mulctam, & afferre domui ruinam, monet Abigail fas non esse iuramentum impleri, sed decretum retractari. Hunc esse legitimum Abigailis sententiæ sensum tradit noster Sanctius: *Religiosum Principem adducere potuit, ne ab illo desisteret consilio, quod iuramento, atque execratione firmauerat. Ab hoc itaque metu liberat Abigail, dum in seipsam deriuat, quod timere ille poterat à periurio.* Tantum, ait, abesse ab iniquitate emissum non implere iuramentum, vt absoluere sit peccatum, atque adeò eam violationem non esse fugiendam, sed procurandam. *Iurauerunt iniusti* (aiebat Sapiens) *in dolo contemnentes iustitiam.* Plures malè iurant, & graue malum inferre fixè determinant, adeóque desipiunt, vt existiment se teneri ad inferendum nocumentum, quia emiserint iusiurandum. Hi admonendi sunt, ne iuratam inferant mulctam, sed retractent sententiam. Nabuchodonosor, vt indignationi suæ admaretur, iurat regiones inuadere, homines sub iugo mittere: *Iurauit per thronum, & regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his.* Lira defensionis nomine inuasionem significari testatur: *Quod defendereret se, id est, inuaderet omnes regiones illas.* Dum malè iurata explere aggreditur, capite meritissimè detruncatur; est enim iuratas minas implere, delicta multiplicare. *Ab incepta malitia non desistit* (inquit Interlinearis) *sed iterum bellum intendit, & totum furoris sui effundit impetum.* Dum ambitiosus iurat, delinquit, & dum implere iusiurandum decernit, sibi impiam mortem asciscit. Ergo Abigail à iuramenti executione Dauidem retardat, ne, si existimet religioni obtemperare, impietati contigerit deseruire.

Iudith. 1. v. 1.

§. XLV.

Ira, quia ad vltionem cæcè festinat aures monitis salubribus denegat.

Ira. Consilium.

INter reliquos impotentes affectus ira maximè cauenda est; cæteris namque aliqua salutis spes inest; ira tetra semper, & rabida, dum alteri noceat, vitam discrimini exponit, nec gladium intuetur, quia tetro ardore obcœcatur. Iure sapientes appellarunt iram breuem insaniam; totum hominem demutat, & quidquid ad salutem conducit, vetat. *Impotens sui est* (scribit Seneca *lib.* 1. *de ira, cap.* 1.) *decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit, pertinax, & intenta, rationi, consiliisque præclusa, vanis agitata causis, ad dispectum æqui, verique inhabilis, ruinis simillima, quæ super id, quod oppressere, franguntur.* Huius furoris non inscia Abigail tota fuit in animo Dauidis sedando, ne aures salubribus consiliis denegaret, & rationem prorsus contemneret. *Loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ.* Ne denegaret aures, humiliter supplicauit, quia iracundiæ furore inflammatos auribus carere nouit. Ita Abulensis *quæst.* 7. *Timebat Abigail, quòd cùm Dauid esset inflammatus in iram contra Nabal, quod videns proponi verba ex parte eius, non pateretur illa audire, ideò orauit, vt audire vellet.* Vti prudentissima Dauidis animum placare humilitate, & adoratione studuit, vt saniori menti restitutus, pertinaciter non fureret, sed patienter aures præberet, vt quæ non ignorabat exoculatam iram sic sensus omnes peruertere, vt nec oculi rectè adspiciant, nec aures audiant. Cain, vt vidit fratris sacrificium cœlesti dignatione honoratum, exoculata ira exarsit: *Iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Alij affectus prudenti cautela possunt corde occultari, iracundia nequit vultu non prodi. *Cætera* (aiebat datus Seneca) *licet abscondere, & in abdito alere: ira se profert, & in faciem exit, quantoque maior est, hoc effernescit manifestius.* Ipso in Caini vultu se ira prodebat, & non dubiis notis manifestabat. Irato Deus occurrit, & pientissimus mederi satagit: *Dixit Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne, si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* Putares ostensa Abelis æquitate, & cœca eius indignatione, Cainum frænandum, & detinendum: sed quid effecerit, audi: *Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Adam, Euaque,

Gen. 4. v. 5.

que, etsi serpentinis fraudibus circumuenti, & ambitionis ardoribus inflammati aures non amiserunt, sed Domini vocem auscultarunt : *Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui.* Ad Cain Dei vox defertur, sed non auditur. Et cur Cain tam salubria monita non percipiat, nec medenti obediat ? Quia ardenti adeò ira inflammatus est, vt ad Dei voces surdus, & fraternitatis prorsus oblitus. *Iratus est vehementer.* Prodest Lira : *Ex admonitione Domini non fuit motus ad contritionem, sed magis incepit machinari ad fratris innocentis occisionem.* Ipso remedio exasperatus furit, & gliscit ; sic ira aures vitiarat, prudentiamque euerterat. Vt noueris, quàm sit ira fugienda, vtpotè salutis, & rationis inimica.

Gen. 3. v. 10.

§. XLVI.

Culpam ingenuè fateri est irascentis furorem salubriter refrenare.

Culpæ Confessio.

LIbertus Sabiniani deliquerat : cúmque ad C. Plinij patrocinium se contulisset, ingenuè admissam culpam confessus est. Ergo Plinius amico suo persuadet culpæ confessione iram continendam, & indignationem frænandam. *Venit ad me* (inquit 9. *epist.* 21.) *aduolutusque pedibus meis tanquam tuis hæsit. Fleuit multum, multumque rogauit, multum etiam tacuit. In summa fecit mihi fidem pœnitentiæ. Verè credo emendatum, quia deliquisse se sentit. Irascéris, scio, & irascéris meritò, id quoque scio : sed tunc præcipua mansuetudinis laus, cum iræ causa iustissima est.* Adnectit : *Interim sufficit, vt exorari te sinas.* Aperta, ingenuaque criminis confessio reatum imminuit, &, vt iracundia temperaretur, effecit : libertus euasit supplicium, quia ad confessionis culpæ inuolauit remedium. Abigail etiam, vt ardorem deliniret, ad Dauidis pedes aduoluta ingenue Nabalis culpam confessa est : *In me sit, Domine mi, hæc iniquitas.* Acsi diceret : Ingenuè admissam confiteor culpam : ergo dum nullis tergiuersationibus defendo, dum excusationibus nullis imminuo, veniam mereor concedi, & iracundiam frænari : quod & factum est : *Prohibuisti me hodie* (inquit Dauid) *ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea.* Qui culpam superbè colorat, contra se indignationem exasperat : qui ingenuè fatetur delictum, emollit iram, & facilius assequitur veniam : ergo Abigail manifestè est confessa reatum, & confessio fuit indignationis delinimentum. Ita Abulensis *quæst.* 7. *In me sit, domine mi, hæc iniquitas, id est verum est, quòd peccauit grauiter Nabal, sed oro, quòd ista iniquitas sit in me.* Culpam confitendo restinxit iram, si vario prætextu defenderet, accenderet viuidiùs flammam ; nam sibi inuidet, qui contumax admissum errorem defendit ; nam impudentia irritat, & igniculis iniectis inflammat. Cùm Dei ira iustissimè in populum desæuiret, Dauid se stricto gladio obiicit, &, vt obiiceret, inuolauit : *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi.* Satius videbatur fugere, quàm accedere. Si Angelus stricto gladio iram pectoris prodit, quomodò Dauid accurrit ? nam aut spiritus vires contemnit temerarius, aut sibi procurat cædem imprudentissimus. Profectò Dauid videretur improuidus, ni accederet ipsa confessione munitus ; verùm vbi reatum apertè confessus est, Angelus ipsa palam prodita veritate, ne vindictam sumeret, tardabatur : *Ego sum, qui peccaui, ego iniquè egi.* Quid tunc ? Iam ira placatur, & indignatio sopitur : *Sufficit ; nunc contine manum tuam.* Ingenua confessio fuit iræ delinimentum, & salutare profugium. *Hoc facto* (inquit Ambrosius *Apol.* 1. *pro Dauid cap.* 7.) *statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus.* Confitendo dignus fuit, qui altare constrmeret, si culpam cautè tegeret, aut excusando minueret, ? esset dignus, qui absolutione careret. Tantum iuuat aperta veritatis confessio ad iram frangendam, tantum contumacia ad exasperandam.

2. Reg. 24. v. 17.

TEXTVS.

VERS. XXV. Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal : quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo : ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, Domine mi, quos misisti.

§. XLVII.

Prudens insipientis ineptias debet contemnere, non acriter vindicare.

Prudens. Insipiens. Vindicta.

PLura sunt, quæ nos ab ira debent remouere. Deliquit adolescens, excuset ætas ; fœmina ad iracundiam prouocauit, sexui donetur ; amicus occasionem exhibuit, sopiatur ira familiaritate. Disertè Seneca *libro tertio de Ira capite vigesimo quarto. Puerum ætas excuset, fœminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas.* Prudens delinquentibus excusationes quærit, ne irascatur, sibique deficiat, & prudentiæ noceat : verùm quod præcipuè ab indignatione nos temperare debet, est offendentis stultitia, & stulti ignorantia ; nam ut fecit, quod noluit, aut voluit, quod ignorauit. *Stultiori* (aiebat datus Seneca) *remittamus.* Indignum est prudenti viro ineptias imprudentis æstimare, & acrem vindictam sumere, quandoquidem quidquid dixerit, non est adscribendum malitiæ, sed insipientiæ. Ob id Abigail Nabalis allegauit stultitiam, vt iracundiæ sopiret flammam, quasi indecorum esset Dauidi stulti verbis commoueri, & vindictam de stulto sumere : *Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal, quoniam secundum nomen suum stultus est.* Illud, *Ne ponat cor suum*, idem valet, ac quod Hispanè dicitur, *No ay que hazer caso de vn necio.* Notauit Lira : *Allegat viri sui stultitiam, & idèo factum suum viro prudenti non est accipiendum contra di, & hoc est, quod dicitur : Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum :* Stultus stultitia ipsa, qua errorem committit, alleuat, quandoquidem viro prudenti, g ramque esset indignum stulti stoliditatem non pariendere : ergo viri fatetur stultitiam Abigail, vt iracundiæ reprimat flammam. Cùm Iobi vxor eum frequenter asperis verbis impe-

reret,

teret, & ad iracundiam prouocaret, patientiam coluit, & vti stultæ verba contempsit: *Quasi*
Iob. 2. v. 10. *vna de stultis mulieribus locuta es.* Multa vxor præstiterat Iobo obsequia; multa exhibuerat officia: ergo noluit irasci contra ob insipientiam lapsam, sed cogitauit diu fuisse officiosam. Quod datus Seneca edocebat, Iobus exercuit: *Nunc primum offendit, cogitemus quandiu placuerit.* Cogitauit Iob diu placuisse: ergo noluit contra aliquando errantem iracundia efferuescere. Vxoris verba exasperabant patientiam, sed indecorum duxit irasci in stultam. Prodest Gregorius *libro tertio Moralium, capite septimo. Nequaquam, ait, quasi vna ex mulieribus, sed quasi ex ineptis mulieribus, vt videlicèt ostendatur, qui, quod prauum sapit, accidentis stultitiæ, non autem conditæ sit naturæ.* Vt sapiens stultæ impertitus est veniam, ne videretur ipse etiam desipere, si effudisset ardentem iram. Ergo Abigail Nabalis allegat stultum, rudeque ingenium, ne Dauid prudentiam suam innubilet, si desæuiat in rusticum hominem, & stultum.

§. XLVIII.

Mirum est, si nomina veritati adaptentur, nec discordare inueniantur.

Nomen. PLura nomina inconsideratè adeò rebus induntur, vt prorsus contraria qualitatibus inueniantur. *Quanti nequam serui* (aiebat Tertullianus *libro primo aduersus Marcionem*) *Regum nominibus insultant, Alexandri, Darij, & Holofernis.* Seruus improbus Alexandri Magni Regis nomen assumebat, & insultabat. Si nomen attenderes, Regem crederes; si veritatem inspiceres, seruum, & quidem vilissimum, inuenires. *Vocabulum* (aiebat Cassiodorus *6. variarum 6.*) *Semper de peritia venit, & in nomine cognoscitur quid sit de moribus æstimandum.* Felix sæculum, vbi nomina cum veritate concordabant, & quid res esset sine ambiguitate ostendebant. Modò frequentius est à rerum ingenio resilire, & veritati aduersari. Non otiosè Abigail cùm retulisset virum suum stultitiam nomine ipso promulgare, adnexuit, & actione nomen implere: *Secundùm nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo.* Acsi dicat: Nomen stultum denotat, sed quia pluries nomina veritati inueniuntur contraria, in Nabale concordat, & hominis ingenium designat. Appositè Lira: Acsi dicat: *Stultus est re, & nomine.* Ecce quod in relatione Abigail videbatur otiosum, vtilissimum est documentum; addendo namque: *Et stultitia est cum eo*, ostendit, sæpè nomina non ritè imponi, & cum factis mirè pugnare. Rex Tyri Dei nomine gloriabatur: *Deus ego sum, &*
Ezech. 28. v. 2. *in cathedra Dei sedi in corde maris.* Audis nomen ab ambitione profectum, audi quid à veritate prolatum: *Cùm sis homo, & non Deus.* Homo erat terreus, & infirmus, & appellabatur Deus, vt audientes nomen falleret, & ventosissimo tumori alendo inseruiret. Repetere posset Basileus Seleucensis, quod *oratione decima nona. Cur igitur appellationi, cuius virtute caret, contumeliam irrogas? quid gestas cognomen, quod personæ probro sit? Factis appellationem impugnas, & calumnia nomen tuum afficis.* Factis Tyrus appellationem impugnabat, & vitiis plenus appellabatur Deus diuinitate, & virtute excultus. Si plura nomina cum rebus conferres, inimica prorsus actionibus inuenires.

TEXTVS.

VERS. XXVI. Nunc ergo, Domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te, ne venires in sanguinem, & saluauit manum tuam tibi: Et nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt Domino meo malum.

§. XLIX.

Religiosa fiducia facilè impetrat, diffidentia vim orationis euacuat.

QVi humiliter supplex se impetraturum non dubitat, concedentis liberalitatem honorat: qui hæsitat, aut causam precum infamat, aut largitoris ingenium hæsitatione ipsa dehonestat. Vndè præscribens petendi normam Iacobus admonebat: *Postulet in fide nihil*
Fiducia. Diffidentia. Epist. Iac. 1. v. 6. *hæsitans.* Lira: *Nihil hæsitans de diuina potestate, ac etiam voluntate dandi petentibus debitè, scilicèt pro se, & perseueranter.* Si debitè preces fundantur, religiosa fiducia muniendæ sunt; aliter eius; à quo petimus, in dubium vertitur, aut potestas, aut bonitas. Imbecillitatis est dare non posse, illiberalitatis est, quod dare quiueris, denegare: ergo qui nihil hæsitans petit, ipsis precibus largitoris potestati, bonitatique plaudit. Ob id Abigail, quod obnixè, humiliterque à Dauide postulabat, obtentum iam asserebat, & nihil dubitans clementiam Dauidis obligabat: *Nunc ergo, Domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te, ne venires in sanguinem, & saluauit manum tuam tibi.* Inquires, quomodo asseras à vindicta prohibitum, quem adhuc videbat ad vltionem armatum? Censebis referre potiùs grates (si verba expendas) ob impetratam veniam, quàm ambire misericordiam. O mulieris prudentiam! Ea confidentia accessit, acsi post voti assecutionem gratias rependeret, ac clementiam commendaret. Notauit Abulensis *quæstione vndecima. Voluit demonstrare, quod non dubitabat aliquo modo, quin Dauid condescenderet huic petitioni; ideò dixit, quòd Deus prohibuerat eum, ne veniret in sanguinem, id est, quòd Deus iam mutauerat propositum illius, ne vellet se vlcisci manu sua: & hoc, vt Dauid verecundaretur non assentire petitioni suæ.* Benè adeò de Dauid præsumenti postulata denegare, erat sibi ipsi inuidere: ergo Abigail ostentauit fiduciam, vt assequeretur facilè veniam. Adnectit Abulensis: *Si petamus quasi dubitantes, damus locum subterfugiendi eis, à quibus petimus.* Ipsa diffidentia petitionis vires euacuat, prudens fiducia corroborat: ergo Abigail ea petiuit impetrandi certitudine, ea fiducia, quasi assequuta fuisset iam vota: *Saluauit manum tuam*

tibi. Diuus Paulus Epheſios inſtruens, ſic ait: *In quo habemus fiduciam, & acceſſum, in confidentia per fidem eius.* Acceſſum, ait nobis patere ob fiduciam, & deſiderata impetrare religioſa, ac prudenti confidentia. Ita Diuus Anſelmus: *In confidentia, id eſt, merito confidentiæ habitæ.* Itaque religioſa confidentia petitioni præſtat meritum, vt iam non poſſit denegari, quod tam honeſto titulo conſtat mereri. Chananæa poſt preces, poſt clamores aſpero ad ſpeciem verbo repellitur. *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael.* Quid tunc? Pronoluta Chriſti tenet veſtigia, & ſalutem ſibi promittit intrepida confidentia: *At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me.* Et cur mulier inhumanitatis, impotentiæque Saluatorem condemnans non auolet? Cur querula non inclamet preces auxilio deſtitutæ, ac pauperis deſpici, & clamitantem non exaudiri, ſed propiùs accedat, & adorationis tributum ſoluat, & quaſi votum conſecuta gratias rependat? Quia ipſa fides (inquit Baſilius Seleuc. *oratione vigeſima*) ipſa fiducia iam intuebatur, quid ſub arcano illo ſilentio lateret, & quid canis appellatione promitteret. Sic de Chriſto benè præſumpſit, vt auſa fuerit cum denegante pugnare, & honeſtè vincere: quod & contigit, dicente Domino: *O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.* Ecce fiducia ſuæ fecit eſſe voluntatis, quod eſſe videbatur poteſtatis alienæ. *I, dæmonum victrix, propaginis tuæ ſanationem fer in fidei præmium* (verba ſunt Baſilij) Iam Chriſtus præmium ſoluit, quod fiducia meruit, & prudentiſſimè Chananæa noluit à petitione ceſſare, quia nouerat fiduciam, quod petitur, promereri.

Ad Eph. 3. v. 12.

Matth. 15. v. 24.

§. XLIX.

Iuſti nihil gloriæ ſibi arrogant, ſed omnem Numini adſcribi exoptant.

Iuſtus. Gloria. Numen.

VAna gloria immanis eſt bellua, ipſas virtutes diſcerpens, & diſcerptas deglutiens: quod honeſtè peractum efflloreret, peſtilenti vanitatis flatu elanguet, & quod laudabili aſſeruaretur humilitate, inani amittitur gloriatione. Vbi Ioſeph ſe præ cæteris eleuatum ſomniauit, venditus, & quidem à fratribus, dolenter ingemuit. Pater à fera teſtatus eſt deuoratum. *Fera peſſima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph.* Philo hoc ſomno ait delineatum, quod vanitulis, & ſuperbis accidit, quò Prudentes intuiti velut in ſpeculo vanitatis detrimenta, ad tuta inuolarint humilitatis profugia. Ipſum audi librum de Ioſeph. *A feris circumuentus inducitur, quod huic inſidietur immanis beſtia, vana gloria, corripere, ac deuorare tales ſolita.* Eiuſmodi belluæ truculentiæ non ignari virtutis ſtudioſi omni ſolicitudine cauent, ne in manus eius inciderint, quid ſibi gloriæ arrogantes, & Dei honori detrahentes. Abigail eloquenti oratione, & decenti humilitate eius ardorem reſtinxiſſe, & à criminibus liberaſſe teſtatur ipſe Dauid: *Benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem in ſanguinem.* Audis Dauidem ab Abigail mitigatum, audi Abigail dicentem à Deo prohibitum: *Viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te, ne venires in ſanguinem.* Ecce quidquid in hac actione feliciter actum, Deo teſtatur Abigail adſcribendum; cùm Dauid non refugiat fateri eius nitido, & prudenti eloquio adſignandum: *Benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie*, &c. Cur ergo Abigail nihil ſibi vendicet, nec muliebri ingenio gloriam ſuſpiret? Quia vti prudentiſſima (inquit Hugo) nouit acquirendæ gloriæ artem non eſſe ſe tumide efferre; ſed penitus Numini quidquid laudandum adſcribere. A ſe omne gloriæ deſiderium abiiciendo lucrata eſt famam, ſi quid applicaret ſibi, amitteret prorſus huius egregiæ victoriæ gloriam. Hugonem audi: *Qui prohibuit te, Dominus dico, qui prohibuit.* Totum Deo arſcripſit, nihil ſibi ex illa victoria rapuit. Et quidem dum humilitas gloriam omnem reſpuit, reſpuendo acquiſiuit, quàm ambiendo prorſus deperderet. Paulus ad Corinthios ſcribens, ſic ait: *Abundantius illis omnibus laborauí: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Paulus Oroſius *Apolog. de liber. arbitr.* expendebat Apoſtolum ſibi ad ſpeciem contrariari, dum honeſti laboris nihil ſibi arrogat: *Non ego,* & gratiæ ſe aſſociat; non quod videbatur reſpuere, ſibi probatur adſcribere. *Gratia Dei mecum.* Quia nouerat, reſpondet ſatis diſertè Oroſius, ipſa gloriæ renuntiatione gloriam incrementare, & quidquid ſibi non adſcriberet, obtinere. Dicendo, *Non ego*, gratiæ quidquid elaborauit, adſcripſit, & quia adſcripſit, totum ſibi ad elogium, & meritum vendicauit. *Inter duo hæc verba, Non ego, & Mecum, gratia Dei media eſt. Vnde & ille confiſus, vt diceret, Mecum? Quia dixerat: Non ego.* Vbi omnem à ſe gloriam repulit, Deoque dicauit, ſibi ipſa abdicatione acquiſiſſe oſtendit; & quia dixerat: *Non ego*, potuit, *Mecum*, adnectere lucroſè, non vanè. Ingenium eſt amplificandi ſibi gloriam Deo integram dicare, & illibatam offerre. Econtrà, qui ex Dei donis ſibi aliquid arrogant, iam hoſti oſtium ad inſultandum aperuit. Aſtutus ſerpens per hominis latus hominem ſubruere aggreditur: *Dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi?* Si quæras, cur per mulierem fuerit adorſus bellum, vt aſſequeretur infaustum triumphum? Reſpondebit Baſilius Seleuciensis *oratione 2.* Spes fouiſſe, ex quo audiit ex Dei dono quid Adamum ſibi applicaſſe. *Hoc nunc* (aiebat) *os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt.* Vbi Adam eam ſibi fabricam quodammodò adſcripſit, nec totam Numini conſecrauit, aſtutus ſerpens per mulierem diſpoſuit aggredi, & præſumpſit vincere. *Quomodò alienam repuzabo* (verba ſunt Baſilij) *qua non exiuit ſecus, ſed à me cœpit originem.* Dum ſibi applicuit, ſerpentinam aſtutiam fouit: fortitan ſi totum Deo adſcriberet, ſerpens timeret: ergo Abigail prudentiam ſuam ſumptuoſius commendauit, cùm Dauidis muratum propoſitum non eloquentiæ ſuæ adſcripſit, ſed à Deo perfectum protulit: *Prohibuit te, ne venires in ſanguinem.*

Matth. 15. v. 24.

Gen. 37. v. 33.

Gen. 2. v. 23.

§. L.

Qui ob Deum à vindicta abstinet, Deum quodammodò ad ampliorem sumendam vindictam cogit.

Vindicta. Venia.

PLures impatientiæ stimulo, & vltionis desiderio, dum volaticæ adulantur gloriæ, famulantur malitiæ. *Est & alius summus impatientiæ stimulus vltionis libido.* (Scribit Tertullianus *de Patientia cap.* 10.) *negotium curans aut gloriæ, aut malitiæ. Sed & gloria vbique vana, & malitia nunquam non Domino odiosa.* Qui ab alterius malitia prouocatus superiorem se in exequenda vltione constituit, iræ non sine crimine satisfecit, & errorem castigans turpius errauit. Hoc in genere vinci non est verè inglorium, sed honestissimum. Audi Eurypidem in Pratesilao. *Demosthenes à quodam conuitiis lacessitus: Nolim tecum in hoc genus certaminis descendere, dixit, in quo qui vincitur, ipso victore est melior.* Apud imprudentes habetur melior, qui vltionem expetit; apud prudentes habetur melior, qui generosè parcit. Adde: Honesto, maiorique sæpè lucro obtineri (venia ob Deum concessa) quod ab vltrici impatientia potuisset desiderari; nam qui ab vltione abstinet, Deum pro se vindicem honestè constituit. *Nos* (datum audis Tertullianum) *putres, vasa fictilia seruulis nostris assumentibus sibi de conseruis vltionem, grauiter offendimur: eosque, qui nobis patientiam obtulerint suam, vt memores humilitatis, seruitutis, ius Dominici honoris diligentes non probamus modò, sed ampliorem, quàm ipsi sibi præsumpsissent, satisfactionem facimus.* Itaque cùm seruulus ob Domini honorem ab vltione abstinet, ipsum Dominum ad ampliorem pro ipso satisfactionem desumendam quodammodò cogit, & est amplificandæ satisfactionis ingenium ab vltione abstinere, Deoque relinquere. *Id nobis* (Adrectit Septimius) *in Domino tam iusto ad æstimandum, tam potenti ad perficiendum periclitabitur?* Acsi dicat: Si terrenus dominus patientia seruuli obligatus ampliorem, quàm ipse expeteret, satisfactionem desumit, cœlestis etiam Dominus nostra patientia illectus ampliorem pro nobis vltionem expetet, quo lucrabimur & veniæ laudem, & honestam de aduersariis vltionem. Hanc Abigail veritatem confirmat; nam vbi Dauidem concessisse veniam sensit, magnam de inimicis vltionem desumendam promisit: *Et nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt Domino meo malum.* Caietanus ex Hebræo legit: *Et nunc erunt sicut Nabal inimici tui.* Acsi dicat: Nunc data Nabali venia magna est assecutus commoda; nam Nabal mulctabitur vita, & ad reliquos tibi aduersarios eadem protendetur similiter pœna. Ita Rabbi Salomon apud Abulensem *quæst.* 12. *Abigail locuta est ista propheticè, nam post decem dies percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Quam Dauid non intulit, Deus mortem Nabali decreuit, & quia Dauid pepercit, Deus omnes eius inimicos attriuit; concessæ veniæ præmium fore prophetauit Abigail omnium inimicorum excidium; vt constet pro nobis ampliorem à Deo satisfactionem desumi, cùm ob eius honorem non refugimus veniam inimicis concedere.

TEXTVS.

VERS. XXVII. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo, & da pueris, qui sequuntur te Dominum meum.

§. LI.

Quod Dei seruus præstatur, ipsi iure præstitum dicitur.

ELeemosyna, quæ Dei seruis impenditur, seruorum Domino consecratur: ipse tenetur ad præmium, cuius reuerentia exhibetur officium. Quod Nazianzenus *Orat. pro Basilio*, de illo aiebat, eleemosynæ etiam congruit. *Pietatis promptuarium commune, locupletum ærarium.* Habet eleemosyna locupletum ærarium, vndè soluat, quidquid egentibus charitas subministrat. Abigail xeniolum affert, quo Dauid, eiusque milites famem leuarint, & Dauidi attulisse refert: *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo.* Si petebatur pro omnibus: *Da seruis tuis, & filio tuo Dauid*, quomodò Abigail non ait militibus attulisse alimenta, sed Dauidi præstitisse testatur officia? Licèt essent militibus distribuenda, Abigail vni Dauid testatur ea xenia oblata, tum quia ob eius reuerentiam exhibita, tum quia ab eo non dubitabat soluenda. *Attult tibi Domino meo* (inquit Hugo) *id est, tibi, quem Dominum reputo.* Acsi dicat: Omnibus affero, sed quia ob tuum honorem impertio, tibi omnia adscribo. Itaque Dauid tenebatur exoluere, quod eius famulis pietas gestiuerat impertiri. Psaltes de generosa Dei liberalitate erga creaturas agens, aiebat: *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis seruorum inuocantibus eum.* Cur coruos præ aliis inuocare dixerit, quærunt Interpretes; nam si inuocare est fame premi, reliquæ etiam volucres similiter inuocare inueniuntur, quia similiter fame diuexari probantur. Ita est equidem: sed de coruis specialem mentionem egit, quia illa inuocatio non tam videtur petere, quàm sibi debita alimenta iure quodam exigere. *Coruorum* (inquit Euthymius hîc) *specialiter meminit.* Singularitatis rationem adducit, coruos scilicèt pauisse Eliam. Cúmque seruo dilargitum ob Domini honorem, à Domino sit soluendum, corui exigunt sibi solui, quod olim Eliæ pietas studuit impertiri. *Dicunt aliqui, quòd cùm ille, qui summæ bonitatis est fons, iustam Eliæ Prophetæ in Iudæos indignationem mollire cuperet, famem induxit, vt satietatis fructus castigaret, & illum præparauit nutriri à coruo.* Itaque cùm Elias à coruis fuerit alitus, coruus præ cæteris volucribus exegit, quæ Dei famulo præ cæteris alimenta impertiuit: soluere namque Dominus tenetur, quod eius seruis, ac ministris impertitur. Hac eadem ratione videtur Elias vsus; nam cùm à Sarephtana vidua humanè exciperetur, sic ait: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinæ non deficiet*: Quæramus, cur qui verbo nubes constrinxit, clausitraque iniecit: *Nisi iuxta oris mei verba*, modò non repetat: Farina, oleumque in modum fontis fluent iuxta oris mei verba;

Eleemosyna.

Psal. 146. v. 9.

3. Reg. 17. v. 14.

verba; sed, *Hæc dicit Dominus?* Quia quod vidua exhibuit Eliæ vti Dei Prophetæ (inquit Basilius Seleucienſis *orat.* 11.) ob Domini honorem præſtitit: ergo Dominus ea ſe obligatione teneri non dubitans, impertita voluit exoluere, & miraculosè farinam adaugere. Prodeſt Basilius Seleucienſis: *Tanquam Prophetam honoras, quem mendicum vides.* Mendicum videbat, sed Deum in mendico vidua honorabat: ergo Deus, vt quod mendicus acceperat, ſe ſoluturum oſtenderet, farinæ incrementa ſibi voluit adſcribi, non Eliæ imperio adſignari; nam licèt Elias acceperit opportunum vitæ ſubſidium, ſpectabat ad Dominum viduæ perſoluere pretium: *Hæc dicit Dominus: Hydria farinæ non deficiet.* Debitorem ſe conſtituit, & quod Eliæ præſtitum, à Domino grandi incremento probatur remuneratum. Ergo Abigail pro militibus allata Dauidi adſcribit: *Suſcipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo*, quia Dauid debebat, quod prudens, ac liberalis fœmina eius ſeruulis miniſtrabat.

§. LII.

Munera ab offerentis affectu lucent adaucta, aut probantur imminuta.

Dona. Affectus.

Vtiſſimè quæritur (aiebat Caſſiodorus 11. *variarum* 7.) *quod annua deuotione præſtatur; quoniam ſub quodam gaudio conſtat inferri, quod ſoluitur lege naturali. Stipendium namque eſt, quod ſubiectum facit munificum dici; & offerentis nomen accipit, qui ſe, quod gaudio penditur, debere cognoſcit.* Ipſum, quod debetur, ob alacre largientis ſtudium tranſit in munus, & vel recula magni æſtimatur, ſi offerentis deuota alacritas præuidetur. *Illa tantum ſequenda ſunt lucra* (adnectit Caſſiodorus) *quæ poteſt lætus poſſeſſor offerre.* Et ſequenti epiſtola octaua. *Quæ iam coegero, non amabo.* Quæ accipiuntur extorta, aut reluctanti animo oblata, non amantur, quia nullatenus danti debentur. *His, atque huiuſmodi vocibus id agamus* (aiebat Seneca *libro ſecundo de Beneficiis, capite vigeſimo quinto*) *vt voluntas non lateat, ſed aperiatur, vt luceat. Verba ceſſent, licèt, ſi quemadmodum debemus, affecti ſumus, conſcientia eminebit in vultu.* In ipſa dilargientis manu, in ipſa offerentis facie conſcientia lucet, &, quo animo dona offerantur, oſtendit. Abigail curæ fuit non ſolùm dona Dauidi offerre, ſed, quàm lubenti animo largiretur, oſtentare: *Suſcipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo.* Benedictionem vocat, vt quæ erat digna benigno aſpectu ſuſcipi, quandoquidem exprompto, ac lubenti animo conſtabat offerri. Si coactè probarentur oblata, reiici fuiſſent digniſſima. Notauit noſter Sanctius: *Fac tandem, vt iam benignior, atque placatior hoc xeniolum, & hoſpitale munus accipias, quo te, ſocioſque tuos ſupplex, lubenſque proſequor.* Lubenti animo teſtatur offerre, vt munus valeat ampliare. Eſt enim ingenium munus ampliandi voluntas exprompta, vt minuendi, & infuſcandi coacta. Cùm Saturno infantes immolarentur, ſolicitè ſatagebant parentes, ne vagitu oſtenderent reluctantiam, veriti minuendam hoſtiam. Ita Tertullianus *in Apologetic. capite nono. Infantibus blandiebantur, ne lachrymantes immolarentur.* Si lachrymantes immolarentur, dum conſtabat violentia, ſacrificij minuebatur & gratia: ergo, ne minueretur gratia, blandimentis depellebatur triſtitia. Cain munera Deo offert, ſed Deus dedignatur aſpicere: *Ad Cain, & ad munera illius non reſpexit.* Et cur auerſetur obſequia? iam Textus retulit: *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.* Qui tardè dedit, diu noluit: ergo cùm ipſa dilatio voluntatis oſtenderet repugnantiam, repugnantia fœdauit hoſtiam. Notauit Philo *de ſacrific. Abel. Hæc ſunt Cain crimina poſt aliquos dies offerentis ſacrificium.* Tarditas munera dehoneſtabat, eiſque aram non honorari, ſed prægrauari oſtendebat. Gen. 4. v. 4.

§. LIII.

Parum tibi prodeſt acquirere, ſi benè non noueris diſpenſare.

PVteus proditur ſponſa copioſis vndarum è Libano prouentibus ditata: *Putens aqua. rum viuentium quæ fluunt impetu de Libano;* ſed quia ſolùm laudibus debet applicari, quod honeſtè conſtat expendi, addidit, in quos vſus expendere geſtiat prouentus. *Fons hortorum.* Si Dianis in adaugendis tribulis, in horridis alendis ſpinis vndas conſumeret, non eſſet diteſcere elogium, ſed infortunium. Notauit Gillibertus *ſermone trigeſimo ſeptimo. Vide quo in loco tius aquæ fluunt: vbi, niſi in hortis?* Micantem roſarum ſplendorem alere, fragrantem liliorum adaugere candorem, erat vndarum diſpenſatione gloriam elucrari, & famam ſibi conquirere. Cant. 4. v. 15.

ergo, vt eius deprædicaretur felicitas, contentus non fuit ſponſus referre prouentum, ſed etiam vſum. Felix erat non copioſa vbertate, ſed honeſta diſpenſatione. Abigail, dum munera Dauidi affert, vt pueris famelicis impertiantur, obnixè petit: *Da pueris, qui ſequuntur te Dominum meum.* Non ſolùm videtur prudens fœmina munera offerre, ſed honori conſulere, dum monet diuitias illas non profundi, nec amerè retineri, ſed famelicis impertiri; vt quæ benè nouerat tunc facultates poſſeſſorem felicitare, cùm ſtudet laudabiliter expendere. *Rogat,* (inquit Caietanus) *vt munus illud detur ſecundum Dauidis.* Vt munus Dauidi eſſet laudi, monet in debitos vſus expendi; nam aliter verteretur crimini. Cùm Dominus Apoſtolos magnorum ingenti copia piſcium locupletaſſet, ſibi offerri iuſſit: *Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc.* Non expetiuit piſces, vt donum circumcideret, ſed augeret. Accepta piſcium copia Apoſtolorum incrementabat felicitatem Domino oblata, reos beneficij accuſaret non ad honorem Domini diſtributa. Ergo, vt lucrarentur beneficium, præcepit vſum; nec enim cumulata reſplenderet fortuna, ni benè expenſa. *Ne fantaſticum* (inquit Euthim.) *videretur negotium.* Fantaſticum videretur donum, ſi non deſeruiret virtuti, ſed vanitati, & eſſent feliciores inopia, quàm abundantia. Eccleſiaſt. de ſe aiebat: *Extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam lignorum germinantium*: O bonam ſtructuram, quæ congregabat aquas ad irrigandas frugiferas arbores, non ſteriles, & frondoſas. Notauit Ioan. 21. v. 10. Eccleſiaſt. 2. v. 6.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

datus Gillibertus : *In horto quippè sapientis nihil sterile, nihil non germinans.* Lucrosus erat labor piscinas struendi, vt fructiferas arbores irrigaret, inutilis, nec sapiente dignus esset piscinas struere, vt ignobiles plantas aleret, & spinas sibi adaugeret.

§. LIV.

Iam Deus ad misericordiam maturauit, cum à nobis munera accepit.

Munus. Misericordia.

QVi munera accepit, dilargienti se debitorem constituit, gratiam tenetur reddere, aut debet non redditurus oblata munera repudiare. Quandoquidem indecorum est largitoris spes eludere, & dispoliare. *Quid enim* (aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 7.) *acquiri putatur, vbi bona conscientia perditur.* Deperditur bona conscientia, aut saltim denigratur fama, si acceptentur munera non benefaciendi intentione, sed acquirendi solùm cupiditate. Abigail suppliciter exorat oblata xenia acceptari, quia semel acceptis non dubitabat Dauidis iram placandam, & gratiam largitoribus exhibendam: *Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo.* Benedictionem vocat, quia si Dauid accipiat, ad misericordiam maturabit, & quam contra Nabal conceperat, iracundiam continebit. *Munera gratis impensa* (inquit Hugo) *vocat benedictionem, quia sunt causa benedictionis, quia recipens benedicit dantem.* Munera benedictionem appellauit, quia exigunt ab accipiente benedictionem, non fraudem. Quid enim iniquius, quàm recipere, & fallere? Consonat Abulensis *quæst.* 12. *Quasi dicat : si haberes animum vlciscendi iniuriam tuam in Nabal, non deberes accipere munera ex parte eius.* Vbi permisit Dauid se muneribus obligari, ostendit ab indignatione prorsus auerti; quandoquidem esset inglorium acceptis muneribus testari benuolentiam, & alere pectoribus iram. Deus, cùm Eliam ad pietatem, clementiamque vellet flectere, coruis à ministerio abstinere iussit, & ad viduam famelicum delegauit. A vidua poscit Elias aquam, & jam promittit clementiam. *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vsque ad diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ.* Hanc piam machinam contra Eliam Deum excogitasse tradit Basilius Seleucensis Orat. 11. Itaque, vt à supplicio cogeret abstinere, ad eum reduxit statum, vt nequiret non accipere. Basilium audi : *Tertiam machinam Prophetæ admouet, qua deiectus Elias vel inuitus ad humilitatem flectatur.* Vbi accipit, ad humanitatem flectitur, aliter sibi irrogaret iniuriam, & viduæ contra se excitaret iustam querelam.

3. Reg. 17. v. 14.

TEXTVS.

VERS. XXVIII. Auferiniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi Domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris : malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.

§. LV.

Non decet propriam vindicare offensam, qui administrat publicam disciplinam.

SVæ magnitudini detrahit, vindictam de homuncionibus expetens, & accepisse se offensam vltione prodens. *Illud non venit in dubium* (inquit Seneca 3. de Ira cap. 25.) *quin se exemerit turbæ, & altius steterit quisquis despexit lacessentes : proprium est magnitudinis verè non se sentire percussum : sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit.* Immanis fera sic de magnitudine præsumit, vt latratum canum malit despicere, quàm laniando castigare : magnitudinis putat offensam ab animalculis expetijsse vindictam. Verùm etsi qui sitit vindictam, videatur magnitudini suæ detrahere, aliquid contrà se ipsum dedecoris videtur adijcere, qui publicam administrans disciplinam, sibi vt priuato, irrogatam vindicauit offensam. Vt erat prudentissima Abigail, rationes plures attulit, vt Dauid à vindicta retardaret, non Nabalis nomine, sed suo veniam petiuit, & suam, quam non admiserat, culpam nominauit : *Auferiniquitatem famulæ tuæ.* Vt faciliùs obtineret veniam, se fatetur supplicio obnoxiam. Notauit Abulensis *quæst.* 12. *Non dixit iniquitatem Nabal; habuit enim in hoc artificiosum modum suadendi : nam primò transtulit istam iniquitatem Nabal in se & sic dixit hic : Auferiniquitatem famulæ tuæ, id est, remitte. Et hoc fuit, quia Dauid facilius parceret Abigail, quàm Nabal.* In se transtulit culpam, vt impetraret faciliùs veniam; quandoquidem merebatur veniam, quia alienam sibi imputabat culpam. Nec contenta fuit hoc artificioso suadendi modo, sed adnexuit Dauidem ad regiam magnitudinem fore eleuandum : *Faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem.* Nec decere rusticì, & stolidi hominis stultitiam attendere. Ad vltimum addidit rationem, quæ maioris ponderis, efficaciæque esse videbatur, Dauidem scilicet electum fuisse non ad propriam vindicandam offensam, sed ad communem tuendam causam. Vndè vltio propria manu expetita muneris esset obscura nebula. *Prælia Domini, domine mi, tu præliaris : malitia ergo non inueniatur in te.* Acsi dicat si potestate, quam ad prælia Domini accepisti, abutaris ad propriam vindicandam iniuriam, linguacibus non exiguam obmurmurandi præbes materiam, cùm fas non sit publica auctoritate abuti, vltionemque expetere. Notauit noster Sanctius : *Minimè decet Regem, aut illum, qui potestate fuerit, priuatas persequi inimicitias, aut iniurias vlcisci proprias.* Consonat datus Abulensis : *Si Dauid vlciscereturse manu sua, esset in eo peccatum : ergo nimis hoc cauere debebat.*

Vltio. Iudex.

Itaque Danidi munus in memoriam adduxit, & ne se vlcisceretur, publicam illi auctoritatem concessam prudenter opposuit; cùm, qui publicam administrat disciplinam; non debeat propria manu suam vsciscì offensam; esset enim hoc potestatis nubilum, & inglorium. Moyses Deus Pharaonis designatus, & Aaron virga miraculorum thesauro instructus lutei operibus addicuntur, & à Pharaone oneribus prægrauantur: *Quare Moyses, & Aaron solicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra.* Ex hoc loco manifestè arguunt Interpretes, Moysem, Aaronemque à Pharaone prægrauatos, & operibus etiam luteis addictos. *Ex quo patet* (inquit Lira) *quòd erat eius intentio, vt affligerentur oneribus, sicut & alij.* Deum suum in aliorum censu numerabat, & vt cæteros, oneribus affligebat; cùmque facile esset Moysi, qua fruebatur, potestate, virgaque reprimere, non inuenies Moysem, Aaronemque priuatum hanc offensam vindicasse, aut inflictis pœnis puniuisse. Virga vsi sunt, sed vt Dei causam agerent, & populi æquitatem defenderent. Innuit Basilius Seleuciensis *orat. 9. Vox ferebatur, quæ Moysem contra Ægyptios armabat, imperatoria pro populo data tessera: quibus Moyses rebus incitatus populum deposcebat exolui.* Non vtebatur virga, vt quam Pharao sibi offensam intulerat, vindicaret, sed vt communi omnium saluti prouideret, & tyrannum reprimeret, dignitatis splendorem obscurasset, si quam acceperat pro generali salute, virgam ad propriam vindicandam detorqueret offensam.

Exod. 5. v. 4.

§. LVI.

Dum quis virtutibus expolitior, omnem culpæ occasionem cuitat. cautior.

Iustus. Cautela.

TAntò diuinitati plura debemus (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 24.) *quantò à cæteris mortalibus maiora suscepimus.* Qui nullis dotibus fulget ornatus, culpæ occasionem adire solet intrepidus; qui verò ad virtutum arcem euectus, à culpæ etiam vmbra distare conatur animitus; nam cùm parum distet à crimine reatus occasio, jam videtur pollui, qui noluit ab occasione distare. Vbi Deus Moysem cœlesti rubi visione dignatus est, à virga in serpentem mutata fugit, vt qui à serpente veternoso occasionem peccati emanasse non ignorauit: *Versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* Venenati serpentis proximitatem extimuit, & quam potitus fuerat, visionem celeri fuga honorauit: non erat serpenti proximare peccatum, sed peccati serpens fuerat exordium. Ergo in Deum Pharaonis sibi non fidit electus, sed prudenti cautela est vsus. Notauit Isidorus in Exod. cap. 8. *Quid hoc significat? Serpens quippè persuasit homini mortem.* Moyses cum Deo collocutus culpæ speciem exhorruit, nec sibi fidit, ipsoque timore, quàm eximijs virtutibus adornaretur, ostendit. Hanc rationem satis distertè attulit Abigail, vt Dauidem ab incepto itinere auerteret, & sistere gressum cogeret: *Faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem.* Acsi dicat: si prosequaris, quam cæpisti viam, excedendi approximas occasioni: ergo ipsa, quæ à Deo accepisti, beneficia, suadent pedem figere, & omnem culpæ occasionem vitare: *Malitia ergo non sit in te.* Prodest Abulensis *quæst.* 12. *Cum te Deus seruet ad honorem maximum, debet in te abundantius, quàm in cæteris fulgere virtus, & consequenter magis debes fugere malitiam, quàm alij homines.* Efficaci argumento, ne delinquendi occasioni proximaret, fuasit, quandoquidem studiosius debebat ab occasione culpæ distare, cùm donis constaret cœlestibus refulgere. Deus populum sibi dilectum admonet ignem die Sabbathi non accendere: *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem Sabbathi.* Philo lib. 3. de vita Mosis existimat his verbis eos edocuisse omnem culpæ occasionem prouidenter præcidere, ne contingeret defædari. Violauit quidam Sabbathum, vt accenderet ignem, ligna colligens: *Cùm essent filij Israel in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna in die Sabbathi, obtulerunt eum Moysi.* Ligna colligens, vt ignem succenderet, religionem violauit: ergo ignem non accendant, quo à culpa remotiores existant. Philonem audi: [Ideò sæpè interdicitur, ne quis ignem accendat Sabbatho, vt cessante causa principali, & antiquissima, cessent effectus eius etiam: sunt autem ligna ignis materia.] Itaque velle ignem accendere occasio delinquendi fuit: ergo edicto ignis prohibetur, vt occasio penitus auferatur. Israelita præ cæteris gentibus eximijs à Deo beneficijs ornatus ignem non accendit, sed remotam etiam reatus occasionem effugit: *Vt cessante causa principali, cessent effectus eius etiam.* Vt noueris & sanctorum cautelam, & occasionis etiam energiam.

Exod. 4. v. 3.

Exod. 35. v. 3.

Num. 15. v. 32.

§. LVII.

Culpa in causa esse solet, ne magna fortiaris augmenta.

LVcretiæ pater, & affines illatam illi iniuriam vindicarunt, & qui intulerant, cùm quirent amplo potiri imperio, culpam luere miserabili exilio. *In exitium Regum conuersus* (scribit Plinius lib. de viris illustr. cap. de Tarquin.) *eorumque exilio necem Lucretiæ vindicauerunt.* Breuis, & indecora voluptas acerrimo metu, & prolixo exilio soluta est. Qui multis otu, & noxiè exundarent delicijs, ob admissam culpam compulsi sunt obscuris delitescere latebris. Sibi inuidet, quisquis peccat, & quidé, etsi nec jus, nec æquitas à crimine auertant insanis affectionibus obcæcatum, temporale lucrum, & commodum debuisset ardorem sopire, & mentem reluminare. *Stipendia* (aiebat Paulus) *peccati mors.* Ad hanc Paupertas, ægritudo, membrorum debilitas, & luctuosa calamitas peccatum sequuntur à tergo: vndè si homines se ipsos rationabiliter amarent, peccatum fugerent, vtpotè copiosam calamitatum scaturiginem, & infortuniorum copiosum fontem. Vndè Tertullianus lib. aduers. Iudæos cap. 2. satis dilucidè asserte aiebat *Si se diligerent, in se ipsos homicidium non commisissent.* Tecto deliciarum fuco, & volaticæ gloriæ vmbra criminis pugione se ipsum peccator occidit, & quod peius est, occidisse se gandet. Quid pentapoli ignes extorserpentes venenatis dentibus homines mordere edo

Ad Rom. 6. v. 23.

re edocuit? quid leonum, & vrsorum vngues exacuit? Profectò culpa, quæ quo voluptuosius blanditur, pernitiosius grassatur. Abigail disertissimo eloquio Dauidi persuadet, ne magnis sibi à Deo decretis commodis opponat obstacula, si perpetrarit delicta. *Faciens enim faciet Dominus tibi Domino meo domum fidelem.* Adnectit: *Malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.* Acsi dicat, Consequens est, si discupis temporalia commoda, auersari delicta, quandoquidem quod à Deo obtineres virtute expolitus, criminibus admittes infectus. *Hic suadet Abigail Dauid* (inquit Abulensis *quæst.* 12.) *ne occidat Nabal, quia Deus elenaturus erat Dauid ad regale solium.* Adnectit posteà: *Hoc dixit Abigail ad faciendum differentiam inter eum, & Saulem, quia Deus fecerat Saulem Regem, & omnes successores sui regnaturi erant; quia tamen peccauit, non regnauerunt posteri sui, & sic non fuit domus sua firma.* Dum insipienter culpis regnum suum satagit Saul stabilire, inuentus est infirmare, & dum sitiuit indecoram prædam, regalem amisit coronam: ergo suadet Abigail, ne Dauid decretam à Deo amittat coronam, exercendo, quam expetebat, vindictam. Est enim peccatum splendoris etiam temporalis nubilum, & salutis, ac prosperitatis venenum. Adde; aliqualem excusationis habere colorem, qui delinquit ob aliquod delectamentum, aut lucrum; cærere tamen omni excusatione; qui teritur labore, vt sordescat crimine. Quidam de Israelitis die Sabbathi ligna, quæ fortè securi exciderat, colligebat: *Factum est autem cum essent filij Israel in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna in die Sabbathi, obtulerunt eum Moysi, & Aaron, & vniuersæ multitudini.* Consultus Deus iubet lapidibus obrui, & perire: *Obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Cùm Giezi deliquerit, & lepra solùm fuerit mulctatus: *Egressus est ab eo leprosus, quasi nix*, quærunt Patres, cur alter non acti adeò sententia castigatus, & alter dura adeò fuerit punitus? An quia Giezi magni Elisæi minister? Solent namque eiusmodi delicta studiosè dissimulari, aut leuiter, si delinquant, puniri. Benè. Sed hic aliud documentum innuitur. Peccauit Giezi, vt magnas diuitias acquireret, & familiam splendidam possideret: ergo aliqualem, si fas est dicere, excusationem criminis habuit; hic verò concesso sibi otio interdixit, & se laboribus onerando peccauit: ergo dignus fuit, qui periret. Innuit Philo lib. 3. de vita Mos. *Per media castra lignatum exiuit, non ignarus omnes in tentoris quiescere.* Nec blandienti otio, nec reliquorum exemplo, ne cædendi arbores labore persuasus à culpa abstinuit; immò, vt delinqueret, se laboribus oneranit: ergo nullo excusationis celore adiutus dura lapidum pluuia perijt interfectus. Est enim rigida sententia dignissimus, qui adeò ad peccata procliuis, vt non deterreatur labore; immò oblectetur ipsa peccandi difficultate.

Num. 15. v. 32.

4 Reg. 5. v. 27.

§. LVIII.

Magna imprudentia est continuum virtutis filum abrumpere, & se criminibus sordidare.

VIrtutem diù coluisse, & magnis superatis impedimentis mores concinnasse, à perpetrando crimine debent auertere; quandoquidem magna imprudentia est anxijs sudoribus comparata ob breuem gloriolam amittere, aut ob contemnendam voluptatem spernere. Aiebat Seneca lib. 3. de Ira cap. 24. diù asseruatam tolerantiam veluti iure exigere à vindicta abstinere, & momento diuturnam patientiam non amittere: *Sæpè, & alias offendit? Feramus, quod diù tulimus.* Aliqui prolixa se vsos patientia in impatientiæ patrocinium afferunt, quos disertè redarguit Seneca, quandò fas non est longam, diuturnamque tolerantiam dedædare breui impatientia. Ipse magnus virtutis census modestiam, & morum suadet mensuram, nec enim tantis laboribus comparatâ, tot annis quæsita amittenda sunt, vt breui iræ satisfacias, aut fædæ veluptati cedas. Properabat Dauid, vt vindictam de Nabale expeteret, eique Abigail multo tempore, magnisque laboribus pro Dei gloria decertasse in memoriam reuocauit, vt à vindicta prudenter arceret: *Prælia Domini, domine mi, tu prælians, malitia ergo non inueniatur in te.* Vindicta gloriæ tot certaminibus comparatæ esset obscura nebula: ergo monet, ne vindictæ ardore cultam diù virtutem abrumpat, & famam tot bellis acquisitam deperdat. Hunc esse horum verborum sensum testatur noster Sanctius: *Ita in Dauide æquitatem, & fidelitatem tam in Deum, quàm in populum commendat, propter quæ omnium sibi gratiam, beneuolentiamque promeruit.* Attentiùs audi, quæ subijcit: *Vt etiam horretur, ne perpetuum illum benè instituti animi cursum interrumpat, ne quæsitam à populo gratiam, & æquitatis opinionem næuo aliquo, & inexpectato errore contaminet.* Acquisita tot certaminibus gloria, tot egregijs factis comparata beneuolentia eò errore attaminata sordesceret, & frigeret: ergo quando æquitas (inquit Abigail) à concepta vindicta non auerteret, magnum adeò dispendium sententiam cogit demutare, gressumque sistere. Quæ ratio adeò efficax fuit, vt Dauid se testetur prohibitum, & demutatum: *Prohibuisti me, ne irem in sanguinem.* Eleazaro ab incunabulis patrijs moribus exornato, & optimis legibus erudito iniqua commiseratione persuadere conabantur amici, vt vitæ consuleret, & porcinam manducare carnem simularet. Quid ille tunc? *Cogitare capit ætatis, ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingeniæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conuersationis actus, & secundum sanctæ, & à Deo conditæ legis constituta. Respondit citò, dicens præmitti se velle in infernum.* Eligere sepulchrum, porcinæ carnis despicere oblectamentum non solùm suasit legis reuerentia, sed tot etiam laborum iactum. Cogitauit prudentissimus senex à teneris annis obseruasse sancta statuta, quæ proponebantur esse breuissima oblectamenta: ergo noluit tantam virtutum seriem interrumpere, & tanto dispendio volaticâ gloriam emere. *Totius vitæ labores* (inquit Ambrosius lib.

Virtus. Crimen.

2. Machab. 6. v. 23.

de Iacob. &c. cap. 10. nomine Eleazari) *addicam breui viatico senectutis? Senectus portus debet esse, non vitæ superioris naufragium. Non te negabo lex patria.* Satis prudenter respondit; nec enim adeò longum virtutis institutum ob leue gaudium erat interrumpendum, & ob delicias futiles sordidandum.

TEXTVS.

VERS. XXIX. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu, & circulo fundæ.

§. LIX.

Arctius debet virtutibus illigari, qui multiplicibus inimicorum experitur persecutionibus. adurgeri.

Virtus. Persecutio.

PAucis contigit inuidentium technas effugere, improborumque captiosas insidias non pati: quia sibi peccatores placent, similes quærunt, & quæ à suis moribus vident discordare, multiplicibus adnituntur artibus sibi allicere; verùm, vt nauclerus solicitius gubernaculo incumbit, dum acrior aures procella diuerberat, dum ventus horribilius adsibilat, dum repugnantibus secum vndarum voluminibus nauim turbulentior fluctus infestat; ita qui se experitur varijs persecutionum molestijs impeti, & cæcis odij voluminibus diuexari, validius debet virtutibus inhærere, vt tutissimo portu valeat illæsus quiescere, & studia aduersariorum frustrare. *Sic vobis* (aiebat Cassiodorus 1. *variar.* 17.) *tutissimè constitutis hostis vester ante euentum certaminis fata patietur perditoris.* Hostis, etsi in audaciam pronus, dum impetendum omnimodis adspicit virtutibus præmunitum, marcescit euigoratus, ante euentum certaminis veretur fata perditoris: ergo se pugnæ subducit, eligens certam confusionem vitare, quàm spes ambiguas fouere. Itaque studiosius virtus est amplectenda, cùm graniora occurrere persecutionis noscuntur pericula, vt prouidentia enernarit hostis audaciam, & torserit insolentiam. Abigail Danidem, ait, strictius in viuentium fasciculo fore illigandum, cum hostis sæuior, & tempestas persecutionum validior: *Si surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium.* Non solùm videtur prædicere, sed monere. Acsi dicat: Si cupis persecutionum conatus, inuidiæque adsultus prorsus eludere, viuentium te fasciculo insere & studiosius virtutem cole; sic enim veluti inexpugnabili clypeo retundes ictus, & defatigabis aduersariorum conatus. *Iuxta Hebræum habetur* (scribit Caietanus.) *Et surrexit homo ad sequendum te, & ad quærendum animam tuam, & erit anima Domini mei ligata in ligamine vitarum cum Domino Deo tuo.* Adnectit: *Hebræo more describitur in præterito persecutio, & salus in futuro.* Si Dauid Deo strictè adhæreat, omnis persecutio euanescet, & confusus hostis aufugiet. Opus est piè viuere volentibus varia tentaminum iacula sustinere, sed si in acie persistat, vincet, & solùm hostis, vt triumphos adauxerit, militabit. Qui patienter sufert molestias magnanimus, in viuentium fasciculo vernat floridus; iustum aggressus, veluti lapis è funda iacet excussus. *Quæ est ista* (aiebat sponsus) *quæ ascendit de deserto, delicijs affluens: innixa super dilectum suum.* Modò audio innixam, & studiosius dilecto adhærescentem. Et cur palmam inscendens non referatur innixa, & per desertorum solitudinem dilecto suo strictissimo vinculo dicitur illigata? Fortè quia expertus est ille, qui descendebat in Iericho desertis captiosas inimicorum insidias: *Incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum.* Ergo altius discupit, vt desertorum eludat pericula, Domino vniri, ne, quibus fruitur, delicijs contigerit dispoliari. Prodest noster Deus in litera: *Pergebat iter carpere; & Hierusalem versus ex deserto, quod inter Iericho, & Hierosolymam interiacet, ascendere, humeris, & pectori brachijs iniectis innixa.* Eo in deserto non ignorabat inimicos latitare, & viam carpentes impetere: ergo sponso cœlesti strictius innixa ascendit, & studia persequentium frustrauit: virtutum affluebat delicijs: ergo timuit spoliari, & ne dispoliaretur, sponso strictius invigilauit vniri. Vt studeant, qui multiplices persecutionum sustinent adsultus, arctioribus virtutum nexibus Domino colligari, si triumphis cupiunt redimiri. Eodem loco, quo descendens vulneribus confossus iacuit, quæ ascendebat, delicijs circumfusa resplendit: ne desertorum ambagibus dispoliati adscriberetur aduersitas, floruit ibi illæsa felicitas. Qui Domino non innitebatur, periit, quæ caelestis amoris vinculis illigabatur, triumphauit. Ille, quia descendebat, vulnera tulit, & dispolitus diuitijs iacuit. Ista, quia ascendit illæsa fulsit viguit, delicijs efflorvit, & hostibus abusis triumphauit.

Cant. 8. 5.

§. LX.

Qui dignitate, & potentia abutitur, contra se ipsum calamitatem architectatur.

OPortet vos colere, & obseruare iustitiam (scribit Cassiodorus 1. *var.* 18.) *qui agnitatem populis dicere suscepistis, quando non licet proximum delinquere, qui alios creditur sub æquitatis regula continere. Ne fiat exemplum prauum, qui electus ad laudabile cognoscitur institutum.* Boni magistratus, iudicesque sic potestate vruntur, vt arte sua medici, quorum studium eò tendit, vt scalpello, & sinapis morsu proficiant. Dignissimus perire est, qui nocenter medica arte vtitur, quandoquidem vnde contra graſsantes morbos quærebatur auxilium, emanat periculosissimum nocumentum. Æsculapium (scribit Tertullianus in Apologet. cap. 14.) *auaritiæ merito, quia medicinam nocenter exercebat, fulmine vindicatum.* Fortunatum Reipublicæ fulmen, quod Iouis elogium, & Æsculapij extitit dignum supplicium.

Dignus

Dignus fuit, qui exustus nigros redigeretur in cineres salubri arte nocenter abusus, & solùm cupiditatibus adulatus. *Dij immortales* (aiebat Seneca 2. *de Ira cap.* 27.) *nec volunt obesse, nec possunt. Natura enim illis mitis, & placida est, tam longè remota ab aliena iniuria, quàm à sua.* A sua distant injuria, quia remoti sunt ab aliena, quandoquidem qui abutitur potestate, suam facit, quam infert, injuriam. Verùm plures, si dignitatis fastigium ascenderint, sic felicitatis splendoribus obcæcantur, vt morum custodire nesciant mensuram. Potestate abusi inhiant ad aurum, & jura ignorant, vt stultis affectionibus cæcè inseruiant. Saul inuidia, tumoreque inflatus in Danidem hastam jecit, & multiplices insidias disposuit, sed, dum studuit iniquis artibus dignitatem suffulcire, Regis etiam meruit nomine denudari. Audi Abigail alloquentem Dauidem: [Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur quasi in impetu, & circulo fundæ.] Saulem regio nomine priuauit, & ob persecutiones contra Danidem iniquè excitas lapidi impetu fundæ excusso similem fore spiritu prophetico asseruit. [Dicunt Hebræi (scribit Abulensis *quæst.* 12.) quòd accipitur hic homo pro Saule, & quòd Abigail noluit vocare eum Regem, sed hominem, eò quòd non merebatur vocari Rex, quia Deus abjecerat eum, ne regnaret super Israel *sup. cap.* 16. etiam quia persequebatur Dauid, qui justus erat.] Vt liuori, odioque suo blandiretur, contra Dauidem potestate abutebatur: ergo regio nomine caret, & excussi adinstar lapidis ruit: potestate abusus, sibi ipsi factus est durissimus aduersarius. Nec enim fas erat viuere, qui solùm ad æquitatis injuriam viuebat, & qui solùm, vt aliis noceret, poterat. Regni proceres Regem adeunt criminati Danielem leges transgressum: non mouebantur legis asseruandæ studio, sed, vt Daniel leonum discerperetur fæuis rictibus, vehementissimo desiderio. Rex inuitus paruit, & innocuum Prophetam leonibus deuorandum tradi decreuit. Sed quid possunt contra diuina humana consilia? Daniel inter leones asseruatur illæsus, & Rex accusatores leonibus addicit miraculo stupefactus: *Iubente Rege adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem, & in lacum leonum missi sunt.* Qui apud Regem indignis artibus ambiebant gratiam, contra se præter opinionem armarunt iram, & dignam pertulere sententiam. Feliciores essent, si minus possent. *Moraliter exponendo* (scribit Lira) *processus æmulationis describitur in hoc capite, quia in æmulis primò notatur ambitio, ex hac secuta est elatio, ex hac æmulatorum insidiatio, & ad vltimum istorum deiectio.* Qui eminebant proceres, Danieli insidias obtenderunt inuidi, & dum auctoritate, potestateque abusi, leonum vnguibus perierunt discerpti.

Dan. 6. v. 24.

§. LXI.

Ex hac ad aliam vitam se transferendum agnouerit, qui sibi de potestate, dignitateque plaudit.

ALiam manere vitam ethnici etiam Philosophi agnouerunt, & literis euulgarunt. *Lege mortalitatis* (aiebat Seneca 2. *de Ira cap.* 22.) *patimur, quidquid incommodi accidit. At morbi doloresque incurrunt. Vtique aliquà fugiendum est domicilium putre sortitis.* Dolor, morbus, afflictio ex hoc putri ædificio admonent discedendum, & sæculum aliud mansurum. Clarius *epist.* 36. *Desinunt ista, non pereunt. Et mors, quam pertimescimus, & recusamus, intermittit vitam, non eripit: veniet iterum, qui nos in lucem reponat, dies.* Nonne vides Senecam resurrectionem agnouisse, & sine nocte diem spectasse? Verùm quod sapiens in memoriam reducit Philosophia, obliuisci solet tumens superbia. Qui felici vtuntur fortuna, qui fruuntur dignitatis potentia, qui diuitiarum exundant copia, toti sunt in tradenda obliuioni hac veritate, quia eius memoria, quas solùm amant; voluptates præcidit, & timoribus corda replet. Ob id Abigail verita, ne Dauid militibus copiosus, & regnandi spebus armatus contra Nabalem irrueret, admonuit eius vitam assimilari fasciculo: *Erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium.* Abulensis *quæst.* 12. temporalem vitam hic animæ nomine, ait, designari, & fasciculi comparationem attulisse Abigail, vt Dauidis ad vindictam properantis ardorem faciliùs quiret sopire. Consonat Cardinalis Hugo: *Fasciculus vitium, ait, viuit in aqua, cum ad transplantandum præparatur.* Vt fasciculus vitium exiguo tempore in aqua ponitur aliò transplantandus, ita ait Abigail, Dauidis esse vitam, quæ hîc parum durabit, aliò transferenda, & in æternum plantanda. Et quidem quantum juuerit huius veritatis recordatio, Textus non tacuit, cùm ardentem continuisse iram, & decretam Dauid expressit retractasse sententiam: *Prohibuisti me ne irem in sanguinem.* Anhelabat sanguinem Nabalis effundere, vt injuriæ quiret dolorem solari; verùm vbi memoriam subiit, rationem fore reddendam, & aliam futuram vitam, salubrem sibi vim intulit, & sententiam retractauit. Vtinam Dauidis imitarentur exempla, qui magna vtuntur fortuna; aliter se profectò gererent; verùm dum sibi de potestate plaudunt, & se diù permansuros credunt, potestate abutuntur, aut pœnitendis voluptatibus defœdantur. Aspiciat se Dauid cum citissimè transplantandis in fasciculo illigatum, & iracundiæ frænabit impetum: sæpè namque huius transplantationis obliuio in causa est, vt fortunati leges proculcent, & æquitatem despectent. Tyri Princeps superbia, & iniquitate plenus, & omni vitio sordut defœdatus: *Repleta sunt interiora tua iniquitate.* Et vndè exoculatus adeò tumor, & error? Ex obliuione profectò huius transplantationis citò futuræ: se tam magnum, quàm ab adulatoribus audiebat, credidit, se Dei adinstar permansurum delusus confinxit. *Ex decore diuitiarum* (inquit Lira) *& potentiarum eleuatus fuit in superbiam, quæ obnubilat intellectum, & sic destruit sapientiam.* O quot Tyri Principem imitantur!

Potestas. Vita.

Ezech. 28 v. 16.

tur! Deos se confingunt, & pro arbitrio omnia sibi licere credunt.

TEXTVS.

VERS. XXX. & XXXI. Cùm ergo fecerit Dominus tibi Domino meo omnia, quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris, & cùm benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.

§. LXII.

Etsi nullum aliud sequeretur incommodum, euitanda est culpa ob conscientiæ durum tormentum.

Culpæ. Conscientia.

CVlpa fœcunda est calamitatum scaturigo, salutis naufragium, honoris nubilum, facultatum dispendium. Qui prauitati inseruire cognoscitur virulentissimus sibi hostis esse manifestè probatur, quando & immortalem sibi adaggerat pœnam, & paruipendit æternam gloriam. Verùm etsi tot culpam non comitarentur incommoda, fugienda esset ob interna conscientiæ reum percellentis tormenta. Subest animis, etiam in pessima abductis, conscientia criminis, non ignorant turpia, sed negligunt, aut licet negligant, conscientiæ acerba tormenta subeunt. Mihi crede: sceleris in ipso scelere supplicium est. Nequit culpa infectus timore acerrimo non diuexari, nequit appetentem mortem non expauescere, nequit se gehennæ reum ignorare: ergo quantumvis se vanis aduletur spebus, nequit anxiis non discruciari doloribus. *Hîc consentiamus* (Epicuro, aiebat Seneca *epist.* 97.) *Mala facinora conscientia flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eo quod perpetua illam solicitudo vrget, ac verberat.* Hac ratione vsa est Abigail, vt Dauidem ab vltione auerteret. Si vltionis crimen admiseris (inquit) perpetuo conscientiæ morsu torqueberis: ergo tibi consule, si non ob vltionis fœditatẽ, abstine saltem ob conscientiæ implacabilẽ anxietudinẽ: *Non erit tibi hoc in singultum & in scrupulum cordis domino meo, quòd effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris.* Si te vlciscaris (inquit) innoxiumque sanguinem fuderis, ad regiam dignitatem elato tuta erunt scelera, cùm à nullo infligi possint supplicia; verùm quantumvis dignitatibus fulgeas, quantumvis delitiis affluas, non vitabis conscientiæ morsum, & singultum: ergo etsi nulla alia ratio esset, satis est conscientiæ morsum non pati, vt gladium recondas, & vltione abstineas. Huc spectasse Abigail orationem tradit Abulensis *quæst.* 12. [Id est, non habebis remorsum in corde. Iste scrupulus est remorsus conscientiæ, quem homo habet pro scelere: & sunt isti scrupuli homine inuito; nam dato quòd velit homo non recordari scelerum, torquet eum memoria sceleris.] Itaque hæc memoria à Deo data est bonis in remedium, scelestis in supplicium. Mihi videtur hæc malæ conscientiæ pœna à Daniele depicta, dum inducit mare repugnantium sibi ventorum repetitis adsultibus perturbatum, & veluti flagello repetito perculsum: *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* Quis ignoret peccatorum corda mari comparata? *Fluctus feri maris*, aiebat Thadæus: ergo in hoc mari sæuissimæ altercantur secum procellæ, nam memoria sceleris vrit, timor acer distorquet, ignauia repugnat, durities desperat: hi affectus ventorum instar inter se dissidentes corda perturbant, & confusis cogitationum voluminibus æstuant. *Cùm post momentaneam quietem* (scribit Tilmannus *in Allegor.*) *violentior insurgit, & solito validiùs impellit, mentis statum penè euertit.* Adnectit: *Timendum namque valdè, ne ventus iste vehemens repentè irruat è regione deserti, & concutiens conscientiæ domum, eiusm mentis statum euertat.* O quàm procellosis turbinibus agitatur mala conscientia! ò quàm durè pungit perpetrati sceleris inuita memoria? ergo sapienter Abigail in memoriam retulit hoc tormentum, vt Dauid vtiliter demutarit propositum.

Dan. 7. v. 2. Epiph. lib. 1. 13.

§. LXIII.

Principi curanda clementia fama, fugienda sæuitiæ nota.

Clementia. Sæuitia.

MAteria *est gloriæ principalis delinquentis Principi reatus* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 46.) *quia nisi culparum occasiones emergerent, locum pietas non haberet.* Subdit post aliqui: *Asperitatem pœnæ nostra lenitate mollimus.* Medentium manus laudantur, si blanda remedia adhibeant, & ægritudinem sine cruciatibus morbo gratioribus pellant. Princeps medici adinstar tunc solùm asperis remediis vtetur, cùm salus aliter desperatur. Vt vidit Abigail ardore vindictæ Dauidem inflammatum in memoriam retulit ad regni culmen peruenturum, ne sæuitiæ nota defœdatus parum subjectis esset acceptus, quando clementia poterat sibi gratiam conciliare, & immortalem famam acquirere. *Vltra omnes clemens est* (verba sunt Cassiodori 11. *variar.* 6.) *qui vlcisci non appetit, quem grassatum in sui dedecore comprehendit.* Eximiam clementiæ famam adepturum testatur Abigail, si Nabalem, quem grassatum in suo dedecore comprehenderat, regia benignitate sustineat: [Cùm ergo fecerit Dominus tibi Domino meo omnia, quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium.] Si clemens indulgeas (inquit) lenitatis comparabis famam, si effuderis sanguinem, sæuitiæ notam: ergo à sanguine abstine, ne posteà lugeas minus benevolè à tuis haberi, & semper ob Nabalis mortem acri timore agitari. Prodest noster Sanctius: [Serò illa, in quibus aliquid turpitudinis est, eum possunt ex aliorum memoria, qui non omninò fidendum putant illi, cuius ingenium aut animium præceps esse nouerunt, aut parum clementiæ, & æquitatis amans.] Monet, vt secum attentè expendat sanguinis effusione non posse non conciliare sæui, inclementisque opinionem, quam animitus Princeps debet vitare vt ingloriam, & nociuam. Mirabar ob primati

hominis

hominis necem Pharaonem in Moysem tanta indignatione exarsisse, vt ei opus fuerit solum vertere, & ad latebras deserti confugere. *Audinit Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem.* Quem sermonem audiuit? scilicet Moysem non debere in Principem assumi, vt qui nihil non sæuum cogitaret, & sanguinem humanum sitiret. Magnates Moysis felicitatis æmuli occasionem nacti aui aures eiusmodi calumniis impleuerunt, & sæuitiæ Moysem studere affirmarunt. Etsi ad imperium destinaueris, (dictitabant) non congruit meditata perficere, immò opus est retractare. Quid enim Reipublicæ odiosius, quàm sæuus Princeps? Hac calumnia voluisse detorbare tradit Philo *lib. 1. de vita Mosis: Dicebant: Te ipsum aggredietur, nihil mediocre sapit, semper molitur aliquid, ante tempus ad regnum adspirat, aliis pollicetur, alios territat, indemnatos interficit.* Nil adeò curæ inuidis fuit, ac exaggerare sæuitiam, & truculentiam, vt dignitate exaugurarent, quando nihil tam odiosum populis, quàm superior ad iram præceps, & sæuitiæ indulgens.

Exod. 2. v. 15.

§. LXIV.

Grandius conferre nequis beneficium, quàm si culpæ impedias reatum.

Culpa. Beneficium

CVlpa est nocentissima lues, salutis pestis, tranquillitatis strages, nil crimine inuenitur fœdius, nil reperitur inglorius: ergo nullum grandius beneficium alicui conferes, quàm si ab hac peste prouidenter exemeris. Omnium aliarum artium peccata artificibus pudori sunt, errores peccatorem delectant. Lepidè Seneca *epist. 97. Omnibus crimen suum voluptati est.* Nanclerus gubernaculo insidens contra ventorum adsultus pugnat, & solicitam peritiam, ne naufragium pereat, labore infatigabili obarmat. Peccatoribus animæ adeò placet naufragium, vt sine comite, sine duce, sine occasionis stimulo ipsi procurarint sibi periculum, immò & salutis naufragium: sic insanis affectionibus delirant, vt sana consilia dantem abhorreant: verùm etsi hoc vino aliquando extra rationem agantur ebrij, ex corde gratias agunt admonenti, dum sibi, ac prudentiæ restituti: tunc seriò expendunt, quàm magnum acceperint beneficium, cùm salubribus consiliis criminis euitauere reatum. Ardebat Dauid vltionem expetere. Abigail opportunè occurrens blando, etsi efficaci alloquio, quantis se implicet malis ostendit, iramque sopit, & ardore illo vindictæ jam subsidente ex corde sibi gratias acturum confidit: *Cùm benefecerit Dominus Domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.* Modò, inquit, quia vindictæ furore raperis, quantum in te beneficium conferam, non attendis; verùm cùm refrigerit ardor, persenties, & tunc mei recordaberis, vt ex corde gratias reddideris. Hunc esse verborum sensum tradit noster Sanctius: *Recordaretur huius tam opportuni documenti, & gratias ageret ei, cuius occursu, admonitioneque prudenti manus suas reuocasset impollutas à sanguine.* Non sentiunt peccatores salutaris admonitionis officia, cùm cæca affectione insaniunt, si tamen à culpa abstinuerunt, benefactores suos amant, & per eos magnum sibi bonum contigisse, fateri publicè non detrectant. E mari ascendit leæna aquilinis alis instructa: *Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ.* Alis non sine dolore aulsis, jam homo, qui retrò leæna: *Aulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Hic de Nabuchodonosore sermonem instituit, consentiunt Interpretes: assumpserat inflatæ superbiæ, vt cœlum sibi raperet, alas, & vt obrutescceret, pennas, harum alteram præsumptionis, alteram præcipitationis fuisse tradit Tilmannus in Allegor. ad hunc locum: *Videtur mihi vna esse præcipitationis, altera præsumptionis.* Magno eius beneficio, ne præcipitaretur, aulsæ sunt alæ, & licet tunc desæuiret leæna, jam sibi redditus gratias auferenti egit, & benedixit: *Sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui.* Cùm ferinos induebat mores, ægrè tulit aulsis alis impediri; verùm cùm jam à bestia transiuit in hominem, gratias egit, & nullum grandius sibi potuisse conferri beneficium agnouit.

Dan. 7. v. 4.

Dan. 4. v. 31.

§. LXV.

Sibi acquisiuit coronam, qui à proximo amouit culpam.

Coronis. Culpa.

REligiosus zelus sibi proficit, cùm à proximo auertere culpam studet. Aliena salus reputatur ei ad coronam, & grande promanat impedienti emolumentum, si proximus euasit periculum. *Hortum suum* (aiebat Cassiodorus de solicito Agricola 8. *variar. 14.*) *fœcundis nititur ornare plantariis, vt reddant fructus optatos.* Stolones præcidens, spinas prouidenter, ne pullulent, opprimens, saporatos sibi fructus acquirit. Labor, dum noxias herbas impedit, dulcissimos fructus demetit. Nec aliter religioso zelo contingit, dum desudat, vt proximum auertat à culpa, sibi acquirit ingentia præmia. Huius veritatis non inscia Abigail, vbi à jurata vltione Dauidem impediuit, coronam sibi spopondit: *Cùm benefecerit Dominus Domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.* His verbis prædixisse in reginam eleuandam, & in vxorem à Davide accipiendam tradit Dauid Salomon apud Abulensem *quæst. 12.* [Apparet, quòd locuta fuerit propheticè, quia infrà dixit: Et cùm benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ, & tu benefacies ei. Hoc autem sic fuit, quia post mortem Nabal assumpsit eam Dauid in vxorem.] Vbi amouit culpam, donandam sibi præuidit coronam: vt hinc noscas cœlesti te donandum corona, si proximum auertas à culpa. Dauid, ne Hebræi jugum Philisthinorum, hoc est, dæmonum incurrerent, in campum prodiit, & prodiens sibi regnum stabiliuit. *Non concidat cor cuiusquam in eo: ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* Id est, ego pugnabo, ne quis eius terrori succumbat, & ad Philisthinorum se castra propiat. Iam sibi stabiliebat regnum, cùm ab Israelitarum cernicibus auertere studuit jugum. Ita Basilius Seleucensis *orat. 15. Ne solius Regis sospitator esset Dauid, verum etiam palam de vniuerso Israele benè mereretur, & subditis allata salute Rex stabiliretur, atque promulgaretur, suum rursus militem in bellum mouebat gratia.* Gratia suasit, vt, antequàm subirent, ab humeris Israelitarum jugum auerteret, sicque sibi regnum stabiliret:

1. Reg. 17. v. 32.

stabiliret : nam qui à proximo auertit culpam, acquirit sibi coronam.

TEXTVS.

VERS. XXXII. Et ait Dauid ad Abigail : Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodiè te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodiè : ne irem in sanguinem, & vlciscerer me manu mea.

§. LXVI.

Magnis erroribus exponitur, qui cæco iracundiæ impetu rapitur.

Iracundia.

QVidquid iræ violento ardore decernitur, à prudentia distare nullatenus dubitatur. Ob id antiquitas judicibus fasces illigatas tradidit, vt, dum aliquod in fascibus soluendis tempus insumeretur, ira, quæ subitò aliquando inardescit, aliquantulum refrigesceret, & prudentia sibi consuleret. *Hinc est* (aiebat Cassiodorus *6. variar. 1.*) *quòd etiam fasces, atque secures tantæ potestati præceptæ sunt illigari : vt cum tardius soluerentur, moram deliberationis acciperent, si de cæde, aut nece hominis aliquid censuissent.* Ne Consul, cuius arbitrio omnia commissa erant, aliquando subita ira inflammatus circa hominis cædem aliquod perpetraret erratum, moræ adhibitum est remedium ; ira namque tempore cicuratur, & eius loco succedit prudentia, & prudens rerum considerantia. Dauid Deo, Abigailque gratias agit, quia, quæ iracundiæ ardore decreuerat, exequi prohibuerint, & rem melius considerandi tempus ministrarint : *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodiè, ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea.* Ac si dicat : ego decreueram iracundiæ ardore præcipitatus manu mea vlcisci, quod æquitati repugnabat, & incommoda magna afferebat, sed Deus misit te, vt dum alloquio tuo detineor, ira tempore refrigescat, & à jurata vltione desistam. Notauit Hugo : *Gratias refert Dauid, quòd non adimpleuit opere malum, quod cogitauit contra Nabal.* Gratias agendo edocuit, non esse iram bonam consiliatricem, & ob id oportere ad eius voces obsurdescere, & quidquid decernendum, attentiùs considerare. Adstipulatur noster Sanctius : *Resipuit Dauid ad hanc tam grauem, & attemperatam orationem, & recepit se ab eo furore, quem anteà conceperat.* Furor præcipitabat, & prudentiam impediebat ; cúmque Abigail de industria tempus alloquio eleganti insumpserit, Dauid jam sibi redditus à cæde abstinuit, & gratias egit. *Sit omnis homo* (aiebat sanctus Iacobus) *velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.* Monet Apostolus, vt, qui se ira inflammari senserit, se ipsum tardet ; aliter namque ardore cæco innubilatur prudentia, & præcipitatur audacia. Huc voco, quod aiebat Plutarchus de non irascendo : *Tempus perturbationi moram affert, & cunctationem iræ discutientem, & iudicium, tum rationem decentem, tum modum congruum.* Cunctatio, & in ira tarditas aut decretum, si æquitati consonum, approbat, aut demutat : ergo Dauid gratias Abigail agit, quòd ipsum morata eloquenti oratione, iracundiæ nubila excusserit, & è manibus arma extorserit.

Epist. Iacob. 1. v. 20.

§. LXVII.

Diserta, & eloquens lingua ab hostium manibus extorquere solet arma.

Lingua.

VT nihil deterius est tetra lingua à gehennæ ardore inflammata, ita nihil gratius eloquenti, sapientique ; hæc enim, quod primum in homine est, mentem reluminat, mores instruit, eloquij beneficio iracundiam temperat, & animum perturbatum tranquillat. Opportunè Cassiodorus *3. variar. 33. de eloquentia* : *Quorum ars est facere de irato benevolum, de suspecto placatum, de austero mitem, de aduersante propitium. Quid ergo patribus imponere non possit, qui flectere animum iudicantis exaluit* Eloquentia, dum grata dulcedine aures captat, dum nitida facundia animum differenat, laudabili veneficio Circes adinstar affectus mutat, & iracundiam in benevolentiam transformat. Dauid, vt sensit translatum se de iracundo ad mitem, de turbulento ad serenum, Abigailis commendauit eloquium : *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodiè, ne irem ad sanguinem.* Ac si dicat : Iam arma prensa, jam vltio jurata, jam militum manus erat instructa ; ea tamen fuit diserti tui eloquij vis, vt grata violentia gladios è manibus extuleris, & in melius animos demutaueris. Adest noster Sanctius : *Sermone vsque adeò prudenti armatas manus, & spiritus ad cædem anhelantes inhibuit.* Ni opportunè obuiasset, & ardentes iracundiæ flammas eloquio roris instar fluenti non sedasset, antequàm sol radios spargeret, omnia ad Nabalem pertinentia stragem miseramdam subirent. Ea fuit eloquentiæ vis, vt omnia composuerit, & à Nabale mortem depulerit, à Dauide culpam abegerit, à militibus insolentem truculentiam amandarit. Nec aliter sancto Laurentio accidit, cuius eloquentiæ vi Atila Dei flagellum cædes ardenter sitiens sic resipuit, vt gladios reconderit, & terga verterit. Christus Dominus, vt, quantum valeat eloquens lingua, edoceret, saliua cæco oculos restituit, & densas tenebras prorsus abstersit : *Expuens in oculos eius.* Sine saliua quibat oculos indere, & quam patiebatur, tenebrosam noctem depellere : voluit tamen lucifera lingua oculos indere, & quantum ad depellendos errores eloquentia valeret, ostendere. Notauit Chrysologus *serm. 176. Dominico sputo vacuas oculorum replet lacunas, diuino ore luciferam dat salinam.* Salubris adhortatio clausos sæpè oculos luci restituit, & diserta lingua ad depellendas tenebrosas insipientiæ noctes efficax inuenitur medela.

Matt. 8. v. 23.

§. LXVIII.

Apud aliquos, ni in actum prodeant malè cogitata, non existimantur delicta.

PEccati origo cor est, ibi improba desideria conflantur, ibi malè consulta decernuntur. *De corde* (aiebat Christus Dominus) *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria.* Hæc, etsi successu careant, animam manifestè coinquinant: verùm apud aliquos, quæ actione denudantur, scelera non habentur. Decreuerat Dauid propria se manu vindicare; Abigail diserta oratione à vindicta auertit, & ne culpa inficeretur, admonuit: *Non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis.* Dauid ira jam sedata gratias egit, quòd ab vltione, indignationeque auerterit: *Prohibuisti me hodiè, ne irem ad sanguinem.* Non ait: Prohibuisti, ne culpa inficerer, sed ne effuso sanguine sordidarer, vt qui non ignorabat crimine non carere malè decreta, etsi non fuerint actionibus consummata. Ea tamen est aliquorum ruditas, vt solùm, quæ in actionem externam exiuit, culpam reputarit; & ob id fortassis monebat Abigail, vt ab externa cæde abstinens, suæ Dauid opinioni prouideret: *Malitia non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.* Benè sciebat Abigail seriò decreuisse innoxium sanguinem effundere, crimine non carere; asserebat tamen hanc malitiam, si in opus non prodiret, ei ab hominibus nec imputandam, nec arguendam: quo nos edocet, adeò plures desipere, vt solùm, quæ in actum prodeunt, arbitrentur peccata, non quæ animo latent malè statuta. Plures ad conscientiam expiandam accedentes, si quæ fixè decreuerant, scilicet vindictam, furtum, voluptatem opere non consummarint, arbitrantur, se ad solùm animo concepta referendà non teneri, quia solùm externis actibus existimant sordidari. Opportunè noster Sanctius: *Apud vulgares homines, imperitamque multitudinem non sat est peccatum voluisse, aut aliquem adhibuisse conatum, nisi voluntatem, & studium consequatur euentus.* Dum Abigail, si à cæde abstineat, malitiam in Dauide non inueniendam testatur, vulgi ruditatem fatetur; & cùm Dauid se ab sanguinis solùm effusione ait prohibitum, internum desiderij non negauit reatum. Senior ille prodigi frater eius criminabatur actiones, & suas illibatas ostentabat semper virtutes: *Nunquam mandatum tuum præteriui.* Interna turgebat inuidia, & quia interna, nulla se defœdari putabat macula. Fratrem appellabat criminosum, quia externis actionibus improba perfecerat desideria; in se nullam inueniebat maculam, etsi interna adurgeretur inuidia. Prodest Chrysologus *serm. 4. Inuidus simulat semper, mentitur inuidus semper.* Fraternæ immemor charitatis delinquebat, sed peccare se non putabat. Senior, dum in se non agnoscit culpam, rudium, & stultorum exprimit ignorantiam. Tunc solùm se arbitrantur culpis maculari, si actione contingat malè decretum impleri.

Matth. 15. v. 19.

Desideria.

Luc. 15. v. 29.

§. LXIX.

Sanctissima virgo suis precibus hominem à decretis suppliciis eripit, & grata violentia quodammodò Deum retractare sententiam cogit.

INter vtilissimas artes, quas ad sustentandam humanæ fragilitatis indigentiam diuina tribuerunt, nulla sapienti aduocatione præstantior, ipsa periclitantibus subuenit, ipsa litium difficultates implexas soluit, ipsa judicis indignationem restinguit, ipsa reorum crimina, qua parte excusari quiuerint, adinuenit. *Causarum periti* (aiebat Cassiodorus *6. variar. 19.*) *palmares habentur, cùm magna negotia defenderint singulorum.* Hac peritia apud omnes gentes laudantur eximij, vt qui eloquenti energia resplenduerunt semper ornati. Verùm inter omnes antiquitus celebratos Maria sanctissima adeò singulari dicendi gratia resplendet, vt à peccatoribus auertat pericula, & judici sæpè retractare faciat decreta. Mariæ accommodo, quod datus jam Cassiodorus aiebat: *Ibi nos nititur sublenare, vbi nullæ diuitiæ, nulla potest dignitas subuenire.* Nil juuarent diuitiæ, vt decretam mortem auerterent, nil fortunata nobilitas, vt Dauidis indignationem frænaret. Verùm vbi Abigail Mariæ vmbra pro Nabal dulci, efficacique eloquio interceßit, Dauid Christi imaginem gerens à decreta vltione se prohibitum affirmauit: *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodiè, ne irem ad sanguinem.* Iam Abigail Mariæ fuisse vmbram testatur Richardus Laurentinus *p. 278. Ipsa orando impetrat à viro Dauid, ne statim interficiat Nabal stultum, & pessimum.* O quot pessimi, quot stulti à vero Dauid justitiæ gladio jacerent extincti, ni vera Abigail suis precibus deliniret iratum, & mutare suaderet decretum: *Benedictum eloquium tuum* (inquit Abulensis *q. 12.*) *id est, eloquentia, vel dulcedo verborum, quia verbis tuis induxisti me, vt non facerem malum, quod disposueram.* Itaque Maria attulit Nabali salutem, & Dauidis auertit indignationem. Cogitabam Christum Dominum matris aliquando precibus tempus opposuisse, nec matris elogio nobilitasse: Vinum mater asserebat deficere, vt filio miraculo suaderet ruborem conuiuantium anteuertere: *Vinum non habent.* Christus Dominus matris nomen tacuit, & tempus etiam opposuit: *Quid mihi, & tibi est, mulier, nondum venit hora mea.* Quid tunc? Aquam generosum vertit in vinum, & prodigiosum operatur miraculum. Apud omnes Interpretes in confesso est, hic arcanum latere mysterium. Si annuit matris desiderio, se filium obsequentem ostendat, nec temporis difficultatem opponat: quandoquidem beneficium non minus constat modo, quàm pretio. O immortalem Domini sapientiam! si vocasset matrem, videretur miraculum jure cognationis impensum; ni temporis reluctantiam adduceret, censeretur tempus miraculis opportunum; at, dum difficultatē exaggerat, & maternum nomen celat, quāta precibus energia ad obtinendum insit, declarat. Ea erant pro indigentibus rogantis merita, vt grata violentia extorqueret miracula, vt quodammodò Christus cogeretur efficere, quod apparebat

Maria.

Ioan. 2. v. 3.

bat tempus repugnare: Opportunè Bernardus in Allegor. Tilman. *Vt scias quomodò responsum ipsum acceperit, aut quantum de filij benignitate præsumpserit, ait ministris: quodcumque præceperit vobis, facite.* Iam ministros ad disponendam miraculo instruebat materiam, & digna præsumptione impetrandam ambigebat nullatenus gratiam. Consonat Chrysostomus in Catena D. Thom. *Quamvis dixerit: Nondum venit hora mea, postmodum fecit, quod mater dixerat.* Tempus opposuit, vt ostenderet, ob matris preces & tempora inuerti, & naturas rerum in melius sæpissimè commutari. Tempus opposuit, vt honestè retractatam ostenderet sententiam, & anticipatam miraculi horam: *Nondum venit hora mea.* Ac si dicat: ego statueram tempore passionis in vino Sacramenta conficere, sed jam tuis efficacissimis precibus mysterium illud prælibo, & legem temporis anteuerto: ergo vtere Mariæ patrocinio, si discupis tibi consulere, & diuinam indignationem auertere.

TEXTVS.

VERS. XXXIV. Alioquin viuit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi; nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam mingens ad parietem.

§. LXX.

Felicissima sunt cum sanctis cognationis, familiaritatisque vincula, vt impendentia tibi eluseris detrimenta.

Senēcus. CVlpa inflammat indignationem, innocentia exigit sospitatem. Vndè si justus, peccatorque eo teneantur cognationis, aut familiaritatis vinculo, vt, si inferatur peccatori supplicium, justo resultauerit detrimentum. Ea est diuina bonitas, vt malit illæsum peccatorem relinquere, quàm ex illato supplicio aliquam justo molestiam inferre. *Insertus* (aiebat Athalaricus) *8. variar. 11.*) *stirpe regia vocabulum vobiscum volui habere commune. Viuite, Deo propitio, securi.* Rationem subnectit: *Interest nostræ gloriæ, vt quorum numerum auximus, eos propitia diuinitate tueamur.* Grande securitatis pignus erat speciali titulo ad Principem pertinere, quandoquidem si quod sui subirent incommodum, videretur in Principis vergere detrimentum. Satis fortunatus fuit Nabal vxorem sortitus prudentia eximiam, & omnium virtutum dotibus exornatam. Mulcta Nabali inflicta, vxori etiam videretur decreta, quandoquidem nequibant eadem sorte non teneri, quos matrimonij constabat vinculis illigari: ergo Dauid, ne innocuam videretur diuexare, ab vltione maluit abstinere: *Viuit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi*; id est, tu nil aduersi mereris: ergo cùm prohibitus sim tibi malum facere, ex consequenti non possum Nabali pœnam inferre; quandoquidem illius calamitas, tua etiam esset aduersitas. Notauit Abulensis *quæst. 12. Dicitur, ne facerem tibi malum, quia malum, quod volebat facere Dauid Nabal. redundabat in Abigail.* Nisi in Abigail ea pœna redundaret, forsitan Nabal, quod merebatur, supplicium lueret; euasit verò supplicium ob Abigailis vxoris meritum. Cùm filiæ Loth desponlæ jam viris essent, curæ fuit Angelis eos à periculo eximere, & à flammarum torrētibus liberare: *Habes hic quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias? Omnes, qui tui sunt, educ de vrbe hac.* Ni generi contemnerent salubria monita, passi non fuissent supplicia. Sed inquires, cur soliciti fuerint Angeli eruere, quos malis certum erat moribus defœdari? Quia cùm jam sponsi futuri (respondet Oleaster) aliquomodo Loth filiarum esset supplicium, quòd illi sustinerent tormentum: ergo, ne innocuæ sensu doloris vrgeantur, generi fugere pœnam monentur. Oleastrum audi: hic ad mores: *Ecce quid valeat iustis coniungi, & qualiter mali propter bonos sæpiùs benè habeant.* Satisfuit generis ad Loth justum aliquomodò pertinere, vt, si vellent, pœnam eluderent; nam Angeli, ne justum Loth graui exulcerarent dolore, improbos generosos eripuissent ab igne.

§. LXXI.

Breuis in pœnitendo morula aliquando attulit grauissima detrimenta.

QVid dies crastina pariat, sub dubio est. *Nouissimi huic tranquillitati considere* (aiebat Seneca *epist. 4.*) *momento mare veritur: eadem die, vbi luserunt nauigia, sorbentur.* Maris fides infida est, inopinè irruente procella desæuit, & quam promittebat, securitatem abscondit. Plerique, dum longa vitæ spatia cogitabant, animam efflarunt, & inopinam mortem subierunt. Testis est illè auarus, qui dum de ampliandis horreis agit, è vita fugit. Aliquando mala, aut bona fortuna ab vnico momento dependet: sibi inuidet, qui se, suaque in futurum remittit. Hanc veritatem testatur Dauid prudentiam Abigail, & celeritatem commendans: *Nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam.* Si Dauidis justam indignationem prænoscens ei occurrere in diem sequentem Abigail protelasset, sine dubio periisset; verùm dum nec per momentum distulit, quòd, periculum eminebat, euasit. Tantum profuit illa celeritas, & nocuisset tantùm tarditas. Notauit Hugo Cardinalis: *Festinauit Abigail, quia festinanda est pœnitentia, dum sumus, vbi est locus pœnitentiæ, Eccl. 5. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius.* Si ira torrentis adinstar veniat, omnia celerrimo impetu rapta circūvoluet, & euadendi locus non erit. Qui tardè dedit (aiebat Seneca) diù noluit; diù noluit, qui tardè pœnituit. Tarditas, dum erga errores adfectionem indicat, pœnitentiam infamat, nec odio perfecto videtur habitum, quod, ne anolasset, spacio videtur habitum, quod, ne anolasset, spatiis largissimis est retentum. Christus Dominus Niniuitas in pœnitentium formam admisit, & jure, quandoquidem ipsum indultum, euertioni

euersioni ciuitatis spatium prouidum pœnitentiæ commendauit studium: *Adhuc quadraginta dies* (clamabat Ionas) *& Ninive subuertetur.* Ionæ 3. v. 4. Quid tunc? Vt ad Regem peruenit verbum, properè surrexit de solio, & luxit indutus sacco: *Peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.* Si nouit Princeps pœnitentiæ efficaciam, si non ignorat magnum spatium indultum ad pœnitentiam, cur citò adeò regias vestes exuat, & sordidum lugentium habitum induat? Partiatur tempus, triginta dies impendat delitiis, decem accommodet lachrymis. In quacumque enim hora peccator verè ingemiscat, eius Deus pœnitentiam suscipiet, & honorabit. Quid ergo pœnitentiam acceleret, & spatia præscripta præmaturet? Quia agnitione culpæ (inquit Basilius Seleucensis) vritur, & odio jam habere ipsa celeritate testatur. Si differret, adhuc erga culpas affectum proderet, & dilationis spatium pœnitentiæ videretur dehonestamentum. Audi Basilium *orat.* 12. *Ad vnam vocem luctui indulgebant.* Subjicit. *Hæc verè pœnitentiæ indicia, lugens anima, plorantes oculi, improbitatis correctio, impietatis fuga, carnis contritio.* Pœnitentiam commendarunt, dum contemptis spatiis celeriter arripuerunt. Qui ab impietate non fugit, non horret, & dum se non horrere indicat, mora suspecta redditur pœnitentia. Iam quantum detrimenti, vtilitatisque vel momentum afferat, clarè edocuit scriptura, dum ob exiguum temporis instans æternum Esau lugentem, & Iacob ostendit nobis exultantem. Esau miserat sibi benedictionem, qua floreret fortunatus, ambiuit etiam honestè Iacob consilio matris inductus. Competitoribus exiguum tempus sortem attulit diuersissimam: *Vix Isaac sermonem implenerat: & egresso Iacob feras, venit Esau.* Gen. 27. v. 30. Adhuc erat in labiis Isaac verborum tinnitus, & tamen ab exigua illa morula æternus Esau promanauit planctus. Si tantillum acceleraſſet, infortunium euasisset. *Infelix Esau* (inquit Bernardus in Alleg. Tilman.) *Qui dixisti: Num vnam benedictionem habes, pater?* Qui vnam sibi patris benedictionem dilatione contempsit, clamore lachrymabili irrugiit: tantam breue temporis momentum calamitatem attulit, ad tantam Iacobum felicitatem euexit.

§. LXXI.

Coniuges vna debent re putari persona, & vna in duobus viuere corporibus anima.

Coniux. MAtrimonium & numerum exigit, & vnitatem requirit, in vna solùm persona non viget, sine vnitate non floret. Bellè Tertullianus *lib. 1. ad Vxor. c. 3. Fœminam de masculo mutuatus; duo corpora eiusdem materiæ consortio sumpta, rursus in se matrimonij compactione compegit.* Corpus diuisit, & quodammodò iterum adunauit, vt ex diuisione numerus, & ex numero vnitas resultaret. Si vxor ab sponsi ingenio discrepet, si maritus ab vxore discordet, matrimonium vertitur in stadium. Benè Eurypides apud Stobæum *cap. 69. Felix cuicumque coniugium prosperè successit.* Consonat Hesiodus in Oper. de discordia inter conjuges scribens: *Vrit sine tora Eman. de Naxera in Reg.* Tom. II. *re, & ad crudam impellit senectam.* Amara est vita, si neque effugere, nec sopire possis discordiam, qua & senectus properat immatura, & canities caput decolorat coacta. *Differunt ingenia* (verba sunt dati Eurypidis) *Quid viro calamitosius fuerit?* E contrà nil lætius, nil fortunatius, quàm eadem velle, eadem conjuges conformi voluntate sentire, quia jam numerus deseruiet matrimonio, & nullatenus dissidio: hanc fortunam Nabal videtur consecutus, nam cùm Dauid expetere vltionem à viro properaret, ne vxori noceret, se prohibitum apertè asseruit: *Viuit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi:* cui Dauid à se ipso discordare videatur; nam si properat contra Nabalem indignatione commotus, cur dicitur, ne Abigail nocuerit, prohibitus? Quia Nabal, & Abigail (inquit Hugo) pro eadem reputantur persona, sicque dum Dauid ab inferenda Nabali pœna refertur prohibitus, ne vxori intulerit pœnam, dicitur retardatus: *Ne malum facerem tibi, id est, viro tuo.* Tam idem erant vir, vxorque, vt Dauid pro vna, eademque persona vsurparit, & quale conjugium debeat esse edocuerit. Cùm omnia Christi Domini dicta factaque resplendeant mysteriis plena, inquirendum est, cur, dum nuptiæ celebrarentur, vinum voluerit deficere, & in vinum aquam transmutare? *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Ioan. 3. v. 1. Fortasse ibi patrare voluit miraculum, vt esset conjugibus documentum. Dum aqua, vinumque miscentur, jam vnicum nomen sortiuntur, substantiarum multiplicitas excluditur, quia altera in alteram transmutatur. Notauit Plutarchus in præceptis connub. *Temperamentum, vinum tamen appellamus.* Itaque aqua, vinumque maritata jam idem dicitur: ergo videant conjuges aquæ in vinum versæ miraculum, vt vtile acceperint documentum. Quàm ad rem Chrysologus *serm. 99. Facit Deus, vt sit homo vnus, duo; duo vnus: alter ipse.* Rationem reddit: *Ne sit aut singularitas destituta, aut confusa coniunctio.* Sint duo, vt matrimonij Sacramentum conficiant; sint vnus, vt conformitatis fructus vberrimos colligant: sint duo, ne vnitas remanserit destituta: sint vnus, ne domus confusis ingemiscat litibus perturbata. Dauid, dum pro eadem persona vxorem, virumque accepit, conjuges vnum esse debere ad nostram eruditionem edocuit: *Tibi, id est, viro tuo.* Vt hinc formam conjuges conuersandi mutuentur, & concordiæ regulam nanciscantur.

TEXTVS.

VERS. XXXV. Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia, quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacificè in domum tuam: Ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam.

§. LXXIII.

Bonus Reipublicæ administer accedentis pro aliquo negotio fœminæ non prius pulchritudini attenderit, quàm rationi.

Iudex. Fœmina.

SÆpè fœminæ varijs causis adductæ tribunalia adeunt, & iudicibus aduentus causas exponunt, Bonus minister attendit causam, non formam, malus attendere solet plus formam, quàm causam. Susanna castitatis decus, puritatis elogium ad tribunal venit, sed decorem abscondit, ne quis arbitraretur, iudices, si absoluerent, id feciſſe venustatis suffragio, non causæ merito: *Erat cooperta.* Innocentiæ suæ prouidit faciem abscondens, & iudices se æquitatis ostenderunt corruptores, dum anteà solicitarunt oculos pascere, quàm causam eius discutere. O quàm erant legum pestes, æquitatis corruptores, dum non curarunt iura, sed formæ vanissima oblectamenta! *Iniqui illi iusserunt vt discooperiretur*: Et quid æquitati cum absconsa, aut aperta pulchritudine? Si causa est iusta, etiam pro operta ferenda est sententia, si est iniusta, discoopertæ infligenda est mulcta. Quid ergo opus discooperiri? O expende, amabo te, Textum eos jam iudices iniquos protuliſſe, cùm faciem retulit velo nudaſſe: *Iniqui illi iusserunt, vt discooperiretur.* Ipsum mandatum internum promulgabat studium, nec consonam legibus quibant proferre sententiam, qui adspicere venustam ambiebant formam. *Susanna illustris Hebræa* (inquit Sanctus Zeno Veronensis *serm. 9.*) *verè decus pudicitiæ docuit fœminas suæ castitatis exemplo: stabat Susanna in iudicio.* Tribunali adstabat, sed cooperta: iudices, dum iura decreuerunt euertere, oculos venustate voluerunt pascere. Abigail exigente causa Dauidem adit, pro viro suo allegat, & clementiam implorat. Audi quid Dauid, quem Regem appellauerat, ei respondeat: *Audiui vocem tuam, & honorauí faciem tuam.* Non priùs honorauit faciem, quàm audiuerit vocem. Plures solent annuere voci, quia discupiunt pulchram faciem. *Audiui vocem tuam* (inquit Abulensis *quæst. 13.*) *id est, consensi petitioni tuæ.* Adnectit: *Scilicet quòd non vlciscereturse manu sua.* Æquitas dictabat, quod Abigail deposcebat: ergo facies non impetrauit, sed vox obtinuit. Cùm adultera ante Christum Dominum fuiſſet adducta, eiusque delatores pro sententia instanter vrgerent, se Dominus inclinauit, & oculos scripturus amouit. *Inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Et cur erecto vultu sententiam non proferat? Quia, si erecto vultu Scribas, Phariſæosque attenderet, quis fortè diceret auctoritati accusantium paruiſſe, & inauditam damnaſſe. Si è contra mulierem adspiceret, criminarentur absoluiſſe: ergo, vt iudicibus normam præscriberet, se inclinauit, patulas aures relinquens, & oculos ad noſtram exauditionem auertens. Digito Dei ea scribebatur sententia, quando quid scriberet, considerabat oculus, & rationi solùm patebat auditus. *Sublimitas discretionis exprimitur* (inquit Alcuinus in Caten. D. Thom.) *nos ergo instruit.* Mulier tribunali adstabat, potens criminator è contra agebat. Quid ergo Dominus? Nullum

Dan. 13. v. 32.

Ioan. 8. v. 6.

respexit, sed amotis oculis dignam suæ sapientiæ sententiam promulgauit.

§. LXXIV.

Non licet seruis, quæ Domini sunt, dilargiri, etsi nouerint & nulli vsui futura, & sine dubio perdenda.

Seruus. Eleemosyna.

ALiquando serui aut non bona pietate moti, aut aliquo degeneri affectu abducti ex Domini bonis pauperibus, & cognatis aliqua dilarginntur: ea ratione se duci aiunt, scilicet quòd à Domino ea habeantur despecta, aut nullis eius sint vsibus profutura. Hoc tamen error est, nec enim licet de alienis subsidia pauperibus ministrare, aut pietatem degenerem exercere. Quidquid Dauid oblatum ab Abigail Textus retulit dilargitura: *Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia.* Hinc oritur difficultas. Si serui vexentur Dauidem rustica Nabalis auaritia fore irritandum: *Completa est malitia aduersum virum tuum, & aduersum domum tuam.* Cur discrimini non occurrant, & indigenti munera offerant, quibus indignationem auertant? Si Dauid eget. Si milites, cum quibus amicitiam in deserto contraxerunt, famescunt, aliqua xenia ad leuandam famem offerant, sibique ipsis prouideant: O quam erant prudentes, fideleſque serui: Abigail monuerunt, vt oblatis muneribus facultates suas conseruaret, & Dauidis indigentiam depelleret; ipsi verò nolnerunt conscientiam suam lædere, vt de alieno indigenti subuenirent, aut sibi benevolentiam conciliarent. Innuit aliquomodò Abulensis *quæst. 13. Apparet in hoc, quòd susceptu de manu sua omnia, quæ attulerat.* Subdit: *Cum illa essent de pertinentibus ad Nabal.* Quæ ad Nabal pertinebant, de manu Abigail accepit Dauid oblata, à seruis non reciperet exhibita. Cùm Deus copiosè manna in modum pluuiæ largiretur, intra modum gratiam continuit: *Colligat vnusquisque quod sufficit ad vescendum: gomor per capita, singula capita.* Hinc occasio scisciandi offerunt: Cur cùm manna in modum pluuiæ descenderit: *Ego pluam vobis panes de cœlo;* Et poſt impetum omnibus gomor, quod reſtat, exorto solis ardore corrumperetur, Moyses vltra mensuram aliquid non fuerit largitus? Si perdendum non foret, nil mirum præscriptum modum seruaret; verùm si euanescit ardore tabidum, nonne melius erit, vt largius manducarint expensum? Hinc elucet Moyſis fidelitas. Seruus diuitiarum Domini erat administrator, & licet non ignoraret reſidnum penitus deperdendum, transgredi nolnit mandatum, nec de alienis bonis plausum liberalis conquirere, aut affectioni parere. Ingeniosè notanit Basilius Seleucienſis *orat. 33. De cœlo manna quondam Israelitis dabatur, sed quia miraculi administer seruus erat, necessitati quoque donum seruiebat, quodque reſiduum euaneſcebat.* Gomor à quolibet accepto reſiduum euaneſcebat, Moyses tamen, quia seruus erat, obtemperabat præscriptæ sibi legi, nec de Domini bonis etiam citiſſimè euanescendis liberalis quæſuit famam, excedendo mensuram: factis edocens non esse alienam ſubſtantiam pro arbitrio diſpensandam, nec fucultatem colore etiam commiserationis in famorem pauperum expendendam.

§. LXXV.

§. LXXV.

Non est beneficium à quolibet accipiendum, sed cui debitores simus, pensandum.

Beneficium. VT prudentia opus est ad præstanda, sic etiam ad beneficia accipienda. Nonnulli sunt pranæ adeò naturæ, & stolidæ superbiæ, vt existiment, si munera contingat accipere, magnum, se acceptando, beneficium impendere. Benè Seneca lib. 2. de Beneficijs de his agens cap. 16. *Nemo non benignus est sui iudex.* Indè est, vt omnia fastosus meruisse se existimet, & ipsum accipere arbitretur soluere. Sunt, qui accepta beneficia ad querelas detorserint, & minus, aut tardius accepisse ingratissimo supercilio infamarint. Satius est aliquos offendere, quàm officijs prolectare: argumentum nihil debentium quærunt oblata magnitudine sua dictitantes non digna, & suis meritis nullatenus respondentia. Horum ingenia, etsi criminis expers, videtur Dauid adumbrasse, dum testatus est, se Abigail honorem accipiendo impertijsse: *Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia, quæ attulerat ei, dixitque ei. Ecce audiui vocem tuam, & honorauí faciem tuam.* Quo honore? Ipsa munerum acceptione, inquit Lira: *Honorauí faciem tuam, accipiendo xenium de manu tua.* Dauid verum dixit, fuit namque humanitatis ea tunc munera acceptare, & à vindicta abstinere, sed vt dicebam, dum vera dixit, aliquorum mores expressit; accipiunt, sed dilargiri se beneficium arbitrantur, quia vanissima tument præsumptione, & inflatissima vanitate. Ergo oportet considetare, cui beneficium exhibeas, si officijs allicere exoptas. Hoc pro exhibitis obsequijs satis: veniamus ad thesim, & quomodò accipiendum sit, videamus. Non est ab eo accipiendum, cui debere pæniteat, & à quo aliquid accepisse distorqueat. Disertè datus Seneca cap. 18. *Transeamus ad alteram partem tractaturi, quomodo se gerere homines in accipiendis beneficijs debeant.* Iam subdit: *A quibus ergo accipiemus? Vt breuiter tibi respondeam: ab eis, quibus dediſſe vellemus. Num etiam maiore delectu quærendus est, cui debeamus, quàm cui præstemus; nam, vt non sequantur vlla incommoda (sequuntur autem plurima) graue tamen tormentum est debere, cui nolis.* Itaque eligendus est, à quo beneficium accipias, & quidem diligenter: docuit enim experientia grauissima promanasse detrimenta ob accepta exigua munera. Qui lubenti ad speciem animo quid præstiterunt, posteà lingua accipientis æquitatem audaci abrodunt; & aliquando tribunalia, vt muneribus corruptum expostulent, adeunt. Od id cùm accepisset de Abigailis manu Dauid oblata munera, eius faciem honorasse asserit: *Honorauí faciem tuam:* Et quidem iure, nam dignam, à qua reciperet, accipiendo declaravit. Ita Abulensis *qu.* 13. *Quia voluit recipere de manu eius munera. Interdum enim Domini magni dedignantur suscipere munera infimorum, quasi non sit dignum eos de manu horum quicquam recipere. Cùm autem acceperint, honorant illos, à quibus accipiunt, scilicet indicando eos tales esse, à quibus magni viri recipere debeant.* Abigail honorauit, cùm Danid eius munera grato aspectu susceptit, & obsequia debere voluit.

§. LXXVI.

Vnica Maria pro multis sanctorum magnatibus valet ad auertendam Dei iram, & impetrandam nobis misericordiam.

QVi magnis meritis eluxerunt, facilè peccatoribus sæpissimè veniam impetrarunt. Maria Virgo. Reueretur enim quodammodò Deus accedentem eorum orationem, & piam exequitur voluntatem; ea tamen enormitate excedere solent delicta, vt sanctorum etiam eneruare videantur suffragia. *Immittam in eam famem, & interficiam* Ezech. 14. v. 14. *de ea hominem, & iumentum. Etsi fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob.* Quàm tellus fœdis scelerum vorticibus exundabat, quando nec Noe, qui Arcæ constructor mundi reliquias asseruauit, nec Daniel, qui ferocientem leonum sæuitiam edomuit, nec Iob, qui inuicta patientia dæmonum nequitiam vicit, potuerunt emollire diuinam excandescentiam. Ita Glossa Moralis: *Non suffecerunt ad amouendam sententiam diuinam.* Adhuc vniti non auerterunt iram, qui aliàs singuli impetrarãt misericordiam. Verùm etsi ad tantorum sanctitatis procerum obnixas preces diuina obsurdescere videatur clementia, non dubites iram diuinam flectendam, & sententiam differendam, aut temperandam, si accedat rogatura Maria sanctissima. Ecce Dauid Christi Domini imago Nabalis injuriis irritatus sic inardescit, vt ad vltionem juratus properet. Verùm vbi Abigail Mariæ vmbra occurrit, jam ad misericordiam flectitur, & sententia demutatur: *Ecce audiui vocem tuam, & honorauí faciem tuam.* Ac si dicat: Quantumvis sanctorum magnates ad mea vestigia supplices deuoluerentur, Nabali non parcerem; verùm cùm facies tua plena sit gratiarum, jam à vindicta abstineo, & quantam apud me sortiaris gratiam, demonstro. Ita Abulensis *quæst.* 13. *Honorauit faciem eius, cùm propter præsentiam eius, & verba destitit à vindicta, quàm petere intendebat, & fortè hoc non feciſſet Dauid, si aliquis magnus vir orasset, fecit tamen, quia suasit Abigail.* Cùm Maria sanctissima longè omnium magnatum excedat merita, facilius pro peccatoribus obtinet postulata, quasi non audeat filius faciem eius confundere, si pro peccatoribus accesserit postulare. Oseas decreuisse Deum, ait dignam expetere de peccatoribus mulctam, vtpotè qui scelerum copia supergressi videbantur clementiæ metam, & ne sibi blandiren tur spebus, addidit matris labia taciturnitate signanda: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, &* Oseæ 4. v. 2. *furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra.* Vides ad vindictam accinctum, audi quomodò auerterit etiam vindictæ obstaculum: *Nolite tacere feci matrem tuam.* Et quid juuet matrem tacere, si plures sanctorum magnates non prohibentur preces effundere? Nonne magnus Abrahamus ad genua prouolutus in memoriam adducet filium religioso cultro immolasse? Isaacus non referet sponte jugulum objecisse? Ita est: verùm dum Maria peccatorum mater non oret, omnes hi poterunt sustinere repulsam, punieturque audax, & infrunita sceleſtorum audacia: verùm si mater preces obnixè fundat, si labia aperiat, judicem grata violentia ligabit, ad cle-

mentiamque flectet: ergo curæ iudici fuit matrem tacere, vt iusta posset sententia in peccatores sæuire. Huc voco Richardum Laurentinum fol. 106. *Dictum est ei in Psalm. 44. Diffusa est gratia in labijs tuis: Quod sic exponitur: Gratia collectiuè, id est, vniuersitas gratiarum diffusa est, id est, non solùm fusa pro te, id est, toti mundo abundanter distributa per te. In labijs tuis, hoc est, in responsione tua, qua Deo trinitati conciliatus est mundus, perversi prius homines ad Deum conuersi, & qui prius sordescebant, à peccatis mundati.* Hæc labia in vitæ coccineæ modum splendentia filium ligant, ne puniat, hominem ligat, ne coruat: ergo si expetenda de peccatoribus mulcta, tacere erit opus hæc labia.

TEXTVS.

VERS. XXXVI. Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei conuiuium in domo eius quasi conuiuium Regis, & cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis: & non indicauit ei verbum pusillum, aut grande vsque mane.

§. LXXVII.

Infelix iucunditas, quæ à vitio exorta, & hilaritas ab ingluuie innata.

Iucunditas. HIlaritas à saporatis ferculis, & capacioribus scyphis, apud homines indecora, & aliquando longa infirmitate luenda. Cùm Alexander Callisthenem ad ingentē calicem inuitaret prudenter respondit, nolle se breui gaudio per multa tempora egere medico. Ita Plutarchus de non irascendo. *Cùm circumferretur ingens calix, ait: Nolo Alexander hoc hausto opus habere Æsculapio.* Plures Æsculapio non egerent, si calicibus non vacarent, verùm, dum se saporatis edulijs, & conditis vinis tradunt, multiplices contra se morbos enutriunt. Nabal refertur iucundus, & conuiuio regio exhilaratus: *Cor Nabal iucundum.* Hanc breuem iucunditatem ægritudine adeò graui persoluit, vt quàm citò cor tabuerit, & tabe mortem asciuerit: *Emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.* Iucunditatis opulenti, regijque conuiuij effectus fuit cordis stupiditas, & inopinæ mortis celeritas; breuis lætitia longa tabe compensata est, & qui multo vino indulsit, sensu diù caruit. *Quasi lapis* (inquit Hugo) *id est, sine sensu, & motu, quæ sunt signa vitæ.* Hilaritatis insania sic omnes sensus corrupit, vt jam lapidis adinstar eorum vsus iaceret priuatus, & ante mortem jam mortuus. Quàm carè voluptatem emit, quàm graui pœna persoluit, diù viueret, ni lautis epulis indulgeret. Et nota cùm semper fuerit auarus, perijsse, quia tunc profusus: stultus erat, & tam modum nescivit in retinendo, quàm in dando. Nil habuit, quod Dauidi exhiberet; tonsoribus regium conuiuium instruxit. De famelico Lazaro dicitur: *Factum est, vt moreretur mendicus.* Cùm diuitis mors refertur, non additur illud, *factum*, sed absolutè, *Mortuus est autem dives.* Et quæ huius diuersitatis causa? Quia illud *Factum*, aut ætatem jam maturam indicat, aut diuinam prouidentiam declarat.

Luc. 16. v. 22.

Dives naturalem mortem non expectauit, sed ipse crudam, & indigestam asciuit. Audi Chrysolog. *serm. 121. Dives varijs crapulatus ferculis indigeriem suam vectabat ad cœlum.* Indigeries calorem extinxit, & mortem immaturam inuexit. Temperantia, fameque Lazari, dum noxios humores concoquit, vitam protraxit. Necessarium non fuit solicitare, vt moreretur, dives crapulatus, quia ipse sibi blandam mortem ebibebat, & lautis, conditisque ferculis morbos armabat: vt mendicus moreretur est factum, quia ipsa temperantia morborum repellebat adsultus, & temperabat cruciatus.

§. LXXVIII.

Graue imminet supplicium, si pauper dispoliatur, vt vanitas adipetur.

PLures sunt, qui ex rapto viuant; difficile morum mensuram queunt conseruare, qui studeant voluptatibus indulgere; verùm omnimodè detestandum est inualidos, exiguosque dispoliare, vt pompaticus ornatus fulgeat, & opipara mensa splendeat. De his repetat Cassiodorus 6. *variar.* 15. *Splendent mutuato lumine, nituntur viribus alienis, & quadam imago in illis videtur esse veritatis, qui propria non habent iura fulgoris.* Reperies fulgoribus splendentes, vestium floriditate radiantes, opipara conuiuia instruentes; quodsi altiùs, vndè hæc promanarint, inquiras, inuenies ab inualidis nunquam soluendam extorsisse pecuniam, & coloratis fraudibus pauperibus abstulisse substantiam. *Non caret misterio*; Nabalem tunc à Deo percussum, cùm oues totondit, & conuiuium regium instruxit: *Cùm pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Ecqua horum percussionis causa? Fortè detonsæ ouis balatus, & tonsoris risus. *Ecce erat ei conuiuium in domo eius quasi conuiuium Regis.* Ferendum esset oues non solùm dispoliare vellere, sed etiam cute, ni tunc regium tonsoribus exhiberetur conuiuium; ast oues dispoliare, vt priuatus regum quiret conuiuium instruere, grauissimi sceleris mulctari pœna, vt digna puniri mulcta. Non relinquebatur ouiculæ: quo se tegeret, & contra frigus muniret, & ab ea ereptum instruendis superbis conuiuijs dilapidabatur profusum: ergo iustè à Deo percussus est, qui exiguos dispoliabat, & in vsus tales profundebat. *Habebat Nabal* (inquit Abulensis *quæst. 13.*) *conuiuium magnum in domo sua, sicut Reges faciunt.* Subdit post aliqua. *Fuit ista mors quasi violenta, cùm non veniret ex conditione naturæ, sed est inflicta à Deo ob pœnam.* Pestifera lue perijt, qui miseras oues dispoliando regium affectauit conuiuium, & inanem sitiuit plausum. Inspice aliquorum domos, & videbis pretiosa supellectili renitere, & copiosa, splendidaque familia exundare; ibi lauta frequenter conuiuia celebrantur, ibi xenia conuiuis sæpè impertiunt. Si quæras, vnde tanti promanauerint sumptus, inuenies fortè miserorum esse ploratus. Verres publica conuiuia celebrabat, quæ de publico etiam instruebat. Vndè Cicero lib. 5. in ipsum aiebat: *Quotidiè solitum esse non solùm in publico, sed etiam de publico conuiuari.* Omnium detrimento, omnium luctu publica, ac magnifica illa conuiuia à Verre parabantur, vtque adipiscatur vanitas,

vanitas, dispoliabatur pusillitas. Saturni Sacerdotes, vt eius inirent fauorem, puerorum litabant sanguinem, resplendebant ipsi florida pompa, sed de paruulorum miseria. Iustè Tiberius Imperator stipitibus affixit, & paruulorum sanguinem vindicauit. Audi Tertullianum in Apologetico cap. 9. *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam, vsque ad proconsulatum Tiberij, qui eosdem sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum votiis crucibus exposuit.* Quàm erat illud sæculum miserandum, vbi qui paruulorum sanguinem offerebat, dignitatem impetrabat: quàm fuerunt digni votiuis stipitibus, qui paruulos opprimentes, sanguinolentis emicabant fulgoribus. Fas fuit, vt Nabal periret à Deo percussus, dum oues tondet, & regium tonsoribus conuiuium instruit.

§. LXXIX.

Stultus est, qui suos dispoliat, vt dispoliantibus largitate profusa impendat

Rapina. NOn *immeritò Pompeius* (scribit Cassiodorus 6. *variar* 18.) *fertur copiæ quantitate prouisa vsque ad rerum peruenisse fastigia, quia meritò singularis est amor populi, cùm potuerit à penuria liberari.* Quibus curæ est Reipublicæ administratio, honestum acquirunt lucrum, dum prouidentiæ populis impendunt affectum: quod denegant auaritiæ, immortali reponunt famæ. Hanc tenuerunt viam, qui inter numina recensiti, generalitatis scilicet commodis solicitè prouidere, & sua ad omnium vtilitatem generoso animo dispensare. Ceres dea relata est, quia frumenta inuenit, Pan numen habitus, quià in panes fruges conformauit. *Illa* (Cassiodorum datum audis) *prædicata est, quæ retulit, & iste laudatus est, qui decenter edenda humanis vsibus applicauit.* Multum in Rempublicam contulit, qui vtilia inuenit, nec minus qui inuenta prudenter disposuit. Qui contrariam sequuntur viam, egregiè exerrant. Illi tamen præ reliquis desipiunt, qui auida siti subiectos dispoliant, vt ij, quorum vtuntur opera, indebitis augmentis pinguescant. Subiectis non licet viuere, nec ipsis, quæ violenter tulerant, possidere. Nabal oues tonsorum opera denudat: decertabant illi, quis altius oues tonderet, & Nabalis cupiditati copiosiorem lanam afferret. Putares allata vellera Nabalis vsibus profutura, sed audi quomodò eorum pretia fuerint expensa. Tonsoribus, post laboris præmium, auctarium fuit opiparum, & regium conuiuium: *Ecce erat ei conuiuium in domo eius quasi conuiuium Regis.* Greges balabant nudati, tonsores delitiabantur opiparis, ac multiplicibus ferculis innutriti: Nabal in vtroque & stultus; & sibi inueniebatur contrarius, dum nimiè tondet, & tonsoribus nimiè profundit: *Secundum nomen suum* (aiebat Abigail) *stultus est, & stultitia est cum eo.* O quot inueniuntur Nabales! filias, vxoresque denudant, vt prodigant. *Vocatur* (inquit Abulensis *qu.* 13.) *conuiuium quasi Regis propter multitudinem conuiuantium, & propter ciborum affluentiam, in quo apparet rusticana tenacitas Nabal.* Rusticus, insipiensque Nabal, vt oues nudaret, tonsores asciuit, & quæ oues non sine balatu pendebant, tonsoribus applicabat.

§. LXXX.

Non sunt admonendi aliqua affectione ebrij, quousque susciendæ doctrinæ apti.

PRudentia optima actionum directrix, loquendi, tacendique tempus præscribit, ora silentio signat, si admonitionem profuturam desperat; silentium rumpit, cùm animos admonitionum luce illustrandos credit, sapiens medicus expectat tantisper, vt vis morborum intermittat, ne ad se ægritudinis ardor remedium trahat. Disertè Seneca ad Hebriam cap. 1. *Dolori tuo, dum recens sæuiret, sciebam occurendum non esse, ne illum ipsa solatia irritarent, & accenderent. Nam in morbis quoque nihil est perniciosius, quàm immatura medicina.* Immatura medicina medico est pudori, ægroto discrimini. Nihil faciendum est sine temporis suffragio, & prudenti consilio. Oportebat Nabali denuntiare quantis se auarus, & rusticus discriminibus obiecisset, vt exinceps cautiùs, & prudentius se gereret: verùm Abigail, vt erat prudentissima, nihil vsque in diem sequentem admonuit, sed distulit: *Non indicauit ei verbum pusillum, aut grande vsque mane.* Et cur vsque in diem sequentem differat? Iam Textus expressit: *Erat enim ebrius nimis.* Non patiebatur tunc Nabal admoneri, quia ratio tyrannicè oppressa, & ebrietatis erat vinculis illigata: ergo distulit prudens in opportunius tempus, vt medicina proficeret, ne immaturè applicita proritaret. Quod moribus Gregorius apud Glossam adaptat: *Iracundos melius corrigimus, si in ipsa iræ commotione declinamus, perturbati enim quid audiant ignorant. Sed cùm ad se redeunt, tantò libentius exhortationis verba recipiunt, quantò se tranquillius tolerari erubescunt. Vndè & Nabal ebrio culpam suam Abigail laudabiliter tacuit, quam digesto vino laudabiliter dixit.* Imprudentia esset ebrium carpere, vt reprehensibile sobrium non monere: ergo Abigail prudentiæ norma, dum efferuescebat ebrietas, tacuit, dum sensus vigebat, admonuit. Duo homines malo spiritu possessi adeò desæuiebant, vt nulla succederet medicina: *Sæui nimis.* Horum calamitatem miseratus Dominus aduentat, & dæmon, quia medicinæ dolebat efficaciam, aggressus est medici innubilare prudentiam: *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Acsi dicat: Dum nimis à nobis furunt possessi, non est opportuna medicina, quia acrius vigebit insania; verùm dum tempus opponit peruersus, Christi omnipotentiam declarauit inuitus; quandoquidem contradicente tempore medela profuit, & insania agitatus resipuit. Notauit Chrysologus *serm.* 16. *Auctori temporum tempus opponunt.* Ipsa dæmonis querela est corrigentibus pro doctrina. Qui contradicente tempore aggreditur admonitione mederi, solet viuidiùs exasperare.[e] Virtus Christi Domini plus eluxit, cùm furentes persanauit, & ni miraculum intercederet, nouis incrementis augeretur infirmitas, & acrius desæuiret calamitas.

Correctio. Tempus.

Matth. 8. v. 28.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XXXVII. Diluculo autem cùm digessiſſet vinum Nabal, indicauit ei vxor ſua verba hæc: & emortuum eſt cor eius intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis.

§. LXXXI.

Sunt, qui ægrè ferant, quid ab vxoribus pietate, & commiſeratione impertiri, cùm ab ipſis conſtet plurima dilapidari.

Eleemoſyna. QVidquid miſericorditer impenditur, incrementis lucroſiſſimis applicatur, quandoquidem miſeria pauperis releuata fœcunda felicitatis eſt vena. Iudith miſericorditer, ac piè diuitias expendens, truculentum hoſtem iugulauit, & à ſuis captiuitatem auertit. Truncum Holofernis corpus euoluit, & celeriter fugam arripuit. Hac in euolutione latere arcanum fatentur Interpretes: quid enim opus tempus inſumere, cùm periculum videbatur vrgere? Iudith. 13. v. 18. *Euoluit corpus eius truncum.* Tilmannus in Allegor. moribus hiſtoriam adaptans, diuitias, ait, miſericorditer diſtributas pro euolutione fuiſſe, qua & opus abſoluit, & victoriam reportauit, Ipſum audi: *Corpus truncum euoluere, eſt diuitias diſtribuere.* Eleemoſyma è faſtigio Holofernem deturbauit, & ad inferos euoluit. Verùm etſi diuitiæ benè diſtributæ pericula auertant, & nobiliſſimos triumphos acquirant, ſunt, qui ægrè ferant, ſi vxores ſubueniant pauperibus, quando ipſi facultates pœnitendis expendunt ſumptibus. Nabal regium conuiuium tonſoribus inſtruxerat, cùmque Abigail ei referret, quæ benè collocarat, & quàm graue periculum à domo ſua auerterat, graui adeò dolore perculſus eſt, vt ad mortem ægrotarit, & omni priuatus ſenſu in modum lapidis induruerit: *Indicauit ei vxor ſua verba hæc, & emortuum eſt cor eius intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis.* Hanc attuliſſe ægritudinem factæ eleemoſynæ notitia tradit Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid Kimhi apud Abulenſem *quæſt.* 13. *Hoc paſſus eſt Nabal, audito, quòd vxor ſua tanta munera impendiſſet Dauid, quibus videbatur depauperatus.* Non videbatur ſibi depauperatus conuiuio, & ſe lamentabatur depauperatum honeſtè expenſo in Dauidem obſequio. Idem accidiſſe videtur vxori Loth: nam cùm humanè excepiſſet Angelos, & frugale ſatis apparaſſet conuiuium, vehementi dolore perculſa eſt; referunt in ſtatuam ſalis verſam, quia ſal pro condendis cibis præbere noluit: Gen. 19. v. 26. *Verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Opportunè Lira: *Affectum ad hoſpites non habebat.* Quæ Loth in Angelos benè expenderat, diuitiarum iacturam credidit, & quæ fortè in adornandis filiabus prodigè expendebat lucrum putabat. Vir alearum iactu ſacculum ſolet perdere, qui ſi nouerit fuiſſe vxorem obolum pauperi dilargitam, incipit domum iratis clamoribus inquietare.

§. LXXXII.

Iuſtis illatum ob aliqualem culpam ſupplicium eſſe ſolet felicitatis ſuffragium, improbis vlterioris calamitatis eſt argumentum.

DVm fragili hac carne viuimus facilè in culpam elabimur, libido inquietat, concupiſcentia inflammat, furor ptæcipitat. Vndè cùm Deus paternum animum gerat, ſupplicijs veluti fræno vtitur, vt qui inceperat delicijs abductus prolabi, cogatur oculos aperire: id tamen diſcrimen inter benè moratos, & prauis moribus infectos eſt; iuſtus inflictæ pœnæ ſenſu corrigitur, iniquus exaſperatur. Ipſo remedio contumaces grauius ægrotant, & vires morborum peſtilentiſſimas incrementant. Venerandus ille Pontifex Baptiſtæ parens ambigua interrogatione deliquit: *Vndè hoc ſciam?* Luc. 1. *Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in* v. 18. *diebus ſuis.* Angelus ob linguæ reatum ſalubre indicit ſilentium. *Ecce eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem, quo hæc fiant.* Eo tempore, quo linguam taciturnitate indicta frænat, à Zacharia vocem generandam denuntiat: ipſum ſilentium indubium erat futuræ vocis præſagium. Innuit Chryſologus *ſerm.* 9. *Angelus verialiter non credenti pœnam ſigni tantum dedit, non perfidiæ.* Expende illud, *pœnam ſigni*, quaſi ipſa pœna futuræ eſſet vocis non dubiũ ſignum, & felix præſagium Et quomodò indictum ſilentium eſſe quibat vocis indicium; Quia Zacharias humiliter acceptando pœnam, diluerat culpam, & ipſum linguæ obſtaculum in vocis conuertebatur auxilium. Pœna patienter lata edidit vocem, & vox inflictam depulit pœnam. Inflictum eſt ſupplicium, vt vocem promeret, non vt ad perfidiam tranſiret: *Pœnam ſigni tantum dedit, non perfidiæ.* E contra improbi illatis pœnis exaſperantur, & in deteriora ſcelera prolabuntur. Deus, vt Nabal reſipiat, morbo diuexat, ſed quo medicamine debuiſſet reſipere, inuentus eſt lapideſcere: *Percuſſit Dominus Nabal.* Quid tunc? *Factus eſt quaſi lapis.* Supplicio induruit, & pœnitere neglexit. Morbum illatum, & tempus productum, vt patientia auaritiæ deleret culpam, tradit Abulenſis *quæſt.* 14. *Dicunt, quòd fuerunt dati illi decem dies ad pœnitentiam.* Itaque per decem dies durauit morbus, vt ad pœnitentiam confugeret, & vitam pœnitendo inſtauraret; verùm ipſe ipſo remedio adauxit ſibi calamitatem, & durus acerbam ſubinit mortem. Moyſes ad Pharaonem, Iſraelitaſque delegatus virga vtitur, Iſraelita doloribus preſſus Dei vocem audiuit, Pharao repetitis verberibus reperculſus induruit. *Audient vocem tuam; ingredieriſque tu, & ſeniores Iſrael ad Regem Ægypti, & dices ad eum Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, ſed ego ſcio, quòd non dimittet vos Rex Ægypti. &c.* Eadem eſt Moyſis vox, Iſraelita à Pharaone laboribus diuexatur, Pharao repetito verbere affligitur, Iſraelita ſupplicijs eruditus vocem audit, Pharao ſupplicijs induratus contemnit: quod Iſraelitæ remedium, Pharaoni excidium. *Docemur* (inquit Oleaſter hic ad mores) *impios nunquam Deo cedere, niſi diſſoluti, iuxta illud Pſalmi: Diſſipati ſunt, neque tamen compun-*

compuncti, bovi autem non solùm flagellis, sed minis Deo cedunt. Itaque iusti suppliciorum medela instaurant salutem, impij adaugent infirmitatem.

§. LXXXIII.

Qui in vita Deum non didicerunt timere, in morte solent timore nimio perire.

Mors. Vita. Timor.

MOdus temeritatis (aiebat Tertullianus *de Pœnitentia cap. 7.*) *testatio est timoris. Timor autem hominis, Dei honor est.* Qui Deum timet, ei reuerentiam impendit, & suæ temeritati modum imponit. Vndè timor vtilissimus est hominis pædagogus. Simeon, Pontifex ille sanctissimus in vita timoratus refertur: *Homo iste iustus, & timoratus.* Quàm planis timor viis eum duxerit, audi: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Non videsin morte tranquilla pace dimitti, quem in vita salubri audisti timore vexari? Timor tranquillitatem attulit, & ad mortem felicissimam sine offendiculo duxit. Prodest Gregor. *in Cat. D. Thom. Nunc soluis tuum seruum, nec gustu mortis attonitum, nec hæsitationis cogitationibus conturbatum; & ideò subditur in pace.* Timor Dei tranquillam transiuit in pacem, stulta pax mutaretur pauidum in timorem. Quod Nabali accidisse comperies. In modum supplicis ab eo petiuit Dauid aliquale solatium ad luridæ famis depellendum tormentum: Nabal prorsus despexit, auaritiæque studuit: *Quis est Dauid, & quis est filius Isai?* verùm cùm ab vxore audiuisset valida manu obarmatum, & indignatione accensum, sic timore tabuit, vt omni motu careret: *Indicauit ei vxor sua verba hæc, & emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.* Nimio Dauidis timore obstupuisse tradunt Interpretes. Audi Hugonem: *Emortuum est cor eius præ timore timuit, ne Dauid deieraret.* Cum sexcentis strenuis viris accinctus facilè posset eum, domumque suam prorsus delere, acerrimo incepit timore concuti, & cuius potentiam antea despexerat, iam morti proximus desperatè formidat, nullum sibi arbitratus esse remedium, vitæ miser subiuit occasum. O quot, qui in vita Deum non timuerunt, in morte confusis timoris voluminibus inuoluti desperarunt: non miserabiliter desperassent, si salubriter timuissent.

Luc. 2. v. 25.

TEXTVS.

VERS. XXXVIII. Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.

§. LXXXIV.

Tenacissimi casus non lugetur, quia naturæ inimicus esse putatur.

Auarus.

AVaritia odiosum cunctis vitium, & miserum auari probatur esse naufragium; alij, dum mortem obeunt, etsi vitiis fuerint infecti, aliqua commiseratione honorantur, & exequiis celebratis lugentur: at auari, quia nullam exercuerunt erga alios pietatem, luctus non inuenerunt honorem. Huc voco, quod aliorsum scribebat Plinius 8. *epist. 12. Quorum exequias celebrare non licuit.* Omnium fidelium licet exequias celebrare; auari tamen sic apud omnes despiciuntur odiosi, vt nec exequiis videantur digni. Nabal tenacissima auaritia defœdatus moritur, & à nullo deploratus refertur: *Mortuus est.* Et cur hominis adeò diuitis non referantur celebrata funera, nec emissa ob eius mortem lamenta? Quia hoc silentio voluit sacra docere Scriptura, quàm cunctis auaritiæ vitium sit execrandum, & quàm à cordatis viris fugiendum. Huc voco Abulensem *quæst. 13. Apparet rusticana tenacitas Nabal.* In morte apparuit tenacitas rusticana, dum tacentur soluta iusta. Expendebam discrimen inter duos diuites: Qui purpura induebatur, moritur, & eius funus refertur: *Sepultus est in inferno.* Nullus ignorat nomine inferni denotari sepulchrum. Ita Euthymius ad hunc locum: *De mendico non dixit, quòd sepultus sit, eo quòd vile esset pauperis sepulchrum: de diuite verò maximè propter pretiositatem sepulchri.* Addit Chrysologus *serm. 121. In obsequium diuitis migrat hic tota ciuitas, cùm funus effertur.* Itaque etsi multis fuerit vitiis infectus, pompa est honorabili funeratus. Transi modò ad diuitem alium, qui cùm longa vitæ spatia sibi promitteret, & de ampliandis horreis cogitaret, inopinam mortem oppetiit: *Hac nocte animam tuam repetunt à te.* Huius nec sepultura auditur, nec funus celebratur. Hinc oritur difficultas. Si alter, etsi iniquus, sepulchri honore fruitur, cur alter sine pompa funeris sepeliatur? Quia ille purpuratus plus quàm auaritiæ deliciis indulgens plures vocabat ad mensam: *Epulabatur quotidiè splendidè*, hic mensam vel sibi ipsi denegabat: ergo auaritiæ crimine sic cunctis reddebatur inuisus, vt eius mortem non plangerent, immò sublatum gauderent. *Catenæ horreorum tuorum* (aiebat Chrysologus *serm. 104.*) *Strinxerunt fauces pauperum: vinxerunt hospitum colla, esurientium viscera contriuerunt.* Præmiserat. *Ingratus Deo, sibi nequam: hostis pauperum, diuitum nota, carcer naturæ.* Gaudebat natura, quas largiter effuderat, è carcere prodire diuitias; gratulabantur diuites ablatam sibi fœdissimam notam; gaudebant pauperes ruptam iam horreorum catenam: ergo telluri sine pompa traditur, & sine frequentia honorabili sepelitur. Fuge miseram auaritiæ seruitutem, immò seruilem captiuitatem, ne sis aliis diuitiarum thesaurus, tibi ipsi fraudato ventre inimicus. Ecce Nabal vitus grauissima contra se excitauit discrimina, & defunctus non refertur honoratus funeris pompa.

Luc. 16. v. 22.

Luc. 12. v. 20.

§. LXXXV.

Infelicem sibi mortem maturat, qui in Dei amicos linguam obarmat.

Linguæ vitia.

OTiosis verbis assuetus (verba sunt Petri Damiani *in Allegor Tilman. ad Hierem. 2.*) *duplici culpæ videtur obnoxius, qui & diuinas laudes, ad quas ex iure tenetur, abiicit, & superfluæ loquacitati, à qua prohibetur, insistit.* Qui linguam prudentiæ fræno non regit, frequentes culpas, & turbulentas etiam tempestates ascisçit: verùm etsi linguax discriminibus inueniatur semper obnoxius, præcipuè si Dei amicos arroserit temerarius: nam cùm virtus debeat laudari, piaculum graue est dentibus liuidis abrodere. *Proiectus est* (vox est Angelorum) *accusator fratrum nostrorum.* Vbi

Apoc. 12. v. 10.

Draco in Angelorum fratres tetram armauit linguam, passus est proiectus, & proculcatus infamiam: *Proiectus est*: linguacis consortium pestiferum est venenum, in Angelicis etiam hominibus adnititur deprehendere, quos pestifero possit dente ferire: ergo Angeli è cœlo gaudent excussisse, & ad profundiora tartara demandasse. *Fratrum nostrorum* (exponit Anselmus) *scili. èt imitando passionem Christi.* Quos debuit ob eximiam Christi imitationem suspicere, aggressus est iniquis suspicionibus infamare: ergo draco meruit ignominiosè proiici, & ab omnibus proculcari. Nabal Dauidem Christi imaginem concinnis exultum moribus, & mirandis exornatum virtutibus audacissima lingua carpsit, notamque inussit: *Quis est Dauid, & quis est filius Isai? Hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos.* Acsi dicat: Serui ab officiis erga dominos non deficerent, ni Dauidem patronum, & tutelarem haberent. Linguæ audacia non mansit inulta; nam Deus serui sui vindex loquendi vsu interdixit, & mortem accelerauit: *Cum pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Hanc ob linguacitatem pœnam tulisse, Dauid ipse testatus est. *Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal*, id est, hoc est passus supplicium ob in me iactatum probrum; at eius maledica lingua asciuit mortem, & maturauit stragem. Accipe Liram: *Patet quod non fuit mortuus morte naturali, sed accelerata vltione Dei.* Vitam sibi præcidit, cùm Dauidem infamauit. Senes illi corruptis moribus denigrati, & libidinibus prodigiosis addicti, nec à dignitatum culmine sunt deturbati, nec lapidibus obruti, quousque Susannam, pudicitiæ decus, infamarunt, & linguis mendacibus arroserunt: ast vbi in castam, & pudicam procaces armarunt linguas, illicò meritissimas tuleruntDan. 13. v. 62. pœnas: *Interfecerunt eos.* Opportunè Zeno *serm. de Susanna*: *Falsos testes pauor inuadit.* Iam acri instantis mortis timore pauent, quia nequibat differri pœna, dum audebat in fœminam sanctam lingua.

§. LXXXVI.

Cordis duritia grauissimum Dei supplicium & infelicis mortis præsagium.

Duritia. DOminum (aiebat Tertullianus *de Pœnitentia cap. 6.*) *Simul cognoueris, timeas, simul inspexeris, reuerearis. Cæterum quid te cognouisse intereſt, cùm iisdem incumbas, quibus retrò ignarus.* Qui retrò ignarus, aliqualem habebat excusationem, incumbens sordibus; post veritatis verò agnitionem eisdem defœdari criminibus, de notitia culpam exaggerabat, & reatus pœnam augebat. Qui non solùm deliquit, sed etiam delinquendi consuetudine induruit, pessimè sibi ominatur: Nabal excocta iam ebrietate de crimine contra Danidem commisso admonetur, vt culpam pœnitentia deleret, & mentem demutaret. Decem ei dies misericorditer sunt concessi, vt eo tempore ad pœnitentiæ patrocinium confugeret, & salubri dolore Numinis indignationem placaret. Verum, vt aiebat Tertullianus, post criminis notitiam iisdem incubuit, & affectum perdurauit: *Factus est quasi lapis.* Quid tunc? Emenso tempore pœnitentiæ designato mortem oppetit miserandam: *Cum pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Si pœnitendi occasionem raperet, vitam produceret; at, dum adinstar lapidis obdurescit, morte lamentabili obiit. *Dicunt* (verba sunt Abulensis *quæst. 14.*) *quod fuerunt dati isti decem dies ad pœnitentiam.* Ipsa à Deo impensa misericordia grauiorem extorquebat vindictam, & duritia cordis mortem prænuntiabat miserrimam. *Fuit ista mors* (verba sunt Abulens. *q. 13.*) *quasi violenta, cùm non venerit ex conditione naturæ, sed est inflicta à Deo in pœnam.* Duritiæ præmium mors fuit infausta, & qui adinstar lapidis induruit, adinstar lapidis ad inferna descendit. In certamen descendit diuina misericordia, & contumax Pharaonis peruicacia. Deus repetitis plagis reducere satagebat ad mentem, opponebat Pharao duritiem: *Ingrauatum est cor Pharaonis.* Ipsam medelam vertebat in pranitatis auxilium, & in durissimæ obstinationis augmentum. Quam subierit mortem, ex ore Moysis ausculta: *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Infelicissima clausula finiuit vitam, quia repetitam pertinaciter durus exasperauit clementiam: *Fiant immobiles quasi lapis, id est, fient*, aiebat Moyses. Ad quæ Hugo: *Duritia incredulitatis.* Noluerunt Moysis verbis credere: vnde contigit disperire. Exod. 8. v. 32. Exod. 15. v. 10.

TEXTVS.

VERS. XXXIX. Quod cùm audisset Dauid mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius. Misit ergo Dauid, & locutus est ad Abigail, vt sumeret eam sibi in vxorem.

§. LXXXVII.

Aliquando viduæ inter funeris etiam lachrymas disponunt futuras nuptias.

SÆpè admonui honestis actionibus velut co-vitia. loribus vti Scripturam ad defectus nostros Supra. exprimendos, & historiæ penicillo adumbrandos: ergo vt aliquarum fœminarum nubendi pruritum explicet, Dauidem cum Abigail inter ipsas funeris lachrymas de nuptiis agentem introducit. Non videbatur prudentiæ consentaneum calente funere de nuptiali thalamo agere, & internuntios ad Abigail mittere: & tamen Dauid statim vt audiuit Nabalem defunctum, cum Abigail de nuptiali agit thalamo: *Misit ergo Dauid, & locutus est ad Abigail, vt sumeret eam sibi in vxorem.* Immatura ad speciem solicitudo, euentus tamen opus non fuisse longis annorum interuallis ostendit: nam vbi audiuit Abigail à Dauide in vxorem deligi, annuit: *Ecce famula tua sit in ancillam.* Putares in opportunius tempus nuptias differendas, nec aures eiusmodi negotiis præstandas, & tamen annuit, nondum deterris obdefunctum lachrymis, sed irroratis tunc genis. *Respondit* (inquit Lira) *valdè humiliter dicens: Ecce famula tua.* Quod Abigail accidit, aliis etiam fœminis frequenter contingit. Nondum cadauere

cadauere elato, vt viduæ solentur dolorem familiares amicæ oculos ad nouum sponsum extendunt, nec fore timent colloquia ingrata, quia plorantis viduæ interna callent desideria. Sponsus laudabili singularitate testatus est dilectam suam inter plurimas eminere: *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus: vna est columba mea.* Gant. 6. v. 7. Et, ne huius singularis encomij causa lateret, turturem referre prodidit: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Cant. 1. v. 9. Et quid in turture commendandum? Quod vidua è corde gemitus edit, & secundas nuptias inter gemitus non præsumit. Ita noster Dulrius in litera: *Pro cantu gemit, felle caret, in vno compare gaudet.* Nescit turtur secundas nuptias, sed defuncti comparis amorem testatur vero gemitu, & aliorum repudio: ergo vna est, quæ inter sexaginta turturis imitatur ingenium, & secundum respuit thalamum. Frequenter videas, si maritus decessit, vxorem excitare tragædias, caput radere, defædare vultum, sed ciciſsimè vertunt stilum, & exambiunt nuptiale thalamum. Fœmina illa à Saducæis in exemplum Domino adducta, septem fratribus nupta est, quorum quisque mortem oppetens fratri in vxorem delegauit, nescias an vltionis studio, an fœneti desiderio: *Reliquit vxorem suam fratri suo. Similiter secundus, & tertius vsque ad septimum.* Et cur maritus, ante quàm testamento fratri relinquat, vxoris voluntatem non explorat? Nonne poterit tanto amissi sponsi dolore percelli, vt nolit viduitatem iterum experiri. *Propinquus* (inquit Chrysostomus *in Catena*) *iubebatur accipere vxorem defuncti.* Defuncti propinquus matrimonium inire iubebatur, non vidua, quia de eius voluntate non erat ambiguum, nec opus erat præceptum: ergo quisque alteri in vxorem iterum ducendam viduam delegabat, præsumens, quòd nullatenus resiliret, imò quod in votis iam haberet.

§. LXXXVIII.

Inflicta solita pœna solet Deus suis restituere honorem ablatum iniqua lingua.

Murmurator. Nihil tam frequens, quia nihil tam dulce, quàm de alienis defectibus garrire, & proximi famam innubilare: ab hac peste nihil tutum, quantumuis virtutum culmine emineat, aut fastigio dignitatis resplendeat. Opportunè Tertullianus *in Apologetico cap. 35. Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem conuenio, an alicui Cæsari suo parcat illa lingua Romana.* Videbantur Cæsares sua magnitudine à detractionis, murmurationisque iniuria exempti: sed erant nihilominus satis obnoxij. Audi Tacitum *lib. 3. Histor. Procacia vrbanæ plebis ingenia petulantibus iurgiis illuserant.* Certamen erat inter vrbana ingenia, quis lepidius obmurmuraret, & acutiùs referiret: verùm vt frequens est hoc vitium, sic frequens est pati ob linguam detrimentum. Primum supplicium serpentina lingua tulit, vt à mundi origine hoc documentum manaret: verùm etsi linguacitas debitam patiatur pœnam, tunc acerbiorem, manifestioremque sustinet, cùm in Dei amicos audet. Insipiens Nabal Dauidis mores audaci lingua infamauit: *Quis est Dauid?* sed citissimè eam pœnam tulit, quæ Dauidis promulgaret innocentiam, & detractoris malitiam; lapidis adinstar obstupuit sensibus interdictus, & doloribus internis cruciatus. Hoc insolitum mortis supplicium eò spectasse, vt omnes agnoscerent Dauidis virtutem, & Nabalis prauitatem, Scriptura testatur: *Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal.* Sed dices: vndè hæc vltio constat; nam Nabalem obiisse mortem esse potuit iure naturæ. Profectò Nabal sic obiit, vt non liceret ambigere à Deo ob maledicentiam percussum, & Dauidis honorem instauratum. *Fuit ista mors* (inquit Abulensis *quæst. 13.*) *quasi violenta, cùm non venerit ex conditione naturæ, sed est inflicta à Deo in pœnam.* Si mors solito modo euenisset, dubium relinqueretur, an esset naturæ debitum, an à Deo inflictum supplicium: cùm verò & morbi genus, & mortis qualitas à solito tenore distarint, manifestè apparuit, Nabal ob crimen Dauidi adscriptum fuisse à Deo seuerè mulctatum. Itaque Nabal interiit percussus, vt Dauidis honor apud omnes vigeret redintegratus: supplicium, fuisse Dauidem culpæ prorsus expertem, manifestauit, & Nabalem deliquisse linguacem clarissimè ostendit. Satis non fuit semel, & iterum dignitatem modestè respuisse, vt Core ambitionis Moysem non insimularet, linguaque percuteret: *Cur eleuamini super populum Domini?* Num. 16 v. 3. Maledicentiam insuetum damnauit supplicium: *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos.* Aperuerant ora, vt Moysem, Aaronemque sanctissimos viros morderent: ergo terra etiam aperuit os, vt maledicos deuoraret: culpæ supplicium respondit, & qui aperto iniquo ore maledici, aperto honestè ore ingemuerunt deuorati. Quod si inquiras, cur diuina patientia non distulerit pœnam, sed insolitam intulerit statim mulctam, respondebit Hugo voluisse eo supplicio Moysi, Aaronique honorem restituere, & quam linguaces impegerant, infamiam prorsus depellere. *Nota, quod Dominus punit malos pœna particulari.* Si post longa tempora pœnas soluerent, an ob Moysi, Aaronique illatam iniuriam plecterentur, an ob alias causas, dubium maneret: ast dum insolito, horrendoque exitio deuorantur linguaces, Moyses, & Aaron omnis ambitus declarantur prorsus expertes.

TEXTVS.

VERS. XL. Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam; dicentes: Dauid misit nos ad te, vt accipiat te sibi in vxorem.

§. LXXXIX.

Nullum Dei seruus laborem debet recusare, si possit animas vero Dauidi coniungere.

Zelus. QVi vero Dei amore inflammantur, ardenter suspirant ei animas elucrari, & arctissimo charitatis vinculo vnire. Vnde, etsi sponsa, magnos subeundos sibi labores, si adolescentulas ad sponsum duceret,

non ignoraret, nihilominus amore flagrans
Cant. 1. v. 2. aiebat: *Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Christi crucem imitari, & hinnuli adinstar per confragosos montium scopulos incedentem sequi, suspirat, & hoc totum, vt allatis adolescentulis amoris sui æstum refrigerarit, & obsequium sponso gratum præstiterit. Si secum alias animas non adhortetur currere, grauissima vitabit certamina; si secum deferat, opus erit, per syrtes, & scopulos confragosos incedere: verùm generosi amoris flammis accensa, & laboris obita trahi anhelat: *Iste qui trahitur* (inquit Gregorius ad hunc locum) *currit, quia vinculum amoris libenter sequens gratia roboratus amore sine grauedine obstacula omnia transit.* Adnectit paulò inferiùs: *Hinc est, quod à singulari numero ad pluralem transit, quia in dilectione Dei etiam præceptum, quod de proximi dilectione nos admonet, inuenit.* Dei amor feliciter extendebatur ad proximum, &, vt proximum posset elucrari, difficiles etiam labores non grauabatur subire. Hinc est, quòd Dauidis socij in Carmelum montem impigro gressu inuolarunt, vt Abigail in Dauidis sponsam acquirerent, & felices nuptias disponerent: *Venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes: Dauid misit nos ad te, vt accipiat te sibi in vxorem.* Non ascenderunt montem, non Abigail frequentarunt domum, vt à diuite, generosaque fœmina quid sibi acciperent, non vt eius prudenti eloquio, pulchroque aspectu oblectamentum aliquod, etsi honestum caperent, sed vt in sponsam Dauidi coniungerent. Notauit Abulensis *quæst.* 15. *Ideò pueri Dauid venerunt in Carmelum, & locuti sunt ad eam.* Ideò venerunt, ideò locuti sunt, vt matrimonium disponerent, & Abigail persuaderent. O quàm erant fideles nuntij, & eximio erga Dauidem amore flagrantes, quando nec labores recusarunt, nec sibi quidquam ambierunt.

§. XC.

Sæpè acerbus casus disponit animos, vt facilius Deo pareant, & gratas aures inspirationibus præbeant.

Calamitas. SIcut *sine luce videre possumus* (scribit Philo *lib. de sacrificio Abel.*) *quia nec colores, nec oculi ad videndum sufficiunt... eodem modo animæ oculus nullam virtutis actionem potest attrectare, nisi à labore, seu luce adiutus.* Vt exoriente luce apparent, quæ tenebris tegebantur, scandala, & rectam de coloribus fert sententiam perspicax visus; ita amarus labor, & casus inopinus pro luce est animæ oculis, vt rectam de humanis rebus ferat sententiam, & depellat, quam patiebatur, tenebrarum fallaciam. Dauid nuntios ad Abigail mittit statim ac Nabal propera morte correptus, vt eam sibi in vxorem accipiat, & à curis rusticanis amoueat: *Venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes: Dauid misit nos ad te, vt accipiat te sibi in vxorem.* Quid tunc Abigail? Gratis auribus legationem excipit, & iter accelerare disponit: *Festinauit, & surrexit Abigail.* Audio Moysem legationem detrectantem, & tarditatem linguæ
Exod. 4. v. 10. opponentem: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius.* Et cur Abigail nihil obiiciat, sed festinare disponat? Quia Moyses copiosis gregum diuitiis exundans, & nulla tunc afflictione adlaborans; ast Abigail in ipso, vbi manebat Carmelo, intuita fuerat inopinam, acerbamque Nabalis mortem, & conuiuium regium luctuosum citissimè transisse in planctum: ergo ipsa casus acerbitate, seu luce reluminata, quàm euanidis inniteretur, agnouit, & magni anteà habita depretianit. Vbi ad Carmelum prælatum est nuntium, expromptum exhibitum est obsequium, quia ipse locus admonebat terrenas fallacias fugere, & ad Dauidem ocyssimis gressibus inuolare. Opportunè Abulensis *q.* 15. *Cùm tonderet greges Nabal, erat ibi, & ibidem mortuus est. Abigail autem sepeliuit eum ibi, & manebat in eodem loco.* Adnectit: *Ideò pueri Dauid venerunt in Carmelum.* Qui acerbus in Carmelo acciderat casus, ipsum Nabalis sepulchrum Abigailis animum disposuerat, vt gratas aures Dauidis iussis præberet, & relictis omnibus properaret. Inopina mors, qua Deus aliquem percellit, prudentes resipere admonet, & inopinum alterius naufragium consulit collectis vasis appellere citissimè ad portum. Moysis, cuius legatione vti decreuerat, manum Deus lepra inficit, & iubet denudare vestigia, Exod. 4. v. 6
vbi asperrima pedes lancinabant rubeta: *Protulit leprosam instar niuis.* Aptius videbatur manum adauctis viribus roborare, quàm lepra inficere; vt etiam pedes calceamentis contra aculeatos sentes armare, vt faciliùs possent excurrere; & tamen immortalis sapientia, vt promptiorem ad exequenda reddiderit iussa, manum euigorat inopinatè fœdatam lepra. Ecqua huius causa est? Vt dum altera manus alterius casum intuetur, ad expromptè exequenda imperia accingatur, & dum tribuli dolore discruciant, terrena spernere edoceant. Itaque lepra erat pro adhortamento, & spina pro volam. Inuit Theodoretus *quæst.* 10. *Quæ res Moysem etiam admonuit, non superbire debere; sed agnoscere naturam cum recordatione dextera lepra prius infecta.* Vegeta salute fruens repentè manus tabuit, & quàm innitamur fragilitatibus docuit: ergo altera manus de alterius casu edocta iussis obtemperabit faciliùs, & exequetur expromptiùs. Sentes etiam, dum lacerant, pro calcaribus sunt ad alacriùs viam capiendam, & Dei vocem ultcultandam. Redeat Theodoretus *quæst.* 7. *Quam iussus est Moyses calceamentum soluere? Dicunt nonnulli, vt solicitudines seculares abiceret hominis mortali vitæ adherentes.* Abscondebat Moyses faciem, ne adspiceret lucem: *Abscondit Moyses faciem suam*: sed acerba spina mentem reluminabat, & ad carpendum iter vrgebat.

TEXTVS.

VERS. XLI. Quæ consurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua, sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.

§. XCI.

Prudens inopinis fortunæ successibus non inflatur, sed demissiore humilitate munitur.

Fortuna. Humilis. MEministis (aiebat Theodericus Cassiodorum laudans 1. variar. 4.) & adhuc vobis recentium

recentium rerum memoria ministratur, qua moderatione prætoriano culmine locatus insederit, & euectus in excelsum indè magis despexit vitia prospectorum. Veneratione suspecti tumidissima superbia solent inflari, & fortunæ successibus ad apicem dignitatum elati, odium sibi conflant superbi. At Cassiodorus vt prudens longè à cæterorum vitiis resplenduit alienus, cùm præ cæteris elenatus: plus coluit humilitatem, cùm deflecti poterat ad tumorem. Abigail etiam prudentis meruit elogium, cùm ad Dauidis sponsam electa se demisit ad seruile ministerium humillima: *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.* Quid dignitate, ad quam vocabatur, excelsius? quid vocata humilius? *Ecce famula* (inquit Hugo) *sic respondit beata Virgo Angelo Luc. 1. Ecce ancilla Domini, & vbique commendatur humilitas.* Humilitate se præmuniuit, vbi ad tantam dignitatem vocari se agnouit. Est enim humilitas dignitatis ornamentum, securum castrum, & honestum fortunæ vinculum: in omnibus grata est humilitas, sed in fortunatis acceptior, quia difficilior.

Cant. 6. v. 4. Vbi sponsus sponsam capris comparauit: *Capilli tui sicut grex caprarum, quæ ascenderunt de Galaad,* vt tonsas oues imitaretur, admonuit: *Dentes tui sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro.* Et cur modò ouis, quæ retrò capra? Ouis vallium abstrusis delitescit, culminibus capra eminet; ergo si monet tenere culmina elata, non poterit vallium habitare demissa: immò habitare voluit demissa, vt securè teneret celsa. Est enim humilitas firma anchora, qua dignitates fundantur, & contra acres ventorum adsultus præmuniuntur. *Vides* (aiebat Ambrosius ad *Cant. 4. in Collectis*) *quòd in altis grex iste pascitur audax in monte.* Vt in monte stabiliatur capra, incolat ouis humilia; nam fortunæ apponunt obicem, qui abiecerunt omnibus gratam humilitatem.

§. XCII.

Nullo magis animâ dilectam se à Deo sponsam testatur, quàm si alienas maculas abstergere studiosè conetur.

Charitas. NIhil præstabilius videtur (aiebat Cassiodorus 6. *variar.* 5.) *quàm posse dicendo tenere hominum mentes, allicere voluntates, impellere, quò velit: vndè autem velit deducere.* Quid excelsius, & laude dignius, quàm præcipites ad errorem mentes veritatis luce retinere, & ad parendum æquitati dulciter trahere? Quod de Quæstore Cassiodorus, ego de animarum Zelotypo. Inter cæteros, qui virtutibus exornantur, ille Deo familiarius videtur accedere, cuius ope Deus, quod desiderat, constat perficere. *Quod homini proficit* (aiebat Tertullianus *de Pœnitentia cap. 2.*) *Deo seruit.* Deo seruit, qui homini proficit, & quidquid error inquinauit, aut ignorantia in hominis corde ingessit, verrit, & radit, & foras proiicit, vt mundam pectoris domum Deo disponat, quo se libens cum cœlestibus donis inferat. Benè hanc Abigail veritatem callebat; nam vbi à Dauide in sponsam deligi audiuit, eius seruos à contractis sordibus emundare proposuit: *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.* Quò sibi Dauidis amorem arctius conciliaret, & fidelem se sponsam ostenderet, abstergentis maculas elegit ministerium, vt quæ non ignorabat sic ei honestè adulari, & amorem demincire. *Addidit* (verba sunt nostri Sancti) *existimare se benè secum agi, si modò liceat in domo Dauid è seruulorum pedibus sordes abluendo detergere.* Adnectit post aliqua: *Abigail meliori, quàm aliæ vxores loco apud Dauidem esse debuit.* Vt meliorem apud Dauid obtineret locum, gratum abstergendi sordes elegit officium, quia nouerat hoc Dauid ardentissimum esse votum: ergo qui Dei sibi amorem desiderat strictiùs conciliare, adnitatur sordes proximorum studiosiùs abstergere, qui enim meliori præ aliis loco honestè exambit haberi, laudandis eiusmodi ministerijs adnitatur deseruire. Nouerit tamen præcipua cura sibi debere consulere, & relucentibus moribus candicare. De Quæstore datus aiebat Cassiodorus: *Sit imitator prudentissimus antiquorum, mores alienos corrigat, & suos debita integritate custodiat. Talem denique oportet esse Quæstorem, qualem portare Principis decet imaginem.* Cùm ardentissimis votis expeteret sponsa sponso suo adhærere, & eius dulcissimo alloquio frui, sic tenerè dilectum allocuta est: *Indica mihi, quem* Cant. 1. v. 6. *diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Audis ardentem sponsæ affectum, audi sponsi plaudentis responsum: *Pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Et quid hædos pascere iuuat ad sponsi adspectum fruendum, & honestè otiandum? Plurimum sanè; nam cùm hædos pascere sit solicitè regere, & à præcipitiis abducere, nullo alio obsequio sponsi amorem plus valebit demereri, quàm si huic laudabili ministerio constiterit applicari: Ergo repetat sponsus: *Pasce hædos tuos.* Acsi dicat: Si ardenti adeò mihi copulari desideras voto, vires exere, & hædos pasce; inuabit enim plurimum hædos pascere, vt meridiano accubitu possis frui: hædos sponsa, in oues transferat quo erga sponsum amorem prodat, vtque eum strictiori vinculo sibi adstringat. Ita Guillielmus apud Delrium in Mixta: *Piæ matris hædos vocari* (ait) *non quos ipsa fecit, vel vult esse hædos, qui statuantur ad sinistram, sed quos magis magisque conuertit in oues ponendos ad dextram.* Nullum gratius sponsa præstabit sponso obsequium, quàm si hædorum petulantiam in quinam conuerterit mansuetudinem, & quos deuoraret hædos gehennæ satura nunquam flamma, oues effecerit coronandos cœlesti gloria. Et expende pascendi modum præscripsisse. *Iuxta tabernacula pastorum.* Præmonet, ne eam hædi à pastorum tabernaculis abducant, & audaci inquietudine ad præcipitia deferant, sed ipsa pastorum semper tabernaculis hærens à præcipitiis arceat, & in ouium mansuetudinem conuersos regat: ergo cùm opus sponsæ iniungat, vt intimæ vnionis eius desiderium expleat, prudens elegit Abigail sordes detergere, vt quiret Dauid Christi imaginem gerenti ardentiori amoris vinculo copulari.

TEXTVS.

VERS. XLII. Et festinauit, & surrexit Abigail, & ascendit super asinum, & quinque puellæ ierunt cum ea pedisequæ eius, & sequuta est nuntios Dauid, & facta est illi vxor.

§. XCIII.

Mirum est, si non minori solertia virtutis tractentur negotia, ac temporalia tractantur lucra.

Virtus.

QVidquid ad corporis splendorem, ad diuitiarum cumulum, ad dignitatum spectat augmentum, geritur indefessa solicitudine, & nunquam satura auiditate: Virtutis incrementa lentè exeunt, & intercepta sæpè morulis vires capiunt. Quàm alius à seipso est homo in temporalibus tractandis, & virtutibus excolendis. Cùm Iacob oues ageret, somno indulsit. *Vidi in somnis ascendentes mares super fœminas.* Hic ipse cum Angelo colluctatus augustiori nomine insignitur, & qui Iacob retrò, iam Israel nobiliter degenerans appellatur: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Inquirendum venit, cur Angelus hîc grande adeò nomen indiderit, & à seipso quodammodò in alium feliciter Iacob migrasse asseruerit? Verùm ne laboremus ambigui, Textus nominis causam expressit. Vigilauit ad luctam, luctatus est ad benedictionis lucrandam gratiam, qui dormierat, dum ageret gregum curam: ergo è mortalium numero debuit expungi, & cœlitibus adsignari. Israel namque, vt placet Hieronymo in quæstionibus Hebraicis, Princeps cum Deo sonat. Eius verba sunt: *Non vocabitur nomen tuum supplantator, id est, Iacob, sed Princeps cum Deo, id est, Israel. Quomodò enim Princeps ego sum, sic & tu.* Cùm vidit Angelus Iacob ad augmenta temporalia dormire, & ad promerendam cœlestem benedictionem solicitè inuigilare, in Angelum referri dixit. Quandoquidem aliorum hominum mores prorsus denudauit; alij namque pro temporalium augmento indefessas vigilias agunt, pro cœlesti benedictione somnum nullatenus intercipiunt, immò inuitante ad virtutem occasione oculos inertiæ tradunt. Iacob Angelis debuit annumerari, dum didicit à cœterorum consuetudine resilire. Abigail etiam hac in re imitandum dedit exemplum. Admonita quale viro suo, reiquè familiari periculum immineret, festina ascendit asinum, vt Dauidi Dei personam gerenti occurrens impediret excidium: *Festinauit igitur Abigail.* Modò cùm ad arcanas nuptias vocaretur, festinasse etiam describitur: *Et festinauit, & surrexit Abigail.* Ob id noster Sanctius aiebat: *Abigail meliori quàm aliæ vxores loco apud Dauidem esse debuit.* Et quidem iure; quandoquidem non minori se solertia gessit, vt Dei fieret sponsa, quàm vt temporalia anerteret detrimenta. Sæpè, si mariti infirmitas vrgeat, si filiorum calamitas premat, omni celeritate solicitantur remedia; ad virtutes verò itur lentiori pede, & somnolento tepore.

Gen. 31. v. 10.

Gen. 32. v. 28.

§. XCIV.

Qui Dei inspirationibus expromptè obtemperat sibi felicitatem maturat.

VT pluuia agrum amœnat, vt ros cœlestis arbusta fœcundat, dum sordidam ariditatis faciem depellit, & nitorem floridum affert; sic inspiratio cœlestis, quæ lucis ros est, mentem reluminat, & quæ fugienda, amplectendaque, manifestè demonstrat. Qui Deo obtemperat, in melius proficit, qui ad internas eius voces obsurdescit, delinquit. *Ego me sæculo* aiebat Tertullianus aduersus Psychicos *cap.* 13.) *non Deo liberum memini: sic meum est vltrò officium facere Domino, sic indicare illius. Non tantum ei obsequi debeo, sed & adulari.* Honesta adulatio est Dei inspirationibus obsequi, & quo vocat, ire. Qui, ne cœlestes voces excepiat, aures obturat, sibi inuidet, vt sibi prouideat, qui patulas aures præbet. Abigail, vbi per internuntios nouit Dauid in sponsam eam delegisse, statim nuntios sequuta ad Dauidem perrexit, & obsequelæ promptitudine placuit: *Festinauit, & surrexit Abigail... & sequuta est nuntios Dauid, & facta est illi vxor.* Dum nuntios è vestigio sequuta tempus acceleranit; ad sponsæ dignitatem citiùs peruenit: Si in futurum distulisset, forsitan Dauidem exasperaret, & regiam dignitatem amitteret, immò etsi luceret regina, tardiùs redimeretur corona. *Immediatè* (inquit Abulensis *quæst.* 15.) *assensit Abigail.* Ipsa dilatio sigillaret prudentiam, & forsitan impediret fortunam; ast sine dilatione parens. Et fortunam maturauit, & prudentissimæ elogium sibi acquisiuit: *Dabo vobis Leuit. 26. pluuias temporibus suis:* (aiebat Dominus) & §. *terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur.* In hac pluuia sancti Spiritus inspirationem intelligit Radulphus *in Allegor. Talmudus est quædam pluuia, quam soli nouerunt iusti, de qua scriptum est: Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. Hac sancti Spiritu perfusio intelligitur.* Si humani cordis tellus amplectatur hanc pluuiam, ingentem saporatorum fructuum sortietur copiam: *Pomis arbores replebuntur:* Si verò lapidescat, sterilitatis subnebit miseriam; infœcunda crescent arbusta, horrida germinabunt rubeta, & erit oculis horror, quod floridus esset nitor.

§. XCV.

Virtutibus excultus non solùm Deo curat accedere, sed & alios secum trahere.

VIrtutum studioso congruit expromptè Dei *Gloria.* iussionibus obedire, & sedulis obsequiis fulgere. *Conuenit* (aiebat Princeps consularem alloquens 5. *variar.* 8.) *sublimitatem tuam nostris iussionibus obedientiæ tribuere sedulam firmitatem, quatenus ad effectum trahatur, quod salubri ordinatione disponitur.* Principis promerendi gratiam, qui promptè exequi adnititur obedientiam, sed licet obsequentis hic mereatur elogium, ni de suo aliquid laudabile addat, honestæ adulationis non peruenit ad obsequium. *Non tantum ei obsequi debeo* (aiebat Tertullianus

nus aduersus Pfychicos *cap.* 13.) *sed & adulari*, laudabiliter adulatur, qui vltra sibi iniuncta placere adnititur. Abigail in Dauidis sponsam electa non solùm accelerauit obsequi, sed studuit pedisequas secum ferre: *Quinque puellæ ierunt cum ea pedisequæ eius.* Aliquid magnitudini suæ detraheret, si sola coram Dauide appareret, pedissequis associata inuenta est gratior, quia alias ad Dauidem Christi vmbram animas ducendi studiosior. *Accepit* (inquit Abulensis *quæst.* 15.) *secum Abigail puellas quinque, ibat enim nunc ad nuptias.* Sponsa gratam sponso dotem obtulit, cùm pedisequas secum tulit, nec potuit non diligi, quæ sic sponso studebat adulari, dum pedisequis ostendit viam, sponsæ promeruit gloriam. Petrus præcinctus, & per fluctus equitans accessit ad Dominum; verùm honesto rubore suffusus, ad nauim iterum est regressus, vt ad Christum traheret, quos marinis
Ioan. 21. v. 11. fluctibus constabat immergi: *Traxit rete in terram plenum magnis piscibus.* In piscibus designari fideles, tradit Gregorius *in Caten. D. Thom. Ipse pisces ad soliditatem littoris pertrahit, quia stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit, hoc egit verbis, hoc epistolis.* Cæteris meruit præponi, dum solus noluit oculos Christi subire; egit verbis, egit epistolis, vt pisces, qui lutosis fluctibus innatabant, littoris eligerent solida, & fluida vndarum auersarentur iam gaudia: dum reliquorum Princeps præcinctus, quod reliqui non valebant, perfecit, quantum præcinctus Princeps ad componendos mores valeat, factis declarauit, & dum conspectu Domini fruens se tantisper subduxit, vt rediret ad nauim, ingenti lucro intermitti aliquando contemplationem ostendit.

§. XCVI.

Olim dignitas ornabatur pompæ modestia, nunc affectatur superflua pompa.

Dignitas. Modestia. Pompa.

INiustè de cœca fortuna querimur, non illa vultu nos toruo fecit, nostra superbia, & tumens arrogantia facilè non ferenda onera dorsis imponit. *Ebore sustineri vult* (aiebat Seneca *lib.* 1. *de Ira cap.* 16.) *purpura vestiri, auro tegi, terras transferre, maria concludere.* Arrogantiæ nostræ luxuria vna die, quod olim patrimonium insumit, & fœmina ad singulos digitos exornandos saccum expendit. Opportunè Tertullianus *de habitu mulieb. cap.* 9. *Hæc erit ambitio, vndè & nomen eius interpretandum, quod concupiscentia apud animum ambiente nascatur ad gloriæ votum, grande scilicet votum, quod, vt diximus, non naturæ, nec veritas, sed vitiosa animi passio, concupiscentia commendauit, & alia vitia ambitionis, & gloriæ.* Olim, cùm nondum ambitio, & euanidæ gloriæ ardor animos inflammassent, vestium, sumptusque colebatur modestia: postquàm verò ambitionis excreuit affectatio, viguit & morum, & frugalitatis corruptio. Abigail in Reginam, Dauidisque sponsam designata iter capit non deaurata lectica vecta, non magno comitatu sociata, sed asino insidens, & quinque puellas pedisequas secum ducens. Hoc apparatu regiæ olim nuptiæ celebrabantur, modò priuatorum etiam nuptiæ detestando luxu plauduntur: *Ascendit super asinum, & quinque puellæ ierunt cum ea pedisequæ eius.* Qua vtebantur modestia antiquitus fœminæ, vel ad regales nuptias ascitæ, notauit Abulensis *quæst.* 15. *Ascendit super asinum. Ista erat equitatura temporis illius. Putabat enim se honestè ire Abigail super asinum, quamquam futura esset vxor Regis. Et quinque puellæ ierunt cum ea pedisequæ eius, id est, accepit secum Abigail puellas quinque, ibat enim nunc ad nuptias.* Non excitabatur in itinere comitantium gressu densa pulueris nubes: non erat iter agentibus opus ob torrentem venientium ab itinere deuiare, & publicam viam relinquere; modò & pompa nimia, & vestis exotica, & mensa splendida. Cùm Rebecca vxor iam Isaaco designata aduentaret, nutrice associata venit: *Dimiserunt ergo eam, & nutricem* Gen. 24. v. 59. *illius.* Nec solùm sacer Textus descripsit comitatum, sed exhibitum à delegato seruo Isaaci nomine muliebrem mundum: *Protulit vir inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem.* Pondus scriptura expressit, vt nostri temporis iocalia sugillaret. Multis temporum spatiis argentarij desudant, & in aliqua cultus inueniendi nouitate ars defatigatur, & si quid industria, quo ambitionem, gloriæque ardorem inflammarit, inuenit, sibi blanditur. Quàm benè datus iam Tertullianus *de ambitione, & ornatus nimietate: Pretia rebus inflammauit, vt se quoque accenderet.* Vt se fœminæ accendant, cultus pretia inflammant. Venditor taxat pro arbitrio monilium pretium, quia ambitionis præsentit votum. Redeat datus Tertullianus: *Vno lino decies sextertium inseritur. Saltus, & insulas tenera ceruix fert: graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit.* Nostra videtur Septimius tempora præuidisse, & damnasse.

TEXTVS.

VERS. XLIII. Sed & Achinoam accepit Dauid de Iezrael, & fuit vtraque vxor eius.

§. XCVII.

Timendum est, ne vxores se honoris maritorum iniuria vlciscantur, si aliarum teneri amore experiuntur.

Vxor.

NOster animus aliquando Regis, & aliquando munus exercet tyranni; Regis honore fungitur, cùm corporis motus in officio continet, nec elabi permittit: tyrannus est, cùm rationis iura euertit, & plurimum voluptati permittit: verùm etsi luctuosa ex hac tyrannide emergant detrimenta, tunc grauiora pullulant, cùm viri voluptatibus indulgentes sanctas coniugij leges contemnunt, & vetitas sibi pulchritudines exambiunt: tunc enim vxores iniuria exasperatæ indignam tentant vltionem expetere, nec sponsi honorem verentur fœdis actionibus conspurcare. Eleganter Philo *de spec. leg. Qui in vxores aliorum, interdum & amicorum insaniunt, & in damnum proximorum viuendo familias numerosas adulterare conantur, coniugaliaque vota irrita facere, & spem posteritatis abrumpere, laborant insanabili morbo animæ, capite plectendi, vt publici hostes humani generis.* Publici hostes humani generis sunt, qui genialis thori obliti posteritatem sibi præscindunt, & sui ipsorum sunt etiam hostes;

stes, quia dum vxores Zelotypia inflammant, ad indecoram vltionem expetendam irritant. Vndè benè datus Philo: *Zelotypia molestissimus affectus graues calamitates secum afferre solet.* Licitum erat antiquis plures vxores ducere; verùm non quia legis vitabatur querela, inter vxores desinebat Zelotypia, immò, vt quam graue honoris periculum ex huiusmodi multiplicitate maritis emergeret, adumbret Textus, vbi retulit Dauidem Abigail in vxorem accepisse, retulit etiam Michol Dauidis olim amore sauciam alterius amplexus non sine iniuria honoris adamasse: *Saul dedit Michol filiam suam vxorem Dauid Phalti filio Lais.* Pater alteri tradidit, sed Michol fortè non restitit, immò, vt agnouit Dauid aliarum amore teneri, alterius expetiuit amplexibus frui. Fortè amor refriguit, & Zelotypiæ ardor excreuit; vtque se Michol de Dauide vlcisceretur, improba patris est sequuta consilia, & ex consiliis publica Dauidi pullulauit infamia. Innuit aliquomodò Abul. *quæst.* 17. *Quia hîc dictum fuit de acceptatione duarum nouarum vxorum, ideò subditur de vxore priori, scilicèt Michol, quid de ea factum fuerit.* Dum Textus refert historiam nobis etiam tradit doctrinam. Michol ad alium transiit, vbi aliarum amore teneri maritum vidit.

TEXTVS.

VERS. XLIV. Saul autem dedit Michol filiam suam Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

§. XCVIII.

Qui legis iniuria honorem exambit, culpa inficitur, & honore etiam priuatur.

Honor. HOnor laudandis factis quæsitus, & honesta industria partus, perseuerat illæsus; qui verò iniquis artibus & legis iniuria acquiritur; discriminibus obnoxius probatur; tantisper resplendet, sed ipsa, quæ latet, culpa, adinstar tineæ corrosus ruit, vtque lignum, quantumuis ad speciem firmum, repentè ruinam affert interno verme corrosum; ita fortuna male parta effluit, & corruit. *Vanas suggerit voluptates* (scribit Seneca *epist.* 23.) *breues, pœnitendas, ac nisi magna moderatione temperentur, in contrarium abituras.* In contrarium sæpè cœca impingit ambitio, & sibi quærens honoris gloriam, solicitat imprudenter infamiam. Honor solidus, & verus est bonæ conscientiæ partus, & honestis augescit actionibus enutritus. Phalti reclamante lege Michol in vxorem sibi expetiuit, & à Saule impetrauit. *Saul dedit Michol filiam suam vxorem Dauid Phalti filio Lais.* Quid Phalti mouerit ad legem infringendam, quærunt Interpretes, aiuntque exambiisse regiæ familiæ inseri, & honore fulgere. Ita Abulensis *quæst.* 19. *Propter honorem, vt vocaretur gener Regis, accepit eam.* Vides cœca ambitione, legisque iniuria ad eum honorem peruenisse, vide modò non solùm eo honore priuatum, sed tacere iussum. Issbozeth ab eo Micholem abstulit, & Dauidi restituit: *Tulit eam à viro suo Phaltiel filio Lais.* Ecce Phalti honore luxit viduatus, & culpa sorduit infectus, vt in historia penicillo videas honorem iniustis artibus acquisitum sæpè euolare, & solùm amaritudinem remanere. *Dimisit il-*

2. Reg. 3. v. 15.

lam (scribit Abulensis *quæst.* 19.) *cum vinula amaritudine.* Plausit sibi aliquantulum temporis honoris ambitiosus, sed diu & doluit, & luxit amarus. Eodem tempore inuenitur honore mulctatus, & crimine infectus. Eua contra præceptum immodicè exambiuit honorem serpentinis consiliis persuasa, & dum credit fraudulenter blandienti, se tradidit verè insidianti; callidus, veternosusque serpens, vt culpa inficeret, & exambito honore nudaret, hanc excogitauit machinam, scilicèt, vt ambiret honorem legis iniuria, vt qui benè nouerat malis artibus procuratum nullatenus fore firmum. *Eritis sicut dii,* Deitas malè ambita sordidas pelles attulit, & culpa infecit: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas.* Ipse habitus promebat admissam culpam, & amissam exambiti etiam honoris gloriam. Notauit Tertullianus *de pallio cap. 3. Pellitus orbi, vt metallo datur.* Mancipia eruendis metallis addicuntur, ergo iam luget mancipiorum habitu indutus, qui diuinitatem mediante crimine expetiuerat ambitiosus.

§. XCIX.

Aliquando quod miles multis sudoribus, discriminibusque meruit, prætexta, aut fauor sine labore acquisiuit.

VOcatio iudicis (scribit Cassiodorus 9. variar. 14.) *Spes iustitiæ debet esse.* Principis, iudicisque vocabulum æquitatem promittit, vt militis nomen ad labores compellit. Profectò qui nominis munus impleuit, dignis remunerationibus debet præmiari, & honoribus debitis refulgere. Sæpe tamen quod miles solicitis excubiis, & periculosis certaminibus promeruit, fauor præripuit, & sudori debita, otio inaniuntur præmia collata. Dauid duris certaminibus regias sibi nuptias promeruit, sed, cùm gigante deiecto maior ei Saulis filia esset danda, cum alio celebrauit connubia. Nec semel præmio frandatus seruire destitit, immò allatis alienigenarum præputiis Micholem sibi acquisiuit; Saul verò, quam iniuriam intulerat, maiorem denegando, auxit acceptam iam auferendo; quandoquidem non est adeò amarum non possidere, quàm possessis dispoliari: *Saul autem dedit Michol filiam suam Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.* Cui huic præ aliis dederit, quæstio est. Alij existimant emisse nuptias, & quidem ex quo pecunia in honore habetur, virtus honore debito vidnatur: Alij voluisse Saulem eam Dauidi iniuriam irrogare, vt quem non potuerat configere immissa hasta, violati honoris consumeret ignominia: Et quidem ingenuis viris grauius est ignominiæ labe aspergi, quàm hasta transfigi. Abul. verò 9. 19. citat ex alterius sententia, ait Phalti datam, vtpotè iterato & Reipublicæ ministro, voluisseque Saulem eius suffragium hoc modo emere, sibique acquirere. *Respondet quidam, quod Phalti erat Dector legis, & vir nimis honorabilis, ideò Saul dabat ei Michol in vxorem.* Itaque præmium bellicis certaminibus debitum regio illi consiliario, legumque interpreti fuit exhibitum. Profectò, iam Saulis regnum ad occasum vergebat, & ipse iustitiam corrumpens, sibi exitium solicitabat. Tenenda est in honoribus impertiendis mensura, ne calamitatem afferat æquitatis querela. *Si mensuram æquitatis excesserit* (verba sunt dati Cassiodori) *vim sui nominis non habebit.* Iudicis, Principisque nomen exuit, qui

Fronto. Labor. Mlit.

æquitatis

æquitatis leges corrumpit, datum illud legis Doctori præmium & dantis erat ruina, & Danidis etiam infamia. Et quo ardore milites pro tuenda petria vita exponerent, intuiti Dauidis certamina sic præmiari, & repetitis triumphis repetitas iniurias respondere? Iosue egregiè militanti, & cœleste signum deposcenti Deus non

Iosue 10. v. 14. solùm annuit, se sciri, sed annuere voluit: *Obediente Domino voci hominis.* Honesta obedientia, quæ militibus indebat animos, & aduersariorum frangebat impetus. Non dissimilem honorem legis Doctores, & illius Reipublicæ prætextati sibi exambierunt, & audacter à Domino

Matth. 12. v. 38. postularunt: *Tunc responderunt ei quidam de Scribis, & Pharisæis, dicentes: Magister, volumus à te signum videre.* De cœlo quæsiisse signum, testis

Luc. 11. v. 16. est Lucas: *Signum de cœlo quærebant ab eo:* Verùm Deus signum deneganit, & fortè pro miraculo fuit, Pharisæos scilicet, & Reipublicæ proceres tuliisse repulsam. *Petebat* (inquit Cyrillus in Caten. ad Luc. 11.) *ab eo cœleste videre portentum.* Adnectit eorum nomine: *Iosue solem retardauit in Gabaon; tu verò nihil horum ostendisti.* Itaque in eorum honorem solem remorari exigebant; & quidem si mererentur, Christus abnuisset; noluit tamen dignitatis solo titulo impertiri, quod strenui militis indefessis laboribus debuit concedi. Iosue dignus erat, cui cœlum obtemperaret, & solem sisteret; Pharisæi non erant digni, etsi dignitatum splendoribus exornati: ergo edocuit Christus strenuis militibus debita, non esse magnatibus danda. Saul, dum contrariam secutus est politiæ formam, Rempublicam labefactauit, & sibi calamitatem ascinit. Verùm Christi Domini benignitatem expende. Denegans postulata, Ionæ promisit signa, vt si vellent ad pœnitentiam confugere, quæ illis imminebat, quirent tempestatem euadere.

CAPVT XXVI.

1 ET *venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce Dauid absconditus est in colle Hachila, quæ est ex aduerso solitudinis: 2. Et surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Israel, vt quæreret Dauid in deserto Ziph: 3. Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachila, quæ erat ex aduerso solitudinis in via: Dauid autem habitabat in deserto. Videns autem, quòd venisset Saul post se in desertum: 4. Misit exploratores & didicit, quòd illuc venisset certissimè: 5. Et surrexit Dauid clam, & venit ad locum vbi erat Saul, cumque vidisset locum, in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner, Princeps militiæ eius, & Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum eius: 6. Ait Dauid ad Achimelech Hethæum, & Abisai filium Saruiæ, fratrem Ioab, dicens: Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixitque Abisai: Ego descendam tecum: 7. Venerunt ergo Dauid, & Abisai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius. Abner autem, & populum dormientes in circuitu eius: 8. Dixitque Abisai Dauid: Concluſit Deus inimicum tuum hodiè in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, semel, & secundo opus non erit: 9. Et dixit Dauid ad Abisai: Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? 10. Et dixit Dauid: Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut in prælium descendens perierit: 11. Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini: nunc igitur tolle hastam, quæ est ad caput eius, & scyphum aquæ, & abeamus: 12. Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quisquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos: 13. Cumque transisset Dauid ex aduerso, & stetisset in vertice montis de longè, & esset grande interuallum inter eos: 14. Clamauit Dauid ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondebis Abner? Et respondens Abner ait: Quis es tu, qui clamas, & inquietas Regem? 15. Et ait Dauid ad Abner: Nunquid non vir tu es? & quis alius similis tui in Israel? quare ergo non custodisti Dominum tuum Regem? ingressus est enim vnus de turba, vt interficeret Regem, dominum tuum: 16. Non est bonum hoc, quod fecisti: viuit Dominus, quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum, Christum Domini: nunc ergo vide vbi sit hasta Regis, & vbi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput eius: 17. Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit: Nunquid vox hæc tua, fili mi Dauid? Et ait Dauid: Vox mea, Domine mi Rex: 18. Et ait: Quam ob causam dominus meus persequitur seruum suum Quid feci? aut quod est malum in manu mea: 19. Nunc ergo audi, oro, domine mi Rex, verba serui tui: si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium: si autem filij hominum,*

maledicti sunt in conspectu Domini: qui eiecerunt me hodiè, vt non habitem in hereditate Domini, dicentes: Vade, serui dijs alienis: 20. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino: quia egressus est Rex Israel vt quærat pulicem vnum, sicut persequitur perdix in montibus: 21. Et ait Saul: Peccaui: reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim vltra tibi malefaciam, eò quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodiè: apparet enim quod stultè egerim, & ignorauerim multa nimis: 22. Et respondes Dauid ait: Ecce hasta Regis: transeat vnus de pueris Regis, & tollat eam: 23. Dominus autem retribuet vnicuique secundum institiam suam, & fidem: tradidit enim te Dominus hodiè in manum meam, & nolui extendere manum meam in Christum Domini: 24. Et sicut magnificata est anima tua hodiè in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni angustia: 25. Ait ergo Saul ad Dauid: Benedictus tu fili mi Dauid; & quidem faciens facies, & potens poteris. Abijt autem Dauid in viam suam, & Saul reuersus est in locum suum.

TEXTVS.

VERS. I. Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce Dauid absconditus est in colle Hachila, quæ est ex aduerso solitudinis.

§. I.

Peccatores nouis culpis periculum conantur redimere, & timorem cordis depellere.

Peccator. Timor.

MAla conscientia nunquam sine solicitudine est, & licet crimen maneat impunitum, cum sui ipsius anxium supplicium sit, nec vitari potest, nec sustineri: *Hoc ipsum* (aiebat Seneca *Epist.* 97.) *argumentum Epicuri est, natura nos à scelere abhorrere, quod nulli non* (etiam inter tuta) *timor est.* Multos fortuna liberauit pœnis, solicitudine neminem, quia ipsa natura culpam damnat, & conscientia ipsa discruciat. Sic verò obrutescunt peccatores, vt nitantur humeros à sarcina liberare ampliùs prægrauando, & onera noua adijciendo. Hoc factis testantur Ziphæi, nam cùm conati fuissent Dauidem prodere, votis caruerunt, Saulis tamen gratiam impetrarunt. Modò veriti, ne Dauid meliori fortuna vsus se vellet vlcisci, iterum ad Saulem conuolant, vtque iniustus prædator eum capiat, instigant: *Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce Dauid absconditus est in colle Hachila, quæ est ex aduerso solitudinis.* Timorem prima creatum adaugent proditione repetita, & quia Dauidis, quem semel offenderant, iustam indignationem verentur, tollere de medio solicitius adnituntur: Testatur Lira: *Isti jam anteà Dauid accusauerant Sauli, vt habitum est supra 23. & ideò timentes, ne Dauid post Saul regnaret, & per consequens eorum proditionem puniret, soliciti erant de captione Dauid, vt moreretur.* Ad timorem depellendum medium erat veniam à Dauide quærere, & dignis eius gratiam obsequijs inire; verùm, vt timori medeantur, nouas addunt causas timoris, & quia non ignorabant in Dauidem peccasse, maiori odio prosequuntur, & eius sanguine sopire cordis pauorem conantur. Sceleste illi senes, qui Susannam irritis prouocarant votis, admissi sceleris conscientia veriti, ne maritum, qui è primis erat, instigaret, vt dignam ab eis compensationem desumeret, de medio tollere sunt conati, quia aliter sibi non videbantur securi: *Condemnauerunt eam ad mortem.* Ni Dei spiritu Daniel afflatus pro Susanna stetisset, sibi gratularentur senes solicitudine jam esse exemptos, & nullo metu solicitos, verùm, dum nouis culpis timorem conantur sopire, inuenti sunt sibi mortem accelerare. *Falsos testes* (inquit S. Zeno *serm.* 9.) *pauor inuadit: tremuit diabolus, quod ipsius commenta nudentur.* Pauor pessimus consiliarius, ne detegerentur perpetrata, fœdiora illis persuasit delicta, sed dum decreuerunt interimere innocentem, indecoram subierunt mortem.

Dan. 13. v. 41.

TEXTVS.

VERS. II. Et surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Israel, vt quæreret Dauid in deserto Ziph.

§. II.

Magnatum infortunata est fortuna, quia occasiones affert perpetrandi peccata.

AD delinquendum procliuis est humana natura, & quia robore destituta, & quia *Fœlix. Imperan.* peccatorum densis caliginibus obcæcata: venum etsi omnes noxio proritu instigentur, non temper delinquendi occasione fruuntur. Beneficium est carere materia, qua pestifera perficiuntur vota. Hinc est, quòd primati aut quia laboribus intenti, aut quia paupertate vexati, non adeò frequentes delinquendi occasiones nanciscuntur, & ipsis infortunijs felices esse probantur. Qui verò nobilitate conspicui, facultatibus opulenti, & delicijs innutriti, ad manum solent habere, quibus insana explerentur desideria, & nocua assequantur vota. *Dabo consularem* (aiebat Seneca *Epi.* 4.) *amicæ seruienti.* Etsi libidinis humorem curua senectus extinxerit, in aliquibus aniculis veneris adhuc glisscit affectus, & quia nequeunt suis vacare consulari solicitant parandis voluptatibus inseruire: Dormiret non semel Venus, si deesset anicula occasionum conciliatrix; ast, dum præmium sperat, inflammat, eiusque afflatu inardescunt desideria, & perpetrantur delicta. Nec aliter alijs in causis euenit. Nunquam deest fortunatis adulator, qui aut venustatem alicuius fœminæ exaggeret, & sopitum desiderium excitet, aut iracundiam foueat, & nouis susurris angeat. Aliquantulum refrigerat Saulis in Dauidem odium, verùm Ziphæi,

Ziphæi, vt eius inirent gratiam, accurrunt, & latitantem Dauidem produnt: *Surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph.* Si quæras, cur pœnitentiæ egerit pœnitentiam, & ferè extinctam denuò renouarit inuidiam? Iam Textus respondet: *Venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce Dauid absconditus est in colle Hachila.* Ziphæi suggesserunt adesse opportunissimam occasionem Dauidem capiendi, sine vllo labore posse Saulem desiderata perficere, & tantis solicitudinibus liberari: ergo eis suggestionibus flabellata inuidentia denuò exarsit, & in campum prodijt. *Prodiderunt Ziphæi* (inquit Hugo) *Dauid latitantem in colle Hachila.* Dum occasionem adesse indicant, dum esse facile in Saulis potestatem Dauidem redigi asseuerant, igniculos adijciunt, & qui aliter quieſceret, furit. Ni Saul magnus esset, Ziphæi non accessissent, nec adulationibus irritassent. Qui magnatibus assistunt familiares, non solùm curant eis obsequi, sed eorum votis attemperari, & blandiri. Apollonins ad Regem, vt auaris eius adularetur desiderijs, retulit Dei templum copiosis exundare pecunijs. Rex notitia instructus, & pecuniæ auiditate inflammatus aggressus est pecuniam diripere, & Dei templum temerare: *Cum retulisset ad Regem Apollonius de pecunijs, quæ delatæ erant, ille accitum Heliodorum, qui erat super negotia eius, misit cum mandatis, vt prædictam pecuniam transportaret.* Etsi pecuniæ auidus ea notitia carens quiescebat; verùm, vbi accepit, exarsit. Quàm esset fortunatior, si eo irritatore careret; ast vbi Appollonius obsequium se præstare præsumpsit, ad perpetranda sacrilegia relationibus inflammauit. Adest Glossa Moralis: *Persuasit spoliare templum.* Persuasio, dum blanditur maiestati, occasionem exhibuit crimini.

2. Machab. 3. v. 7.

TEXTVS.

VERS. III. & IV. Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachila, quæ erat ex aduerso solitudinis in via. Dauid autem habitabat in deserto. Videns autem, quòd venisset Saul post se in desertum, misit exploratores, & didicit, quòd illuc venisset certissimè.

§. III.

Dæmoni spem tuæ ruinæ facies, si repetas locum, vbi es expertus periculum.

Occasio.

PRudens periculis eruditus, iterum non repetet, quod semel exhorruit. Cordato timore Dei beneficium honorat, & commendat prudentiam, vt repetitione exoculatam testaretur audaciam. *Plerique* (aiebat Tertullianus de Pœnitentia cap. 7.) *naufragio liberari exindè repudium & nauì, & mari dicunt.* Naufragia semel passi, ni repudium nauì, & mari dicant, Dei beneficium contemnunt, & sibi imponunt. Laudandus est timor, dum diuinam excusat misericordiam tentare, & temeritatis audacia iterum periculum experiri. Si humani generis hostis periculum repeti, & occasiones lapsus frequentari videat, spes victoriæ fouebit, & iterum bellum tentabit. Dauid in colle Hachilà habitarat: *In colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti.* Graui adeò ibi obsidione ingemuit cinctus, vt in hostis potestatem deuenisset captus, ni Dei specialissima prouidentia fuerit ereptus: Saul destitit, & à persequendo refriguit: modò tamen nouis spebus ira recrudescit, & bellum instruit: *Castrametatus est Saul in Gabaa Hachila, quæ erat ex aduerso solitudinis in via.* Cur Saul bellum instaurarit, & exercitum in campum produxerit? scisitantur Interpretes. Respondentque, magnas capiendi Dauidem spes fouisse, vbi eundem repetere collem conspexit. Vbi audiuit à Ziphæis collem Hachila repetiuisse: *Ecce Dauid absconditus est in colle Hachila*, castra ibi erexit, & de victoria præsumpsit. *Iterum latuerat in eodem deserto* (inquit Abulensis *quæst.* 4.) *& cinxit eum Saul in modum coronæ, ita vt desperaret se posse euadere.* Adinstar miraculi fuit eo in loco Saulis manus effugere: ergo Saul victoriam sibi promisit, vbi repetere collem agnouit. Qui semel Dei beneficio pericula euasimus, ne iterum diuinæ misericordiæ oneri simus. Video Tobiam in itineris exordio pedes lauantem: *Mansit prima mansione iuxta fluuium Tygris, & exiuit, vt lauaret pedes suos.* Diuturno itinere jam confecto non audio ad Tygrim iterum accessisse, nec pluerulentos pedes lauasse; & quidem initio non adeò necessarium videbatur lauacrum, post longam viam, vt domum intraret, ablutio pedum videbatur opportunior. Cur ergo Tygrim non repetat, & contractas sordes vndis expungat? Quia ibi ab immani fera inuasus perijsset, ni Angeli auxilio ereptus. *Ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum*: Ergo noluit periculum repetere, Sed Dei beneficium honorare, & saluti prouidere. *Piscis* (inquit Beda apud Glossam) *qui Tobiam deuorare cupiens, Angelo docente, occisus est, diabolum significat.* Iuxta Tygrim expertus est deuorationis periculum: ergo prouidè cautus nec lauacrum iterum repetiuit, nec Tygris vndis accessit.

Sap. c. 23. v. 19.

Tob. 6. v. 1.

§. IV.

Non nocet solicita cura iterum indagare, quæ oculis constant videri.

Examen.

VIsus inter reliquos sensus fidelior rerum testis; verùm suas etiam fallacias patitur, aut quia spatia prohibent res discerni, aut quia, si quid interiacet, impedit, provt ratio postulat iudicare. *Ramus integer* (aiebat Seneca 1. Natural. quæst. cap. 3.) *in tenui aqua fracti speciem reddit. Poma per vitrum aspicientibus multò maiora sunt. Columnarum interualla porticus longiores iungunt.* Si ratio visum non corrigat, visus rationem præcipitat, & facit, vt veritati aduersam sententiam ferat. Nec ipsis oculis circa aliorum præcipuè errata est credendum, sed, an fallatur oculus, indagandum. Dauid oculis aspexit Saulem contra se in campum processisse, & nihilominus oculorum perspicaciæ non credidit, sed exploratores misit: *Videns autem quòd Saul venisset post se in desertum, misit exploratores, & didicit quòd illuc venisset certissimè.* Quid hac indagatione ad speciem stultius? Si militum strepitus informat aures, si oculus intuetur exercitum, quid exploratione opus?

Quæstio suboritur (inquit Caietanus) *si vidit, quare misit ad explorandum, etsi misit ad explorandum, quomodò verificatur, quòd vidit?* Iam respondet: *Virumque verificatur, & quòd vidit, & quòd misit exploratores, vt certior fieret.* Cùm Saul Dauidis esset aduersarius, circa eius facta oculis non credidit, veritus, ne affectu illusus, aut subornatus aspectus falsa pro veris repræsentaret, aut adaugeret. Suis factis nos edocens, oculorum sæpè aciem eludi, præcipuè cùm homo non est benè erga alium animatus, sed internis nebulis impeditus: post inspectum Saulem exploratio non fuit otiosa, sed prudentiæ consentanea. Videbat Moyses rubum flammis cinctum, & inter flammas illæsum: *Videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Rubus ipse sua luce oculos reluminabat, & omnia tenebrarum impedimenta repellebat; & tamen Moyses oculis non fidit, sed ipsam visionem examinare solicitius contendit: *Videbo visionem hanc magnam.* Non ignoro literam, sed ipsa littera præbet doctrinæ ansam. Non solùm accedere voluit Moyses, vt rubum adspiceret, sed vt ipsam visionem examinaret. *Videbo* (inquit) *visionem*: nam cùm sciret sæpè homines persuadere sibi, quæ affectus discupit, aut phantasia somno illigata suadet, adnisus est ipsam visionem examinare, ne fallaciam contigisset subire. *Ipso mirabilo* (inquit Hugo de S. Victore in Alleg. Tilman.) *trahebatur, vt transiret, & videret visionem.* Ignis à se ipso dissidebat, & rubum in modum scaturiginis irrigabat: ergo circa rem adeò insolitam oculis non fidit, sed curiosius visionem examinare contendit.

Exod. 3. v. 2.

TEXTVS.

VERS. V. & VI. Et surrexit Dauid clam, & venit ad locum, vbi erat Saul: cùmque vidisset locum, in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner, Princeps militiæ eius, & Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum eius, ait Dauid ad Achimelech Hethæum, & Abisai filium Saruiæ, fratrem Ioab, dicens: Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixitque Abisai: Ego descendam tecum.

§. V.

Quæ esset dementia tentare, speciali Dei pulsu sancti non timent adire.

Sancti. Inspiratio.

PRudentia modum imponit rebus, ne aut exoculata præcipitetur audacia, aut ignaua dormitet inertia. Tentanda non sunt, quæ exposcunt insolitum prodigium, aut ab omnibus receptum excedunt modum. *Nullum est* (aiebat Mænander apud Stobæum cap. 51.) *vitæ maius, quàm audacia, viaticum.* Grande audacia est viaticum, sed si associetur prudentia, aliter non viaticum, sed venenum. *Rectè virtus* (scribit Philo de leg. Alleg.) *iungitur prudentiæ.* Si virtuti prudentia desit, transibit in vitium, & parturiet homini probrum. Aliquando tamen virtutibus heroicis exculti, prudentia humana præscriptos limites inueniuntur transgressi, sed speciali Numinis pulsu probantur moti. Eo castigationis genere nonnulli in carnem suam desæuierunt, vt, ni à Deo credas motos, censeas insanos. Alij ea aggressi sunt opera, quæ fugienda dictat humana prudentia. In horum censu inuenitur Dauid, qui cum copioso milite Saulis constarent castra, Abisai associatus aduit hostes audacia intrepida: *Et surrexit Dauid clam, & venit ad locum, vbi erat Saul.* Insanire Dauidem crederes, si facta prudentiæ solùm humanæ lance trutinares. Inuenit sopore oppressos, sed facile erat excitari accedentis incessu, quantumnis silentioso. Ita est (inquit Abulensis *qu. 5.*) verùm Deus, vt eius innocentiam, & eximiam virtutem ostenderet, ingentissima adeò ad speciem pericula adire mouit. Verba Abulensis sunt. *Deus mouebat Dauid ad hoc, quia volebat magnificare eum ostendendo innocentiam suam.* Vt, quam Deus specialem circa Dauid curam gereret, innotesceret, quæ prudentia humana videbatur dissuadere, tentauit, & euentus testatus est interno Dei pulsu tentasse, quandoquidem non solùm non est passus detrimentum, sed secum tulit hastam, & scyphum. Recordor mei sanctissimi Parentis Ignatij, qui cùm ardentissima animarum siti aliquas ab amasiorum manibus fœminas eripere studeret, strictis gladijs mortem ei intentarunt: ipse verò humanam prudentiam prudenter transgressus per medios furentium gladios intrepidus transiuit, & victor redijt. Iterum eodem ardore rigentibus hyeme aquis se immersit, & per longa temporis spatia ibi vitali calore ferè extincto perseuerauit, vt iuuenem insano captum amore detineret, rationique vt accidit, restitueret; videbatur certam sibi mortem asciscere, sed à Deo motus laudabili temeritate contempsit vitam, & feliciter est assecutus victoriam. Cùm populus insanis idololatriæ ardoribus exæstuans vitulum adoraret, Moyses per medios adorantium cuneos involauit, & in cineres redegit. *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad pulueren.* Hinc oritur difficultas. Si Aaronem, qui idoli conflationem tardabat, ita vrserunt, vt inferendam sibi mortem veritus, male saluum vitulo conflato redemerit, quomodò Moyses nec timet idololatriæ furere ebrios, & auri vituli amore deliros? Nonne humanam exuisse videtur prudentiam, cùm rerum nititur naturam inuertere, & in cinerem aurum reducere? Profectò, quæ feliciter absoluit, nullatenus videbantur tentanda; Moyses tamen cœlesti pulsu motus, & religiosi zeli ardore correptus, manifesta despexit pericula, & in cineres redegit idola. *Iste vitulus per ignem zeli* (inquit Isidorus in Exod. cap. 38.) *& aciem verbi, & aquam baptismi ab eis potius, quos absorbere conabatur, absorptus est.* Edocuit Moyses diuini honoris zelotypos vitam contemnere, & figmenta diaboli comminuere. Edocuit honestam temeritatem propriæ salutis oblitam, & cœlesti pulsu agitatam. Vt noueris, cùm sancti tentant, quæ humanam prudentiam supergressa, videntur à Deo speciali pulsu agitari, & cœlesti inspiratione moueri.

§. VI.

Qui timori, vt virtutem sequatur, non cedit, æternum sibi nomen procudit.

Timor. Virtus.

VIrtus pulchra est, sed difficultatibus plena: vndè plures eius amore rapiuntur, sed posteà annexis laboribus deterrentur. *Virtus ardua, laboriosaque generi humano* (aiebat Bacchyl. apud Stobæum *cap.* 1.) *pulcherrima vitæ inuentio.* Per confragosa graditur, cum voluptate colluctatur, diuitiarum contemptu munitur, adit honesta pericula, & digna reportare exambit trophæa: inertes etiam edicta eius approbant, sed deficiunt, & pedem referunt. Dauid in hostilia castra decreuit descendere, decretum cum Achimelech, & Abisai communicauit: *Ait Dauid ad Achimelech Hethæum, & Abisai filium Saruiæ, fratrem Ioab dicens: Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixitque Abisai: ego descendam tecum.* Vtrumque consuluit, sed vnus solus respondit. Ambo comitati fuerant Danidem, & dederant nomina: Hethæum verò ab itinere incepto videntur deterruisse pericula; Abisai hostium timori non cessit, & dum non cessit, sibi fecit nomen æternandum, & nulla temporis injuria delendum. *Abisai frater Ioab, filius Saruiæ, Princeps erat de tribus*, innuit Abulensis ex aliorum sententia *quæst. 6. Istud, quod Dauid aggrediebatur, erat aliquid valdè durum, ad quod fortè non auderent descendere illi cum eo: ideò noluit iubere eis, quòd descenderent, sed petiuit per modum electionis: quis vellet descendere: Abisai autem voluit, & Achimelech non ausus est.* O quanta hinc emanant vtilissima documenta. Dauid adeò ardua non præcepit, sed subjectorum arbitrio reliquit. Abisai tutiùs censuit in Dauidis consortio pericula adire, quàm sine Dauide ab hostium castris distare, & dum alacriter vicit ignauum metum, triumphalem tulit scyphum. Achimelech timori cessit, & cedens spoliis caruit. Itaque Abisai timorem inuicto animo spernens, Saulis hastam tulit, & famam sibi æternauit. Inter exploratores à Moyse delegatos Iosue virili animo monstra ab aliis conficta despexit, & cum eis, quos gigantea mole præditos exaggerabant, conferre manus ambiuit: *sicut panem, ita possumus eos deuorare.* Effectus probauit virtutem, vicit hostes, imperauit sideribus, dum non cessit difficultatibus: inuictæ fortitudinis præmium fuit in cœlis imperium, & in terris venerandum cunctis elogium: *Vocauit Osee filium Nun Iosue.* Innuit Lira: *Quòd autem in præcedentibus vocatus est Iosue, hoc est per anticipationem.* Cœlesti spiritu prænoscens Iosue virilem fortitudinem, Moyses præmium per anticipationem exhibuit, & digno nominis encomio nobilitauit.

Num. 14. v. 9.

Num. 13. v. 17.

§. VII.

Magna debet confusione perfundi, qui, à quo vitam accepit, lædere ambiuit.

Ingratus.

CVm beneficia feræ sentiant, homines aliquando humanam videntur exuti naturam, immò ferarum supergressi ferociam. Elephas post casum viribus restitutus, exigenti obsequia præstat, & officia. *Bellua suis gressibus restituta* (inquit Cassiodorus 10. *variar.* 30.) *nouit memor esse beneficij*: Ad elephantem mittendus erat Saul, qui concessa à Dauide vita, vt testabatur chlamydis ora, iterum manum coegit, & prædator improbus in campum prodiuit. In eius castra descendere Dauid disposuit: *Quis descendet mecum ad Saul in castra?* Quo fine descenderit, quando nec occidere voluit, nec volenti permisit, in quæstionem vertunt Interpretes. Abulensis *quæst.* 7. existimat voluisse Saulem confundere, dum factis ostendebat ab eo se impeti, cui constabat vitam concedere. *Vt confunderetur* (inquit) *Saul, scilicet, quia iterum misertus fuerat ei, nolendo eum occidere, & nunc nouiter persequebatur eum.* Quid ab homine alienius, quàm vitam dilargientem immortali odio persequi, & ob id nullis sumptibus, nec laboribus parcere? Quid ab ingenuo remotius, quàm substricti angustiis papilionis contineri, vt exoculatis valeat liuoribus adulari? Non potuit Saul non confundi suam expendens durissimam contumaciam, & Dauidis summam clementiam. Tot militibus annonam expenderat, anxias solitudinis curas fouerat, montium confragosa superarat, & hoc totum, vt eum, à quo vitam acceperat, repetitis injuriis offenderet, & affligeret. Compertum est in Saule peccatorem exprimi, in Dauide Christum Dominum adumbrari: ergo peccatores grandi debemus rubore suffundi, dum toties misericordiam Domini experti, salute, vita, honoribus à Deo donati, non sine diuitiarum dispendio, salutis incommodo, vitæ periculo nouis, iteratisque culpis ingrati delinquimus, & injurij. Prodigus domum repetens non refertur oculos in patrem direxisse, cùm pater dicatur benignis redeuntem oculis spectasse: *Vidit illum pater ipsius.* Et cur ipse oppansis non aspiciat oculis patrem? Quia laudabilis confusio (inquit Chrysologus) dejectos oculos sic grauabat, vt non auderet erigere, sed magis ruborem, & confusionem adniteretur ipsa dejectione testari. Recordabatur quanta accepisset à patre, & cui tanta debebat officia, plurima reddidisse peccata: ergo erubescebat confusus, quia ingratissimè reus. *Non sunt* (inquit *serm.* 3.) *tales tenebræ noctis, quales illæ sunt, quæ de confusione veniunt peccatorum.* Salubris confusio abstulerat filio aspectum, vt leuare nequiret visum.

Luc. 15. v. 20.

TEXTVS.

VERS. VII. Venerunt ergo Dauid, & Abisai ad populum nocte, & innenerunt Saul jacentem, & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius: Abner autem, & populum dormientes in circuitu eius.

§. VIII.

Profundiori peccator indulget somno, cùm plus constat approximare periculo.

Peccator. QVamvis peccatum in sacris literis appellatur sæpè vinum; ea tamen inter vinum, peccatumque intercedit differentia, quòd breuior est vini insania, quàm peccati dementia: vtrumque est rationis interdictum, & iners affert vtrumque somnum. Vndè aiebat Paulus: Ad Ephes. 5. v. 14. *Surge, qui dormis.* Mero peccati inebriati peccatores exitiali lethargo indulgent altius, cum periculum proximius. Falsis suæ securitatis sponsoribus credunt, juuentus, quia ad speciem vegeta, repentinæ mortis oblita prolixos sibi annos promittit, cùm morti concitatior accedit. A diabolo durè exagitatum Saulem Danidicæ lyræ cantum video percepisse, & peccati ebrietate immersum somno jacere. Bello contra Danidem moto, somno indulgebat, & capiebat somnum, cùm non ignoraret perpetrasse peccatum. O periculosam dementiam! Tunc grauiori somno jacebat oppressus, cùm intra idem tentorium Abisai necem dormientis expeteret aduersarius, ipsa Saulis hasta dormientem disponebat transfodere, nec Saul quibat oculos aperire. Quàm profundus erat somnus, quàm vicinus aduersarius! *Inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio.* Cùm plus illi opus solicita vigilantia, ignaua stertebat inertia: adeò se securum putabat, vt hastam in terra defigeret, quasi eius vsu non indigeret: *Et hastam fixam in terra ad caput eius.* Non erat expeditus hastæ vsus, & grauissimus erat somnus, cùm esset proximior casus. Opportunè Rhabannus apud Glossam: *Dormitio cordis duritia est, dormiunt in veteri vita, non vigilant in noua.* Sic peccatores obdurantur, vt nec oculis videant, nec auribus audiant, nec adesse periculum credant. Holofernes jacet vino immersus, somno illigatus, cùm Iudith eodem in cubiculo mortem meditatur inferre, caputque abscindere. *Holo-* Iudith. 13. v. 4. *fernes iacebat in lecto nimia ebrietate sopitus.* Tunc nimia eum ebrietas occupabat, cùm vicinius periculum imminebat. Prodest Glossa: *Iacebat in lecto nefandæ securitatis, qua se impunè peccare confidit; vndè impius, cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Quasi molli lecto falsa securitate decumbit, & dum decumbit, interiit.

§. IX.

Ni in Principe luceat solicita vigilantia, facilè eius ministros periculosa occupabit inertia.

Princeps. Vigilantia Seruus. QVi *Reipublicæ statum* (aiebat Cassiodorus 9. variar. 2.) *& generale cupit stare fastigium, ad vniuersa debet esse solicitus.* Solicitudo Principis est regni fulcrum, dum hostibus incutit terrorem, & suis inspirat solicitudinem. Si inertia occupauerit Principem, armabit hostem. Nimius regentis somnus enertit regnum, quia adducit non facilè reparandum periculum. Non otiosè retulit scriptura regiam hastam, quæ erat potestatis insigne, inuersam: *Et hastam fixam in terra*, quia dormiente Principe omnia conquassantur, & inuertuntur. Vel animalia status sui quietem à vigilanti solicitudine noscunt promanare, & ideò malunt excubias peruigiles exercere. Audi de gruibus datum Cassiodorum: *Vigilant vicissim, communi se cautela custodiunt.* Vigilantia pro castris est, & cautela pro muris. Vbi Saul inerti se tradidit somno, Abner etiam obdormiuit, & cum Abnero tota manus resoluta inertia jacuit. Non auderet Dauid in Saulis castra irrumpere, nisi à longè spectasset profundæ inertiæ indulgere. *Vidit Dauid à longè* (inquit Abulensis quæst. 5.) *priùs quàm descenderet in castra.* Iners somnus hostibus infudit audacem animum, & Sauli procreauit graue periculum; & quidem cæteri stationem, excubiasque deserunt, dum Saulem dormire agnoscunt. *In tanta multitudine* (inquit noster Sanctius) *nemo fuit in Saulis castris, quem non occupauerit profundus sopor.* Vbi Saul somno oculos tradidit, nullus fuit, qui munus impleret. E contrà, si Princeps inuigilet, ministrorum acuitur solertia, & aduersariorum debilitatur audacia. Vndè cùm Angelus Christi Domini felicissimum regnum Mariæ Dominæ nostræ prædiceret, in domo Iacob regnaturum asseruit: *Regnabit in domo Iacob in æternum.* Luc. 1. Cùm Iacob præ aliis in regni exemplum addixerit, in memoriam adducere, quomodò Iacob se gesserit, non erit otiosum. Grégum pastor indefessis perstabat excubiis, ne lupus ouem raperet, aut rapere auderet: *Die, noctuque æstu vrebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Nullum laborem fugiebat, vt gregi prospiceret, & truculentiam arceret, nec infrunita fuit vigilantia, quandoquidem nil ostendit laceratum à bestia: *Nec captum à bestia ostendi tibi.* Bestiæ timebant accedere, quia sentiebant ouium rectorem inuigilare. Oues fœcundis fruebantur tranquillè pascuis, quia pastor indefessis solicitabat studiis. Ita Oleaster in litera: *Elongabat se somnus meus.* Distabat à Iacob somnus, & ideò greges bestiarum non patiebantur adultus. Ergo prædicat Angelus Christum erga homines, vt Iacob circa greges, magna vigilantia vsurum, vt prosperum prædixerit regnum.

TEXTVS.

VERS. VIII. Dixitque Abisai ad Dauid: Concluſit Deus inimicum tuum hodiè in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, & secundo opus non erit.

§. X.

Sæpè, qui alium iniustè persequitur, in eius manibus traditur.

Persecutio. QVid virtus possit, manifestis argumentis dignoscitur, cùm ab iniquis impetitur. Vndè de ea agens Aristoteles Hymno in virtut. aiebat: *Tua gratia Hercules Ioue satus, Ledæque filij multa perpessi sunt, suis factis quid possent declarantes.* Lernæus serpens ardentibus oculis Herculem est aggressus, sed ferro, & igne confossus: ipsa iniquitas, quæ instigat ad exoculatam audaciam, audaciæ etiam solicitat pœnam. Ecce Saul ardenti ausu persecutus Dauidem, in eius manus deuenit, suis armis transfigi potuit, aut capi: *Concluſit Deus inimicum tuum hodiè in manus tuas; nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, & secundò opus non erit.* Nil Sauli tot laterum stipatores proderant milites, vt effugeret mortem, quia ipse maturauerat sibi cædem. Benè Chrysostomus apud Glossam: *Iacet alligatus Rex.* Sua iniquitate ad hostis arbitrium jacebat illigatus, qui tot eum dolis iniquè fuerat aggressus. Vt hinc constet, injustè bella tentantes in hostiles sæpè manus incidere, & à Deo æquitatis vindice tradi. Vianti Samsoni leo fortissimus occurrit, nullatenus prouocatus, aut aliqua injuria læsus: *Apparuit catulus leonis saeuus, & rugiens, & occurrit ei.* Innata leo ferocia sæuus, & rapiendi auiditate instigatus inermi, pacificéque viam carpenti se opposuit. Quid tunc? Deus innocuo adstitit, & audentis temeritatem repressit: *Irruit spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem quasi hædum.* Ipsa leonis audacia fortitudine denudauit, & in hædum facilè discerpendum vertit: in Samsonis manibus à Deo traditus jacuit discerptus. Prodest Augustinus enarrat. *in Psalm.* 80. *Fremens ibat in obuiam. Sed quid egit? Accepit, tenuit, fregit, dissipauit leonem.* Inuictam mentiebatur fortitudinem elatis rugitibus, sed se hædum probauit consertis manibus: *Saeuus, & rugiens.* Samson nil lingua effutiit, & tacendo leonem subegit: non deuenisset leo in Samsonis manus, ni illum sine causa fuisset aggressus; verùm vbi aggressus, & traditus.

Iudic. 14. v. 5.

TEXTVS.

VERS. IX. Et dixit Dauid ad Abisai: Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?

§. XI.

Meditatio mortis, dum omnia ostendit citò peritura, ob peritura edocet non perpetrare peccata.

Mors. MOrs veritatis magistra est, salubri caligine colirij adinstar reluminat oculos, & medicatis familis persanat intemperantes affectus. Lepidè Æschil. apud Stobæum *capite centesimo decimo nono. Nullam habet aram, non celebratur hymnis, sed ab ea dæmonum sola aliena est suadela.* Idola indignè aras occupantia deseruiebant mendaciis, & homines mendaciorum ligabant tenebris: at mors, vtpotè fraudis inimica, sacrilega carebat ara. Nil prodest dæmonum dolosa suadela, si cauta mortis subeat memoria: nam cùm omnia, quæ in mundo oculos excæcant, sint aut fugax carnis voluptas, aut volaticus dinitiarum splendor, aut inanis superbiæ tumor, hæc omnia mors exarmat, quia citò in puluerem conuertenda demonstrat. Hinc est, quòd cupiditatum præstigiis liber detrectat perpetrare peccata obeuanida, & ficta. Nisus est Abisai persuadere Dauidi Saulis interitum, vt regia frui posset corona, vt splendenti micare purpura; verùm Dauid à cæde abstinuit, & gratiam non cruentauit. *Ne interficias eum. Quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* Nec corona, nec Abisai suadela, nec tot laborum angustia inducere potuerunt generosum Dauidis animum, vt coronam arriperet. Et quod illi aduersus tot cupiditatis ictus scutum? Mortis sanè meditatio, inquit Chrysostomus apud Glossam. Vidit hastam regiæ potestatis insigne jam inuersam, & terra infixam. Vidit Saulem somno sensibus priuatum, purpura nudum: ergo contemplatus in somno mortem, omnem abjecit à corde cupiditatem. Chrysostomum audi: [Conspiciebat illum dormientem, ac de morte omnibus communi philosophatur. Somnus nil aliud est, quàm mors temporaria, & vnius diei interitus. Sic hostem in potestatem suam accepit, & Deum erga se beneuolentiorem reddidit.] Ob citissimè amittenda noluit Deum offendere, sed in sapientissima mortis schola eruditus, reportatis de cupiditate triumphis resplenduit augustiori diademate coronatus. Cùm sanctissimus Iob confusis calamitatum voluminibus jactaretur, ab vxore persuasus est, vt culpa sibi mortem adsciscret, & tot sæuissimos dolorum cruciatus vnico euaderet: *Benedic Deo, & morere.* Disertus Iob vxorem redarguit, & eius persuasione conuincit: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es.* Et quæ mulieris stultitia. Duo secum pugnantia conjunxisse: asserebat omnes illos cruciatus, omnes paupertatis miserias, omnes despectus angustias morte finiendas: *Et morere:* ergo ob citò morte finienda, stultum esset infici culpa: suasionis spiculum ingeniosè in ipsam retorsit, & manifestè conuicit. *Tu grauius, & deterius* (scribit Origenes *libro secundo in Iob*) *locuta es, quàm Eua prima in insipientia.* Ac si dicat: Inter insipientes tu primas fers Euæ; illa namque peccatum admisit, quia se à morte eximendam existimauit; tu verò statuis morte omnia finienda, & instigas ad perpetranda delicta, cùm ipsa mors breuem omnium rerum oculis objiciens finem, dissuadeat iniquitatem. O vtinam mortis frequentaremus scholam, vt hanc vtilissimam perciperemus doctrinam!

Iob. 2. v. 9.

§. XII

Non est eadem indulgentia homuncionis crimen dissimulandum, & magnatum ferendum.

Crimen. ÆQuitas non attendit personam, sed causam: sed cùm apud sæculum magnatum delicta à supplicio videantur exempta, hæc thesis censeri potest otiosa. Verùm quia & dignitas potest suspici, & æquitati non contrairi, eam adduxi, si ad bonam possit politicem deseruire sine legis querela, aut æquitatis injuria. Multis Saul Dauidem offenderat, promissionis fidem violarat, hastam in benemerentem contorserat, latebris quiescere non permiserat, & tamen cùm Abisai ipsa Saulis hasta eum vellet transfigere, vetuit. *Pœna ista peccati est* (ait Abisai ex Cassiodoro 9. *variar.* 2.) *vt vnusquisque in se recipere possit, quod in alterum proterue exercuit.* Verùm generosus animus, & soli gratiæ seruire gnarus à cæde abstinuit: *Ne interficias eum.* Cùm Dauid in blaterantem Nabalem manum armauerit, & ad infligendam mortis pœnam irruerit: *Accingatur vnusquisque gladio suo*, se statim ingerit difficultas; cur patienter adeò Saulis dissimularit peccata, & ardenter adeò Nabalis inuolarit puniturus delicta? Verùm ipse Dauid soluit quæstionem, & enodat difficultatem: *Quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* Vterque peccati reatibus tenebatur, sed ob Saulis dignitatem aliter se Dauid gessit, non æquitatis corruptor, sed bonæ politices doctor. Saulem à culparum reatibus non protulit liberum, sed ob dignitatem majori reuerentia tractandum. Notauit Abulensis *quæstione vndecima. Quomodò cùm semel offenderit Nabal Dauid, egerit Dauid persuasore ad non occidendum Nabal, alioquin occidisset?* Iam infrà respondet: *Apparet hìc ex verbis suis, scilicet, quis extendet manum suam in Christum Domini?* Nabal erat priuatus, Saul regia dignitate celsus: ergo vt benè politicus Saulem sustinuit, rusticum punire decreuit. Itaque si cum priuato coram judice disceptet dignitate, aut potentia celsus, non est ad sententiam proferendam persona attendenda, sed causa. Hoc tamen non impedit, vt aliis in casibus magnates plus suspiciantur, & patientiùs tolerentur: nam si gradus, dignitatesque confundantur, nihil erit ipsa æquitate inæqualius, & bonæ politicæ durius. Nabuchodonosor delinquit, & tamen exilio mulctatur: *Eicient te ab hominibus.* Acham delinquit, & lapidibus obruitur: *Lapidauit eum omnis Israel.* Cúmque cœlestibus decretis vtraque pœna fuerit inflicta, & apud Deum nulla sit personarum differentia, inquirendum est, cur Nabucho patiatur solùm exilium, & Acham durum adeò subeat tormentum? An quia satis fuit Nabucho dignitate mulctari, cùm ambitiosis nullum adeò graue supplicium, ac dignitatis infulis, ac potestate interdici? An quia Deus, vt se sui esse juris ostendat, aliis pœnitentiæ impendit misericorditer tempora, aliis merita seuerè infligit supplicia? Profectò Deus, cùm agit judicem, nullam acceptat personam, sed æquitatem illæsam seruat; verùm aliter se aliquando cum proceribus, aliter cum priuatis gerit, vt prudentem politiam edoceat, & mores instruat. *E terra* (inquit Theodoretus *orat. 4. in Dn.*) *expellitur: vox itaque de cœlo venit.* Vtraque vox è cœlo venit, & quæ alium vinculis illigari, & quæ alium ardentibus flammis vri præcepit, sed licet pro criminum merito decreuerit vtrique pœnam, ipsa pœna vtilem exhibuit nobis doctrinam, scilicet excelsos deceriùs corripiendos, & priuatos non tanta veneratione tractandos.

Sup c. 25. v. 13.

Dan. 4. v. 22. Iosue 7. v. 25.

TEXTVS.

VERS. X. & XI. Et dixit Dauid: Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut in prælium descendens perierit, propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini: nunc igitur tolle hastam, quæ est apud caput eius, & scyphum aquæ, & abeamus.

§. XIII.

Oportet constantiam contra aduersitates studiosiùs munire, & ne inuitante occasione vacillarit, cautè firmare.

FOrtunæ mutationem sustine (aiebat Euripides in Hypsipil.) *Nauiga secundum fortunam.* Maria tranare nauigandum est, siuè fauonius vela impleat, siuè acris aquilo cursui obstacula opponat: non est tempestati cedendum, immò virilius tunc remigandum. Duri labores hominis ostendunt constantiam, & constantia parit gloriam. Imperiti est quouis vento abduci, & à recta via deflecti; verùm nullus prudens sua adeò fidere debet constantia, vt ad firmandam opportuna non asciscat auxilia, & cautelæ solicitet munimenta. Dauid variis à Saule dolis impetitus, molestiis multiplicibus diuexatus, à constantiæ tenore non potuit abduci, nec laboribus diris frangi. Abisai persuasionibus restitit, occasiones vindictæ illusit, & contra reflantes ventos nauigauit: verùm etsi inuictam adeò expertus fuerit constantiam, prudentissimam adjecit, ne vacillarit, cautelam; *Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut in prælium descendens perierit: propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* Otiosum videbatur juramentum, quando toties impetitus pepercit, & toties opportunitate impellente abstinuit? cur ergo juret? Quia cùm viderit quotidiè Saulem nouis machinis eum insectari, veritus est, ne aliquando defatigaretur patientia, & ad perferendas injurias vacillaret constantia: ergo ab emisso sacramento quæsiuit nouum subsidium, & constantiæ tentinaculum. Notauit Abulensis *quæstione decimaoctaua. Cùm nunc nouiter se obligaret per iuramentum, esset firmior in proposito, & magis caueret,* ne

Occasio. Virtus.

ne ageret contra hoc. Prudens constantiam juramento muniit, & patientiam obfirmauit, factis suis nos edocens, cùm plura emergunt, quæ euertere possint constantiam, & dilassare patientiam, quærenda studiosiùs securiora profugia, & tutiora munimenta. Cùm Iob ab amicis asperis verbis affligeretur, sacramento se obstrinxit, ne justificationem, quam tenere multis argumentis jam ostenderat, abjuraret:

Iob. 27. v. 2. *Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum, & omnipotens, qui ad amaritudinẽ adduxit animam meam: iustificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram.* Ad sacramentum confugit, quia se validiùs impeti sensit. Prodest Gregorius *lib. 18. Moral. cap. 3. Aperta infidelium peruicacia premitur, & persecutionis amaritudine perturbatur.* Vt sensit infidelium peruicacia posse obturbari, & immetatæ timuit afflictionis mole premi, juramento diù retentam confirmauit tolerantiam, & studiosiùs proposuit colere constantem patientiam.

TEXTVS.

VERS. XII. Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt, & non erat quisquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos.

§. XIV.

Aliquando talia solent contingere, quæ à Deo immissum Reipublicæ administris somnum videantur ostendere.

Psal. 75. v. 7. *Administri.* AB increpatione tua Deus Iacob (aiebat Psaltes) *dormitauerunt, qui ascenderunt equos.* Quis crederet equi rectorem habenas manu otiosè ferre, & oculos somno tradere, quin vitare curet scandala, nec sole candente manifesta agnoscere præcipitia. Non est dormitare manifestum miraculum, sed nec dubium cœlestis indignationis indicium, si planis occurrentibus viis equi sessor dormiat, & votis contrariam adeat: quàm facile esset initio, dum equus tantisper deuiabat, ad viam reducere vtque pareret fræno, cogere. Quàm est posteà difficultatibus implicatum ad rectam semitam reducere, & erroribus liberare. Euthymius hac metaphora, ait vti sacram scripturam ad ostendendum, Reipublicæ gubernatores in scelerum pœnam consilij prudentia mulctatos, & veluti dormitantibus oculis à fine distantissimas vias ingressos: *Per increpationem Dei sententiam intelligit aduersus inimicos, & per dormitationem virium remissionem.* Vt se Deus de peccatoribus vlciscatur, vt eorum vigor prorsus eneruetur, habenas gerentibus somnum immittit, vt dormientes rectam viam non agnoscant, & prudentiæ omninò contrariam eligant. Quis crederet Saulem, eiusque ministros ea securitate oculos somno immersisse, vt nec excubias agerent, nec armatam hostibus stationem opponerent. Quis crederet potuisse Dauidem hastam, & scyphum auferre, nec sentiri? Profectò hæc manifestè ostendebant Saulem, suosque insolito sopore illigari, & prudentiam præpediri: *Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt.* Si dispositæ fuissent excubiæ, si designati, qui solicitis vigiliis hostiles conatus præsentirent, & cæteris denuntiarent, nec inimicus impunè tulisset hastam, nec vndam. Verùm non leges in Textu, quid contra hostem prudenter prouisum, nec cautè dispositum: *Non erat quisquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos.* Eis Deus immisit somnum, vt dum nullus prouidet, nullus communi saluti attendit, nullus inuigilat, hostis audeat, & quidquid libuerit, impunè liceat: *sopor Domini irruerat super eos* (inquit Hugo) *id est, immissus à Domino præter naturalem somnum.* Militiæ, prudentiæque leges supergressus est ille somnus; nam cùm Deus aliquam decernit Rempublicam affligere, aut deuastare, disponit, vt, qui eam administrant, profundo adeò lethargo dormiant, vt nec imminentia mala præuideant, nec, quod expediret, prouidenter disponant: ergo jam Saulis regno miseranda imminebat ruina, cùm somno grauati nil prudentiæ consonum decernerent, nil cautum conatibus aduersariorum opponerent.

§. XV.

Dum plus delitiis incumbitur, minus salus publica procuratur.

DElitiæ animos eneruant, effœminant vires, & dum nimiæ corporis indulgentiæ tempus impenditur, quod saluti publicæ impendendum erat, amittitur. *Reſpublica. Delitiæ.* *Quemadmodum* (aiebat Seneca *epist. 51.*) *inter tortores habitare nolim, sic nec inter popinas quidem.* Adnectit: *Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus.* Non minus popinarum voluptates nocere sibi putauit, ac tortores; nam etsi differat modus, est idem effectus: tortor sæuè, voluptas blandè, sed vterque vires abscindit. Si eos contingat, quibus publica salus commissa, palato indulgere, delitiis circumfundi, quotidiè aliquid, quo luxuria crescat, meditari, crede Rempublicam pessumdari, & in præceps ferri. *Si quis sibi proposuerit, quantum operis aggressus sit* (verba sunt dati Stoici) *sciet nihil delicatè, nihil molliter esse faciendum.* Si consularis, si Reipublicæ Prætor quantum operis aggressus fuerit, percalleat, nec delitiis, nec blandimentis indulgebit, & si indulget, nescit. In Martiali campo dormit Saul, & ita dormit, vt hosti impunè licuerit hastam, scyphumque aqua rosacea plenum auferre, & abire: *Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul.* Lancea inuerso mucrone terra erat fixa, quia ad caput scyphus aquæ. In scypho testatur Lira fuisse aquam rosaceam ad æstum temperandum, & aërem ea fragrantia perfundendum: *Erat aqua rosacea ad refrigerium caloris.* Non erat ea aqua ad ardorem sitis sedandum, sed ad oblectamentum fouendum: ergo hostis potuit, quidquid libuit, auferre, & tentorium regium dispoliare. Circa populi salutem, circa reprimendum hostem Saul

dormiebat, quia circa corporis delitias nimium vigilabat. Quid martio certamini cum corporis oblectamentis, quando strenuus miles ex confragoso venit induratus, & omni imbonitati assuetus? Elias ille magnus ira pietatis adjutrice vocem emisit, qua nubilus castra injecit. Campi humore viduati tribulis horrescebant, animalia fame diuexata peribant, homines, etsi dignè, seuerè vapulabant. Ipse verò Elias crystallinis fruebatur vndis, & coruorum ministerio conditis cibis. Quid tunc? Deus hominum miseratus, vt Prophetæ communi jam saluti prouidere suadeat, viam init doctrinæ plenam: coruis jubet ministerio abstinere, & Prophetæ locum demutare: *Vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* Hanc 3. Reg. 17. v. 9. transmigrationem jussisse Deum, vt Propheta communi saluti attenderet, tradit Basilius Seleucensis *orat.* 11. *Vt Deus Eliam vidit inexorabilem, coruos ministerio iubet abstinere.* Sed quid interest corui ministerio abstineat, si Deus in viduæ domo sustentat? O amabo te, expende, voluisse Deum historiæ penicillo politicem edocere, & quod contingere solet, ad nostram eruditionem exprimere. Propheta apud torrentem pellucidis, ac puris laticibus vtitur, opiparis eduliis cibatur: ergo dum licet laudabiliter, pollucibili mensæ indulget, generalitatis commodis non attendet; locum demutet, & qui apud torrentem saporatis delitiis fruebatur, apud viduam angusto pane, & exigua aqua sustentetur, sicque cæterorum miserebitur, & Reipublicæ facies mutabitur. Non vtebatur Elias delitiis à se excogitatis, sed à Deo zelum remunerante ministerio coruorum missis: verùm Deus, vt quam, si delitiis vacarint ministri, curas erga publicam vtilitatem remittant, ostenderet, ministrum suum delitiis jussit abstinere, quò communi saluti, quod & accidit, quiret inuigilare. Dum pane paruulo semel cibatur, multum ei temporis supereſt ad mortuum exsuscitandum, & ad Deum precibus ad commiserationem flectendum. Cùm Elias mane, vespereque opipara mensa vtebatur, minus temporis suppetebat, & Respublica disperibat.

§. XVI.

Eisdem artibus, quibus adnisa est obscurare malitia, splendidior solicitat lucere innocentia.

Innocentia. Malitia.

VEritas *sol animæ* vocatur à Clemente Alexandrino in Adhortat. ad gentes. Conglobatæ aliquando nebulæ, terrestresque vapores eius adnituntur lucem obtenebrare, aut saltem intuentium oculos impedire; verùm eius candor depulsis caliginibus micat gratior, & floret lucidior. Veritas inuictæ naturæ est, dolosis sæpè machinamentis impetitur, & mendaciis coloratis tantisper oppugnatur; sed tandem exultat, & gaudet, & triumphat, immò ipsa instrumenta, quæ contra innocentiam, veritatemque videbantur pugnare, ad augustius eius elogium solitant deseruire. Saul sæpesæpiùs vitæ suæ Dauidem insidiari mentitus est, vtque in regiæ majestatis reum semel, & iterum immisit hastam, nec deerant, qui Regi adulati, vel falsa opinione innixi non benè de Dauidis fidelitate sentirent. Verùm Deus innocentiæ, veritatisque vindex opportunitatem modò Dauidi obtulit, vt in argumentum inuiolentæ reuerentiæ à regio tentorio hastam auferret, & scyphum: *Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul.* Et cur ex regio ornatu, aut ex tentorij angusta supellectili aliud non abstulit, quandoquidem non minus indubium argumentum, veritatisque esset testimonium? Quia hasta (inquit Abulensis *quæstione decima tertia,*) immissa fuerat, vt infidelitatis supplicium: ergo oportebat instrumento ipso, quod fallacem firmauerat suspicionem, manifestam suffulciti veritatem, & ipso detrimento procudi certissimum testimonium. *Dauid descendit in castra Saulis ad probandum innocentiam suam, vt indè acciperet aliquid in signum, per quod ostenderetur, quòd ipse habuit Saulem in potestate sua, & noluit illum occidere.* Adnectit: *Illa lancea erat, quam semper Rex gerebat in manu.* Eadem hasta, quæ contra Dauidis opinionem militarat immissa, eius fidelitati promulgandæ deseruiuit sublata, vt indè peteretur veritati testimonium, vndè falsitati quærebatur subsidium. Vt omnia cœlesti sunt dispositione ordinata, crucifixi innocentiam voluit clamorosis saxorum vocibus prodi, & rupeis linguis declarari: *Petræ scissæ sunt.* Et quid opus erat rupeas linguas attestari crucifixi innocentiam, Matth. 27. v. 51. quando sol insolito lucis deliquio, terra horribili concussione, aer oppansis tenebrarum voluminibus æmulorum contestabantur iniudiam? Cùm petræ (inquit Theophilactus) *in Christum Dominum ab æmulis prehensæ* attestarentur non deitate præditum, sed blasphemia temeratum: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Oportuit lapides, qui ad speciem contra veritatem pugnarent, vtque blasphemus haberetur Christus, inuidentibus tulerant suffragium, & errori subsidium, veritati scissos indubium reddere testimonium, & Dei filium non blasphemum saxeis linguis emugare crucifixum. *Petræ* (inquit Theophilactus ad Matth. 27.) *hoc est, lapidea gentilium corda diuisa sunt, & susceperunt semen veritatis.* Iam firma pro veritate stabant corda, quia veritatem promebant saxa: quas veritatis hostes prehenderant in blasphemiæ argumentum, multiplicatis scissione linguis indubium tulerunt petræ veritati testimonium, & ab æmulis procurata falsitatis argumenta transirent in veritatis suffragia: ergo ablata lancea suspicionis mendacium prodat, & ad fulciendam veritatem deseruiat.

§. XVII.

Ita adhibenda est medela, vt medendus nulla feriatur injuria.

BOnus superior errantium morbos ita studebit curare, vt nulla injuria videantur inferi; nam si æger fœda cicatrice fugilletur, minus gaudebit de salute, quàm exasperetur de fœditate. *Medicinam* (aiebat Tertullianus *lib. de anima capite 2.*) *inspexi sororem Philosophiæ.* Philosophia rationis illigat argumentis, non contumeliosis exasperat probris, & peritus medicus

Cornelius

medicus ægritudinis abolere procurat signa, ne, qui recepit salutem, justa medentem quierit pulsare querela. Dauid veræ Philosophiæ sectator, & cœlestis medici personam gerens Saulis pernicaciam emolliuit, ea tamen arte, vt ad viam veritatis adductus, nulla sordesceret macula denigratus: *Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul.* Non præcidit chlamydis oram, quia semel erasse satis. Quærit Abulensis, cur hastam tulerit, non vestes præciderit? respondetque si vestis præcideretur, aliquod Sauli dedecus proueniturum, noluisseque Dauidem flectere contumaciam, incutiendo decori notam. Ipsum audi *quæstione decima tertia.* [Priùs Dauid amputauit partem chlamydis Saulis, quia non poterat ibi habere aliud signum; ideò necessitate coactus illud egit, quamquam esset dedecus Regis: nunc autem quia habebat alia signa sufficientia, noluit aliquid de vestibus scindere.] Tenebatur Dauid in re adeò graui innocentiam suam tueri, & quibat sine Saulis dedecore eius duritiam edomare: ergo ita se gessit, vt Saul nec incurreret obscuram notam, nec foueret peruicaciam. Iustæ defensionis normam præscripsit, & Saulis honorem illæsum prouidenter asseruauit. Quia non solùm inculpatæ defensionis custodire oportebat formam, sed superioribus etiam exhibere correctionis prudentem regulam, vestem hîc non præcidit, vt omnem dedecoris vitaret speciem, & tulit hastam, vt ægroto redderet sanitatem. Prudenti superiori, vt docto medico, honestæ cicatricis cura adhibenda est; nam sæpè viuidius inflammat animum ad impatientiam amissa fama, si adhibita ad sanitatem correctionis obscurarit medela. Elias ardenti religionis zelo legem siccitatis indixit: verùm Deus hominum calamitatis misertus, aggressus est Prophetam mitigare, & ad lenitatem flectere. In
3. Reg. 17. v. 9. Sareptam jubet profectionem: *Vade in Sarepta Sidoniorum.* Poterat legem ab Elia latam derogare, pluuiasque immittere; hoc tamen aliquale ad speciem esset Eliæ dedecus, quia videretur nimis rigidus, & imprudenti zeli ardore inflammatus. Ergo Deus viam prudentia plenam iniuit, & ita Eliam ad lenitatem traxit, vt in eius dedecus nec leuem aditum suspicioni reliquerit. Ingeniosè Basilius Seleucensis *Orat.* 11. *Noluit serui amantis edictionem soluere, sed Iudæorum animaduersionem ita miseratus est, vt ab Elia iniuriam abstineret, viam prudentiæ plenam cum Prophetæ iniuit.* Demutet locum, vt angusto cibo altus, & demortui pueri misertus ad pietatem flectatur, vt nullus possit suspicari rigiditate deliquisse, & nimio zelo peccasse. Factis edocuit superiores Deus, ita subjectos ad perfectiora dirigere, vt, si fieri possit, nulla suspicionis audacia contigerit denigrari. Corrigatur subditus, sed prudenti adeò industria, vt queri nequeat de honoris detrimento, opinionisvè præjudicio. Dauid à vestium modò scissura abstinuit, quia, si quid præcideret, Sauli dedecus resultaret: *Esset dedecus Regis.*

TEXTVS.

VERS. XIII. & XIV. Cúmque transiisset Dauid ex aduerso, & stetisset in vertice montis de longè, & esset grande interuallum inter eos, clamauit Dauid ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondebis Abner? Et respondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, & inquietas Regem.

§. XVIII.

Qui alienos defectus corrigit, sibi persecutionem asciscit.

Correctio.

QVi corporis curat vulnera, cumulata solet recipere præmia. Ægrotus cauterio adustus mugit, sed ob ipsum mugitum gratias jam sanus medenti agit. *Vlulans* (aiebat Tertullianus ad Gnosticos *cap.* 5.) *denique ille, & gemens, & mugiens inter manus medici postmodum eadem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit.* Itaque medicus, etsi cauterio, scalpello, amarissimisque pharmacis ægrotum vexet, eius ingratiam non veretur, quia sanitatis desiderio auxiliatur: spiritualibus verò medicis contrarium accidit, quia contrarium ægrotis etiam contingit: vitæ eos peccata delectant, & nihil aliud studiosius, quàm hos animæ morbos fouere desiderant: ergo cæco odio prosequuntur medicum, quia exambiunt morbum. Ob id, cùm proposuisset Dauid Abnerum, populumque de inertia arguere, & validis clamoribus ad excubias debitas excitare, sibi prouidit, & cacumina montis elegit: *Cúmque traxisset Dauid ex aduerso, & stetisset in vertice montis de longè, & esset grande interuallum inter eos, clamauit Dauid ad populum.* Inquires, cur toties replicet Scriptura è vertice clamasse, magna interualla quæsisse. Vt salubri clamore dormientes excitaret, & periculum admoneret? Nonne è propinquo vox excitabit validior, & referiet aures fortior? Ita profectò; sed exciti, etsi magnum acceperint beneficium, iracundia contra Dauidem inardescent: quia somni exambiebant oblectamentum, somnum arbitrabantur salutem, eoque carere, sibi molestam infirmitatem: ergo opus fuit ad tuta confugere, ne expergefacti contra clamantem furerent, & implacabili odio insanirent. Priùs Dauidi quærendum fuit tutum contra persecutores profugium, quàm clamando malè dulcem auerteret somnum. *Clamauit* (inquit Lira) *cùm iam esset sic elongatus, & in tuto loco positus, quòd viri Saul non possent capere eum.* Quo clariùs conuincebantur, irritabantur ardentiùs, & dum nulla obtegere excusatione quibant erratum, ferocius in admonentem nutrirent odium: ergo quærendum fuit munitum castrum, & prouidendum contra persecutiones subsidium. *Sicut turris Dauid collum tuum* (aiebat sponsus) *quæ ædificata est cum propugnaculis.* Sponsæ collum Dauidis turrim admonet imitari, & propugna-
Cant. 4. v. 4.

culis communiri. Hanc turrim expulso Iebusæo Dauidem ædificasse ad hostium non solùm repellendos adsultus, sed præuidendos etiam conatus, testatur Nyssenus serm. 7. in Cant. *Vt inimicorum insultibus non facilè amplius posset inuadi.* Itaque contra hostiles inuasiones, & aduersatiorum adsultus turrim erexit propugnaculis, & scutis munitam, contraque immittenda iacula armatam: ergo sponsæ collum multiplices sibi clypeos assumat, quibus imbrem iaculorum repellat. Iam si vis ab ipso Nysseno scire, qui in collo fuerit adumbratum, audi: *Tale collum erat Paulus, qui portauit quidem nomen Domini, factus Domino vas electionis.* Paulus idolorum figmenta euertebat, luce veritatis confusas errorum tenebras propulsabat, varijs abductos erroribus ad arctam veritatis semitam reducebat: ergo opus ei erat turris fortitudinem induere, & multiplicibus clypeis contra iacula persecutorum armari. Nam qui expellere aditur Iebusæum, sustinebit sibi aduersarium. Magna erant necessaria interualla, si Dauid depellere nitebatur illudentia hominibus somnia.

§. XIX.

In moralibus melius vox admonentis percipitur, si distare à prauitate cognoscitur.

Correctio. NIhil præstabilius homini est, quàm ab errore hominem liberare, & varijs difficultatibus irretitum ad veritatem reducere: oportet tamen in admonente eos mores conspici, vt nihil possit ab admonitis obiectari. *Mores alienos corrigat* (aiebat Cassiodorus 6. *variar.* 5.) *& suos debita integritate custodiat.* Si aut animi desit firmitas, aut morum cum admonitis esse videatur conformitas, admonentis vox erit cassa, quamuis exertis clamoribus aures feriat, & recta diligi, peruersa contemni edoceat. Ad hanc nos Dauid suis factis ducit philosophiam, & admonitoribus tradit regulam. Vt ab inerti, periculosoque somno Saulem, Abnerum, & populum excitaret, è montis culmine magnis interiacentibus interuallis clamare disposuit: *Cum transisset Dauid ex aduerso, & stetisset in vertice montis de longè, & esset grande interuallum inter eos, clamauit Dauid ad populum.* Profectò à prudentia aberrare videatur, si velit audiri, quandoquidem vocem distantia constat debilitari. Quo quis proximior, facilius auditur, quo distantior, ægriùs: ergo Dauid, dum eligit magnam adeò distantiam, impediet vocis energiam. Arcanis factis nos Psaltes erudiuit, & ad vitia corrigenda magno ab eis incertallo distare oportere edocuit. Ascendat virtutum culmina, honesta eum morum à corrigendo elonget distantia, qui desiderat audiri, & inertem somnum depellere. Innuit aliquomodò Irenæus in Glossa: *Sapientia instruebat gentes, & omnia secundum consilium sancti spiritus faciebat, & placebat Deo.* Cur non audirent admonentem, quando videbant tot iniurias beneficijs vlcisci, & ab inimico periculum propulsare? Ipsa morum distantia attentionem conciliabat, & ad excipiendam gratè vocem aures animi disponebat. Etsi Petro ob celebrandam illam Christi Domini confessionem Ecclesiæ regimen sit promissum ad mare Tyberiadis inuenio traditum: *Pasce agnos meos.* Et cur gregis cura traditur, & eius audiendam vocem à gregibus non ambigitur? Iam Textus explicuit. Strictè se cinxit, & commune illud Domini præceptum: *Afferte de piscibus,* cæteris auidius impleuit: *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete*: Ergo dum agnoscitur studiosius præ alijs Dominica adimplere præcepta, eius à rudibus etiam agnis audientur monita. *Eodem ardore* (inquit Beda in Catena) *quo multa alia fecerat, venit ad Iesum.* Consonat Alcuinus: *Simon obediens.* Vbi ipso nomine testabatur expromptam præceptis Dominicis obedientiam, voci admonenti indidit energiam. Chrysologus in cingulo agnoscit martyrium. *Misit se in mare* (inquit serm. 78.) *vt esset primus in reditu, qui acceperat in ordine principatum, & tunica se præcinxit, qui præcingendus erat martyrij passione.* Non possunt oues non audire sibilum, dum Petrum agnoscunt primum in reditu; en sibi martyrium anticipans, cingulique stricti cruciatu se ipsum mactans ab omnibus auditur, & lex impletur. Ioan. 21. v. 16.

§. XX.

Minus seduli sunt aliquando ministri in obligatione adimplenda, quàm in notitia erroris vitanda.

MVnus pro communi salute iniunctum sum. Cuius. ma debet studiositate compleri, & vigili Nicolaus. solicitudine commendari, quando fas non est consularis dignitatis honore frui, & ipso nomine fugillari. *Quàm miserum est* (aiebat Cassiodorus 3. *var.* 31.) *vt vndè famam prouidentia alij susceperunt, nos opinionem negligentiæ incurrisse videamur.* Turpe satis est iudicem leges labefactare, & fabricas operosis delinquendo construere. Vnius ambitioso desiderio generalis debet vtilitas anteferri, nec aurum in generalitatis commodum expendendum, est operosis substructionibus applicandum. Mœnia ad hostiles repellendos adsultus constructa, subitractis redditibus, ruinosis lugent scissuris labefactata, quia tributa in aliquorum manibus sumpt rent captiosis fraudibus imminuta. Quod si quis bono zelo ad Principem conetur deferre, periculo exponitur, quasi moliatur Rempublicam imquietare. Abner militiæ Princeps, cùm salutis publicæ, & regij corporis fidam suscepisset tutelam, somno oculos tradidit, & vigiles excubias neglexit, cumque Dauid Regis exercitu liberoque somnum clamore depelleret, sollicitiusque sibi, suisque prouidendum, affirmaret, ab Abnero carpitur, & turbator quietis dicitur: *Quis es tu, qui clamas, & inquietas Regem?* Abner somno indulgebat, & ne ad Regem peruenirent somni notitia, solicitè procurabat. Totus fuit in admonente fugillando, non in munere implendo: qui Regis, & populi consulebat saluti, arguebatur vt quietis perturbator, & tranquillitatis euersor. Prodest noster Sanctius: *Cùm Abner nomen illius, cuius accusabatur voce, audire studeret, & quòd dormienti Regi obtemperet, increparet, respondit Dauid.* Consonat Abulensis *quæst.* 18. *Quasi dicat: Quis es tu tantæ audaciæ, qui audeas clamare dormiente Rege, & inquietare eum. Quasi dicat: Satis fatuus videris.* Itaque clamor ille salubris dicebatur fatuitas, & solùm posse ab ignorante, & au

& audaci tentari, vt Rex excuteret somnum; & agnosceret periculum. Cùm Ioseph ad patrem semel detulisset fratres se non rectè gerere, sed tempus pascendis gregibus deputatum voluptatibus indignis insumere, non rectis oculis aspiciebant: *Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Fratres iterum adijt, vt an muneri satisfacerent, oculis inspiceret, patrique referret: verùm fratres prodi eorum studia non ferentes, vendiderunt, vt longè abductus patri nil renuntiaret veridicus: hædi sanguine mendacium colorarunt, & carnibus conuiuium instruxerunt. Itaque gregem non curabant pascere, sed occidere, & curabant ne ad Iacob quis posset deferre: *Vendiderunt eum Ismaelitis.* Ioseph venditur, & quam patri deferebat, notitia venditione iniqua impeditur. Non induxerunt animum, vt se corrigerent, sed totum applicuerunt studium, vt virtutis causam agentem venderent: *Hoc Iosephi certaminum* (aiebat Basilius Seleucienſis *orat.* 8.) *caput est.* Detulisse scilicet ad patrem fratres plus voluptatibus, quàm curandis gregibus studere. Iosepho diuendito, & impedita patris notitia, erga greges insolenti vtebantur licentia.

Gen. 37. v. 2.

TEXTVS.

VERS. XV. Et ait Dauid ad Abner: Nunquid non vir tu es? & quis alius similis tui in Israel? Quare ergo non custodisti Dominum tuum Regem? Ingressus est enim vnus de turba, vt interficeret Regem Dominum tuum.

§. XXI.

In communi etiam omnium culpa reprehensibilior est, qui maiori dignitatis emicat excellentia.

Superior. Culpa.

APud sæculum dignitate præcellens sui iuris esse videtur, & quamuis communi teneatur reatu, patrocinio dignitatis excipitur. *Inspice, & disce* (aiebat Seneca *Epist.* 115.) *sub ista tenui membrana dignitatis quantum mali lateat*: Licet sciamus quale sit, quod absconditur, oculis nostris imponimus, & dignitatibus, aut diuitijs fulgentes demiramur. Speciosa dignitatis membrana, & aurea diuitiarum bractea multum mali abscondit, quia absconditum, & inultum: apud Deum tamen æquitatis vindicem delinquentis dignitas non solùm peccatum non celat, sed grauat, quando qui plus accepit, virtutem plus colere, & dignis cogitur moribus exornare. Omni populo dormiente Dauid Abnerum specialiter carpit, & oculos somno tradidisse acriter reprehendit: *Nunquid non vir tu es? & quis alius similis tui in Israel? Quare ergo non custodisti Dominum tuum Regem?* Si omnes, nullo excepto, huic crimini inueniuntur obnoxij, cur non omnes reprehensi? Quia ea in generalitate (inquit Abulensis) quid erat speciale in Abnero reprehensione dignum; nam cùm esset militiæ Princeps, & dignitate præcellens, strictius tenebatur munus implere, & indefessis oculis vigilare. Populari, communique errore infici, qui ob munus vigilantia, virtuteque tenebatur populum antecellere, duriorem exigebat censuram, & extorquebat grauiorem pœnam: *Increpuit Dauid Abner* (ait *quæst.* 18.) *potius quàm cæteros, quia ipse erat minister principalis Regis, scilicet quia erat Princeps militiæ.* Eodem se modo erga Regem gerere, quando magnis honoribus à reliquis compertum erat distare, acrius debuit reprehendi, & duriori pœna puniri: ergo Dauid Dei personam repræsentans, duriùs carpsit Principem, quia etsi apud sæculum dignitas culpas abscondat, apud Deum magis aggrauat, & condemnat. Balthasar, eiusque proceres conniuio opulentissimo insaniunt; generoso vino ratio immersa sic omnia confundit, vt magni figmenta habeat, & nec inter ipsa figmenta qualitates distinguat: *Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, ferreos, ligneosque, & lapideos.* Quàm approximabat occasui illa Respublica, cùm easdem laudes apud optimates inueniret idolum ferreum, & aureum; quando elogia impendebantur pro arbitrio laudantis, non pro merito accipientis. Quid tunc? Cælestis manus contra Balthasarem sententiam exarat, & vita mulctat: *Rex aspiciebat articulos manus scribentis.* Et cur in communi culpa specialis fulminetur contra Regem sententia? Quia etsi commune esset delictum, ipsa dignitas Balthasaris exaggerabat peccatum. *Digitorum scribentium species* (inquit Theodoretus *orat.* 5.) *ita perterruit eum, qui maximum administrabat regnum.* Qui magnum ritè administrandum susceperat regnum, præ reliquis acerbum tulit supplicium. Adulatores repetitis acclamationibus dilaudabant Regis insaniam, sed cœlestis manus duram exarabat sententiam; nam in generali delicto plus videntur delinquere; qui præ reliquis constat dignitatis culminibus eminere.

Dan. 5. v. 4.

TEXTVS.

VERS. XVI. Non est bonum hoc, quod fecisti: viuit Dominus quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis Dominum vestrum Christum Domini. Nunc ergo vide vbi sit hasta Regis, & vbi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput eius.

§. XXII.

Qui improbitatis suæ vult auxiliatores sortiri, eorum errata tenetur dissimulare.

Correctio. Dissimulatio.

NI superior amarit, quod expedit, ad corrigendos alios erit elinguis, quia correctioni substrahitur efficacia, quoties in corrigente similis agnoscitur culpa. Verùm etsi hoc generaliter sit verum, tunc præcipuè, cùm delinquentis ad delicta auxilio vtitur, qui eum corrigere tenebatur; tunc enim aut prodendi, quo ipse inficitur, erroris timor, aut repetendi criminis amor vocem penitus eripit, & dissimulare suadet. Sic de Clodio Seneca *Epist.* 97. *Adulterij reus adulteria diuisit.* Subdit post aliqua: *Impunè tulit ante iudicium adulter, in iudicio leno.* Non ignorabant iudices Clodij crimina, sed quia eius, vtpotè lenonis, ope indigebant ad adulteria, muneri vim intulerunt, & aperta

delicta diſſimularunt. Non eſt, quòd antiquis temporibus vitia adſcribamus: idem modò accidit, quia vitia non temporum ſunt, ſed hominum. Si hera auxilio, opeque ancillulæ vtatur ad voluptates concinnandas, errantem non audet carpere, ſed cogitur diſſimulanter tacere. Abnerum, reliquoſque ab officio deficientes morte eſſe dignos teſtatur Dauid: *Viuit Dominus, quoniam filij mortis eſtis vos, qui non cuſtodiſtis Dominum veſtrum*: Saul expergefactus agnouit haſtam, ſcyphumque ſibi ablata dormientium culpa, immò vitæ incurriſſe periculum ob ſomnolentam illorum ignauiam: & tamen non inuenies toto hoc capite Saulem contra Abnerum aliquod verbum aſperum protuliſſe, aut ſummam deſidiam increpando obiectaſſe. Et cur Saul digna mulcta non caſtigarit, aut aſpera ſaltem increpatione correxerit? Iam Textus expreſſerat: *Deſcendit* (inquit) *in deſertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Iſrael, vt quæreret Dauid in deſerto Ziph.* Ad improbum explendum votum Abneri ope indigebat, aliter namque nec cæco odio poſſet adulari, nec improbæ cupiditati inſeruire: ergo tacuit, ne exaſperet, & exaſperatum amiſerit. *Iſtos viros iterum ſecum duxit* (inquit Abulenſis *quæſt.* 5.) *quando iuit ad perſequendum Dauid in deſerto Engaddi.* Horum ope vſus fuerat Dauidem perſequutus, & modò etiam vtebatur eadem, improbo deſiderio inflammatus: ergo eorum errorem diſſimulauit, & elinguis prorſus reticuit. Ni Deus ſerpentem puniuiſſet, Eua eius errorem diſſimulaſſet: *Maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ.* Cùm ſerpens hominis arbitrio ſubiectus faciem, vt placet Abulenſi hic, comeret, & cum diabolo infelices amicitias iniret, nonne fas erat linguam commodantem dæmoni carpere, & acri caſtigatione punire? Cur ergo nec diabolica loquentem lingua carpſit, nec verbum contra ſerpentem protulit? Quia etſi ſerpentis Domina, eius ope vanas aſſequi ſpes præſumpſit: Ergo diſſimulauit, & tacuit. *Vana ſpe* (aiebat Baſilius Seleucienſis *orat.* 3.) *diuinitatis ſubitò erigit.* Clarè apparebat ſerpentem diabolo inſeruire, ſed Eua ſpe diuinitatis erecta aut conſcientiam corrupit, aut ignorantiam protendit: nec enim quibat ſeruientis errores non præterire, cùm eius adminiculo ſperaret Domina deuium à ratione votum complere.

Gen. 3. v. 14.

TEXTVS.

VERS. XVII. Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit: Nunquid vox hæc tua, fili mi Dauid? Et ait Dauid: Vox mea, Domine mi Rex

§. XXIII.

Ntl paientiæ acerbius, quam ſi te alloquatur blandiſſimis verbis, qui manifeſtè duriſſimis vrget factis.

Simulatio. Amicus.

GRandi patientia opus eſt, vt quis ſe intra modeſtiæ contineat limites, cùm experitur mellitis verbis ſecum agere, à quo manifeſtè duriſſimis factis cõſtat vrgeri. Labor, ærumnaque eſt corporis moleſtia, ſtultum haberi eſt animi iniuria. Quiſquis acerbè inimicus, alloquio eſt blandus, aut cum ſtulto agere declarauit, aut nouas artes vrgendi prudentem inuenit. Mos eſt politicis altum præcordijs odium diſſidenti à pectore, lingua tegere, & comitate verborum fallere. Vndè antiqui illi, etſi ſuperſtione cæci, etſi ouis aliquando ore oracula daret, viſcera ſtudioſè rimabantur, plusque attendebant interna fibrarum præſagia, quàm externa oris prænuntia. Notauit lepidè ſatis Chryſologus *ſerm.* 5. *Occidebatur pecus, vt loqueretur ex fibris.* Itaque examinabant præcordia, ne eluderentur mellitæ elocutionis fallacia: verùm etſi frequens ſit politicis à corde verbis diſcordare, tyrannidis ſolùm ingenium eſt acerbis factis opprimere, & eodem tempore mellitis verbis prolectare. Vt vidit Saul artes ſuas eludi, nec productis in campum aciebus poſſe Dauidem capere, aliò vertit animum, verbis humanitate diffluentibus eum alloquitur, & loco filij habere mentitur: *Nunquid vox hæc tua fili mi Dauid?* Quid verbis blandius? quid productis copijs armatorum acerbius? ergo ardenti affligendi Dauidem ſtudio iniquo fœdere copulauit & aſperrima facta, & molliſſima verba. *Cognouit vocem ſuam* (inquit Abulenſis *quæſt.* 20.) *& dixit: Nunquid hæc vox tua eſt fili mi Dauid?* Voce prodit filium, armis, & manifeſto odio adurgebat tunc aduerſarium. *Molliti ſunt* (aiebat ipſe Pſaltes) *ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Acſi dicat: Inuenit Saul, quomodò me multiplicatis iaculis transfigeret, & diriùs diſcruciaret: cùm manifeſtè me anhelauit occidere, immiſit haſtam; verùm ea ſpe fruſtratus linguam iaculorum conſtituit officinam, ibi doloſè concordabant blanda verba, & ardentiſſima odia. Opportunè hic Euthymius: *Dici poſſunt hæc verba de Saule, qui Prophetæ noſtro blandè, ſed ſimulatè loquens, dicebat: Fili Dauid.* Manus aperte præpilatam contorquebat haſtam, & mentiebatur lingua beneuolentiam. Expendebat Chryſologus iniquis epulonem illum diuitem dolis Abrahami tentaſſe patientiam, gehennæ, vbi ferale ſemper gliſcit in ſanctos odium, miſerandis jam ciuis, aggreſſus eſt Lazari Abrahamum penare conſortio, & Lazarum ſæuo diſcruciare tormento. Cùmque ferale odium foueret præcordijs, eum allocutus eſt humaniſſimis verbis: *Pater Abraham miſerere mei.* Manifeſtè infernalis nitus eſt nocumentum, & patris pronuntiauit elogium, quò operta fallacia Abrahami plus defatigaretur patientia: is tamen fuit Abraham, vt à patientia non exorbitarit, & filium dixerit: *Fili recordare, quòd recepiſti bona in vita tua.* Notauit Chryſologus *ſerm.* 123. *Voca filium, vt ſua me mea patientia, & in te tua maneat pœna.* Vel in ipſamcœlitum modeſtiam acerrimum arietem armauit, dum verba mellinit, & odia eraſcunt. Dum his impetitus Abrahamus cuſtodiuit patientiæ menſuram, virtutis commendauit mirè excellentiam. Vt hinc noueris, quàm ſit non ferendum æſtuare præcordijs ardentiſſimam odij flammam, & diffluere humanitate fallaci linguam.

Pſal. 54. v. 22.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Et ait: Quam ob cauſam Dominus meus perſequitur ſeruum ſuum? quid feci, aut quod eſt malum in manu mea?

§. XXIV.

Fas est iustis suam ostentare publicitus innocentiam, & iniquam suspicionis repellere à se calumniam.

Fama. Calumnia.

CONtra iustos multiformes in hoc sæculo dolosæ obtenduntur insidiæ, & disponuntur captiosæ technæ; nouit tamen patientia silentium colere, & iniurijs ipsis gaudere. Peruersi, quia nouerunt gratis auribus excipi quidquid contra benè moratos fallax lingua protulit, & improbitas temeraria confinxit, multipliciter famam denigrare adnituntur. Detrahunt, quia non dubitant inuri indelebilem notam, aut saltem ex detractione resultare cicatricem honori fædam. Graphicè Plutarchus lib. de Adulator. &c. *Fuit Medius in Alexandri adulatorum grege princeps, & architectus coryphæus aduersus optimates instructus. Præcepit sic, vt intrepidè adorirentur, & morderent calumnijs, docens licèt morsu læsus vlcus curauerit, cicatricem tamen remansuram calumniæ.* Vt faciles sunt homines ad peiora, si quid de alio inhonestum audiant, difficilè ab ea opinione recedunt. Hinc est, quod quantumuis euidens in contrarium reluceat veritas, semper fixa manet aliqua suspicionis dubietas. Ob id virtute etiam eximij compelluntur aliquando non auiditate gloriæ, sed integritate conscientiæ manifestis argumentis calumniam expungere, & innocentiam ostendere. Expertus erat Saul Dauidis fidelitatem; verùm vt ferali blandiretur odio, proditionis eum sæpè insimulauit, & famam falsis rumoribus læsit. Quid super his Dauid? Manifestis argumentis in populi conspectu suam ostentat innocentiam, & nullam fidelitati intulisse vmbratilem etiam probat iniuriam: *Quam ob causam Dominus meus persequitur seruum suum? quid feci, aut quod est malum in manu mea?* His verbis suam deprædicasse fidelitatem, depulisseque iniquam omnem suspicionem testatur Abulensis *quæst.* 20. *Quasi dicat: satis apparet, quòd ego nihil fecerim contra te vnquam, quod autem nihil intendam agere, patet, quia jam bis habui te in manu mea, & potuissem occidere, si voluissem.* Non solùm erga externa opera omnem calumniam expunxit, sed etiam ad conscientiam, innocentiæ probationem extendit; vt qui non ignorabat, si rumor, quantumuis falsus, honorem læsit, suspicacem semper malignitatem si nequeat abrodere facta, conscientiæ sugillare studia. Ergo Dauid repetitis, claris, indubijs argumentis ostendit nunquam contra reuerentiam Sauli debitam deliquisse aut externa audacia, aut interiori conscientia. Vbi Laban filij priuatis inter se confabulationibus Iacobum mordebant, patienter dissimulauit: *Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus.* Verùm cùm Laban furti eum publicè accusauit, non tulit: *Cur furatus es deos meos?* Calumniatorem publicè obmutescere fecit, nec aliquam suspicionis remanere dubietatem permisit: *Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & judicent inter me, & te.* Rapinæ

Gen. 31. v. 1.

suspicionem repulit, famæque prouidit. *Callidus exactor arguitur* (inquit Hugo hic) *qui omni genere tentationum aduersus Christum se exercuit, sed quod in eo reprehenderet, non inuenit.* Iacob alias patienter iniurias tulit, modò verè exactorem callidum arguit, ne silentium vitæ integritati noceret. Christi imitatores non ambiunt euanidam gloriam, publicam tamen, falsamque à se depellere adnituntur calumniam, ne, dum silentioſi tolerant, vires suspicionibus iniquis addant.

TEXTVS.

VERS. XIX. Nunc ergo audi (oro) domine mi Rex, verba serui tui. Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium: si autem filij hominum, maledicti sunt in conspectu Domini: qui eiecerunt me hodiè vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, serui dijs alienis.

§. XXV.

Sanctorum in laboribus patientia grata Numini semper hostia.

Patientia.

PAtientia est virtutum cultus, sanctitatis ornatus, veræ philosophiæ suggestus. *Saluberrimam patientiam commodate* (aiebat Cassiodorus *variar.* 27.) *vt causis vestris ferat remedium.* Patientia aduersitatis tela retundit, tribulationum aspera lenit, insurgentes motus componit, persecutoris furorem reprimit, & ad saniorem sæpè mentem reducit: quod assequi nequiret reluctando, assequitur sustinendo. Debora, Rebeccæ est nutrix, quia dum tribulatio affligit, patientia crescit, & ipsis tolerantiæ incrementis aduersitas aut delinitur, aut moritur: *Mortua est Debora nutrix Rebeccæ.* Hunc locum in Allegor. Tilman. in hunc sensum interpretatur Stephanus: *Debora interpretatur apis, quæ duo habet, mel, & aculeum. Talis est tribulatio, quæ pungit carnem, & animum vngit: hæc est nutrix Rebeccæ, id est, patientiæ.* Adnectit: *Hæc mortua est.* Tribulatio patientiam operatur, sed ipsa patientiâ tribulatio emoritur, & extinguitur: nec solùm est tolerantia tribulationum remedium, sed odoriferum Numini sacrificium. Quod in Dauidis persecutionibus manifestè apparet: nam eximia obarmatus patientia non solùm hostem fregit, sed gratum diuinis oculis sacrificium litauit: *Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium.* Acsi dicat: Has mihi à Deo immissas tuo ministerio persecutiones patienter feram, & in sacrificium offeram. Quid tunc? Iam Saul desistit: *Saul reuersus est in locum suum,* & jam patientiæ fragrantia ascendit. Ita interpretatur Lira: *Odoretur sacrificium, id est, patientia mea in persecutione ista sit accepta coram Deo, acsi offerrem holocaustum ad altare suum.* Virtutis heroes, etsi interueniente hominum prauitate affligantur, omnia à Numinis manu prouenire fatentur, & ob ipsam tribulationem grati in sacrificium offerunt patientiam, & in gratiarum actionis

Gen. 35. v. 8.

testimo

testimonium sacrificant tolerantiam. Eadem ara collocari videbis agnum iugulatum, & Isaac vinculis patienter constrictum: *Posuit eum in altare super struem lignorum.* Et cur Isaac altaris honore fruatur, si non occiditur? Agnus iugulum cultro præbens holocausti fruatur elogio, sed Isaac vita fruens, cur holocausti nobilitandus est titulo? Profectò agnus, & Isaac hostiæ Deo acceptabiles extiterunt; Isaac, dum constringi vinculis patienter sustinet; agnus, dum ambitiosè iugulum præbet. Huc voco Anselmum ad cap. 12. Epist. ad Roman. *Hostia quippè & immolatur, & viua est. Hostia viuens est corpus pro Domino afflictum.* Quisquis pro Domino afflictus patienter tolerat, est hostia viua, quam ipsa sine sanguinis effusione Sacerdos sacrificat tolerantia: ergo sacrificium odoratur, cùm Dauidis miranda patientia offertur.

Gen. 22. v. 9.

§. XXVI.

Expromptum in Dei honorem moriendi votum jam reputatur martyrium.

Desideria.

Affectus totum hominem circumducit, & quò vult, defert: qui expromptè ob Domini honorem se morti offert, gratum Numini sacrificium libauit. Tres illi decantandi pueri in fornace placido rore fruuntur, sed constanti animi proposito jam à Tertulliano martyres nuncupantur. Sic aduers. Gnost. cap. 8. *O martyrium, & sine passione perfectum! Satis passi, satis excusti sunt.* Refuga se substraxit flamma, sed moriendi pro Deo voluntas erat exprompta. Ipso proposito resplenduerunt martyres inter flammas triumphatores. Hanc etiam veritatem testatur Dauid mortem non recusans, & sacrificium Domino gratum appellans: *Odoretur sacrificium.* Acsi dicat: Si Deus te vsus instrumento, vt mortem subeam, decernit, expromptè accepto, mori volo, & jam sacrificium odoriferum fio. Ita interpretatur Abulensis *quæst.* 20. *Præsto sum mori, & odoretur sacrificium.* Dum mori humili resignatione paratus, sui ipsius internus fuit sacrificulus, & sacrificij suauitas, exprompta conformitas. E contrà: si reluctetur affectus, parum iuuat persecutionis, & tormentorum cruciatus. Duo latrones Christi Domini collaterales non dissimili pœna cruciantur, sed in conformi corporis tormento diuerso animus discrepat voto. Alter, si Christus velit, protrahendis vsque in iudicij diem se cruciatibus lubens offert: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Alter pœnam patitur inuitus, impatientiaque blasphemat exacerbatus: ergo hic reprobis adscribitur, ille martyribus adsignatur. *Pœna, quæ inceperat in latrone* (inquit Eusebius Emissenus de beato Latrone) *consummatur in martyre.* Votum illud patiendi, desiderium illud cruciatus pro Domino tolerandi pro hostia erat, & fragrans è crucis ara fumabat holocaustum, & consummatum martyrium.

Luc. 23. v. 42.

§. XXVII.

Mali consiliarij, & ad scelera irritatores Deo odiosi, & duris pœnis addicti.

Consiliarius scandalis.

Gratis plures se iniquitatibus tradunt, & interna prauitate ad peiora ducuntur. Vt qui hydrope laborant, si alios magnos scyphos haurire videant, lætantur, & suo quodammodò ardori blandiuntur; ita nonnulli pranitatis studiositate sic inardescunt, vt alios ad peccata proritent, & alienis culpis innatæ prauitati adulentur. *Addiximus animum voluptati* (aiebat Seneca *Epist.* 110.) *cui indulgere initium omnium malorum est.* Addit post aliqua, pueros perspicua forma, cultu in modum mulierum expingi, feminas adscititio decore, & vestium floriditate exornari ad cupiditates irritandas, & iniectis igniculis flammas libidinis adangendas: *Quid hoc est aliud, quàm irritare cupiditates hominum per se incitatas.* Profectò qui oblectamento ductus delinquit, aliqualem, etsi non bonam, sortitur excusationem: qui verò alieno gaudio deseruit, & vt deseruiat, pœnitenda oblectamenta suadet, prauitatis metas excessit. Saulem satis malè in Dauidem affectum alij adiectis irritamentis incitabant, & veluti adactis calcaribus in præcipitium agebant. Quos apud Deum maledictos fore Psaltes prænuntiat: *Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium: si autem filij hominum, maledicti sunt in conspectu Domini.* Et cur ipsum Saulem maledictum non vocet, & irritatores maledictos coram Domino asserat? Nonne Saul diro eum persequitur odio, & immisso toties interimere conatus est telo? Ita sanè: verùm Saul ducebatur metu amittendi regni, quod Dauidis nece credebat stabiliendum, & confirmandum; alij verò nullo lucro, nullo emolumento illum proritabant, & etiam cuebant: ergo hi coram Deo maledicti, & grauissimis pœnis mulctandi. Audi Abulensem *quæst.* 20. *Filij hominum, id est, mali consiliarij, & accusatores maledicti sunt in conspectu Domini, id est, Deus maledicet eis, quia non est accepta Deo ista iniquitas.* Consonat noster Sanctus: *Hæc est altera causa, cur tam obstinato odio videm Saul potuerit persequutus Dauidem. Quia alij ardenti Saulis animo faces admouebant; hos autem inuisos esse dicit, & execrabiles Domino.* In præsenti maledicti sunt & timendum illis est in maledictorum numero ad extremum collocandis, quia hoc culpæ genus Deo odiosum, & ipsi humanæ naturæ aduersum. Lego Simeon, & Leui fidem violasse, & Sichimitas interemisse, non tamen lego è paterna domo eiectos, aut propulsatos: *Hemor, & Sichem pariter necauerunt*; & video Ismaelem, Sara exigente, & Deo eius sententiam approbante, à paterna domo eiectum, & exilio mulctatum: *Eice ancillam hanc, & filium eius.* Et cur puer ludens eijcitur, homicida verò è domo non expellatur? An quia in magnis vel grauissima delicta dissimulantur, & in exiguis, & vltimis hominibus ludi ad speciem leues seuerè puniuntur? Profectò indictum à prudentissima Sara exilium grauissimum non sinit dubitari fuisse peccatum. Ecquis reatus? Vt aliquibus placet, inciuisse Isaacum ad idola fingenda, & oblectamenta sectanda

Gen. 34. v. 14.

Gen. 21. v. 10.

sectanda: ergo licèt qui vlciscendi honoris studio deliquerunt, non eiiciantur: eiiciendus fuit irritator ad peccandum, & prauis consiliis instigator ad delinquendum. Innuit Hieronymus in *quæstionibus Hebraicis*: *Dupliciter hoc exponitur, quod Idolis ludos fecerit, iuxta illud Exod. 32. Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Consonat Interlinearis: *Lubricum, & lasciuum esse docebat.* Itaque Idolis inseruire, & voluptatibus studere studebat, & consiliis pessimis irritabat: ergo ad deserta relegandus, & ex hominum consortio fuit expellendus. Videas seruos, vt magnatum filiis adulentur, delinquendi occasiones coeinnare, & repetitis instigationibus adurgere, sed profectò adulationis accipient præmium à Deo maledicti, & grauissimis pœnis obnoxij.

§. XXVIII.

Pessima plurimorum exempla, vel sæua ingenia ad se rapiunt, & ad imitationem efficaci persuasione compellunt.

Exemplum. Vitium. VItia vnius, vel alterius venena sunt, non tamen adeò efficacia, vt à ratione alios impetu auertant, & in modum torrentis trahant. Si verò delicta communi plausu culta, & assensu celebrata legis quodammodò induunt naturam, & quamuis possit, difficulter resistit animus, quia quadam violentia fertur abductus. *Tunc maximè laborant mali* (aiebat Seneca *epist.* 109.) *vbi plurium vitia miscuere, & in vnum collata nequitia est.* Si plurium malitia quasi manu facta honestatem oppugnet, infelici triumpho coronatur, & virtus acerrimo ariete impetita subruitur, vbi honesti faciem error, quia à plurimis admissus, induit, verecundia virtutis fulcrum debilitatur, immò pudet non sequi, quod communiter constat vsu approbari. *Quid aliud est vitia incendere* (verba sunt Stoici de Breuitate vitæ *cap.* 16.) *quàm auctores illis inscribere deos, & dare morbo exemplo diuinitatis excusatam licentiam.* Si magnates, & veluti Reipublicæ dij vitiis addicantur, cæteri veluti facta sibi licentia sine rubore sequuntur. Dauid queritur se quodammodò diis alienis inseruire compulsum, & à Domini hæreditate reiectum: *Eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, serui diis alienis.* Inquirendum nobis est, cur Dauid, quia à Domini hæreditate eiectus, fuerit alienis diis inseruire compulsus? Nonne poterit inter alienigenas commorari, & erroribus eorum non infici? Dicat iniustè exilio mulctari, sed non ad Idolis inseruiendum compelli. Profectò Dauid inter Ethnicos etiam virtutis, & veræ religionis fuit cultor; sic tamen est difficile, si publicè colantur delicta, plurimorum non sequi exempla, vt ad inhabitandum inter idololatras coactus, diis alienis videatur inseruire compulsus. Dauidis inconcussa fides maximè resplenduit, dum inter idololatras commoratus, & nullo eorum errore infectus: verùm, vt noueris quàm efficacia sint ad errores persuadendos communia exempla; se ad diis inseruiendum questus est quodammodò missum, & inter alienigenas habitare coactum. Notauit Lira: *Qui propter persecutionem coguntur intrare terram idololatriæ subditam, exponuntur peccato idololatriæ; eo quòd ab idololatris ad hoc de facili inclinantur, & aliquando violentia pœnæ coguntur.* Inter probos delinquere rubori est, inter improbos non delinquere. Tantum mali affert iniquorum conuictus, & à moratis recessus. Cùm Christus Dominus culpæ prorsus expers fuerit, nihilominus, vt iniquitati ora præcluderet, & omnem æmulis calumniandi occasionem auferret, inter Tyrios diu noluit commorari: *Exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilææ.* Et quid inter Tyrios diu habitare, aut citò discedere iuuet ad iniquitatis linguam occludendam, aut audaciam suspicionis incrementandam? Nonne solares radij ibi manent, vndè mittuntur? nonne inter sordidas fœces sine sorde, inter pollutas maculas sine labe? Ergo cùm Christus vera lux sit, inter Tyrios nullas contrahet maculas, inter idololatras nullas erroris vmbras. Ita profectò est, inquit Theophilactus hîc, sed cùm non solùm Dominus studuerit omni puritate resplendere, sed omnem iniquis animis suspicionis occasionem præcidere, diu inter idololatras noluit immorari, ne eius æmuli aliquem eum criminandi colorem viderentur habere. *Non moratur diu in gentilium locis* (inquit) *sed statim transit, ne daret occasionem Iudæis dicendi, quod præuaricaretur legem, gentibus se immiscens.* Si diu fuisset ibi commoratus, culpis diceretur infectus, vtque omnem calumniæ occasionem auferret, citò indè euasit, factis edocens, quàm sit arduum inter improbos inculpatè degere; & inter venenatos serpentes sine læsione habitare. Marc. 7. v. 32.

TEXTVS.

VERS. XX. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino: quia egressus est Rex Israel, vt quærat pulicem vnum, sicut persequitur perdix in montibus.

§. XXIX.

Honori ducunt magnates à malè etiam decretis non resilire, sed cœpta absoluere.

Magnates. Pertinacia. VT in sapienter decretis laudabilis est constantia; sic in malè consultis commendabilis est pœnitentia. Sapientis est mutare consilium; verùm magnates eo tumore inflantur, cœca adeò præsumptione ducuntur, vt magnitudini suæ arbitrentur detrahere, si quidquid decreuerunt, pertinaciter non nitantur absoluere. Aliquando agnoscunt, apud se statutum apertè legibus contraire, & nihilominus pudori ducunt sententiam retractare, quasi magnitudinis sit dehonestamentum pedem referre, & mediis in conatibus resilire. *Ratio* (aiebat Seneca *lib.* 1. *de ira cap.* 16.) *id iudicari vult, quod æquum est: ira æquum videri vult, quod iudicauit.* Adnectit: *Cn. Piso fuit memoria nostra vir à multis vitiis integer, sed prauus, & cui placebat pro constantia rigor.* Ambitiosa gloriæ auiditas, etiamsi se ingerat oculis veritas, tuetur errorem, & in malè cœptis honestior illi videtur pertinacia, quàm pœnitentia. Hinc est, quod Dauid postquam manifestissimis argumentis suam fidelitatem, innocentiamque comprobauit, supplex adhuc Saulem exorat, vt ab eius sanguine absti-

neat : *Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino.* Inani prorsus videatur timore concuti, cùm hasta, scyphusque ablatus euidens eius testimonium reddiderunt innocentiæ. Cur ergo vereatur inferendam necem, fundendum sanguinem? Timoris satis efficacem causam adducit : *Quia egressus est Rex Israel, vt quærat pulicem vnum.* Acsi dicat : Pro me stat verum, indubiumque felicitatis testimonium ; sed vt effundatur sanguis, contra me stat, Saulem coegisse exercitum, produxisseque in campum. Nam sicut auceps pudori duci vacuus redire, & quam venaturus in montem contenderat perdicem, non afferre ; ita Saul probro ducet ad curiam irritis votis remeare, & in mediis conatibus resilire. Ergo vereor non retractandam sententiam, sed acriori studio prosequendam pertinaciam. *Cùm prius* (inquit noster Sanctius) *se ipsum comparatione culicis extenuaret, nunc suum angorem, & metum perdicis similitudine significat.* Si magnates rationi, æquitatique cedant semel decreta retractando, auctoritati suæ arbitrantur notam inurere, & maiestatis splendorem innubilare ; vtque hanc fictitiam vitarint maculam, non demutabunt sententiam. Redeat datus iam Seneca : *Sibi indulget, ex libidine iudicat, & audire non vult, & patrocinio non relinquit locum, & ea tenet, quæ inuasit, & eripi sibi iudicium suum, etiamsi prauum est, non sinit.* Quod Stoicus de ira, eodem modo conuenit magnatum fastosæ superbiæ, ventosissimæque arrogantiæ. Humana solùm attenta politica, cùm Pilatus, vt Reipublicæ adularetur proceribus, Christum mortis reum cruce suspenderit, consequens videbatur, vt titulum aboleri permitteret, & tamen restitit, nec adduci potuit, vt quod semel scripserat, retractaret : *Quod scripsi, scripsi.* Dei prouidenti consilio id indubium est accidisse ; sed si attentè expendas, non inuenies, ne titulus inconcussus perstaret aliquam rationem opposuisse, rationem adduxisse, sed auctoritatem solùm suam obiectasse : *Quod scripsi, scripsi.* Acsi dicat : Iam semel scripsi ; & quæuis litura auctoritatis est nota : ergo quantumuis reclamet politica exarata semel, perseuerabit sententia. *Pilatus* (inquit Chrysostomus *in Caten. D. Thom.*) *in priori stetit mente.* Sic magnates semel tuentur decreta, adeò pertinaciter prosequuntur cogitata.

Ioann. 19. v. 22.

§. XXX.

Quantò augustiori iusti resplendent virtute, tantò distant ab inani præsumptione.

Virtus. Superbia.

HVmilitas nutrix virtutis est. Qui humilitate caret, solida virtute non fulget, immò ex ipsa virtute, si humilitas desit, insanabilis procedit morbus, & miserabilis casus. Vndè Bernardus 5. *de considerat.* aiebat : *Si nutet, illa virtutum aggregatio, non nisi ruina est.* Vt fabrica, ni solido, firmoque innitatur fundamento, quantò assurgit altior, tantò ruit celerior ; ita virtus, quò magnificentior, sine humilitate casui vicinior. Humilitas est virtutum lydius, per eam agnoscitur, si virtus adulterata, aut legitima. Dauid hosti pepercerat, humanitate iniurias vindicarat, elegerat patientiam, despexerat regiam coronam ; & cum tot, tantisque virturibus emicaret, se exiguum appellabat pulicem, & pauitantem perdicem : *Egressus est Rex Israel, vt quærat pulicem vnum.* Quàm verbis magnificabat persequutorem ! *Egressus est Rex Israel.* Quàm de se sentiebat demisse : *Vt quærat pulicem vnum.* Quò plus heroicis virtutibus resplendebat, eò longiùs à præsumptione distabat. *Pulicem vnum* (inquit Lira, *id est, hominem nullius momenti.* Humiliùs de se sensit, cùm maiori virtutum censu refulsit. Nec aliter Moyses, qui cùm miranda illa frueretur visione, & virga miraculorum instrueretur officina, aiebat : *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Qualis esset, & cum Deo familiariter agere, & tantum sibi munus iniungi, publicabat, & tamen dicebat : *Quis sum ego.* Se erat prorsus vacuus, quia heroica virtute plenus. *Primates Sanctorum* (inquit Basilius Seleucensis *orat.* 28.) *dignitatem aliquam supra naturam consecuti, tunc vel maximè humiliatem respiciunt. Congressa est igitur aliquando cum Deo creatura, colloquebatur, & oratio vicissim ab vtrisque sine honoris discrimine ferebatur.* Ad tantam Moyses gratiæ dignitatem euectus est, vt cum Deo colloqueretur, & vicissim alternarent verba ; sed tunc humilius se demisit, & humilitatem demissior coluit : nam virtutum primates, cum naturam virtute transcendunt, se nullatenus hominibus comparare præsumunt : Ecce Dauid non se hominem, sed pulicem vocat, cùm naturam virtutibus heroicis nobilitat.

Exod. 3. v. 11.

TEXTVS.

VERS. XXI. Et ait Saul : Peccaui, reuertere fili mi Dauid : nequaquam enim vltrà tibi malefaciam, eò quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie : apparet enim, quòd stultè egerim, & ignorauerim multa nimis.

§. XXXI.

Qui semel violauit, sibi exinceps fidem ademit.

QVi pluries mentitur, iam sibi mendacii fidem facultatem quodammodò ademit ; nam si mentitur, vt fallat, iam non fallit, quia mentitur. *Mentiens nullus* (aiebat Phocylid. apud Stobæum *cap.* 12.) *multum tempore latet.* Demetrius aiebat, hanc nos fallentes vilitatem afferre, ne scilicèt ampliùs fallant, *Interrogatus, quid mali mentientes sequeretur, dixit, quòd ne vera quidem dicentibus deinceps fides adhibeatur.* Ita datus Stobæus. Verum etsi omnes mendacium dedeceat, præcipuè viros ingenuos, Principesque de quorum verbis, ac fide dubitare esset nefas, ni fraudum experientia solicitam edocuisset cautelam, & ademisset eis honorabilem fidelitatis prærogatiuam. Saul Danidis humanitate veluti coactus resipuit, & quàm aliena ab humanitate, & prudentia secutus fuerit consilia, publicè confitetur, Dauidem, quem anteà existimauit hostem, exinceps in filij locum se habiturum seriò, testatur : *Peccaui : reuertere fili mi Dauid, nequaquam enim vltrà tibi malefaciam.* Ex animo hæc promisisse testatur Abulensis *quæst.* 24. verum Dauid promissis non fidit, sed ad tutiora celeri gressu inuolauit : *Abiit autem Dauid in viam suam.* Quærunt Interpretes, cur Dauid

Regi

Regi ad amicitiam inuitanti ; & ab antiquo errore resipiscenti fidem non præstiterit, nec repetere aulam voluerit, cùm regia data fides esset securitatis tessera, & eius conscientia nullis solicitudinibus obturbata ? Respondentque violatam semel, & iterum à Saule fidem edocuisse eius promissis non fidere, nec verbis credere. Ergo Dauid contectam latere fraudem præsumpsit, & cautus periculum declinauit. Prodest Lira : *Dauid non fuit reuersus, quia Saul alias sibi promissum non tenuerat.* Grandis Sauli ex Dauidis reditu promanaret vtilitas, militem haberet contra hostes acerrimum, & fortunatum ; virum sortiretur ad expedienda negotia prudentissimum, sed tantis se commodis interdixit, quia regiam fidem violauit. *Solum igitur certum, firmumque bonum est fides*, scribit Philo *lib. de Abrahamo.* Adnectit : *Vitæ solatium, bonæ spei supplementum, depulsiuum calamitatum, felicitatum conciliatiuum.* Qui fidem non violat, suis vtilitatibus prospicit, qui frangit, cunctis suspectus calamitatem ascisit. Quàm magnatibus Principibusque inuiolata fide opus sit, vel inter extremas angustias ostendit Baltasar. Promiserat abstrusam illam Scripturam legenti, & interpretanti purpuram. Daniel en dauit, & quàm dura Regi manerent supplicia, ostendit ; cumque Balthasar solicitis adeò premeretur angustiis, fidem datam liberare in primis studuit : *Tunc iubente Rege indutus est Daniel purpura.* Inquires, cur de impendenti periculo admonitus solùm curarit fidem liberare, & Danieli merita præmia conferre ? Nonne satius vitæ profugia quærere, & quid tunc ex vsu esset Reipublicæ & meditari, & consulere ? Cur totus est in promissis implendis, & meritis munerandis ? Quia indignum reputauit vel tantisper differre promissum, immò illæsam fidem asseruauit, arbitratus nullum posse labenti Reipublicæ validius apponi fulcrum. Opportunè Lira : *Quæritur, quare talem honorem sibi exhibuit, cùm diceret ei contraria ? Dicendum, quòd hoc fuit, ne coram hominibus mendacij argueretur, quia talem honorem promiserat legenti Scripturam.* Qui aliis vitiis denigrari non renuit, violare regalem fidem erubuit, & quàm sit Principibus inuiolata fides colenda, tantis etiam solicitudinibus obturbatus edocuit. Et quidem ni pranitatis metas transgressus, & cœlesti sententia è regno iam expunctus, inuenerat, quo regnum instauraret, & in meliorem fortunam ipse rediret, scilicèt præmiorum dilatione dignos non torquere, & inuiolata fide omnium sibi animos conciliare. Nil enim ad stabiliendam coronam validius, quàm meritum sine querela, fides sine iniuria.

Dan. 5. v. 29.

§. XXXII.

Melius corrigit, qui errorem facit agnosci, quàm qui gemitum supplicijs cogit emitti.

Correctio.

PArum iuuat seuero errantem supplicio affligere, ni ostendas erasse. Optima, & salubris correctio non est pœnam extorquere, sed ad agnitionem veritatis adducere. Vitat, qui agnoscit in via scandalum, incurrit iterum cœcus periculum. Saul, vbi agnouit erasse, & exinceps non persequi ex animo Dauidem decreuit : *Nequaquam vltra tibi malefaciam.* Et vndè firmum adeò propositum ? Iam ipse refert : *Apparet enim, Eman. de Naxera in Reg.* Tom. II. *quod stultè egerim.* Vbi modesta, efficacique ratione Saul de errore conuictus ingemuit, sine incussa plaga pœnituit. Prodest noster Sanctius : *Compunctius Saul tam modesta, & graui Dauidis oratione ab errore sit nul, ac furore resipuit.* Facilius, efficaciúsque correxit, cùm ad saniorem mentem reduxit. Qui filios, seruosque iratis vocibus, inflictis verberibus perstrepenti domo, puniunt, plus solent exasperare, quàm morbo mederi. Qui erasse ostendunt, & ratione efficaci conuincunt, sine ferro illigant, & ad salutem facilius parant. Mundi Rector, vt corrigendi formam præscriberet, Cainum indignatione succensum humanè alloquitur, peccati ostendit fœditatem, vt ipse, dum agnoscit erasse, sibi ipsi irascatur, non fratri : *Quare iratus es, & cur concidit facies tua ? Nonne, si benè egeris, recipies : sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit.* Pertinacem digno posteà supplicio mulctauit, sed priùs peccati fœditatem ostendit, & sine causa stomachari contra Abelum suasit : rationis adhibuit medicamina, ante quàm maledictionis supplicia, ostendens potiorem esse correctionis formam ad agnitionem erroris trahere, quàm suppliciis gemitum extorquere. *Tibi satis est* (aiebat Basilius Seleucensis *orat.* 4.) *Hostia reuersio.* Acsi dicat : Cùm hostiam adspexeris non acceptari, ob culpam tuam repudiatam agnosce, statue delictis prioribus modum, nec enim si ratione vtaris, supplicium subibis. Profectò, ni Cainus in mansueta bellua glisceret, culpæ ostensione admissam anteà culpam vera pœnitentia deleret, suppliciumque euaderet. Gen. 4. v. 7.

TEXTVS.

VERS. XXII. Et respondens Dauid, ait : Ecce hasta Regis, transeat vnus de pueris Regis, & tollat eam.

§. XXXIII.

Priuari, quibus malè vteris, est felicitas, habere ad manum, calamitas.

Priuatio. Vsus.

SVnt quædam nocitura impetrantibus (scribit Seneca *lib. 2. de Benefic. cap. 14.*) *quæ non dare, sed negare beneficium est. Æstimabimus itaque vtilitatem potius, quàm voluntatem petentium. Sæpè enim noxia concupiscimus, nec despicere, quàm perniciosa sint, licèt, quia iudicium interpellat affectus.* Qui potiùs impetum sequuti, quàm mentem, tantò infortunatiores probantur, quantò fortunatiores videntur. Ignis, si pabulum desit, languescit, tunc acrior exurgit flamma, cùm opima enutritur materia. Saul hasta, scyphoque dispoliatur, etiam errores deponit, & se rationi restituit. Sæpè namque Deus temporalibus nos priuat, vt tenebras, quibus illigabamur, depellat. Ei Dauid ablatam restituit hastam, vt noueris vel ad temporalem fortunam egregiè conducere pœnitentiam. Iam retractata antiqua insania, regali adornatur insigni, & quod amiserat culpa, recuperat pœnitentia. Verùm expendere iuuat, an sortiri, an satius fuerit Sauli scypho, hastaque temporalibus bonis denudar i? Resplenduit restituta hasta dignitatis insigni ; verùm ea transfossus posteà miseram mortem oppetiit. Mihi videtur Dauid Dei per-

sonam gerens amplius impertitus beneficium, cùm abstulit, quàm cùm restituit. Audi euentum: *Saul incumbebat super hastam suam.* Sua eum hasta interfecit: ergo dum Dauid ait: *Ecce hasta Regis: transeat vnus de pueris Regis, & tollat eam*, potiùs quàm ad misericordiam maturari, iustam videtur indignationem ostendere. Dauid officiosus restituit hastam: verùm dum Saul malè ea vtitur, transuerberatur. *Dauid, postquam ostendit innocentiam suam per lanceam Regis* (scribit Abulens. *quæst.* 27.) *non tulit eam secum.* Goliath gladio dispoliauit, hastam Sauli restituit; verùm vt ablatus, necem baiulo gladius intulit, lancea restituta Saulis viscera perforauit. Qui cœcis votis diuitias, salutem, dignitatis splendorem exambiunt, sibi nocitura sæpè discupiunt, & dum sibi liberaliter dilargitis abutuntur, suis ipsorum votis mulctantur. Si Saul ea hasta careret, se nullatenus desperatus transfoderet. Opportunè Philo *libr. Quod Deus sit, &c. Hoc enim est valdè necessarium, vt in copia rerum, quæ vulgò habentur pro bonis, euitemus casses, laqueosque, quos illæ tendunt singulæ, & more ignis perrumpamus subindè repetentes nos earum impetus.* Qui oculis vtitur, quos fortuna obtendit, laqueos euadit; qui felicitatis splendore obcœcatur, quò ampliorem sortitur, mirabiliter dignoscitur. Balaan cupiditate adeò obcœcabatur, vt quod aspiciebat asina, non videret, contra eam à periculoso itinere auertentem eo furore exarsit, vt carere gladio, quo inferret necem, doluerit; *Vtinam haberem gladium, quo te percuterem.* Gladio priuari magnum Dei beneficium testatur Philo de Cherubin: *Gratia maxima conditoris, qui sciens imprudentiæ rabiem, non dedit tanquam furenti gladium.* Gladio, quo malè vsurus erat, priuari, fuit Dei misericordia, habere eis circunstantiis, esset miseria.

1. Reg. 1. v. 6.

Num. 22. v. 29.

TEXTVS.

VERS. XXIII. Dominus autem retribuet vnicuique secundum iustitiam suam, & fidem: tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Christum Domini.

§. XXXIV.

Peruersitas peccandi occasiones sibi procudit, virtus ab occasione distare longissimè exambit.

Occasio.

NIhil peccatori ægriùs, quàm delinquendi occasionem auolasse, nec cupiditatibus indulsisse. Iusti conspecta peccandi opportunitate horrido pauore quatiuntur, & de peccandi opportunitate tristantur. Arcano mysterio Thamar in domo patris iubetur manere: *Esto vidua in domo patris tui*, & eodem tempore vianti refertur occurrere: *Sedit in bivio itineris, quod ducit Thamnam.* Si in patris domo lateret, ab occasione distaret, verùm noluit distare, sed quærere. Sedit in bivio, ne Iudas altera tendat, si via fefellerit altera. Notauit Philo *lib. Quod Deus: Orbata marito præcipitur, vt maneat in domo patris, qui solus seruator.* Nihil sic exhorruit, vt paternam domum voluptatibus interdictam inhabitare, nihil adeò expetiuit, vt foras prodire, & occasionem architectari. Saul, vt Danidem caperet, necemque inferret, nihil omisit, Dauid occasionem inuitantem expauit: *Noluit extendere manum meam in Christum Domini.* Non solùm manum non extendit, sed perdicis ingenium induit: *Sicut persequitur perdix in montibus.* Itaque vt perdix, dum persequitur (passiuè hîc sumitur) anxio timore perculsa fugit, & volatum acuit; sic Dauid occasione vindictæ allectus & fugit, & horruit. Notauit noster Sanctius: *Suum angorem, & metum perdicis similitudine significat.* Cùm Saulis non extimuerit potentiam, territorium vno comite adiens, armaque auferens, inquirendum est, vnde acris adeò timor promanarit? Mihi videtur ab opportuna vltionis occasione. Occasionem interficiendi hostem opportunam nactus & expauit, & extimuit. Virtutum namque primates non solùm ad conspectum peccati pauitant, sed ad occasionis etiam conspectum trepidant. Addo; acri timore concuti, si quid apud eos remaneat, quod animum possit exulcerare, aut crimini deseruire. Hasta Regis Danidis manum exacuebat, & sæpè ea intentasse ei mortem in memoriam reuocabat: ergo Dauid soli gratiæ seruire gnarus, non solùm vltione abstinuit, sed cùm abstulerit, ad innocentiæ, & fidelitatis argumentum, citò restituit, nec passus est hastæ conspectu exasperari, aut ad vltionem suaderi: *Ecce hasta Regis, transeat vnus de pueris Regis, & tollat eam.* Noluit remanere apud se, quod acceptæ iniuriæ excitaret memoriam, & à se amouere curauit, quidquid exacuere posset ad culpam: virtutis namque heroes adeò à perpetrandi sceleris occasione curant distare, vt longissimis etiam interuallis soleant timere. Fama fuit digna meretrix illa, quæ ne tormentis cederet, & coniurationem proderet, linguam sibi præcidit, & in carnificis faciem expuit. Lingua carens nequibat loqui: ergo deglutiuit viriliter dolorem, vt proditionem impossibilem redderet. *Anima meretrix* (scribit Tertullianus *in Apol. cap. 50.*) *Carnifice iam fatigato postremò linguam suam commeſtam in faciem tyranni sæuientis expuit, vt expueret & vocem, ne coniurantes confiteri posset, si etiam victa voluisset.* Itaque nec probatum diris tormentis constantiæ fidit, quousque, ne coniuratos, etiamsi vellet, proderet, voce eruit: ergo Dauid, etsi manum non extendit, etsi incitatus etiam ab Abisai constanter retinuerit, apud se hastam manere noluit, ne vltionis incentiuum tacitis vocibus pronocaret, aut exacueret.

Gen. 38. v. 11.

TEXTVS.

VERS. XXIV. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni angustia.

§. XXXV.

Apud homines nihil sæpè anima vilius, & despicatius.

PEccator adeò à ratione abducitur, vt solùm *Anima* euanida demiretur; ventris pascitur, & quò liberiùs

liberiùs indulget culpis, sibi iucundius plaudit, & se felicissimum credit: quòd si à prudenti admoneatur, contemnit consilia, aut degeneri intentione arbitratur profecta. *Monentes, vt desistat* (scribit Philo *lib. de Cherubin*) *& imponat modum suis cupiditatibus propter futuri temporis incertitudinem, inuidos appellat, negans eos monere bono animo.* Vera, solidaque felicitas, quæ è virtutum concentu nascitur, euanido, ac futili gaudio postponitur; Dauid, vt erat cœlesti lumine instructus, quidquid ad animam spectabat, magni faciebat, quidquid ad corporis indulgentiam, parui æstimabat: *Magnificata est anima tua hodie in oculis meis.* Non me latet animæ nomine vitam exprimi, sed ex ipsa appellatione eruitur documentum; quandoquidem vita loco habetur animæ: ergo Dauid Saulis vitam animam vocat, quia Saul solam æstimabat vitam. *Magnificata est* (inquit Hugo) *id est, magna reputata, vt non interficerem te.* Fideli trutina expendebat Dauid inflicta morte manere sibi coronam, sed nunquam saturis pœnis Saulis tradendam animam: ergo plus valuit apud Dauidem alterius anima, quam corona. Quòd si alterius anima propriæ coronæ præponitur, quid respondebunt, qui animam propriam ob alterius solùm vtilitatem culpis inficiunt? Vianti Balaamo occurrit Angelus stricto gladio obarmatus, cuius terrore, si placeat, reuerti ad propria promittit: *Vidit Angelum stantem in via euaginato gladio.* Et quid opus erat gladio, quando ipsa æquitas abstinere persuadebat ab illicito augurio? Si non ignorat Balaam cum dæmone miscendo colloquia crimen perpetrare, & oracula falsa promendo se culpis inficere, & nihilominus audet, etiam audebit gladio inspecto viæ insistere, & cœpta prosequi. O vtile nobis documentum! Vbi solùm animæ apparebat detrimentum, iniquum præbuit consilium; vbi corpori imminebat discrimen, pauidus horruit, & timore acri perculsus Angelo obtemperare promisit, animam paruipendens, & viuere exambiens. Prodest Philo *lib. Quod Deus, &c. Hic est terræ progenies, non cœleste germen argumento certissimo, quod auguria, falsasque diuinationes sequens.* Vbi clausis animæ oculis non vidit Angelum, spiritus salutem despiciens dedit consilium; vbi corporis suspicatus est detrimentum, mutauit votum: *Hic est terræ progenies, non cœleste germen.* Quisquis ad terram spectantia magni habet, terræ progenies est, quisquis animam rebus cæteris anteponit, cœleste germen.

Num. 22. v. 31.

TEXTVS.

VERS. XXV. Ait ergo Saul ad Dauid: Benedictus tu, fili mi Dauid: & quidem faciens facies, & potens poteris. Abiit autem Dauid in viam suam, & Saul reuersus est in locum suum.

§. XXXVI.

Ipsa securitas noua est securitate muniendа, & vigili cautela seruanda.

Cautela.

HVmani generis hostis nunquam suæ malitiæ otium facit: quos aricte tentationum non potuit subruere, recedendo adnititur sæpè euertere; recedit aliquando palmam exhibens, vt dum parta victoria securus deponit arma, otiosa pereat inertia. *Tunc* (aiebat Tertullianus de communi hoste loquens *lib. de Pœnitentia cap. 7.*) *plurimum accenditur, dum extinguitur.* Se extinctum simulat, vt dum victor solicitum depellit timorem; de ipsa securitate grauius emergat periculum, & erumpat grandius incendium. Saul Dauidis virtutem dilaudat, seque nunquam instauraturum bellum promittit, domumque repetit. *Benedictus tu, fili mi Dauid, & quidem faciens facies, & potens poteris... Saul reuersus est in locum suum.* Quid tunc Dauid? Maioribus distare interuallis studuit, & noua sibi munimenta procurauit, *Abiit autem Dauid in viam suam.* Veritus est, ne Saul odium fateretur extinctum, vt ipsa securitate subruere posset incautum: ergo securitatem securitate noua præmuniuit, & ipsam victoriam veluti suspectam habuit. Innuit Abulensis *quæst. 27. Abiit cum Abisai in locum, vbi erant viri sui, & posteà abiit indè in terram Philisthinorum.* Non amisit victoria accepta solicitam curam, sed vigilantiori se obarmauit cautela, vt qui nouerat hostem sæpè fugam mentiri, quo facilius incautum quiuerit subiugare. Itaque securitatem noua securitate fulcire studuit, & cautiùs, ac solicitiùs se gessit. Video serpente detriumphato, è cœloque pulso puerum, qui raptus est ad thronum, Seraphicis excubiis muniri, defendique: *Proiectus est Draco ille magnus.* Post victoriam non videbatur thronus muniendus, nec excubiis peruigilibus obarmandus, & tamen non vnico milite, vt Paradisus, sed multiplicibus Seraphinis testatur Isaias cinctum, & vndequaque vallatum: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum... Seraphin stabant super illud.* Bernardus Seraphin testatur in excubiis esse, ne quid aduersum serpens moliatur. *Quid existimare vetat* (inquit *serm. 5. de verbis Isaiæ*) *deiecto Lucifero ad peruigiles excubias Seraphin constitutos.* Hinc oritur difficultas. Si iam deiectus serpens veluti effumigatus, & excantatus deliteſcit, si attritus iam ingemiscit, quid opus est thronum tanto milite cingi, & vigiliis solicitis, aesi instaret bellum, defendi? Vt discas, respondet Bernardus, securitati non fidere, sed perspicacibus oculis vigilare. Tranquillitate puer fruitur, sed quid nocet cautela? Fors inimicus, si omnem periculi timorem videret abactum, instauraſſet bellum, & grauius adurgeret periculum: ergo cautela eius impediuit studia. Si plures se ab omni periculo exemptos non existimassent, non ingemuissent: at, dum suæ securitatis sponsoribus credunt, dormiunt, &, dum dormiunt, pereunt. Dauid, quamuis inimicus terga verterit, & nunquam exinceps adornaturum bella promiserit, maiora interposuit spatia, & se solicitiori præmuniuit cautela.

Apoc. 12. v. 5.

Isai. 6. v. 2.

CAPVT XXVII.

1 ET ait Dauid in corde ſuo: *Aliquando incidam vna die in manus Saul: Nonne melius eſt vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſthinorum, vt deſperet Saul, ceſſetque me quærere in cunctis finibus Iſrael? Fugiam ergo manus eius:* 2. *Et ſurrexit Dauid, & abiit ipſe, & ſexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch Regem Geth:* 3. *Et habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipſe, & viri eius, vir, & domus eius; & Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezraelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli:* 4. *Et nuntiatum eſt Sauli, quòd fugiſſet Dauid in Geth, & non addidit vltra quærere eum:* 5. *Dixit autem Dauid ad Achis: Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbium regionis huius, vt habitem ibi: cur enim manet ſeruus tuus in ciuitate Regis tecum:* 6. *Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam cauſam facta eſt Siceleg Regum Iuda vſque in diem hanc:* 7. *Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philiſthinorum, quatuor menſium:* 8. *Et aſcendit Dauid, & viri eius, & agebant prædas de Geſſuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: Hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus euntibus Sur vſque ad terram Ægypti:* 9. *Et percutiebat Dauid omnem terram, nec relinquebat viuentem virum, & mulierem: tollensque oues, & boues, & aſinos, & Camelos, & veſtes, reuertebatur, & veniebat ad Achis:* 10. *Dicebat autem ei Achis: In quem irruiſti hodie? Reſpondebat Dauid: Contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Irameel, & contra meridiem Ceni:* 11. *Virum, & mulierem non viuificabat Dauid, nec adducebat in Geth, dicens: Ne fortè loquantur aduerſum nos. Hæc fecit Dauid, & hoc erat decretum illi omnibus diebus, quibus habitauit in Regione Philiſthinorum:* 12. *Credidit ergo Achis Dauid, dicens: Multa mala operatus eſt contra populum ſuum Iſrael: Erit igitur mihi ſeruus ſempiternus.*

TEXTVS.

VERS. I. Et ait Dauid in corde ſuo: Aliquando incidam vna die in manus Saul: nonne melius eſt, vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſthinorum, vt deſperet Saul, ceſſetque me quærere in cunctis finibus Iſrael? Fugiam ergo manus eius.

§. I.

Iuſti etiam Dei reuelatione ſecuri, ſe ipſos verentur honeſtè pauidi.

Cautela. DIgnitas relucet ſubiecti, ſi Principis mereatur alloquium, & firmis ſe decretis credat electum, vt exambitum cunctis poſſideat dignitatis faſtigium. *Iure ſiquidem* (aiebat Caſſiodorus 8. *variar.* 4.) *de ſe arbitrabitur æſtimatum, qui regium meretur alloquium, quia dignitas eſt ſubiecti affatus meruiſſe dominantis, in ea præſertim cauſa, in qua omnium corda ſic videntur eſſe ſolicita, vt ſi non agnoſcant proſperum, credant ſemper aduerſum.* Circa ſummi momenti cauſam, ſi contingere poſſit aduerſum, prudentis cor ſemper exæſtuat ſolicitum: verum ſi fixum, ſtabileque Principis decretum omnem depellat timorem, iam deponit ſolicitudinem, quia iure ſe arbitratur dignum, qui Regis meretur affatum. Hoc apud ſæculum non inſolitum: At in re virtutis nunquam datur quies, nec quieſcit labor, immò apud virtutum ſummates, quo pleniori Dei fruuntur fauore, male de ſe ſecuri, felici, prudentique ſtimulantur ſolicitudine, & vnde videbatur promanare indubium ſecuritatis argumentum, inde eis vlteriores cautelæ promanat votum. Trophæis etiam ditiſſimis pleni, ſeipſos ſolicitè circunſpiciunt diffiſi, de diuina promiſſione non angunt dubij, ſed ob perpetrata percelluntur ſæpe timoribus agitati; ea auerſantur loca, vbi aliquando anxia ſubierunt pericula, etſi gloriola reportarint trophæa. Dauid Dei nomine à Prophetа ad regalem dignitatem inunctus, & oraculis repetitis confirmatus, de ſaluatione ſua ſecum tractat, & omnem periculi ſuſpicionem deuitat: *Et ait Dauid in corde ſuo: Aliquando incidam vna die in manus Saul. Nonne melius eſt vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſthinorum?* Felix erat, qui, cùm corde ſaluationis cauſam tractabat, nec fluxis circumduci cogitationibus permittebat: verùm diuinæ reuelationi irrogaſſe videtur iniuriam, dum fugæ teſtatur aliquomodò diffidentiam. Poteſtne diuina perſpicacia erroribus decipi, aut fixa voluntas in contrariam partem mutari? Quomodò ergo Dauid noxiis ſolicitudinibus ad ſpeciem obſcurat fidem, aut ſi fixè credit, otioſam patitur anxietatem? Dauid (inquit Caietanus) circa ſe de diuini promiſſi veritate non ambigebat, ſed ſeipſum veluti promiſſionis impedimentum trepidabat; ergo ad Philiſthinorum ditionem ſe contulit non dubius, ſed pronidus. Audi Caietanum: *Quomodo*

Quomodò Dauid dubitauerit se occidendum à Saule, quia huiusmodi dubium redundabat in iniuriam diuinæ reuelationis, quod ipse esset futurus Rex Israel. Iam respondet : *Agnoscebat Dauid peccata propria, & indè rationem habebat timendi, ne mutaretur diuina sententia.* O magnam peccatoribus confusionem ! Dauid heroicis virtutibus expolitus, ad perfectionis arcem euectus, de corona sibi à Deo donanda oraculo confirmatus, adhuc trepidat, & profugia sibi solicitat. Quid peccatores respondebunt oraculo non securi, & sceleribus execrandis infecti, dum stertunt salutationis prorsus obliti ? Dauidi adstipulatur Iacob, qui Dei oraculo de primogenitura non dubius : *Maior seruiet minori*, & edulio fratri præstito iterum confirmatus, ad Labanum fugit, & fratris insidias declinauit : *Consurgens, fuge ad Laban.* Quis hanc non condemnet solicitudinem ? Oraculum indubiam promittit dignitatem, pater benedictione stabilit, Iacob ieiuniis emit. Quis ergo timoris locus ? Et adhuc timet ? Non de promissione dubius fugit, sed prouidus : non arguebatur conscientia, & tamen verebatur, ne subesset ignorantia : ergo in re tanti momenti decreuit nulli cantelæ parcere, nullum laborem effugere. Innuit Philo *lib. de Migratione, &c. Expedit esse fugitiuum, si hoc fiat non melioris odio, sed propter vitandas deterioris insidias. Quid igitur hortatur patientia ? Mirum quiddam, & optabile.* Curiosiùs audi, quod subnectit : *Siquidem vides irritatum, exasperatumque furorem, aut iram in seipso, aut quopiam alio.* Itaque à patientia matre præmonitus veritus est seipsum, ne scilicèt fraternis iniuriis irritatus furor excandesceret, & aliquod peccatum committeret, cuius merito effectu careret oraculum, sicque euentu edulium, & patris etiam redderetur benedictionis irritum votum : ergo fugit diuinis promissis non diffidens incertus, sed omnem culpæ occasionem deuitans cautus.

Gen. 25. v. 23. Gen. 27. v. 43.

§. II.

Boni Principes, vt inseruientibus vitarint discrimina, non recusant subire incommoda.

Princeps.

BOnus Princeps dominantis gerit exterius titulum, sed interius patris affectum. Vtque parentes maria traiiciunt, & duros labores subeunt, vt filiis prouiderint commoda, & auerterint pericula : ita Principes dignitatem honorantes, vt suorum stabiliant salutem, quamcumque deuorant anxietatem. *Scimus* (scribit Athalarici nomine Cassiodorus 7. *variar.* 6.) *animum vestrum de obitu gloriosæ memoriæ Domini aui nostri acerbo dolore fatigari, dum omnia bona grauiter desleantur amissa. Plus enim quæritur, cùm Dominus desiderabilis abrogatur : expedit autem studio pietatis afflictam mentem compensatiuo remedio consolari.* Huius iustam acerbi doloris causam subnectit : *Sic enim Deo sibi imperanti prospexit, dum esset & post fata prouidus, vt regionibus suis pacem relinqueret, ne aliqua nouitas quieta turbaret.* Vitæ terminos transgressus est prouidentia, vt suorum stabiliret defunctus etiam commoda, vt propulsaret pericula. Nec aliter se Dauid gessit. Patriam decreuit relinquere, & inter alienigenas non sine incommodis habitare : *Nonne melius est, vt fugiam, & saluer in regione Philisthinorum.* De salute sua iam oraculo erat certus, & tamen exilij incommoda est amplexus solicitus. Timuit (inquit Lira) ne inito cum Saule certamine ex suis aliquis iaceret occisus, aut aliquo membro truncatus, vtque à suis auerteret pericula, exilij subiuit incommoda. Liram audi : *Non dixit hoc Dauid, eò quòd timeret occidi à Saule in propria persona, cum sciret certitudinaliter ex diuino promisso se post ipsum Saulem regnaturum. Sed quia timebat, ne sic accideret, quòd oporteret eum pugnare cum Saule, quod horrebat Dauid propter mortem suorum.* Sitiebat suorum non sanguinem, sed salutem, vtque eorum commodis prouideret, propria incommoda non vitauit. Si ipse ad alienigenas non se conferret, miles tranquillitate nequiret frui, & cogeretur solicitis curis vexari : si propulsanda erant suorum pericula, propria obliuioni tradenda commoda : ergo decantandus Princeps decreuit propriis commoditatibus renuntiare, vt suos à periculis valeret eximere. Moyses cum Deo familiariter loquens, vbi suis agnouit imminere periculum, non respuit nomen suum de libro vitæ videri deletum : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti* : Et cur non vereatur ex heroum censu litura expungi, quando ambiendum erat eorum in numero collocari ? Ita sanè. Hoc tamen deglutiuit incommodum, vt auerteret, quod suis imminere verebatur periculum, malens ea temporali gloria priuari, quàm suos rigido supplicio premi. Prodest Hieronymus *epist. ad Gaudentium* : *Moyses compassionis loquebatur affectu.* Adnectit : *Nec propria salute contentus est, gloria quippè Regis multitudo populi.* Augustius Moysis elogium fuit, sibi soli non ambire commoda, sed malle quid suæ gloriæ detrahere, vt posset tranquillitati populi prouidere.

Exod. 32. v. 32.

§. III.

Non sunt expectanda miracula, cùm potest saluti consulere prouidentia.

VIgilare debet solicitudo studiosa, & perspicax prouidentia, vt nec imminentibus proximè periculis irretiatur, nec suspenso semper angore futurorum vexetur. Vbi humana desunt, expectari possunt à Deo prodigia, sed prudentiæ est næuus, si otietur industria, & expectentur miracula. *Licet ad regendos populos idoneos efficiant, quos ad augustum culmen diuina prouexerint* (verba sunt Cassiodori 8. *variar.* 9.) *quando nec ætas impedit, vbi se se potentia cœlestis infundit ; tamen ad releuandam florentissimæ nostræ ætatis solicitudinem, visum est te virum prudentissimum conuenienter adhibere, quem constat etiam Domini aui nostri tractatibus iugiter, & laudabiliter adhæsisse.* Iuuenis Athalaricus diuina dignatione prouectus est ad imperium, & quamuis religiosa fiducia cœlestia sibi adfutura non dubitarit auxilia ; quod ad se pertinebat, perfecit laudabili prouidentia, ne si stulta otiaretur ignauia, ob ignauiam deessent auxilia : Dauid dura obsidione cinctus miraculosè est ereptus : Præcedenti etiam capite ligatis super naturali sopore aduersariis est assequutus salutem, & tamen ad alienigenas modo transire disponit : *Melius est, vt fugiam, & saluer in terra Philisthinorum* : immò meliùs videbatur in Israelitarum ditione morari, quandoquidem certum erat in ea miraculis custodiri. Cur ergo Dauid infamat

Miracula. Prouidentia.

quodam

quodammodò prouidentiam, dum arripit fugam? Immò arripit, respondet Abulensis, fugam, vt Dei honoret beneficium, non expectando semper miraculum. Si fugiat solerti studio, opus non erit miraculo, si remaneat, miraculis indigebit: ergo noluit oneri esse diuinæ misericordiæ, sed quod ipse poterat, non omittere. Audi Abulensem *quæst.* 3. *Dauid poterat saluari fugiendo de terra Israel; quod ergo vellet manere in ea, & quotidiè indigeret miraculo ad liberationem suam, erat tentare Deum.* Vbi aliter saluari non potuit, speranit prodigium, vbi solerter se, & prouidè gerendo saluari potuit, noluit expectare miraculum. Armatorum manus vsque ad montium ardua conscendit, vt Eliam humano prorsus nudum auxilio capiat. Deus verò Prophetæ suo adfuit, & voracibus aduersarios flammis consumpsit: *Descendit ignis de cœlo, & deuorauit illum, & quinquaginta eius.* Hic repetitis defensus miraculis Iezabelem minantem timet, & desertorum latibula adit: *Surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas.* Et quid opus erat Eliæ fugere mulierem, quando cœlestis ignis armatum consumpsit militem? Nonne poterit eluctantes flammas expectare, & insanæ minas mulieris contemnere? O vtile documentum! Militum manu cinctus sine miraculo nequibat euadere, modò periculum arrepta fuga quibat eludere: ergo noluit solicitudini parcere, & miraculis indigere: vtque noueris prudenter egisse, Angelus stricto gladio posset pauitantem tueri, & nihilominus à somno excitum admonuit celeriter inuolare: *Grandis tibi restat via.* Angelum igneo gladio Eliam defendere, esset miraculum, fugæ erat naturale subsidium: ergo factis admonuit Angelus non esse expectanda miracula, vbi satis est vigilantia solicita. *Angelus custos hominis* (inquit Lira) *eum excitat ad bonum exercitium, dicens: surge per mentis vigilantiam.* Si excutiat torporem, euadet periculum; si dormiat, erit necessarium miraculum: ergo non expectet miraculum, sed fallax excutiat oblectamentum. Graui se periculo exponunt, qui peccatis infecti volunt dormire, & expectant miraculis excitari.

4. Reg. 1. v. 12.

3. Reg. 19. v. 3.

TEXTVS.

VERS. II. & III. Et surrexit Dauid, & abiit ipse, & sexcenti viri cum eo ad Achis filium Maoth, Regem Geth, & habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipse, & viri eius; vir, & domus eius; & Dauid, & duæ vxores eius. Achinoam Iezrahelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli.

§. IV.

Qui humanè hospitio exceptus, ni ingratus velit audiri, omnem contra se tenetur occasionem suspicionis vitare.

Hospes.

SI humanè, benigneque exceptus occasionem præbeat querelis, aut suspicionibus, hospitio se indignum prodet, & inhonoram ingratitudinis notam subibit. Eam hospes modestiam colet, vt nec aspectu liberiori, nec verbo minus modesto malè morati suspicionem ingeneret, nec ad humanitatis exhibitæ pœnitudinem prouocet. Omnibus nocet, qui ne hospites recipiantur, imprudenti actione ad cautelam eruditi. *Hospitibus* (aiebat Philo *lib.* 1. *de vita Mosis*) *quantum ego iudico, cura debetur.* Hospitalitatis humanitas gratitudine debet compensari, non iniuriis solui: quòd si infortunata reddatur domus ob humanitatis obsequium, grauissimum perpetratur piaculum. Non videbatur graui adeò pœna dignum vas surripuisse, & tamen morte condemnarunt fratres scyphi raptorem. Et quare? Quia liberalis Ioseph humanitas, & humana benignitas, dum hostes benignius excepit, ingrati culpam adauxit: *Apud quemcumque fuerit inuentum seruorum tuorum, quod quæris, moriatur, & nos erimus serui Domini nostri.* Ingenua se nobilitate exangurant, & fratrem fratres mortis sententia condemnant; quia graue adeò visum est illis officium rapina compensare, vt parum eis videretur raptorem acerba morte puniri. *Confirmastis* (inquit Philo *lib. de Ioseph* nomine ministri alloquens) *& priora crimina, pro gratia referendo beneméritis iniuriam.* Adnectit: *Cùm illi præ stupore, ne mutirent quidem repente oppressi dolore, metuque, duobus malis grauissimis, hærebant verba in faucibus.* Vocem ademerat humani hospitis querela, ad speciem iusta, seruituti meritò se condemnarunt, vt qui non viderentur nobili, honestaque vena exorti, dum hospitibus humanis iniurij. Ob hanc causam cùm Dauid ab Achis officiosè fuisset exceptus, suos fenera oratione præmonuit, ne vel minimam indigenis occasionem querelæ præberent, immò ab omni mali specie abstinentes gratiam sibi, & benevolentiam acquirerent: *Habitauit Dauid cum Achis in Geth, & viri eius; vir, & domus eius.* Et cur relatis iam viris addat. *Vir, & domus eius?* Si iam retulerat: *Viri eius?* cur posteà repetat: *Vir, & domus eius?* Vt ostendat (inquit Abulensis) concordia se præmuniisse; & modestia omnem contra se suspicionem incolis deuitasse. Eius verba sunt *quæst.* 7. *Omnes simul habitauerunt in eodem loco; nam non dispersi sunt per loca, vt securiùs manerent, & minus suspecti haberentur.* Duo summo studio curarunt, concordiam scilicèt, & modestiam, ne dispersi, seiunctique facilè subirent pericula, & ne suspicionibus denigrati contra se fouerent odia. Qui eos in tutelam receperant, si aliqua non inani suspicione exasperarentur eos non tuerentur patroni, sed depellerent, aut vltionem desumerent irritati. Michæ hospites humanitate tractati theraphin, sculptileque abstulerunt, & alios contra humanè excipientem incitarunt: *Dixerunt quinque viri, qui prius missi fuerant ad considerandam terram Lais cæteris fratribus suis: Nostis quòd in domibus istis sit Ephod.* Michas benignè in domum receperat hospites, ipsi quid esset pretiosum, curiosis oculis inspectarunt, & abstulerunt. Quid tunc? Michæ Sacerdos miratus iniuria gratiam compensari, & hospitalitatem offensa solui, exclamauit: *Quid facitis, quòd isti viri nihil mali fecerunt.* Obstupuit intuitus hospitalitatis mercedem, cùm fas sit hospites oftendere gratitudinem.

Gen. 44. v. 9.

Iudith. 11. v. 14.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. IV. Et nuntiatum est Sauli, quòd fugisset Dauid in Geth, & non addidit vltra quærere eum.

§. V.

Vir eximijs dotibus præditus vel apud aduersarios suspicitur honoratus.

Prærogatiua.

VIrtus sibi pro luce est, famam acquirit, & vel ab ipsis hostibus reuerentiam extorquet. *Honorabile credimus indicare* (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 4.) *quod fama potuistis teste cognoscere.* Quisquis eximijs facinoribus sibi acquisiuit famam, vel apud exteros reuerentiæ inuenit cultum, & amoris affectum, quando non potest magni non haberi, quisquis glorioſis factis grande sibi nomen constat procudere. Dauid ab Achis Rege Geth honoranter suscipitur, & generosa humanitate fouetur: *Nuntiatum est Sauli, quòd fugisset Dauid in Geth, & non addidit vltra quærere eum.* Saul confusi roboris vinculis illigatus quieuit, cùm Dauidem ab Achis humanè exceptum agnouit, & Achis dignitatem suam honorauit; virum eximijs dotibus expolitum liberaliter alens, non parasitorum morionumque gregi donatiua superflua expendens. Puduit, & iure, Saulem à se depulisse, quem vel alienigena Princeps gloriabatur hospitio, & muneribus honorasse. Achis ad fauendum Dauidi eius fuisse fama permotum tradit Hugo Cardinalis: *Ipsum dilexit propter famam virtutis.* Dauid apud suos feralem passus inuidiam, apud exteros honorabilem sortitus est reuerentiam. Mira res! Licet Gethæi Dauide legitimè decertante multa passi fuerint incommoda, reuerentiæ, dilectionisque nihilominus exhibuerunt officia, cùm Saul tot triumphis nobilitatum, tot spolijs copiosum morti addixerit, & in eum hastam contorserit. Ioseph mirandis prærogatiuis resplendens à fratribus exuitur, & venditur, ab Ægyptijs purpura insignitur, & adoratur. Pharao aiebat eius demiratus sapientiam: *Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?* Fratres somniatorem appellabant, & arrogantem dicebant. *Eum Proregem instituit* (inquit Philo lib. de Ioseph.) *vel Regem potius, relicto sibi solo imperij nomine, potestatem illi cedens, & agens quidquid pertinebat ad honorem inuenis.* Quem ab ingenui honore vsque ad seruitutis notam deiecit inuidia, apud exteros è seruitutis statu prouexit ad regni fastigium virtutum fama: nam vir magnis sapientiæ, ac virtutum dotibus eximius vel ab exteris, & barbaris colitur veneratione suspectus.

Gen. 41. v. 38.

TEXTVS.

VERS. V. Dixit autem Dauid ad Achis: Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbium regionis huius, vt habitem ibi: cur enim manet seruus tuus in ciuitate Regis tecum?

§. VI.

Vrbani hospites refugiunt oneri esse, & hospitalitatis tempus protrahere.

Hospes.

HOspites, etsi hilari vultu excipiantur, & humanitate tractentur, secum afferunt frequenter molestias, & excipientes ad expensas cogunt sumptuosas. Vbi tres illi viri ad Abraham diuertunt: senex fatigatur ad armenta excurrens; vetula vxor panes conformat, puer ad coquinam festinat, ac tandem tota familia, etsi feliciter, adlaborat. Peregrini eo ipso die profectionem dispositerunt, & licet Abrahamus dicatur opipara mensa aluisse, vt diù manerent, non videtur rogasse. *Cùm surrexissent indè viri direxerunt oculos contra Sodomam: & Abraham simul gradiebatur ducens eos.* Comiter duxit, sed non retinuit. Innuit Origenes apud Hugonem: *Senex currit, Sara accelerat, puer festinauit.* Tota familia impigrè exhibebat officium; verùm prudentes hospites non sine magna gratulatione humanitatem honorantes abierunt, Abraham abeuntes studuit vrbanè comitari, non tamen coegit diù ibi manere. Dauid etiam exempla Angelorum sequutus, cùm ab Achis benignissimè fuisset exceptus, diù immorari noluit, sed licentiam discedendi gratus petiuit: *Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbium regionis huius, vt habitem ibi: cur enim manet seruus tuus in ciuitate Regis tecum?* Si Dauid sub Regis tutela securius degit, si multis recedens commodis caret, cur discedendi licentiam sibi fieri exorat, & tot se vtilitatibus priuat? Quia noluit (inquit Abulensis) liberali Principi esse oneri, & humanitate abuti, videbat magnis expensis ali, occupari palatia, & Regis famulos noua subire laboris additamenta, ergo vrbanus recessit ne liberalitatem, vrbanitatemque excipientis defatigaret. Audi Abulensem *quæst.* 8. *Dicendum, quòd fortè fecit hoc Dauid, ne aliqualiter attædiaret Regem, quia fortè ciuitas illa, in qua manebat Rex, non erat capax multorum.* Adnectit: *Quasi dicat: Tædiosum est, & non vtile, quod ego occupem locum habitationis in vrbe regia.* Aliam etiam addit rationem: *Fecit hoc propter verecundiam, & ne grauaret Regem, quia fortè quando manebat cum Rege in vrbe Geth, Rex prouidebat ei, & familiæ suæ de necessarijs.* Ipsa Regis liberalitas, humanitas ipsa Dauidem vrsit, & profectionem accelerare coegit; timuit inciuilis videri, & erubuit tantis sumptibus ali. Suis factis hospites edocens comitate vti, nec diù alienis domibus insidere.

Gen. 18. v. 16.

§. VII.

In curia facilius est culpis inici, quàm heroicis virtutibus coronari.

Curia.

CVria frequenter vitiorum emporium est; nam cum copiosa hominum illuc confluat multitudo, vitia multorum miscentur, & mores facillimè corrumpuntur: ibi factus insidiosus adoratur, ibi dolosa fallacia præualet, ibi pecunia valet. In solitudine Israelitis Deus leges condidit, & in Ægypto non dedit, veritus quodammodò in curia non colendas, sed proculcandas. Ionas, vbi ad Niniuem delegatur, dictionem extrahere studiosè molitur, quasi superuacaneum arbitratus prædicationis

laborem, vbi gliscere cognouerat impietatem:
Ionæ 1. v 3. *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis à facie Domini.* Vitiorum fugiebat officinam, & ni Dei esset infinita clementia, vincenda videretur naturæ metas supergressa scelerum copia. Audi Basilium Seleucien sem orat. 12. *Niniue ciuitas erat inter Assyrios hominibus refertissima peccatis naturæ terminos supergressa; non tamen diuinæ clementiæ metas exuperabat.* Ratio clementiam Numinis infinitam esse dmonstrat; verùm si ex humanis rebus desumenda esset coniectura, infinita potuit haberi, dum constabat peccatorum Niuiue copia non vinci. Hinc est, quòd Dauid in Achis curia tantisper demoratus, exire procurauit quàm citiùs: *Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbium regionis huius, vt habitem ibi.* Cùm securior in curia degeret sub Principis tutela, & gratia, huius obnixe adeò interpretes petitionis causam inquirunt. Noster Sanctius ait, extimuisse, ne, qui Martiali in campo omni imbonitate diuexati coluerant virtutem, curiæ milites euigorati delicijs sequerentur prauitatem prauis exemplis, otioque illecti: *Cum minus videretur opportunum & sibi, ac suis commilitonibus, cùm vt destinarant animo, prædis securè, ac commodè agere non possent; tum etiam vxoribus, & liberis; nam illarum pudor non videbatur tutus à Philisthinorum petulantia, & horum mores aliquid meritò timere poterant à vicinorum labe, quare orauit Dauid ab Achis.* Ab Achis orauit licere sibi extra curiam commorari; nam ibi nec fœminarum pudor tutus, nec liberorum institutio facilis, nec ad Dei hostes persequendos, prædasque de eis reportandas sedes opportuna. Et quidem Dauidis prudentiam comprobauit euentus; nam vbi reliquit curiam, acceptis de religionis hostibus prædis triumphabat, & nouis in dies triumphis ditescebat. Qui curias incolunt, sciant in hostili virtutibus regione commorari, opusque esse vigilantissima solicitudine, alioquin sordebunt multiplici prauitate.

TEXTVS.

VERS. VI. & VII. Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam causam facta est Siceleg Regum Iuda vsque in diem hanc. Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philisthinorum, quatuor mensium.

§. VIII.

Aliquando Principes, vt erga extraneos generositatem ostendant, suos dispoliant.

Princeps. Heberosus. NIl Principibus dignius, quàm generosa munificentia, & largitas honestè profusa. Auaritia in priuatis obscura, in proceribus detestanda. *Bonitas tua* (aiebat Seneca 5. de Benefic. cap. 1.) *eo vsque prolapsa est, vt tibi dari putes beneficium, quod illi datur.* Subijcit: *Ipse vsque eo abes ab omni iactatione, vsque eo statim exonerare cupis, quæ obligas, vt quidquid in alium confers, velis videri non præstare, sed reddere.* Propositum optimi viri, & ingentis animi est, non solùm postulata liberalitate supergredi, sed & vota. Dauid, vt qua eum Achis beneuolentia prosequeretur, argumentis ostenderet, locum sibi, suisque opportunum dari ad habitandum petiuit. Achis, vt erat generosus, Siceleg concessit, non solùm vt ibi degeret inquilinus, sed vt incoleret dominus: *Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam causam facta est Siceleg Regum Iudæ vsque in diem hanc.* Dauid supplicitèr petiuerat habitaculum, Achis & habitaculum concesserat, & dominium; nec contentus est votis annuere, sed munificentia regia superare. Inquirunt Interpretes quomodò Dauid Achis eam potuerit ciuitatem concedere, cùm plures non solùm incolerent, sed ibi possessiones haberent? Abulensis *quæst.* 10. ait voluisse Achis se generosum ostendere: *Achis, qui erat Rex nimis liberalis, non solùm concessit id, quod petiuit Dauid, scilicet vt daretur vrbs ei ad habitandum, sed etiam dedit eam in titulum: quia conditio liberalium est, præsertim Regum, quos decet esse magnificos, vt abundantius tribuant, quàm petantur.* Regis munificentia resplenduit, non solùm quia donis desideria vicit; sed quia cùm eius regnum esset satis angustum, aduenis vrbem concessit. Nec enim adeò liberalis est, qui donat copiosus, quàm qui dilargitur angustus Bonè. Sed adhuc remanet illud de ciuitatis incolis dubium. Et quidem Achis, dum apparet magnificus, imprudentia videtur obscuratus, quandoquidem suadebat æquitas suos non abigere, vt extranei commodius quirent Siceleg degere, præsertim cùm ab aduenis nullis officijs obstrictus, immò offensis exasperatus. Cur ergo incolarum detrimento aduentantium prouidit commodo? Quia plures, respondet datus Abulensis, erga proprios auari, erga extraneos generosi. Ecce indigenæ coguntur sedes mutare, vt aduenæ quietiùs commodiùs degere: *Si Siceleg fuisset data Dauid solùm ad habitandum, non habuisset ipse plenum ius ad hoc, quòd posset excludere habitatores illas de illa, excluſit tamen, & non manserunt ibi nisi viri sui, vt colligitur infrà cap. 30.* cines suis sedibus priuati, coacti sunt exulare, vt extranei, peregrinique ea in vrbe possent quiescere. Itaque Achis suorum subiuit inuidiam, vt hospitum conciliaret beneuolentiam.

§. IX.

Eximijs agnoscitur prærogatiuis luere, quem inopia, paupertasque non potuerunt apud sæculum obscurare.

VIrtus, si paupertate prematur, sordescit, quia pauperes apud vulgus, si non reluceat aurum, vix contemnitur institutum. *Non frustrà* (aiebat Theogenes apud Stobæum cap. 91.) *te, ô Pluto diuitys præfecte, magis quàm reliquos deos colunt.* Rationem subdit: *Omnibus hominibus vna hæc virtus est possidere diuitias: aliorum verò nullus est vsus, neque si quis prudentiam ipsius Rhadamanti haberet, & plura sciret, quàm Sysiphus Æoli filius.* Pluto inferorum deus, quantumuis sordido flammarum fumo obscuratus; plus splendenti, radiantique Phœbo adoratur cultus: nam cùm diuitiæ pro virtute sint, Pluto diuitijs copiosior, præ Phœbo putabatur virtute excultior. Hinc miranda est Dauidis excellentia, & omnium virtutum summa: nam cum se ad Achis Regem conferret incommodis diuexatus, & indigus, eo honore habitus est, vt ei ciuitatẽ concesserit, & munifica largitate honoratit: *Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg.* Ob virtutum excellentiã dedisse tradit Abulensis *quæst.* 10. *Quamquàm esset extraneus, quia tamen Achis sciebat eum esse virum probum, dedit ei vrbem, & confidebat ei nimium.* Quanta fuerit Dauidis virtus,

virtus ex eo licet conijcere, quòd inter paupertatis ærumnas, & inopiæ tenebras Principum beneuolentiam promereri, & inter extraneos potuit micare. Egestas obscura nubes sapientiam obtegit; debitam virtuti reuerentiam apud iniquos rerum æstimatores depellit. Elias ille magnus à Sareptana vidua honoratus: *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habet panem.* Eo nomine, *Deus tuus*, testatur Basilius Seleucienſis honorem vti Prophetæ exhibuisse, & humili veneratione honorasse, existimatque ad id cœlesti præmonitam fuisse oraculo, & superno consilio. Quòd si roges, quid opus fuerit supernaturali reuelatione, quando ob aspectus modestiam, & maturam hominis ætatem allici poterat ad aquam exhibendam, & canitiem honorandam? respondebit Basilius Seleucienſis, mendicum spectasse: ergo Dei reuelatione opus erat, vt eum tanquam virtute eximium honoraret, & Prophetam crederet. Basilium audi orat. 11. *Viuit (inquit) Dominus Deus tuus. Tanquam Prophetam honoras, quem mendicum vides? Vndè in Prophetæ notitiam veniſti?* Sibi ipsi respondet: *Euidens est, quòd per reuelationem Prophetæ præsentia viduæ nuntiata sit.* Exhibitus mendico honor non solùm erat reuelationis indicium, sed clarissimum argumentum. Quomodò enim sine reuelatione haberetur Propheta, quem premebat inopia, cum apud sæculum virtus sine auro habeatur despecta, & facultas sine virtute honorata. Cultus Dauidi ab alienigenis exhibitus nō minus promebat eximiam virtutis excellentiam, quàm de gigante reportasse victoriam: quandoquidem satis erat virtus ad victoriam reportandam, & sine diuitijs non erat de sæculi more satis ad opinionem honorabilem obtinendam.

3. Reg. 17. v. 12.

TEXTVS.

VERS. VIII. Et ascendit Dauid, & viri eius, & agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus euntibus Sur vsque ad terram Ægypti.

§. X.

Miser est populus Martiali manui vicinus, qui alugebit facultatibus dispoliatus.

Bellum.

MIlites, etsi à Principe stipendiati, morum non solent custodire mensuram, quia ad bella Martia semper intenti. *Æneum olim sæculum* (inquit Aratus apud Stobæum cap. 50.) *viros habuit pernicioſos, æreum, qui primi fabricauere gladium viatorum. Et primi boues comederunt aratores.* Nihil à militum audacia tutum, nihil à petulantia securum; vndè qui vicinos sortitur milites, nocentissimas patitur pestes. Pacatæ degebant terræ Siceleg adiacentes, donec illic copiosa militum manus consedit; verùm cum premerentur inopia, nihil non tentabant famelica audacia. Vicini quotidianis prædis dispoliabantur, & gemitibus replebantur: *Agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus.* Hi pagi antiquitus poterant habitari, sed jam milite proximo erat necessarium deseri. *Hic describitur* (inquit Lira) *viuendi modus, scilicèt de prædis infidelium circumiacentium.* Licitum erat Dauidi, eiusque militibus impios, Deique hostes dispoliare, sed honestis eorum factis velut coloribus voluit Textus militum mores exprimere. Quàm erat miseranda gens illa, quando nequibat incursionibus resistere, nec militum auiditatem explere! Quos Deus duro voluit supplicio consumere, militibus tradidit; est enim grauissima mulcta sustinere vicina castra. Michas pacatè degebat, quousque militaris manus illac iter fecit: at, dum illac militaris viam carpsit exercitus, amarè luxit dispoliatus: *Tulerunt igitur, qui intrauerant, sculptile, ephod, & idola, atque conflatile. Quibus dixit Sacerdos: Quid facitis? Cui respondérunt: Tace, & pone digitum super os tuum.* Impatientes sustinebant vel doloris querelas, cum exercebant rapinas; nihil apud eos valebat Sacerdotis auctoritas, nihil existimata idolorum diuinitas: omnia despiciebat insolens arrogantia, & arrogans insolentia. *Bellatores ita fecerunt*, inquit Lira. Pro ratione erat ausus, dolorem ob rapinam prodere non licebat, sed os digito timor obserabat. Qui iniusta mouent bella, attendere debuissent se non solùm expulsa quiete grauari, sed militum etiam scelerибus irretiri. Cùm instructa manu Laban persequeretur Iacobum, Deus illi apparuit, & supplicijs intentatis cohibuit: *Vidit in somnis dicentem sibi Deum: Caue, ne quidquam asperè loquaris contra Jacob.* Si satis fuit ad edomandam leonum ferociam Angelus in lacum descendens: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum*, cui satis non fuerit Angelus, sed ipse Deus Labano apparuerit, vt militum ardorem frænarit. Ipsum dubium dubij est responsum: illic erant leones frænandi, hic milites: ergo ad nostram eruditionem Deus ad lacum Angelum deleganit, ipse ad reprimendos milites venit; quasi difficilius fuerit militum reprimere insolentem audaciam, non adeò arduum frænari truculentam leonum ferociam. Opportunè Hugo ad Gen. 31. *Constringit Dominus ardorem militiæ.* Quid certius? Quid luctuosius?

Iudic. 18. v. 18.

Gen. 31. v. 24.

Dan. 6. v. 22.

TEXTVS.

VERS. IX. Et percutiebat Dauid omnem terram, nec relinquebat viuentem virum, & mulierem: tollensque oues, & boues, & asinos, & camelos, & vestes, reuertebatur, & veniebat ad Achis.

§. XI.

Nonnullis peccatoribus idem est vita mulctari, ac à voluptatibus diuidi.

Voluptas.

HOmines ratione exornati ita voluptatū præstigijs infatuantur, vt nil videatur acerbius, quàm delicijs noxijs carere, & à voluptatibus diuidi. *Ille effusus in voluptates* (aiebat Seneca de vita beata c. 12.) *reptabundus semper, atque ebrius, quia scit se cum voluptate viuere.* Vt ebrij sopita ratione exerrant; ita voluptatibus infatuati delirant: viuere se, arbitrantur, si delicijs, ac voluptatibus fædis indulgeant, & mortem oppetere, si voluptatibus careant. Vt hanc veritatem exprimeret Textus, Dauidem ait virum, & mulierem viuere non permisisse: *Nec relinquebat virum viuentem, & mulierem.* Glossa Moralis ait his factis Christi Domini vmbram gessisse; nam Christus veritatis, & cœlestis doctrinæ gladio errores præcidit, & homines ad virtutis agnitionem adducit: *Per hoc, quòd Dauid agebat prædas de gentibus circumstantibus, & neminem viuificabat, significatum fuit, quòd Christus per prædicationem Apostolorum occidebat errores*

gentilitũ. Cùm imago debeat pro totypo assimilari, iuuat expendere, quid similitudinis habeat vita mulctare, cum à cæcis erroribus homines auellere: vita priuari est detrimentum, errorem expungi commodum: ergo nequiuit commodum adumbrari per detrimentum; immò vt quàm fixè, tenaciterque peccatores inhæreant errori, & quàm grauiter ferant à voluptatibus diuidi, Textus exprimeret, mortis, & quidem violentæ penicillo delineauit reluctantiam, & renitentiam. Est enim aliquibus non minus durum, quàm occidi, à voluptatibus suis auelli. *Oculus adulteri* (aiebat Iob) *obseruat caliginem. Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis, & sic in tenebris quasi in luce ambulant.* Qui insanæ libidinis ardore exæstuat, obscuram amat caliginem, & vt occasione fruatur, & delicietur: huic nihil adeò amarum, quàm eius laqueos luce detegi, & rutilo resplendentis auroræ exortu impediri: ergo mors est illi aurora, quia morte præpeditur insania; tenebris viuit, quia delicijs inhæret, luce splendenti emoritur, quia à voluptate diuiditur. Itaque subit mortem, vt fædam exerceat in tenebris voluptatem. *Qui adulterium perpetrare desiderat* (inquit Gregorius lib. 16. Moral. cap. 25.) *tenebras exquirit.* Nihil carnis negotia tractanti tenebris optabilius, aurora nihil amarius: nam cùm lux sit voluptatis impedimentum, secum affert libidinoso mortis supplicium. Vt Iosue solem, vellent auroram tardare, & occasionem voluptatis producere.

Iob. 24. v. 15.

§. XII.

Nonnulli vt liberius possint prædari, cum magnatibus solent prædas partiri.

Præda. Magnates.

INiuria est Reipublicæ læsa iustitia, nec permitti debet inultum, quod reclamante lege constat perpetratum. *Quæ enim præsumptio* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 15.) *plectenda non audeat, si sacræ iussionis reuerenda contemnat.* Non audet præsumptio sæpesæpiùs reuerenda iussionis contemnere, & idcò prius sagaci astutia tale patrocinium curat nanciscì, quo perpetrati criminis possit timorem frustrare: cùmque sæpè officijs, obsequijsque patroni acquirantur, qui decreuit delinquere, decreuit etiam patrocinium coemere, eosque satagit muneribus sibi deuincire à quibus quiret delinquens pœnam infligendam vereri. Dauid iustè agebat prædas de gentibus ditionem Israelitis debitam occupantibus; verùm quia Achis Geth Princeps, cui tunc seruiebat, querelis posset commoueri, & Dauidem supplicio afficere, hac vtebatur cautela, prædas scilicet ad Achis deferre, vt ex eis quidquid placeret, assumeret, & ab inquisitione cessaret: *Tollens oues, & boues, & asinos, & vestes, reuertebatur, & veniebat ad Achis.* Huius aduentus causam fuisse prædictam, testatur Abulensis *quæst.* 24. *Cùm veniebat de præda, prius quàm iret in vrbem suam, ferebat totam prædam ad Achis, offerens ei illam, vt acciperet indè, si quid vellet: & hoc modo per affectuosa obsequia Dauid inducebat animum Regis ad se.* Non violabat Dauid gentes deprædatus, iustitiam; verùm vt liberiùs posset prædari, Achis offerebat prædam, & Achis eo illectus lucro labia sigillabat silentio. Itaque Dauid prudenti vtebatur cautela, vt exhibitum officium deprædationi anferret impedimentum. Quod Dauid licitè egit, plures imitantur illicitè; missi, vt taceantur iura, & dignis pœnis puniant scelera, solent muneribus corrumpi, & æquitatem violare: ergo sibi præcauent, & de prædis offerunt, sicque quas vereri possent, pœnas effugiunt. O tempora! ô mores! Eua legem transgressa est arborem deprædando: *Tulit de fructu illius, & comedit.* Post pomi gustum partem obtulit Adamo: *Deditque viro suo, qui comedit.* Non inuenies Adamum in Euæ delictum inuectum, aut in serpentem iratum. Ecqua huius causa? Profectò non ignorabat mulierem rapina infectam, & alloquio serpentis sordidatam. Cur ergo tacuit, qui punire delicta debuit? Quia Eua serpentina astutia partem rapinæ obtulit, & munus oblatum docuit silentium, abstulit visum. *Clauduntur oculi eorum* (inquit Hugo hic) *qui edunt de ligno scientia boni, & mali*: Qui edunt, non vident: ergo Eua, vt quodammodò auferret visum, de rapina superiori obtulit pomum.

Gen. 3. v. 6.

TEXTVS.

VERS. X. Dicebat autem ei Achis: In quem irruisti hodie? Respondebat Dauid: contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Ierameel, & contra meridiem Ceni.

§. XIII.

Sæpè sapius Principibus veritas tegitur, & notitia varijs artificijs eluditur.

AVlici, politicique rerum, vt veræ sunt, ad Principem refugiunt peruenire notitiam, *Veritas.* vndè confugere solent ad obscuritatis cauernam, Benè morati refugiunt mentiri, sed benè morati etiam (si sua interfit) adnituntur veritatem varijs coloribus occultare. Tunica hyacinthina induebatur sacerdos, quia in Rationali ferebat doctrinam, & veritatem: *Induens eum tunica hyacinthina, & desuper humerale posuit, quod adstringens cingulo, aptauit Rationali, in quo erat doctrina, & veritas.* Solùm in cœlesti schola notauit Philo inueniri hyacinthinam tunicam, hoc est, veritatis declarationem. Ipsum audi lib. de Iudice: *Veritati adiunxit cognatam virtutum declarationem.* Apud politicos inuenitur veritas, sed aut umbris tecta, aut claritate nudata: refugiunt mentiri, sed nolunt clarè veritatem proferre. Dauid ab Achis Rege interrogatus eo artificio vtebatur, vt nec contra veritatem quid diceret, nec apertè veritatem patefaceret: *Dicebat ei Achis: In quem irruisti hodiè? Respondebat Dauid: Contra meridiem Iudæ.* Sub ea generalitate loquens vitabat mendacium, & ne Rex expresse veritatem agnosceret, politicum laborabat studium. Notauit Hugo Cadinalis: *Nonne mentiebatur Dauid? Non; sed ambiguè respondebat.* Dicendo contra meridiem Iudæ, relinquebat ambiguum, an irruisset in suos meridianam regionem incolentes, aut aduersarios plagam etiam meridianam habitantes: ergo, cùm sua interesset, vt Achis Israelitas Dauidi exosos existimaret, sic veritatem proferebat, vt Rex, in quos irruisset, non agnosceret, immò in suos irruisse delusus crederet. Abulensis *qu.* 25. fuisse mentitum, apertè confitetur: *Dicendum, quòd Dauid mentitus est hic.* Ecce in curia virtutis etiam studiosi mentiuntur, aut verbis ambiguis tegere veritatem conantur. Achis veritatem non dignoscebat, quia ne dignosceret, ars curabat. Adstipulatur nostro Sanctius:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sanctius : *Dauid , ne sua proderet consilia , aut aliquo se mendacio constringeret , sic callidè moderabatur responsum , vt Achis intelligeret tentatos esse Hebræorum fines , & ab illis abactam esse prædam.* Si Dauid clarè responderet , consilia sua proderet , & fortè Regis ingratiam subiret ; si arte non vteretur , se mendacio sordidaret : ergo , vt politicis de more est , interrogatus , sic aptabat responsa , vt veritatem tegeret , & interrogantem eluderet. O quoties clara rerum notitia carent Principes , quia etsi scisciteutur , interrogati adinstar oraculorum ita adaptant responsa , vt remaneant semper ambigua, juxta illud: *Aio te Æacidem Romanos vincere posse.* Si Æacides jaceret victus , vera protulisse videbatur oraculum. Si Romani jacerent attriti, eodem modo verùm videbatur responsum.

TEXTVS.

VERS. XI. Virum , & mulierem non viuificabat Dauid , nec adducebat in Geth , dicens : Ne fortè loquantur aduersum nos : hæc fecit Dauid , & hoc erat decretum illi omnibus diebus , quibus habitauit in Regione Philisthinorum.

§. XIV.

Iustæ querelæ timor edocet aliquando sæuitiam , & perpetratis cædibus emit cautelam.

Timor. TImor crimini semper annexus veretur notitiam , & nouo crimine solet adhibere cautelam. *Futuri expectatio timorem gignit* (inquit Philo lib. Quod deterius) *præsentis vsus mœstitiam.* Qui timet à se perpetrata euulganda , metu malo consiliario vsus multiplicare solet delicta. Cainus , vt hostiam vidit à Deo repudiatam coram Abelo , veritus fortè , ne parentibus renuntiaret , admissi criminis , latique dedecoris aggressus est impedire notitiam, vtque vitaret cruentam , execrandamque auxiliatricem , asciuit audaciam. *Interfecit eum.* Timore Cainum cædem perpetrasse tradit datus jam Philo : *Talis est infelicis vita , cui è quatuor affectibus contigerunt , qui molestiores sunt , timor , & dolor.* Se repudiatum Cainus indoluit , à fatre posse dedecus vulgari timuit : ergo contra fratrem desæuiit , & impiè occidit. Dum hæc scribo , non dissimilis casus accidit. Nam cùm quidam perpetrasset delictum , veritus , ne , qui notitia non carebant , vulgarent, occidit , & sceluus nouis sceleribus occultare procurauit. Dauidi licebat Dei hostes occidere , sed suis factis , quod illicitè contingere solet , expressit. Vt historiæ coloribus inspiciamus depictum , quod demiramur non semel patratum. Prædas agens de Gessuri , & de Gerzi, dispoliatorum apud Achis Regem verebatur querelas ; ergo vt periculo occurreret , eis auferebat etiam vitas : *Virum , & mulierem non viuificabat Dauid , nec adducebat in Geth , dicens : Ne fortè loquantur aduersum nos.* Itaque , ne dispoliati , cùm interpellarent , prædas ablatas aperirent , cæde antevertebat periculum , & dispoliatorum sanguine emebat silentium. Notauit Caietanus : *Ratio redditur , quare Dauid occidebat hostes ; videlicet , ne viuentes venirent in Geth accusantes Dauidem.* Timor , vt vitaret dispoliationis notitiam , grauiorem mortis inferebat nudatis pœnam. Sæpè aduerti sæuitiæ crimine Dauidem carere ; erat enim cædes , vt etiam deprædatio ei licita , quia gens illa morti cœlesti decreto destinata : verùm dum timore pulsatus deprædationi necem addidit, quod criminosis accidere solet , expressit. Grassatores viantes sæpè dispoliant , & ne à dispoliatis prodantur , timorem sopire perpetratis cædibus adnituntur.

Gen. 4. v. 9.

TEXTVS.

VERS. XII. Credidit ergo Achis Dauid , dicens : Multa mala operatus est contra populum suum Israel : erit igitur mihi seruus sempiternus.

§. XV.

Multiplicata flagitia veniæ spem solent auferre , & tam desperatus decernit semper vitio inseruire.

Peccatum. *Spes.* *Venia.* NVnquam oportet animum despondere (aiebat Apollodorus apud Stobæum *cap.* 111.) *hominem infortunatum.* Spes anchoræ adinstar fundat animum , ne reflantibus , secumque compugnantibus ventis cogitationum naufragium subeat , & pereat : confusis aliquando procellis , & cæcis pelagi vestigiis portus aliquis offenditur sorte inopina , & calamitate prospera. Ea tamen cæcitate solent peccatores laborare , vt peccatorum grauitate , multiplicitateque oppressi de salute recuperanda diffidant , & prosequi errores statuant. Ob id cùm Achis multis suorum cædibus Dauidem pollutum existimaret , eius jugum nunquam è cernicibus abacturum & protulit , & credidit : *Erit mihi seruus sempiternus.* Ac si diceret : Dauid tot suorum cædibus sordidatus posse in eorum amicitiam venire desperabit , sicque à mea ditione nunquam recedet. Fallebatur Achis , sed ipsa eius fallacia esse potest peccatoribus pro doctrina. Vbi existimauit Dauidem multis in suos offensis implicatum de venia desperaturum præsumpsit , & sibi pariturum credidit : *Multa mala operatus est contra populum suum Israel ; erit igitur mihi seruus sempiternus.* Seruitutis meæ jugum nunquam excutiet (secum ratiocinabatur) nam cùm suos repetitis adeò rapinis, offensisque exasperatos facile non sit placare , eliget desperata venia eorum augere odia, & mihi exhibere officia. Ita Abulensis *quæst.* 28. *Cùm Dauid egisset tanta mala contra Israel , vt arbitrabatur Achis , credebat , quòd impossibile erat eum reconciliare Israelitis, vnde semper maneret in seruitio Regis Achis.* Cùm tot cædibus, deprædationibus , injuriis contra Israelem Achis Dauidem putaret defœdatum, æternum sibi promisit seruum. Et quidem quod Achis existimauit delusus , peccator aliquando confirmat sceleribus prægranatus ; sibi nullam veniam præsumit , & imprudenti desperatione prosequi vitia decernit. Fallar, ni sub noctis ænigmate hanc veritatem Iobus tradiderit. *Noctem illam* (inquit) *tenebrosus turbo possideat ; non computetur in diebus anni , nec numeretur in mensibus ; sit nox illa*

Iob. 3. v. 6.

solitaria, nec laude digna. Ac si dicat: Nox illa erit solitaria, quia nec in diebus anni posse computari, aut in mensibus dinumerari præsumet. Et vndè hæc nocti desperatio, cùm alias noctes non ignoret in noctium censu annumerari, & referri? Iam respondet. Quia scit se magnis tenebrarum voluminibus defœdari, & præ aliis procellosis turbinibus concuti: *Tenebrosus turbo possideat*, id est, possedit; nec enim jam transacta quibat reuerti, aut caliginibus occupari. Itaque remanet solitaria, quia non audet diei accedere, nec noctibus propinquare caliginibus plurimis obscurata, & modum supergressis obscuritatibus impedita. Innuit Gregorius *lib. 4. Moral. cap. 33. Videre lucem æternam sicut est, non valet, quia hanc ei damnationis suæ cæcitas abscondit.* Non videt hæc nox posse auroræ luce illustrari, aut in numero mensium referri, quia tetris caliginum turbinibus impetita, desperat cæca. O quot culparum procellis, turbinibusque jactati amiserunt confidentiam, & decreuerunt prosequi culpam! Miseri illi à dæmonibus possessi lucem refugiebant, & de salute desperantes fœtorem sepulchrorum amabant. Christus Dominus, vt vlcus detegat, dæmonem rogat: *Quod tibi nomen est? & dicit ei: Legio.* Marc. 5. Ecce cur homo ille lucis esset refuga, quia cùm tot dæmonibus inseruiret, sepulchrum adibat, & vllam sibi affulgere posse lucem desperabat: verùm Christus Dominus desperatum menti restituit, vt ostenderet, à tot, tantisque dæmonibus occupatum eius clementiæ metas non vincere, posseque sanari. Ita Chrysologus *serm. 16. Desperatos videbat, quibus ibat diuina remedia largiturus.* Dum dæmonibus inseruientes desperarunt, ad quam cæcitatem adducant homines multiplicata crimina edocuerunt: & dum Christus tantis malis implicatos exoluit, satis ostendit amittendam non esse confidentiam, quia quantumvis ingeminentur peccata, non vincent diuinam misericordiam.

CAPVT XXVIII.

1 *FACTVM est autem in diebus illis, Philisthiim congregauerunt agmina sua; vt præpararentur ad bellum contra Israel: dixitque Achis ad Dauid: sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in castris tu, & viri tui: 2. Dixitque Dauid ad Achis: Nunc scies, quæ facturus est seruus tuus. Et ait Achis ad Dauid: & ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus: 3. Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israel, & sepelierunt eum in Ramatha vrbe sua. Et Saul abstulit magos, & hariolos de terra: 4. Congregatique sunt Philisthiim, & venerunt, & castrametati sunt in Sunam. Congregauit autem & Saul vniuersum Israel, & venit in Gelboe: 5. Et vidit Saul castra Philisthiim, & timuit, & expauit cor eius nimis: 6. Consuluitque Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per Prophetas: 7. Dixitque Saul seruis suis: Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & scisciabor per illam. Et dixerunt serui eius ad eum: Est mulier pythonem habens in Endor. 8. Mutauit ergo habitum suum, vestitusque est aliis vestimentis, & abiit ipse, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi: Diuina mihi in pythone, & suscita mihi quem dixero tibi: 9. Et ait mulier ad eum: Ecce, tu nosti quanta fecerit Saul, & quomodò eraserit magos & hariolos de terra; quare ergo insidiaris animæ meæ, vt occidar? 10. Et iurauit ei Saul in Domino, dicens: Viuit Dominus, quia non euenit tibi quidquam mali propter hanc rem: 11. Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita: 12. Cùm autem vidisset mulier Samuelem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul: 13. Dixitque ei Rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra: 14. Dixitque ei: Qualis est forma eius? Quæ ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul, quòd Samuel esset, & inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit: 15. Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me vt suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philisthiim pugnant aduersum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per somnia: vocaui enim te, vt ostenderes mihi quid faciam: 16. Et ait Samuel: quid interrogas me, cùm Dominus recesserit à te, & transierit ad æmulum tuum? 17. Faciet enim tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid: 18. Quia non obedisti voci Domini, neque feciisti iram furoris eius in Amalec: idcircò quod pateris, fecit tibi Dominus hodie: 19. Et dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthiim: cras autem tu, & filij tui mecum eritis: sed & castra Israel tradet Dominus in manus Philisthiim.*

20. Sta

20. Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa: 21. Ingressa est itaque mulier illa ad Saul (conturbatus enim erat valdè) dixitque ad eum: Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam in manu mea: & audiui sermones tuos, quos locutus es ad me: 22. Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualescas, & possis iter agere: 23. Qui renuit, & ait: Non comedam: Coegerunt autem eum serui sui, & mulier, & tandem audita voce eorum surrexit de terra, & sedit super lectum: 24. Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, & festinauit, & occidit eum: tollensque farinam, miscuit eam, & coxit azyma: 25. Et posuit ante Saul, & ante seruos eius. Qui, cùm comedissent, surrexerunt, & ambulauerunt per totam noctem illam.

TEXTVS.

VERS. I. Factum est autem in diebus illis, congregauerunt Philisthiim agmina sua, vt præpararentur ad bellum contra Israel: dixitque Achis ad Dauid: scions nunc scito, quoniam mecum egredieris in castris tu, & viri tui.

§. I.

Vt Deus puniat peccata, contra peccatores Martia sæpè adducit bella.

Bellum.

QVæ ex bellis sequantur mala, non facilè quibunt dinumerari, aut referri. Milites ad Martia bella semper intenti nesciunt morum seruare modestiam, immò suis ipsis afferre solent ruinam. Ab ipso remedio grauissimum promanat damnum, & exercetur præda, à quibus sperabatur custodia. *Inhumanus* (aiebat Pindarus apud Stobæum *cap.* 50.) *impius, & ferus est ille, qui bellum cupit in populo detestabile: occiduntur viri, consumitur igne ciuitas.* Quod si à propriis tot incommoda; quanta ab aduersariis, qui oblectantur cædibus, diuitantur spoliis, & nomen æternauere ruinis? Cœleste beneficium est tranquilla pace vti, vt durum flagellum bellis feruentibus perturbari. *Consilium atrox* (aiebat Cassiodorus 1. *variar.* 10.) *crudele præsidium ferina certatio.* Si præsidium proprium crudele, quàm erit aduersariorum ferale? Hinc est, quòd vt grauissima puniat peccata, Deus adducere solet bella. Philisthæi contra Israelitas producunt copias, & manus præparant obarmatas: *Congregauerunt Philisthiim agmina sua, vt præpararentur ad bellum contra Israel.* Quæ huius belli causa? Saulis, suorumque exoculata audacia, & insolens culpa. Quo Saulis seuerè Deus castigaret delicta, sæua Philistinorum attulit arma. Ita Abulensis *quæst.* 2. *Potest dici, quòd Deus mouit nunc Philisthinos, vt moreretur Saul; peccauerat enim Saul nimis.* Tranquillitate abusus æquitatem contempserat, leges violarat, Dauidem justum afflixerat: ergo Deus attulit bellum, ne inultum remaneret peccatum: sæpè namque concessa à Deo tranquillitas, dum voluptates sequitur, aduersariorum contra se excitat arma, & sustinet durissima prælia. Dauid impetitus patienter sustinuit, sed justitiæ oculus Philisthinorum agmina armauit. Nec enim Respublica vbi justitia ingemiscebat violata, frui potuit pace tranquilla. Isaias postquam retulit populum æquitatis oblitum, & delitiis immersum, graue imminere supplicium denuntiauit, & bella desudatura prædixit: *Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris: & opus Domini non respicitis.* Quid tunc? *Eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet.* Nabuchodonosorem contra Israelitas excitasse tradunt Interpretes, qui aquilæ adinstar cedros emedullauit, & leonis in modum rugitu perterruit. Concessa liberaliter à Deo tranquillitas, felicitasque ad vitiorum conuertebatur fomentum, & ad delitiarum auxilium: ergo vt seuerum sentirent judicem, qui pientissimum despexerant patrem, adduxit bellum, & armauit inimicum. Et quid illi Reipublicæ luctuosius potuit decerni, quando Dauid elegit pestem, vt vitaret militem? Ad rem Procopius apud Glossam: *Diuinam iram prouocabant.* Ita Dei nimio luxu prouocata, delitiarum exundantia offensa, cultus floriditate irritata durum bellum attulit, vt, qui sine modo delitiabantur, duris laboribus pressi ingemiscerent, & dignas pœnas exoluerent. Isai 5. v. 12.

§. II.

Qui pacta, fœderaque violat ambitiosus, ingemiscere solet agminibus aduersariorum oppressus.

Fœdus.

SÆpè ambitio stultè prudens, & imprudenter sapiens, fœdera, pactaque init cum aduersariis non animo fidem asseruandi, sed fallendi, opportunius quærit tempus, vt pacta violet, & fœdera ignoret: verùm dum sibi videtur consulere, contra se hostiles manus imminentur armare: ob fidem namque violatam viuidiùs inardescunt, & pertinaciùs insurgunt. *Virorum prudentium est* (aiebat Thucydides *lib.* 1. *in conc.*) *si non lacessantur iniuria, quiescere: bonum autem, si iniuria afficiantur, pace bellum mutare.* In campum Philisthæi copiosissimas militum manus producunt, & Israelitas prorsus debellare contendunt: *Congregauerunt Philisthiim agmina sua.* Quid in bellum Philisthinos modò compulerit, quærunt Interpretes; testanturque in campum prodiisse ob violatam à Saule fidem: nam cùm vtrique concessis induciis, aut pactis initis Philisthæi pacatè quiescerent, Saul occultis fraudibus, variisque artibus studebat eos impetere, & debellare: ergo, vt præsenserunt, dolo offensi, & fidei violatione irritati, ad summas Saulem angustias redegerunt, vt ipse aiebat: *Coarctor nimis*, & tandem vita priuarunt. Iam adornatum à Philisthæis bellum ob violatam fidem tradit noster Sanctius: *Fierè potuit, vt aliqua pacta cum Philisthæis inita legitimè, violauerit, quales essent inducia ad certum aliquod*

aliquod tempus, & alia, quæ inter hostes solent sanctè seruari. Dum fœdera sanctè inita, legitimèque firmata violat, sibi mortem præmaturat, quia acriùs, ac viuidiùs hostes inflammat. Refert de Cleomene in Apophthegmatis Plutarchus: *Inducias in aliquot dies cum Argiuis pactus tertia nocte sopitos, vt induciis frętos per insidias cepit adortus, ac partem eorum trucidauit, partem cepit. Insectantibus eum ob violatum iusiurandum negauit cum diebus in iureiurando comprehensas noctes.* Facetiis, ineptiisque rem seriam adeò grauemque colorauit; verùm sic violata fides fœminas etiam suorum offendit, & irritauit, vt arreptis armis eum depulerint, profligauerintque arbitratæ, & jure quidem, infidelem tam suorum, quàm aduersariorum esse venenum, & politices bonæ naufragium. Plutarchum audi: *Euenit ei, vt ab Argis, cuius causa inducias soluerat, deciderit multorum opera, quæ detraxerunt ædibus sacris arma, quibus eum repulerunt: post mente captus arrepto cultro semetipse inciderit.* Fædifragus cunctis odiosus, immò sibi ipsi interiit inuisus. Saul etiam violatis induciis sic ab aduersariis durè vrgebatur impetitus, vt proprio se gladio interfecerit, & violatæ fidei pœnas exoluerit. Sedecias sub quibusdam pactis à Rege Babylonis ad thronum

4. Reg. 24. v. 20. cuectus est, defecit tamen à fide: *Recessit Sedecias à Rege Babylonis.* Nabucho fidei violatione irritatus grandem produxit exercitum, & Sedeciam effossis priùs oculis carcere incluſit

Cap. 25. v. 7. vinculis constrictum, & oneratum: *Oculos eius effodit, vinxitque eum catenis.* Digna pœna, vt qui fidem fregerat ambitiosus, traderetur carceri vinctus, & cæcus. Opportunè Lira: *Fecit Rex Babylonis eum iurare per Dominum; quòd seruaret sibi fidelitatem, & tributum redderet.* Dum firmata juramento pacta violat, offensos hostes obarmat, & dum æquitatis leges transgreditur ambitiosus, ingemiscit despectus, & catenis ferreis premitur illigatus.

§. III

Dei beneficia durissima contra abutentes sunt arma.

Beneficium. QVi beneficiis abutitur, dignissimus est, qui, ne abutatur, beneficiis orbetur, quando fas non est ad auxilium prauitatis conuertere, quod liquet ad virtutis incrementum præstari. *Seruitia, quæ Gothis in ciuitate positis* (aiebat Theodahadus 5. *variar.* 39.) *superflue præstabantur, decernimus amoueri; non enim decet ab ingenuis famulatum quærere, quos misimus pro libertate pugnare.* Fas erat, vt qui regio fauore nobilitati, morum non custodiebant mensuram, Principis amitterent gratiam; nec solùm malo vsu deperduntur beneficia, sed etiam contra abutentes conuertuntur in arma. Achis, vt decreuit delectum contra Israelitas cogere, Dauidem studuit secum deferre: *Mecum egredieris in castris tu, & viri tui.* Prudentiæ refragari videbatur secum Dauidem ducere, & contra Israelitas armare. Quid opus est Achis exigua Dauidis manu, quando exundat Philisthinorum phalangibus, & instructis armatorum agminibus? Expende Dauidem Israelitis à Deo datum ad salutis tutamentum, ad gigantis excidium, ad aduersariorum flagellum, à Saule depulsum, & afflictatum: ergo Achis prudenter conjectatus est nullum è suis validè adeò Israelitas oppugnaturum, ac Dauidem expulsum, & profligatum: nam vt dignè tractatus esset validum Israelitarum propugnaculum, sic despectus, expulsusque erat veluti ineuitabile excidium: ergo prudenter Achis fortissima contra Israelitas arbitratus est arma, quæ accepta stultè despexerant beneficia. Innuit Lira: *Multum confidebat de probitate Dauid.* De fidelitate despecta, de probitate infamata magnum sibi sperabat subsidium, & inuictum opponebat hostibus castrum. Quid enim adeò Hebræis ominosum, vt Dauid tot insidiis appetitus, tot persecutionum voluminibus jactatus? Ipsa Dauidis probitas erat Israelitis calamitas, quandoquidem Dei imaginem gerens, vindicaret rigidus, quod Saul deliquerat ambitiosus. Igitur Achis cùm non ignoraret probum, Israelitis non dubitabat aduersum. *Multum confidebat de probitate Dauid.* Quid contra hominem acerbius, quàm aurum à Deo acceptum, & ad domum meretricis translatum? Acceperat pistor canistra delitiis plena, quæ in adipandis profugit auibus: ergo vt audiuit Ioseph prudentissimus conjector anes, dignum dixit illaturas supplicium: *Lacerabunt* Gen. 40. *volucres carnes tuas.* Itaque in ipsis eduliis à Prin- v. 19. cipe acceptis, & malè dispensatis præuidit appetentem calamitatem. Quid enim tam contra abutentem, quàm beneficium acceptum, & indecenter profusum? Prodest Philo *lib. de Ioseph: Ad hæc iuuenis vinam tale somnium non vidisses, aut non enuntiasses: Tria canistra dies tres significant, quibus elapsis Rex in crucem te tolli iubebit, truncum prius capite, atque ita volucres pascentur tuis carnibus.* In canistris vidit crucem, quia verti debuit in tormentum, quod amplum receperat beneficium. Aurum à Deo dilargitum, & in vitulum conformatum bibendum Moyses idololatris propinauit, vtque inuisceratum fuit, lethale conuersum est in venenum: *Dedit ex eo potum* Exod. 32. *filiis Israel.* Aurum, vt Interpretes volunt, in v. 20. labiis prælucebat, & quod apud homines solet delicta tegere, hìc contigit prodere. Sed esto digna indignatione percitus cui Moyses videatur zeli ardorem frustra moratus, quid enim ad vltionem opus erat aurum, cùm esset ad manum ferrum? Quid opus tempus in vitulo terendo insumere, & in cineres redigere? O vtilem nobis eruditionem! Aurum illud Dei erat beneficium, ad vituli insaniam detortum, vtque liqueret, nil adeò contra abutentem acerbum, vt acceptum beneficium, eis potandum præstitit aurum: Opportunè Glossa: *Qui commiserant idolatriam, in barbis pulverem auri præferebant, & rei interficiebantur.* Ipsum aurum conuersum est in venenum, & quo videbantur ditari, miserè contigit disperire.

TEXTVS.

VERS. 11. Dixitque Dauid ad Achis: Nunc scies, quæ facturus est seruus tuus. Et ait Achis ad Dauid: Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.

§. IV.

Melioris fortunæ splendor quamlibet notam aut inaurat, aut obliterat.

FElicitas eo apud homines nitore resplendet, vt, quidquid fœdum, inauret, quidquid obscu- Nitum, rum,

rum, illustret. *Squammatum, aut cornutum, aut plumatum amatorem, aut in aurum conuersum Danaidis* (aiebat Tertullianus in Apologetico *cap.* 21.) *Iouis ista sunt, & numina vestra.* Etsi Iuppiter aliquando squammatus, aut cornutus, quia auro copiosus, vti Deus cultus, & ad culmen dignitatis euectus, felicitatis, aurique splendor oculis imponebat, & quidquid fœditatis celabat. Achis etiam Dauidem aliis præfert, & capitis sui custodem constituit: *Ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.* Ipse, qui olim ab aula Achis vti insanus repulsus, & ob salinas defluentes despectus, modò Regi proximus, & cæteris eminet antelatus. Ecqua huius causa? quia modò copiosa militum manu instructus, & ducis splendore nobilitatus: sic melior fortuna quadam metamorphosi in alium demutauit, vt nullus dedecore opponeret obscuratum, immò eximiis deprædicarent omnes dotibus expolitum. Innuit Abulensis *quæst.* 4. *Quando rediit nunc Dauid ad Achis cum sexcentis viris, non putauit Achis, nec aliquis de seruis suis, quòd ipse fuerat, qui insanierat coram Achis: vnde recepit eum in magno honore.* Alia videbatur persona, quia erat alia fortuna; dignitatis splendor occuluit insaniam, & obscuram depulit notam. Prodigus prima stola indutus resplendet: *Proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius.* Chrysologus stolam, annulumque ait à secundis exemisse, & ad primum eleuasse. *Pater hic in secundis* (inquit *serm.* 3.) *esse non passus est peccatorem.* Verùm hinc oritur quæstio. Si natura eum secundum fecerat, quomodò à secundorum numero potest extrahi, & in primogenitorum censu collocari? Annuli splendore (respondet Chrysologus) & floridæ vestis pretiositate, eo auro, eo cultu quodammodò origo est inuersa, & demutata: natu major habetur, qui vt major vestitur? auri nitor secum attulit primatum, & expunxit quidquid obscurum: qui hædum non habuit, qui excolendo agro addictus, habebatur æstimatione secundus, quantumvis naturæ legibus antelatus. Diuitiarum namque splendor nobilem procudit prosapiam, & obscuram inaurat notam.

Luc. 15. v. 22.

§. V.

Sic suis Deus consulit, vt è Gordianis nodis eripiat, & cæcas difficultates dissoluat.

Prouidentia. Iustus.

EIs aliquando aulici, si bonis moribus instructi, tricis inueniuntur impliciti, vt facile non sit Gordianum nodum soluere, aut scindere. Regia munificentia nobilitati, honoribus, ac muneribus deuincti, iussis nequeunt refragari, nec cõtradicente conscientia implere. Hinc est, quòd si Carybdim fugiant, in Scyllam impegerint; si Scyllam vitarint, in Carybdim incurrerint. Dauid benignè ab Achis exceptus, multisque beneficiis obstrictus, arma jubetur contra Israelitas prensare. Non sine ambiguitate respondit, quia grauissimis se vrgeri difficultatibus sensit: *Nunc scies, quæ facturus est seruus tuus.* Si renueret Achis obtemperare, haberetur ingratus, si obtemperaret, cœlesti edicto probabatur aduersus, cùm ei non liceret in Israelitas arma prensare, bellumque inire. Itaque magnis æstuabat difficultatibus vtrimque pressus; si capitis Regis custos electus resiliat, apud omnes audiet ingratus; si obtemperarit, injustus: ergo verba protulit dubia, sperans cœlesti prouidentia ab eis cæcissimis difficultatibus eruendum, & sine conscientiæ morsu asseruandum. Quod & accidit: nam de Satraparum consilio jussus est à castris recedere, & loco sibi designato persistere: *Reuertatur vir iste, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in prælium.* A Rege dimissus ingratitudinis notam effugit, & culpam etiam vitauit. Notauit Lira: *Hic propter prædictam causam Dauid ad locum suum remittitur, quod à Deo factum est.* Nullus difficultatis videbatur exitus, & tamen inopinè inuentus est portus: nam si Dauid Achis partes susciperet, Deo esset injurius; si non susciperet, videretur ingratus; verùm Deus nodum implexum adeò dissoluit, & Dauidem eripuit. *A Deo factum est.* Daniel à Nabuchodonosore magnis honoribus auctus, ad dignitatesque inueniebatur euectus: *Rex Danielem ad sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei, & constituit eum Principem super omnes Prouincias Babylonis.* Hoc rerum statu superbus, ventotissimusque statuam construit, adorarique jubet: *Adorate statuam auream.* Si Daniel tot honoribus, ac muneribus obstrictus resiliret, Regis subiret ingratiam; si adoraret, grauissimam admitteret culpam. Quid tunc? Cœlesti dispositione factum est, vt grauissima aliqua exigente causa à Rege delegatus distaret, ne cum cæteris ad dedicationem concurreret: rationabili absentiæ causa Regis indignationem vitauit, & culpæ etiam occasionem effugit. Notauit Lira: *Dicendum, quòd fortè erat absens in extremis finibus regni propter magna negotia, supra quæ erat positus, vt visum est, vel infirmitate fuit impeditus.* Quàm fuit salubris infirmitas, quæ nec incurrit odium, nec peccatum. Quis non videat cœlesti dispositione absentiam, ægritudinemve accidisse, & difficultates adeò cæcas Danielem speciali prouidentia vitasse.

Infr. c. 29. v. 4.

Dan. 2. v. 48.

Dan. 3. v. 5.

TEXTVS.

VERS. III. Samuel autem mortuus est: planxitque eum omnis Israel, & sepelierunt eum in Ramatha vrbe sua, & Saul abstulit magos, & hariolos de terra.

§. VI.

Post obitum ostendunt infortunia, quantum prodesset prudentis, ac iusti viri prudentia.

Iustus. Prudens. Iustitia.

SI Respublica prudentiæ, æquitatisque fulcris innixa, vigebit florida; nam si quid infestet more nubis citò transit, & tranquillitas redit. At si ingemat violata justitia, si desideretur prudentia, adinstar elocati ædificij corruet, & ruina plurimas secum calamitates adducet. *Ciuitates viri sunt* (aiebat Eurypides in Phrixo.) *non solitudines. Nunquam sanè tuta, & secura potest esse ciuitas, in qua ius, & modestia omnis pedibus*

calcantur. Vbi juſtitia deſpicitur, vbi voluptas colitur, vbi violentia graſſatur, nil inconcuſſum perſiſtit, aut firmum. Ob id fortaſſis iterum repetit ſcriptura Samuelis obitum vti magnum Hebræorum infortunium: *Samuel autem mortuus eſt.* Noſter Salmeron *Proleg. 25. regula 4.* tradit ſæpè ſcripturam vti præterito perfecto pro pluſquam perfecto, juxta quam regulam minus erit obſcurus ſenſus, ſi ſic legas: *Samuel autem mortuus fuerat, planxeratque eum omnis Iſrael.* Quò Samuelis obitus ſpectarit repetitio, quærunt Interpretes, reſpondentque ob Samuelis monita Saulem abſtuliſſe Magos, & hariolos; aſt eo jam defuncto Pythoniſſam adiiſſe, & magiæ arte celebrem conſultaſſe: Quòd ſi Samuel viueret, non auderet, Hiſpane diceremus: *No ſucediera eſto, ſi Samuel viuiera.* Itaque Textus retulit magiam eraſam, & ſimul Magam conſultam, vt declararet quanta illi Reipublicæ Samuele ſuperſtite promanarint commoda, & quanta eo demortuo emerſerint detrimenta. Ita Abulenſis *quæſtione ſexta. Quæret aliquis, cur ſcriptura hic dicit de morte Samuelis, quia ſupra capite vigeſimo quinto, deſcripta fuerat iſta mors?* Iam dubium ſoluit: *Quia immediatè dicitur in litera, quòd inſtante bello conſuluit Saul Dominum; & illo non reſpondente conſuluit Pythoniſſam: & quia ſi Samuel vixiſſet, non fuiſſet opus, quòd Saul inquiſiuiſſet à Pythoniſſa, eò quòd ipſe reſponderet ad quæſtionem Saulis; ideò dicitur, quòd mortuus eſt.* Poſt Samuelis obitum quæ acciderunt, infortunia eloquentis adinſtar linguæ declararunt, quantum Reipublicæ intereſſet Samuelis præſentia, & quàm ſalubria ab eius ore promanarent conſilia. Saul erga agenda jam dubius hæret, & quod pejus eſt, Pythoniſſam impius adit. Reipublicæ calamitates clarè oſtenderunt, quantum Samuelis Reipublicæ intereſſet prudentia, quantum nòceret diſtantia. Cùm Auguſtus Cæſar indecoro laboraret infortunio: *Horum mihi nihil accidiſſet* (aiebat ingemiſcens apud Senecam *libro ſexto de Benefic. capite trigeſimo ſecundo,*) *ſi aut Agrippa, aut Mecænas vixiſſet.* Quam ſuſtinebat, calamitas eum edocuit, quanta Agrippa, aut Mecænas pollerent prudentia, & quantum eorum ad vitandum infortunium prouida intereſſent conſilia. Si Samuel viueret, nec Pythoniſſa adiretur, nec Saul anxia, dubiaque ſolicitudine diſcruciaretur: ergo referatur obitus, & ſimul calamitoſus Reipublicæ ſtatus, vt conſtet, quàm vtilis ſit viri ſancti, ac prudentis præſentia, & quàm eo carere grauis ſit mulcta. Vergente ad occaſum ſole feræ, quibus incluſæ tenebantur, deſerunt latibula, & inſidiarum obtendunt retia. Innocentis agni balatus oſtendit, quàm ſit vtilis ſolis præſentia, & quantas afferat calamitates eius diſtantia: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ.* Sol, dum adeſt, ferociam reprimit, ſecuritatem adducit, feras continet; ſi occubuerit, jam omnia turbantur, & confunduntur. Cùm ſol juſti, ac prudentis ſit imago, ſuo ortu, & occaſu deſignat, quanta à ſapientis conſortio promanent commoda, quanta, ſi deſit, vrgeant infortunia. Prodeſt Tertullianus de Reſurrect. carn. *cap. 12. Dies moritur in noctem, & tenebris vſquequaque ſepelitur. Funeſtatur mundi honor, omnis ſubſtantia denigratur, ſordent, ſilent, ſtupent cuncta.* Nox diem commendat, & præſentiæ eius vtilitatem declarat.

Pſal. 103. v. 20.

§. VII.

Qui vera dicunt, ſæpè magnatibus inuiſi, qui adulantur, pergrati.

VEritas ab exordio ab hominibus exulat, cum ea delitiæ, voluptateſque bellum ab initio geſſerunt, & delere penitus procurarunt. *Veritas* (aiebat Menander apud Stobæum *capite vndecimo, cœli ciuis eſt, & ſola fruitur conuictu deorum.* Cœli incola in terris eſt peregrina, à paucis benignè hoſpitio excipitur, immò vt hoſpes non gratus faſtidioſè repellitur: verùm etſi ab aliis patiatur repulſam, præcipuè à magnatibus, & Principibus. Aſſueti blanda pro veris audire auerſantur veraces, muneribus ſibi alliciunt adulatores: qui vera profert, præcipuè ſi ingrata, grauiſſima ſibi ſtruxit pericula. Saul omnes Magos, hariolosque occidiſſe refertur, cùm Pythoniſſa conſulitur: *Saul abſtulit Magos, & ariolos de terra.* Et cur non abſtulit Pythoniſſam, qui tantam hariolorum duro ferro meſſuerat copiam? Quia alij, reſpondet Lira, veritatem Sauli amaram prædicebant, ſcilicet regnaturum Dauidem: ergo qui anteà cum falſis reſponſionibus, fictis oraculis illuderent, mortis judicabantur rei; modò quia verùm prædicebant, vita exiſtimabantur indigni: cùm meris figmentis, falſiſque reſponſis conſulenti adulabantur acerbam mortis non luerint pœnam; modò veritatem prædicentes extremam tulerunt mulctam. *Dicunt aliqui, quòd eos interfecit, eò quòd vaticinabantur Dauid regnaturum poſt eum.* Suſpirabat Saul Ionatham regali corona redimiri, audiebat Dauidem Regem prænuntiari: ergo, quos magni habuerat, occidit, & quos tulerat falſos, occidit veridicos. Pythoniſſa figmentum pro Samuele, quod expetebat, oſtendit, & ipſo figmento placuit. Lepidè Tertullianus de anima *cap. 57. Nè putes alium fuiſſe, qui phantaſma adminiſtrabat, alium, qui commendabat, ſed eundem ſpiritum, & in pſeudo-prophetide, & in apoſtata facilè monui, quod fecerat credi, per quem Saulis theſaurus illic erat, vbi & cor ipſius, vbi ſcilicet Deum non erat.* Pythoniſſa conſulitur, dum fauſta reſponſa creditur, & jure exhorruit, quia an reſponſum Sauli placiturum dubitauit: extimuit, quia hariolos, Magoſque, quia veraces penitus eraſos conſpexit.

Veritas. Adulatio. Principes.

§. VIII.

Grauiſſimum Reipublicæ detrimentum eſt, ſi habeantur diuina oracula, quæ reuerà falſiſſima ſunt reſponſa.

COnſcientia, dum torquet, dum ſibi peccatorem oſtendit, pro remedio eſt. Habuerunt plures perpetratis ſceleribus latendi fortunam, ſed diſcruciantem effugere nequiuerunt conſcientiam, & dum internis ſtimulis adurgentur, ad prauitatis abjurationem quodammodò compelluntur. *Infixa nobis eius rei auerſatio eſt, quam natura damnauit* (aiebat Seneca *ep. 97.*) Nì-

Confeſſio. Penitentia.

quam

quam peccator fruitur interna tranquillitate, quantumvis externam pœnam effugiat sagaci industria, & industriosa cautela, quia interna discruciatur notitia. Tunc verò desperata res est, quando mendacium pro veritate amplectitur, quia conscientia infeliciter sopitur. *Maleficos* (aiebat Cassiodorus 9. *variar.* 18.) *vel eos, qui ab eorum nefariis artibus aliquid crediderint expetendum, legum seueritas insequatur. Quia impium est nos illis esse remissos, quos cœlestis pietas non patitur impunitos.* Reprehensibilis est insania præstare fidem hariolis, nam proferunt vt oracula, quæ à dæmonibus probantur conficta: verùm qualis est fatuitas permittere fatidicos venditantes figmenta, & somnia! Nihil sic Reipublicæ pernicioſum ac ariolus, pythonicusque; nam cùm à dæmone falsa accipiant, pro veris, & certissimis stultè curiosis venditant. Hinc est, quòd Samuel magnam adhibuit solicitudinem, vt Magi, pythonesque penitus abraderentur. Quid enim pernicioſius Reipublicæ, quàm pro veris falsa & audire, & amplecti. *Toto tempore* (scribit Abulensis *quæst.* 7.) *quo Saul bonus fuit, operabatur per consilium Samuelis.* Dum Samuelis consilio est vsus, fuit probus; ast dum increuerunt peccata, consulitur Pythonissa. Samuel nil solicitiùs curarat, quàm vt abolerentur arioli, vt qui nouerat eorum responsis eludi à natura datum conscientiæ remedium, & veritatis locum occupare mendacium. Iam Balac regnum ad occasum vergebat, cùm Balaam asciuit hariolum, à quo expectabat oraculum: *Misit nuntios ad Balaam filium Beor ariolum.* Balaam dæmones consulebat, à quibus falsa accipiebat responsa, quæ vt diuina venditabat oracula: ergo Balac adeò erat infelix, vt magnis muneribus adornaret ariolum, & emeret carè mendacium. *Vide* (inquit Oleaster hîc ad mores) *quibus consulit malis suis, nempè superstitionibus.* Consonat Tertullianus de Anima *cap.* 57. *Credo quia mendacio possunt.* Mendacio possunt Magi dæmonibus deteriores; nam dæmones sunt de veritate suspecti, isti verò habentur diuini.

§. IX.

Nihil sic Reges apud suos commendat, vt religionis studium, & diuini cultus solicitum desiderium.

Religio. NEquit Respublica firma consistere, ni veræ religionis vinculis constiterit illigari. Vera religio, supremi Numinis cultus, vt ab omni fraude inuenitur alienus, sic firmandis, stabiliendisque regnis probatur valdè opportunus. Errarunt antiqui falsa Numina pro Deo colentes; verùm omnibus insitum fuit oportere florere religionem, & summo honore haberi pietatem. *Non mirum igitur* (aiebat Valerius Maximus *cap.* 1.) *si pro eo imperio augendo, custodiendoque pertinax eorum indulgentia deorum semper excubuit, quod tam scrupulosa turba parvula quoque momenta religionis examinari videntur, quia nunquam remotos ab exactissimo cultu ceremoniarum oculos habuisse nostra ciuitas existimanda est.* Vt ciuitas floreret honestè, pertinaci cura religionis cultus florebat, ne marcescente cultu felicitas auolaret, aut saltem impia oscitantia marcesceret. Quod si in priuatis religionis studium ad se allicit animos, in Principibus præcipuè ad se conuertit subjectorum affectus; nam quem vident Dei cultu solicitum, suspicantur nullis sceleribus inficiendum. Saul, cùm erga se populum non sentiret propensum, vt animos alliceret, ad beneuolentiamque prouocaret, Magos, pythonesque regali edicto præcidit, & penitus de terra aboleuit: *Saul abstulit Magos, & hariolos de terra.* Religiosum se ostentasse, vt sibi populi conciliaret gratiam, & adaugeret beneuolentiam, tradit noster Sanctius: *Vt religiosi animi aliquod ederet publicum, & illustre testimonium, edicto cauit, ne vllus deinceps in suo regno permitteretur viuere, qui magicis artibus, & fallacibus responsis nimis credulum, & stultum populum deluderet.* Consonat Iustinus Martyr. *quæst.* 52. *ad gentes. Diuinatrices abstulit Saul, eo facto se Deum conciliaturum sperans, vt suam ille sententiam, qua eum, vt regno indignum, repudiauerat, mutaret.* Religionem studiosiùs tutatus est, sperans à Deo misericordiam, à subjectis beneuolentiam. Quid enim optabilius Reipublicæ, quàm Princeps religiosus, & religionis solicitus? Aaronis virga pulchris floribus vernans, & saporatis fructibus micans lites circa dignitatem diremit, & Aaronis principatum firmauit: *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui.* Num. 17. v. 8. Et cur virga sit Aaronicæ potestatis insigne, dignitatis fulcrum, & indubium supernæ electionis testimonium? Quia virga fluuium percussit, & Magorum serpentes deuorauit: *Deuorauit Aaron virgas eorum.* Exod. 7. v. 12. Quæ pro religione pugnauit, quæ Magorum figmenta atriuit, florida semper vernauit, & dignitate resplenduit. Religionis namque studium est regnorum stabile fundamentum. *Arrecta ceruice* (inquit Philo *lib.* 1. *de vita Mosis*) *immani hiatu non aliter quàm obiectos pisces circumquaque petitos absorbuit.* Dum Aaron magicas virgas oculos eludentes virga prorsus detriuit, humanam sibi gratiam conciliauit, & aduersus temporum injurias florido, fragrantique testimonio dignitatem stabiliuit, promouitque vt liqueat pro religione studium populi, cœlique fauore potiri, & dignitatem firmare.

TEXTVS.

VERS. IV. & V. Congregatique sunt Philisthiim, & venerunt, & castrametati sunt in Sunam. Congregauit autem & Saul vniuersum Israel, & venit in Gelboe. Et vidit Saul castra Philisthiim, & extimuit, & expauit cor eius nimis.

§. X.

Dæmones inuictum robur ostentant, vt etiam ante congressum pauido perturbatos timore vincant.

TImor acris robur eneruat, intellectus lucem obnubilat, prudentiam fascinat. *Homini timido nihil non obstrepit*, aiebat Eurypides in Mele. Dum exaggerat timor periculum, *Timor.*

dum fore non speratur remedium, animus prorsus cadit, & cedit. Ob id sæpè dæmon inuictas vires ostentat, vt dum expauescimus pugnam, ante certamen reportauerit palmam. Philisthijm dæmonum vmbræ in Sunam castrametati sunt, eo ordine, arteque dispositi, vt solus aspectus Saulem solicito timore obturbarit, & anxia solicitudine percelluerit: *Congregatique sunt Philisthijm, & venerunt, & castrametati sunt in Sunam.* In ipsa Israelitarum ditione castrametantur, vt disposita castra appetentis Israelitis infelicitatis essent prænuntia, quandoquidem si quid hosti permissum, est vlterioris calamitatis præsagium. Saul oppansis oculis hostiles copias intuetur, & pauore nimio concutitur: *Vidit Saul castra Philisthijm, & timuit, & expauit cor eius nimis.* Dum nimium trepidat, diffidit, & dum diffidit, miserè interijt. Mortem sibi, ne moreretur, asciuit, & inimicorum ipse vota compleuit. *Cum Palæsthinorum castra attentè prospiceret* (inquit noster Sanctius) *eorumque & numerum, & ordinem, totumque militarem instructum esset contemplatus vehementer expauit.* Vt carnifices aliquando plus obtinent instrumentorum ostensione, quàm ipso cruciatu; sic dæmones, dum graues ærumnas, ni cesseris, repræsentant, dum futuras calamitates, ni crimen admiseris, denuntiant, dum infortunia exaggerant, solent metu extorquere, quod forsitan ipse non obtineret dolor, aut suaderet angor. Cùm Cyrus acies suas adornasset, & Elisæum Prophetam noctu obsedisset, eius minister equorum, curruumque aspectu acri adeò timore perculsus est, vt totus pauitaret, & hostiles se posse manus euadere non præsumeret: *Heu, heu, heu, Domine mi, quid faciemus?* Propheta prius studuit puero animos indere, quàm hostiles acies obcæcare: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Armatis aciebus, instructis mambus puer euadere posse diffidebat, & captiuum se deplorabat, eo timore quodammodo illigatus, & pannico metu impeditus, nec decertare præsumebat, nec fugere: ergo Elisæus trepidanti indidit animos, promisit triumphos: *Plures nobiscum sunt, quàm cum illis.* Grauius puero detrimentum à pusillanimitate, quàm hoste. *Hic notat* (inquit Rhabanus apud Glossam) *qui pusillanimitate cordis pœnas verentur corporales.* Puer hic eos præsignabat, qui ad tentationum aspectum, ad calamitatum intuitum pusillanimes se se dedunt; & manus nexibus inserunt.

4. Reg 6. v. 15.

§. XI.

Anxius & solicitus semper timor est mors gemina, vita morte multiplici discruciata.

PSaltes, vt quam ærumnosam vitam ageret, testaretur, aiebat: *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me: timor, & tremor, venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Tenebris jam datus nec finiebat vitam, nec mortis depellebat angustiam: viuebat, vt moreretur, moriebatur, vt viueret. Adest Euthymius: *Tenebræ, nimirum mœstitiæ, ac doloris, quæ non mediocriter humanos animos obtenebrant, atque confundunt.* Tremor quatiebat artus, metus hebetabat oculos, omnis sensus fatiscebat, gelascebat animi sanguis, & jam in demortuo veluti corpore solùm timoris ægrimonia persecurabat, & Dauid solùm vt torqueretur, viuebat. *Omnia sanè mala* (aiebat Diogenes apud Stobæum cap. 8.) *plus terrere solent eos, qui ipsa futura expectant, quam vbi jam acceßerint, molestare. Metus enim tam improbus est, vt multi rem, quam metuunt, ipsimet anticipent.* Iam sibi anticipant, quam nonnulli calamitatem expectant: vnica miseria ad tormentum duplicatur, & ad cruciatum augetur; nondum est, & jam pungit, quia acer præmaturat dolorem timor, & intempestiuus animum discruciat angor. Saul nimio refertur pauore perculsus: *Expauit cor eius nimis.* Si quæras, cur graui adeò timore fuerit obturbatus, respondebit Abulensis *quæst.* 12. cum à Deo pauorem incussum, vt veluti geminata morte interiret, & tot criminum pœnas exolueret: *Deus incussit timorem cordi eius ad hoc, vt ipse consuleret de eventu belli præ timore, & cognosceret mortem suam, atque afflligeretur dupliciter de morte, scilicet quando moreretur, & nunc, antè quàm moreretur.* Mors jam aderat metu anticipata, vt torqueret, & futura erat, vt discruciaret; itaque nec discrucians adimebat vitam, nec vita concessa pœnam. Caino longam vitam concedit Deus, terroribus tamen obturbatam, & anxietatibus solicitis plenam: *Vagus, & profugus eris super terram.* Septuaginta habent: *Gemens, & tremens eris super terram.* Cætera mortuus solùm viuebat, vt mortis expectatione torqueretur, timor namque acerrimus non permittebat viuere, nec vita producta mori. Philo lib. de Præmijs, &c. ait, dignum fuisse, vt qui in fratricidio nihil impietatis, ac violentiæ prætermiſit, & morti iannam aperuit, nouum, & præ morte acerbius experiretur supplicium, & grauissima admodum mulcta hoc in sæculo exoluere inciperet perpetratum. Philonem audi: *Quoniam igitur nouum erat facinus, oportebat nouam panam in id statui. Et quam tandem? Vt semper moribundus viueret, damnatus morte infinita quodammodò.* Acerbo adeò præcordia quatiebantur terrore, vt mitiùs cum eo ageretur, si semel periret, quam si semper trepidaret; verum non sceleri nouum statui oportebat tormentum, & infinitæ quodammodò mortis supplicium.

Psal. 54. v. 5.

Eimar.

Gen. 4.12.

§. XII.

Bona conscientia inter solicitudinis causas degit tranquilla, mala semper timoribus agitata.

VIrtus affert solidum gaudium, & est animi timoris exilium. Nunquam tuta, impolluta- Conscientia
que conscientia nimium trepidat, immò tranquillis, imperturbatisque oculis didicit spectare quæ mala solet horrere. Rectè Seneca Epist. 76. [Ipsa contemplatio futuri operis inuat: & vir fortis, & iustus, cùm mortis suæ pretia ante se posuit, libertatem patriæ, salutem omnium, pro quibus dependit animam, in summa voluptate est, & periculo suo fruitur.] Vir iustus, cum nihil in morte sua intuetur sordidum, approximari non expanet, immò quo vera frui libertate quiuerit, exolui gaudet. Honestum, & lucrosum periculum impauidis oculis spectat, immò laudabili voluptate fruitur, dum patitur: præsens de futura morte percipit gaudium, quia cogitat pretium.

Dauid

Dauid ea constantia munitus, ea animi fortitudine fuerat obarmatus, vt castris hostilibus circumvallatus, & ipsa jam morte quodammodò impetitus tranquillitate frueretur. Ecquis hoc
Psal. 16. v. 3. ait: Ipse profectò: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.* Vides inter hostilia castra interitum, aspice Absalonis pueri, fi-
4. Reg. 15. v. 14. lijque metu pauitantem, & ausugientem: *Surgite, fugiamus, neque enim erit nobis effugium à facie Absalon.* Alibi etiam hunc tremorem ex-
Psal. 54 v. 5. pressit: *Formido mortis cecidit super me.* Ecqua discriminis causa est? Quia anteà Dei bella gerens pro religione, ac omnium salute pendebat animam, posteà intemperantiæ soluebat meritam pœnam: Ergo vbi conflictus cum gigante pretium considerauit, ambiuit. Vt repetat Seneca: *Nihil cunctatus desiliet in mortem, facere rectè pieque contentus.* Si Dauid opponeres à gigante dilaniandum, & canibus obijciendum, responderet; Quò honestas vocat, alacris tendo, cætera extra me sunt: verùm cùm animum sensit criminibus sauciatum, ingemuit, & timuit, & pauit. Notauit Euthymius ad hunc Psalmum: [Quomodò alibi dicit: Non timebo millia populorum circumuallantium me, & alia huiusmodi multa, & nunc apertè timorem fatetur? Quia scilicet sentiens tunc diuinum auxilium, summa erat plenus fiducia.] Anteà Dauid sic elucebat humanus, vt Saulis curam gereret, & à discrimine eriperet: inuitantem despiciebat purpuram, pro Salute populi exponebat alacriter vitam: quid ergo timeret, cui ambiendum confligere, immò & mori? Postquam verò suis oculis captus deliquit, & maritalem thorum defædauit, puerum extimuit, & mortis vmbram exhorruit. Idem Sauli videtur accidisse. Sexentis solùm militibus cinctus immetata Philisthinorum castra non solùm non extimuit, sed euertit; modò magnis Israelitarum copijs armatus expauit: *Timuit, & expauit cor eius nimis.* Ecqua huius discriminis causa est? Quia se multis sceleribus modò sauciatum sentiebat, inquit Abulensis *quæst.* 12. trepidabat: *Recensuit Saul populum, qui inuenti fuerant cum eo quasi sexcentos viros: nunc autem habebat secum Saul totum Israel, & timuit, vt patet hic.* Ipsum, quod modò habebat, subsidium, adangebat eius tormentum, quia verebatur fore inimicorum spolium. Mala conscientia sæua semper præsumit, fortunam honestà despicit.

TEXTVS.

VERS. VI. Consuluitque Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per Sacerdotes neque per Prophetas.

§. XIII.

Virtutum exambiuntur elogia, sed impendenda excusantur pretia.

Elogium. Virtus.

NOn numisma splendens argentum solùm, & aurum est (aiebat Eurypides in ædi.) *Sed & virtus hominibus moneta recondita est omnibus, qua vti conuenit.* Vt auro obtineri solet apud sæculum dignitatis splendor, & honor; ita virtute pretiosiori moneta obtinetur honor, & splendor: verùm ea homines delirant insania, vt cùm suspirent virtutis commoda, recusent laboris pretia. Saul in magnas deuenit angustias, Philisthinorum instructas copias intuitus, & quibus obsisteret, viribus denudatus: ergo quod vnicum restabat solatium, cœleste adit oracultum, sed spe frustratus, non est sortitus responsum: *Consuluitque Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.* Inter plures huius silentij, causas ex Hebræorum sententia tradit Rhabannus non exiguam fuisse, quòd cùm Hebræi oraculum consulentes austeris se ieiunijs exponerent, & orationi vacarent, Saul incuriosè omisit, immò contempsit: ergo oraculum etiam tacuit. Audi Rhabannum apud Glossam: *Sicut Hebræi tradunt: ieiunando, & orando à Deo petebatur oraculum, & Deus illis per somnia reuelabat futura, quod Saul fecisse non legitur.* Consonat Lira: *Dicunt hic aliqui, quia in tali requisitione debebant ieiunia, & orationes præcedere, quod non fecit Saul.* Itaque cum præcedere opus esset ieiunium, & orationem ad excipiendum cœleste responsum, Saul ambiuit oraculum, sed recusauit ieiunium. Et quidem quod Sauli semel, accidere videas multoties. Plures se ad cœlestia beneficia excipienda, vt fas est, nolunt disponere, & discupiunt obtinere. Castitas exigit carnis afflictionem, ieiuniorum austeritatem, orationis solicitudinem. Sunt tamen, qui omnia hæc omittant, & candorem castitatis exambiant.

TEXTVS.

VERS. VII. Dixitque Saul seruis suis: Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam. Et dixerunt serui eius ad eum: Est mulier pythonem habens in Endor.

§. XIV.

Aliquando politici non se attemperant religioni, sed religionem accommodant tempori.

Politici. Religio.

REligio vera vnum Deum agnoscit, & tributa cultus debita pendit, nec hominum error eò se protendit, vt crederent inutilem religionem. Circa deos controuersia fuit. Deus non erat, quem Senatus consultus repudiasset, & erat Deus, cui fumantes nidore aras decreuisset. Superstitiosi pro errore, aut vtilitate deos exaugurabant, aut impia consecratione colebant. *A Numa* aiebat Tertullianus in Apologetico cap. 23.) *concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris, aut templis, res diuina apud Romanos constabat. Frugi religio, & pauperes ritus, & nulla capitolia certantia cœlo, sed temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & nidor ex illis, & Deus ipse nusquam.* Itaque Numa superstitionis curiositate struxit superba altaria non de rudi lapide, aut lutoso

cespite. Hanc superstitionem posteà posteri expoliuerunt, & maiori, sumptuosiorique pompa, ac ceremonijs propagarunt. *Nondum* (prosequitur Tertullianus) *tunc ingenia Græcorum, atque Thuscorum fingendis simulacris vrbem inundauerant.* Alij aras Baccho dicantes religionem vinositati attemperabant; alij accommodabant libidini, inanibus Venerem ceremonijs colentes, & ex tunc politices incepit esse arbitra religionis. Saul Magos, harioloſque abstulit, vtpotè sanctæ, veræque religionis pestes: *Saul abstulit Magos, & hariolos de terra.* Non multò post Pythonissam adijt, & vanissimis, illusorijsque ceremonijs sanctissimi Prophetæ animam euocandam præsumpsit: *Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam.* Quas edicto damnauerat ceremonias, jam approbat, quia sibi congruere existimat. *Descripta occasione consulendi Pythonissam, scilicet, timore Saulis de apparatu Philisthinorum* (inquit Lira) *& negatione diuini responsi, hic consequenter describitur Pythonissæ consultatio*: Iam Python consulitur, quia Saul sibi expedire præsumit; jam exterminatur, quia congruere sibi credit. Opportunè Iustinus Martyr *quæst.* 52. ad gentes: [Diuinatrices adstulit Saul, eo facto se Deum conciliaturum sperans, vt suam ille sententiam, qua eum, vt regno indignum repudiauerat, mutaret. Non ariolorum odio habens impietatem, sed regni adamans administrationem.] Vbi arbitratus est ad regni administrationem conducere Magos expungere, repulit; vbi ad regni administrationem, & euersionem hostium arbitratus est posse quid necromantium vtilitatis afferre, Pythonissam adiuit. Subdit Iustinus: [Et quia consilium eius Deus non probauit, propterea eum ita reliquit, vt illos is requireret, quorum non bono instituto patrauerat cædem.] Vbi sperauit consilia sua Deum probaturum, interemptis magis, religiosum exhibuit obsequium: vbi Deum suis votis suffragari non sensit, ad consulendam Pythonissam transiuit. Ieroboam Dei veri olim cultor, vbi ad regnum euectus est, secum per otium cogitauit, an vtilius sibi foret, patriam religonem inuiolatè seruare, an ad Ægyptiorum vitulum colentium impietatem transire? Ambitione cæcus, & regnandi desiderio sufflammatus, apud se statuit sibi conducibilius esse aram vitulis struere, quàm altaria vero Numini dedicare: ergo vitulos effinxit: *Excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra ascendere in Hierusalem.* Vides religionem votis attemperari, non Ieroboamum religioni deseruire. *Cùm Ieroboam* (scribit Tertullianus lib. aduersus Iudæos cap. 1.) *vaccas aureas, & lucos colebant, & Baali se mancipabant.* Quos Princeps effinxit, vitulos populus coluit, & quia à populo colendos credidit, finxit: maluit regnum impietate fulcire, quàm illæsa pietate discrimini exponere. Quid verius?

3. Reg. 12. v. 28.

§. XV.

Sunt, qui veritatem quærant, vbi nequeant inuenire, & tunc, cum non possunt auscultare.

VEritas virtutis fundamentum, felicitatis fulcrum, fidei stabilimentum. Qui veritatem non nouit varijs errorum fluctibus iactatus circumagitur, & inutilibus, infructuosisque laboribus teritur. *Hanc ego moneo ad tuto viuendum* (aiebat Mænander in Rhapi) *præcipuam esse partem.* Hinc est, quòd homines & veritatem affectent quærere, & sibi ipsis gestiant imponere; ibi quærunt, vbi nequeunt inuenire, tunc, quando fas non est auscultari. Opportunè Seneca 6. de Beneficijs cap. 32. *Regalis ingenij mos est in præsentium contumeliam amissa laudare, & his virtutem dare vera dicendi à quibus jam audiendi periculum non est*: Dolebat Augustus Agrippam, Mecænatemque è vinis excessisse, vt qui ab eis audire veritatem desideraret. Non erat arduum similes interrogare, & ab eis discere: verùm à quibus posset audire, non consulebat, defunctos audire desiderabat. Lepidè satis Stoicus: *Maluit queri, quàm quærere.* Maluit se non habere veraces conqueri, quàm audire. Saul etiam veritatis ad speciem indagator Pythonissam adit: *Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam.* A pythone veritatis interpolatore, mendaciorum architecto requirebat veritatem, cum ibi, ni diuina prouidentia excitatus Samuel verum reddidisset oraculum, merum auscultasset figmentum. Vt verum fuerit, quod aiebat Mænander jam datus: *Veni veritas in lucem interdum non quæsita.* Vbi nequibat veritatem inuenire, quærebat. Cælesti prudentia Samuel excitatus futura prædixit: Saul verò à Pythonissa exigebat oraculum, à qua solùm audire quibat commentum. Audiuit Princeps veritatem, sed insolito prodigio, quasi veritas sine miraculo ad Principum aures non perueniat, nec blandis assuetas mendacijs instruat. *Describitur.* (inquit Lira) *Pythonissæ consultatio.* Pythonissa quæritur, & consulitur, quæ dæmonis lingua, instrumentumque architectabatur commenta, & respondebat mendacia. Ridebat Tertullianus gentilium amentiam in Apologetico cap. 25. Nam cùm Marcus Aurelius fuisset ireremptus 16. Kalend. Aprilis, Archigalus quidam apud eos sanctissimus, de salute, euentuque solicitus nuntios ad Cybelem misit rei prorsus insciam, & omnibus irridendam: *Excessum Imperatoris non antè Cybele cognouit.* At præteritorum insciа præscire adlaborabat futura, & à Cybele, quam satius erat instruere, fatagebat indagare. Cùm Ochorias morbo corriperetur, Beelzebub de euentu consultum misit: *Consulite Beelzebub 4. Reg. 1. v. 2. deum Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac?* Ab eo, cui nulla ægritudinis præsentis notitia, futurorum quærebatur præscientia. Quasi mos sit Principibus ibi veritatem quærere, vbi nequiuerint inuenire. Prodest Lira: *De consilio matris suæ Iezabel, quæ erat idololatrix pessima, & ideò fecit eum recurrere ad idolum, & non ad Deum.* Non quærebat à Deo, à quo audire posset, veritatem, sed ab idolo notitiæ prorsus experte.

§. XVI.

§. XVI.

Fœminæ vt plurimum veneficijs concinnandis addictæ, & superstitionis reæ.

Veneficia.

FÆminæ ab exordio inueniuntur serpentibus mendaciſſimis familiares, Euam imitantur cum ſerpente colloquentem & ſerpentem ſciſcitantem. Adam non eſt ſeductus, Eua ſeducta fuit in præuaricatione ſerpentis: hæc ſeductio, aut ad ſeductionem procliuitas quaſi hæreditario iure ad fœminas deriuata eſt. Neſcias quo pruritu ducantur ad ſortilegia, ad auguria ad ſuperſtitionis commenta. *Cum ruditas, & ignorantia de dijs* (aiebat Plutarchus de ſuperſtitione) *mox ab initio duobus riuis labatur: hic in animo quaſi ſolo duro, & renitente impietatem; ille ſicut in humido, & molli imprimit ſuperſtitionem.* Vt mulieres frequenter molli ſunt ingenio, facilius ſuperſtitionem ebibunt, & inuiſceratam colunt. Ab exordio mulier ſuperbia eſt inflata, cùmque Pythoniſſæ Numine exiſtimentur afflari, vt antiquis fœminæ deſiderijs quiuerint adulari, hanc diſcupiunt artem ſortiri. Saul anxius, de euentuque certaminis dubius mulierem Pythoniſſam quæri ſibi præcepit: *Quærite mihi mulierem habentem pythonem.* Et cur non virum, ſed mulierem? Quia faciliùs mulieres his ineptijs addictæ, & harum artium ſtudioſæ. *Deſcribitur* (inquit Lira) *Pythoniſſæ conſultatio.* Facile fuit Pythoniſſam inuenire, quia gaudent fœminæ his artibus præpollere. Puella pythonico ſpiritu agitata quæſtum magnum dominis ſuis diuinando acquirebat, & diuinationibus homines dementabat: *Quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis diuinando.* Miraculo opus fuit, vt puella quæſtum deſpiceret, & diuinationis plauſum contemneret: *Dolens Paulus, & conuerſus ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti exire ab ea, & exijt eadem hora.* Eximia ſuæ virtutis Paulus prodidit argumenta, non ſolùm quia dæmonem expulit, ſed quia puellam à diuinatione retraxit. Confœderati contra veritatem quæſtus, & plauſus dæmonis cauſam agebant, & puellam quodammodò ſtrictiùs illigabant. Et quidem fœminæ, vtpotè gloriæ ambitioſæ, laudiſque ſitibundæ, cùm ob has impias, ſtultaſque diuinationes celebrentur, ab eis diuelli ægrè patiuntur. *Paulus* (inquit Lira) *impoſuit illi puellæ ſilentium, ejiciendo ab ea dæmonium.* Adhuc depulſo Apoſtolica poteſtate dæmonio congruebat puellæ ſilentium imponere, ne ad antiquam rediret conſuetudinem, & exerceret ſolitam artem. Magna ſolicitudine debent fœminæ cauere alias, ſi hoc contagio agnouerint laborare; nam hæc peſtis, dum curioſitatem proritat, mentem infatuat. Plures, dum ſtulta curioſitate alliciuntur, ſuperſtitionibus ſordidantur.

Actor. 16. v. 16.

§. XVII.

Dignitate, aut nobilitate clarus ſtudioſè à iudice præteritur, cùm in alijs idem crimen pœnis ſeueriſſimis caſtigatur.

Pœna. Iudex. Nobilis.

QVi præclara aliqua dote apud ſæculum ſuget, impunitatis priuilegio frequenter gaudet. Diuitijs ſtipatus, à pœnis videtur exemptus, & cùm eodem in ſcelere teneatur reus, de induſtria ignoratur, cùm rigidè priuatus punitur: *Faciat* (aiebat Seneca de iudice, aut præſide lib. 1. de Ira cap. 5.) *vitiorum odium, pretium virtutum.* Virtutum pretium debet fieri, vitiorum odium; verum pretium fieri ſolet nobilitatis, & ſplendoris. Delinquentis diuitis legum præſes, eſt tutor, qui eſſe prauitatis cogebatur euerſor. Aut timor ignorantiam fingit, aut adulatio diſſimulationem protendit, aut aurum legem corrumpit. Generali, regioque edicto Magi omnes demetebantur, & quidem non erat inhumana feritas, ſed ſalubris Reipublicæ, ac pietate plena rigiditas, vt qui vanis phantaſmatibus, & deteſtandis ſuperſtitionibus nocuerunt viui, è viuentium numero prodeſſent meritis pœnis expuncti; & Reſpublica eorum morte vteretur ad documentum, quæ eorum fallacia peruenerat ad delirium: *Saul abſtulit Magos, & hariolos de terra.* E communi lege Pythoniſſa exempta eſt: *Eſt mulier Pythonem habens in Endor.* Si inquiras, cur mulier ſeueræ legis enaſerit pœnam, & quomodò auſa fuerit exercere beneficiorum fallaciam? Reſpondent Interpretes, Abneri militiæ Principis fuiſſe matrem: ergo legum executores corruperunt conſcientiam, ne Abneri indignationem incurrerent, & iuſtitiæ ſatisfacientes offenderent. Simile erat huius mulieris delictum, ſed ob nobilitatem, dignitatemque habuit priuilegium. Prodeſt Hugo: *Hebræi aſſerunt hanc mulierem fuiſſe matrem Abner Principis militiæ Saul, & ideo reſeruatam, cuius habitatio erat in Endor ciuitate.* Si vna eſſet ex mulierculis, jam ferro iacuiſſet præciſa, è viuiſque expuncta; verùm cum nobilis, & militiæ Principis mater eſſet, ſe contra edictum proprio fulgore texit, & veneficia exercens in ciuitate hominibus referta habitauit. Cùm Zebee, & Salmana ferro iugulum victi præberent, Iether nec educere gladium eſt auſus, interficiendorum timore correptus: *Non eduxit gladium: timebat enim quia adhuc puer erat.* Non erat exiguæ adeò ætatis, vt gladium non gereret, ſed ornatus ſplendor, maieſtatis fulgor oculorum Iether adeò aciem perſtrinxit, vt incuſſus præcordijs timor dexteræ vigorem prorſus eneruarit. Niipſe Gedeon Principes illos interfeciſſet, timor, vt à filio, à miniſtris vigorem expectoraret: *Surrexit Gedeon, & interfecit Zebee, & Salmanà.* Princeps inflixit pœnam, quia ſplendor miniſtrorum reprimebat audaciam. Hiſtoriam moribus adaptans Hugo ſic ait: *Dixit Gedeon primogenito, Chriſtus prælato, qui eſt primogenitus eius; habet enim duplicem portionem in diuiſione terræ, in ferculis, dicit, vt occidat vitia.* Qui vti primogeniti, & cæteris antelati duplicatis redditibus, ac honoribus munerantur, ad caſtiganda magnatum, ſplendentiumque vitia trepidantes pueri inueniuntur, gladium non audent educere, quia didicerunt timere.

Iudic. 8. v. 20.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. VIII. Mutauit ergo habitum suum, vestituſque est alijs vestimentis, & abijt ipse, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi: Diuina mihi in pythone, & ſuſcita mihi, quem dixero tibi.

§. XVIII.

Veluti procerum fatuum est adulationibus demulceri, & vera aut nunquam, aut rarò audire.

Veritas. Magnates.

OMnia incommoda excludere ſolet opulenta felicitas; vnius tamen rei inopia magna faſtigia ſolent laborare; quia ipſa hunc ſibi laborem adnituntur adſciſcere; libertatem vera dicendi aut timore extinguunt, aut adulationis auiditate depellunt; ignorant vires ſuas, & quia ſe magnos fingunt, ſe magnos, ac Deo ſimillimos eſſe libenter audiunt. Notauit Seneca 6. de Beneficijs cap. 30. *Ingentia ſuper ſe, ac ſuos regna fregerunt, nec intellexerunt, in illa ſcæna & vanis, & citò diffluentibus bonis reſulgente, ex eo tempore ipſos nihil non aduerſi expectare debuiſſe, ex quo nihil veri audire potuerunt.* Attrahunt ſuperuacua, & in diſcrimen peruentura, quia vtilia auerſantur officia à conſenſu, concentuque falſorum vendicare, eſſet debitum, & profuturum obſequium, verum quia illis ingratum, malunt ferè omnes, quàm indignationem veritate ſubire, blandis gratiam adulationibus promereri. Saul indagaturus veritatem, regium denudauit ornatum: *Mutauit ergo habitum ſuum, veſtituſque eſt alijs veſtimentis.* Et cur priuati habitu regales veſtes commutet? Quia ſi à Pythoniſſa agnoſceretur, (inquit Caietanus) timuit vera non auditurum adulationibuſque fallendum, priuatus voluit videri, quia veritatem ſtudebat indagare: ergo depoſuit ornatum veluti veritatis impedimentum: *Mutauit habitum ſuum, ne agnoſceretur à muliere.* Si mulier agnoſceret, mallet blandis allicere, quàm veris exaſperare. Nec probabilis ad ſpeciem cauſa mulieri deeſſet; nam Sacerdotes, per quos veritatem inquirere jam tentarat, prædicare infauſta noluerunt, ſed ſilentio ora ſignarunt: *Conſuluit Dominum, & non reſpondit ei neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.* Et cur Sacerdotes veritatis antiſtites non reſpondeant? Quia Sacerdos (inquit Abulenſis *quæſt.* 15.) cùm veracem Achimelech impio ferro non ignorarent trucidatum detrectarunt prædicere vera; ne ſibi ſolicitarent ſupplicia: Audi Abulenſem: *Fortè fiebat, quia Sacerdotes, & Prophetæ videntes interitum Saulis appropinquare, nolent ei denuntiare propter timorem. Samuel autem, qui mortuus fuerat, non timeret.* A defunctis coactus fuit veritatem inquirere, à viuis namque erat difficillimum auſcultare; nam libertas veritatem dicendi erat prorſus extincta, aut ſaltem timore frænata: ergo prudenter demutauit ornatum, vt audiret verum. Cùm purpuratus ille, gehennæ jam incola, fratres diuitijs, ſplendoreque nitentes ad veritatis agnitionem deuenire ad ſpeciem diſcuperet, ne vanis, citoque perituris fidentes eaſdem ſubirent pœnas, Lazarum mitti rogauit. Abrahamus illis non deeſſe Prophetas reſpondit: *Habent Moyſem, & Prophetas: audiant illos.* Sed dives inſtitit, vt Lazarus mitteretur, & dum de Prophetis etiam non benè præſumit, doctrinæ præter intentionem deſeruit: *Non pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Acſi dicat: Cùm fratres mei diuitijs, auctoritateque fulgeant, fortè Prophetæ etiam veritatem apertè dicere recuſabunt, mellientes aſpera, & emollientes ambiguis dura: ergo ni è mortuis aliquis adierit, nudam non audient veritatem, quia fortunati viuentibus incutiunt timorē. *Sicut dives petit* (inquit Chryſologus ſerm. 66.) *Deus pro Lazaro Lazarum miſit.* Quem deroſcebat dives, non miſit, ſed pro eo Lazarum quatriduanum è ſepulchris eruit, & tamen eo miraculo non tam recepta eſt doctrina, quàm exarſit inuidentia. Luc. 16. v. 29.

§. XIX.

Vel breuis ſuperioris abſentia multa afferre ſolet incommoda.

Suporius.

PRinceps (aiebat Plutarchus lib. ad Principem, &c.) *cuncta ordinantis ſimulacrum Dei.* Adnectit: *Qualem cœlo ſolem Deus ſupra modum venuſtam illiguuit ſuit effigiem, & lunam eiuſmodi in vrbibus ſimulacrum, & lumen eſt Princeps.* Sole vel ad breue ſpatium recedente, quanta incommoda ſequantur nullus ignorat: ceſſat vtilis hominum labor, ferarum gliſcit furor, latro audet, audacia viget: ergo cùm Princeps ſolis gerat imaginem, ſi diſceſſerit, omnia turbantur, & confunduntur. Huius rei non ignarus Saul, cùm conſulendam adire vellet Pythoniſſam, à caſtriſque aliquo, etſi breui tempore recedendum eſſet, habitum commutauit: *Mutauit ergo habitum ſuum, veſtituſque eſt alijs veſtimentis, & abijt.* Non ſolùm exutus eſt regio ornatu, ne à muliere agnoſceretur, ſed etiam ne breuis illa abſentia militibus eſſet nota. Quod ſi quæras, cur ſtudiosè adeò curarit, vt eius abſentia lateret caſtra? Reſpondebit Abulenſis *quæſt.* 22. timuiſſe, ne aliqua diſſidia emergerent, nec migia milites obturbarent: *Fecit hoc propter viros, qui manebant in caſtris, vt non cognoſcerent eum exire de caſtris, quia timerent propter Regis abſentiam, & fortè ipſi diſpergerentur: cum autem mutaſſet habitum, non cognitus eſt.* Subiecti ſuperiore abſente plus licere ſibi credunt, & quæ non tentarent, præſumunt: ergo prudenter vel breuem moram texit, & cautela, quàm ſubiectis ſuperioris abſentia noceat, explicuit. Chriſtus Dominus paſtis jam turbis diſcipulos compulit nauim incendere, & tranſfretare: *Statim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauim, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.* Cùm diſcipuli adeò eſſent expromti ad præſtandum obſequium, non videbantur compellendi, vt modò exequerentur mandatum. Cur ergo Euangeliſta illo verbo, *Compulit*, ad ſpeciem obſequentium notam, & iubentis non recuſet ininriam? Vel nutu inſinuet, & obſequentur. Profectò (inquit Hieronymus in Caten. D. Thom.) illud, *Compulit*, non obediendi reluctantiam ſugillat, ſed donec ſtrinalem timorem donotat. Verebantur, ne abſente ſuperiore aliqua exoriretur tempeſtas, quæ tranquillitatem concuteret, & turbaret. Matt. 14. v. 22.

Quod

Quod & accidit : nam scapha adspirantibus acriùs ventis iactabatur, & vndarum confusis voluminibus retundebatur : *Nauicula in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus.* Quodammodò præsagiebant, absente superiore futuram tempestatem, & nauiculæ turbationem. Ecce vbi abest Christus aspexit ventus reflat, vnda exsibilat, & nauicula hinc indè retusa viam ignorat : *Ostenditur* (verba sunt Hieronymi) *inuitos eos à Domino recessisse : dum amore præceptoris, ne ad punctum quidem temporis ab eo volunt separari.* Inuiti recedunt non obsequendi repugnantia, sed tempestatis quodammodò prophetia ; nam si superior absit, facilè pax concutitur, & tranquillitas perturbatur.

§. XX.

Contra se opinionem gignit, qui vestem demutat, & noctis patrocinium expectat.

Vestis. Nox.

CVm certum sit malè agentes auersari lucem, qui fugit lucem contra se ingenerat suspicionem : qui transfigurantur, & caliginibus absconduntur, aliquid moliri fatentur. *Naturam* (inquit Tertullianus de Pallio *cap.* 4.) *concussit Lariseus heros in virginem mutando.* Subdit post pauca : *Ecce itaque mutatio monstrum equidem geminum, de viro fœmina, mox de fœmina vir, quando neque veritas negari debuisset, neque fallacia confiteri. Vterque habitus mutandi malus, alter aduersus naturam ; alter contra salutem.* Propudiosa fuit mutatio, dum vir habebatur fœmina, dum fœmina vir : fallere voluit, qui formam demutauit. Iam Saul agnoscebatur cum dæmone negotium gerere, cùm demutauit ornatum, & noctis præstolatus est patrocinium : *Mutauit habitum suum, vestitusque est aliis vestimentis & abiit ipse, & duo viri cum eo, venerunt-que ad mulierem nocte.* Opus non esset satellitium relinquere, vestem demutare, noctis secretum ambire, ni mulierem Pythonissam adire, & necromantiam discuperet exercere. Notauit Hugo : *Nocte ; quia qui malè agit, odit lucem.* Ipsa nox, demutatio ipsa habitus, quid Saul corde gereret, propalabat, & suspicionis occasionem præbebat. Iulius Firmius *de errore prophanæ, &c. cap.* 4. *de Assyriis, & Afris incantatoribus*, sic ait : *Cum sic se alienos à viris fecerint, adimpleti tibiarum cantu vocant deam suam, vt nefario repleti spiritu vanis hominibus quasi futura prædicant.* Vt deam adirent, alium habitum desumebant, & ipso, quo volebant tegere, maleficium declarabant ; ipsi scrupulosi specus, ipsæ obscuræ latebræ, ipsum secretum colloquium ibi fraudem geri publicabant, & indici virtuti bellum sine voce proferebant,

Ioann. 10. v. 10. *Fur* (aiebat Christus Dominus) *non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat.* Si fur perdere nolet, caliginis auxilium non expectaret ; ast, dum per ostium non intrat, dum ouina pelle commutat ornatum, prodit studium. Zizaniorum ingestor, dum fugit vigilantes oculos, dum somno indulgere agricolæ expectat seruos,

Matth. 13. v. 25. se virtutis hostem prodit, & vitiorum agere negotium ostendit : *Cum dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminauit Zizania in medio tritici, & abiit.* Quàm expauit videri, quàm timuit agnosci, qui somni quæsiuit patrocinium, & lucis anteuertit exortum ? Chrysologus *serm.* 97. lepidè satis expendebat cautelam, ipsam, ipsum noctis tempus euulgasse peruersa desideria, & insidiantia æquitati studia : nec enim, si virtutis non esset inimicus, accederet pauidus, & tot caliginibus tectus. Chrysologum audi : *Insidiator in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit, appetit dormientes : fortis conflictum petit, prouocat palam spectantibus omnibus, & coram populis vult habere victoriam.* Qui virtutis agit causam, ad caliginis non recurrit tutelam, qui tenebrarum sollicitat patrocinium, indecorum, ac fraudulentum gerit negotium.

TEXTVS.

VERS. IX. Et ait mulier ad eum : Ecce nosti quanta fecerit Saul, & quomodò eraserit Magos, & hariolos de terra : quare ergo insidiaris animæ meæ, vt occidar ?

§. XXI.

Magia veritati inuenitur aduersa, & magnis suppliciis digna.

Magia.

QVæuis vitia ciuilitati opponuntur, & florenti paci aduersantur. *Inimica bonis moribus crimina persequamur* (aiebat Athalaricus 9. *variarum* 18.) *quo hostibus Reipublicæ diuina virtute resistimus : vtrumque quidem noxium, vtrumque pellendum : sed tantò grauiùs grassantur vitia, quantò probantur magis interna. Vnum recumbit in altero : Facilius quippè inimicorum acies cadet, si nostro æuo delicta subducamus.* Hostiles aduersariorum impetus prorsus eneruantur, si interna crimina radicitus euelluntur. Grauiùs nostra nos premunt delicta, quàm hostilia, & armata castra : verùm inter reliqua scelera præcipuè detestanda est magia ; alia namque crimina salubrem conscientiæ morsum nequeunt sopire, hæc facit mentes delirare, &, dum mendacium pro veritate colitur, delinquens conscientiæ morsibus non monetur. *Maleficos* (aiebat datus iam Athalaricus) *vel eos, qui ab eorum nefariis artibus aliquid crediderint expetendum, legum seueritas insequatur. Quia impium est nos illis esse remissos, quos cœlestis pietas non patitur impunitos. Qualis enim fatuitas est creatorem vitæ relinquere, & sequi potiùs mortis auctorem.* Quouis crimine mortis auctorem sequimur, sed quamuis seducta voluntas delinquat, conscientia delinquere non ignorat. Magia verò mendacia pro oraculis venditat, & dum errorem pro veritate facit ambiri, periculosiùs cogit errare. Ecce Saul, etsi contra alia vitia non adeò duram sententiam protulerit, Magos, hariolosque penitus eradendos sanctè decreuit : *Tu nosti quanta fecerit Saul, & quomodò eraserit Magos, & hariolos de terra.* Auelli prorsus hariolos, Magosque curauit, quia præ cæteris sceleribus inferre exitiale virtutibus bellum agnouit. Prodest noster Sanctius : *Potuit sanè, hoc curasse Saul, cùm primum regnum inyt, vt sublatis Damonum oraculis, seu fal-*

lacibus, callidisque responsis, ad Deum omnes consulendum accederent, resque publica magis ex diuina, quàm diabolica voluntate regeretur. Nequibat Respublica virtute florere, si infeliciter contingeret responsa dæmonum auscultare, falsa calliditas haberetur indubia veritas, &c, dum delusa mens sequi arbitrabatur veritatem, cœcissimum sine conscientiæ morsu impingeret in errorem. Cùm Moyses pro educendo, instruendóque populo à Deo Ægyptum peteret delegatus, Magis primum bellum intulit prudentissimus, & Pharao Magos obiicere studuit callidus : *Vocauit Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter. Proiecerúntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Quod primum Pharao, vt Dei populum detineret, opposuit, fuit maleficorum exercitus, quem Moyses euertere est studiosè conatus; nequiret agnosci veritas, si fraudulenta pro veritate haberetur calliditas. Prodest Tertullian. *de Idololatria cap. 9. Illam speciem magiæ, quæ miraculis operabatur, etiam aduersus Moysem æmulata, patientia Dei traxit ad Euangelium vsque.* Et iterum *lib. de Anima cap. 57. Sic & in illa alia specie Magiæ, quæ imaginem quiescentes animas euellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallaciæ vis est: operatio planè, quia & phantasma præstatur, quia & corpus adfingitur: nec magnum illi exteriores oculos circumscribere, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile est. Corpora denique videbantur Pharaoni, & Ægyptiis magicarum virgarum dracones, sed Moseÿ veritas mendacia deuorauit.* Figmenta Ægyptiis vera videbantur corpora, quo delusa, ac cœca mens demirabatur cœlestia miracula, quæ erant delusoria commenta: ergo primum Moysis studium fuit, magiam, maleficentiámque prorsus expungere, vt in libertatem populum quiret asserere; nam Magus, dum mentiebatur miracula, opponebat virtuti, veritatique validissima impedimenta.

Exod. 7. v. 11.

§. XXII.

Politici nonnulli solùm attendunt quid sibi commodum, non quid rationi consentaneum.

Politicus. TVrpis actus æquitati semper inuenitur aduersus, & fas est fugere, quod iura certum est condemnare. *Nemo faciat* (aiebat Cassiodorus 9. *variar.* 18.) *quod iura condemnant.* Prohibitis excessibus studere non licet, quem regula æquitatis componit. Verùm aliquando politici, si terrena solùm probentur ambire, æquitatem inueniuntur euertere; cùm solùm fortunæ stabilitatem suspirent; nulla alia illis est cura, nisi quæ eorum studia promouerint, sequi, & totis nisibus procurare. Saul, vbi suspicatus est Magorum abolitionem sibi conducere, expunxit; vbi ab eis quid sperauit, adiuit: *Ecce tu nosti, quanta fecerit Saul, & quomodò eraserit Magos, & ariolos de terra.* Aiebat Pythonissa, quàm demissis precibus Samuelem excitare rogabat. Quod si inquiras, cur modò Pythonissam non iubeat occidi, sed maluerit sospitate donari? Respondebunt Interpretes, non attendisse æquitati, sed sibi: dum sperat Pythonissam eius posse studia promouere, coluit; vbi existimauit nocere posse, Magum extinxit. Audi Iustinum Martyrem *quæst. 52. ad Gentes: Non ariolorum odio habens impietatem, sed regni adamans administrationem.* Iam odio non habet impietatem, quia delusus sperat ab impietate posse demutari sortem. Itaque cùm existimauit ad temporalia conducere Magos, coluit; cùm nocere arbitratus, expunxit. Consonat noster Sanctius: *Vt religiosi animi aliquod ederet publicum, & illustre testimonium, edicto cauit, ne vllus deinceps in suo regno permitteretur viuere, qui magicis artibus, & fallacibus responsis nimis credulum, & stultum populum deluderet.* Itaque vtilitas erat actionum regula, & vitæ norma. Ieroboamus panes offert, cùm regni hæres graui decumbit infirmitate vexatus: *Tolle in manu tua decem panes.* Vxorem ad Prophetam consulendum delegans, panes decem offert, id est, Decalogi legem se mentitur colere, & obseruare. Ita Hugo Cardinalis ad hunc locum: *Quid sunt decem panes in manu, nisi Decalogus in opere, per quod fit emendatio.* Vides ad speciem legem, qua vinus Deus coli iubetur, affectare, transi ad 3. *Reg.* 12. & videbis vitulos construere, deósque habere: *Fecit duos vitulos aureos.* Iam si inquiras, cur modò abiurarit vitulos, aut cur antea deieraris Decalogum? Respondebit Textus, attendisse vtrobique non iura, sed commoda. In Prophetam manum misit, vt vitulis adularetur, cùm sibi credidit auxiliares; modò muneribus adnititur sibi conciliare Prophetam, quia eius ope meliorandam arbitratur fortunam. Itaque suis factis nonnullos politicos adumbrauit, quorum eò tendunt studia, vt sibi prouideant, quin fas, aut nefas attendant. Erunt virtutum studiosi, si quid sperarint, transibunt ad scelera, si plus promiserint, quia pro Elice ad vitæ naui-gationem solùm habetur vtilitas, aut commoditas.

3. Reg. 14. v. 3.

3. Reg. 12. v. 28.

§. XXIII.

Plures adnituntur insidiari, qui ad speciem videntur blandiri.

QVæ putantur aliquando adorationes, indiæ sunt. Plures se extrinsecus profitentur deuotos, quos interius inueneris inimicos. Magno in his periculo erratur. Sunt, qui, vt scrutentur interna consilia, officiosi exhibeant obsequia, &, dum existimas tibi secretis communicatis conciliare strictiùs amicum, contra te instruis insidiosissimum aduersarium. *Non fidem meretur ea laus* (aiebat Fauorinus apud Stobæum *capite decimo quinto*) *qua quis alium suo commodi gratia prosequitur.* Adhærent, profequuntur, dilaudant, sed vt interna perscalleant, & iam venati studiosè prodant. Saul regali ornatu nudus Pythonissam adit, quàm dubium non est vrbanè coluisse, & vt magicam exerceret artem, blandissimis verbis rogasse; illa verò verita eis officiis aliquid tegi, ea pollere arte negauit: *Quare insidiaris animæ meæ, vt occidar?* Regali edicto prohibita erat Magia: ergo timuit sagax mulier, ne, qui accesserat, quantumuis appareret exteriùs benevolus, & amicus, interiùs esset insidiator, & aduersarius, persuaderétque blandè eam artem exercere, qua exercita, posset vt maleficam accusare. Notauit Abul. *quæst. 25. Cùm Saul tanta mala fecerit Magis, & ariolis, cur insidiaris animæ meæ,*

Adulatur.

meæ, volendo, quòd ego confitear me esse Magam, vel aliquid incipiam operari, & accuses me ad mortem. Itaque noluit se Magam fateri, vt qui nouerat plures ouinas pelle tegi, vt faciliùs quiuerint capere, technásque disponere. O quot amicitiam mentiti, & beneuolentiam externis officiis, & munusculis contestati, vbi secretiora inuestigarunt, ad inimicorum castra transierunt! Solicita sagacitate opus est, ne speciosis capiaris insidiis, dum fraudulentis deliniris obsequiis. Herodiani, Pharisæique ad Christum Dominum vti ad veritatis magistrum inuolant, & plausibus repetitis honorant: *Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Existimares quærere veritatem; verùm eis adulationibus captiosos laqueos obtendebant, & vt accusare possent, vti discipuli interrogabant. Audi quid respondet Dominus: *Quid me tentatis hypocritæ?* Acsi dicat: Acceditis specie discipuli, re aduersarij; ostenditis veritatis studium, sed ferale geritis præcordiis odium. Profectò ni Dominus eorum studia nosset, laqueos subiret; edocuit tamen nos quæstionibus satisfaciens, non facilè adulatoribus credere, sed latere posse insidias, cogitare. Prodest Chrysostomus *in Catena*: *Blanda quidem, & fraudulenta interrogatio illic prouocat respondentem, vt magis Deum, quàm Cæsarem timeat.* Christi Domini resplenduit sapientia, dum Cæsarem non offendit, nec æquitatem violauit. Alius magistri plausu oblectatus, & blandissimis verbis illectus eos forsitan arbitraretur amicos, & referata sententia inueniret posteà aduersarios: ergo ea te cautela præmuni, & sic age quasi rationem redditurus, & ab eis, qui se amicos venditant, accusandus. Mulier sibi cauit, & Magiam exercere recusauit, ne si inconsultè se proderet, insidias grauissimas sustineret.

Matth. 22. v. 16.

§. XXIV.

Quem delicta fructum afferant, oportet expendere, ne contingat falsis spebus illudi.

Culpa.

QVæ opus est, præsens despice (aiebat Æschilus apud Stobæum *cap. 3.*) *ne præsens absis. Qui vtilia nouit, non qui multa nouit sapiens.* Quæ vera, & quæ ficta vtilitas sit, sapienti congruit expendere, ne falsis, fictisque spebus delusus ingemiscat miserè captus. Plura promittit vitium, sed oportet prudentiæ lance pensitare, nec facilè promissis credere. Magam adit Saul, præmiumque offert, si dæmonem consulat, & quem voluerit ipse, è sepulchris euellat: illa verò lucrum cum dispendio contulit, & Principis votis obsequi detrectauit: *Quare ergo insidiaris animæ meæ, vt occidar?* Acsi dicat: Magica ars aliquod mihi afferet lucrum, sed etiam adducet animæ, & corpori grauissimum detrimentum: ergo indignus es, vt à me quid impetres, qui captiosas adeò insidias disponis. Innuit Abulensis *q. 25. Cùm Saul tanta mala fecerit Magis, & ariolis, cur insidiaris animæ meæ, volendo, quod confitear me esse Magam & aliquid incipiam operari.* Prudenter pensitauit, quod exiguo lucro sibi ascisceret detrimentum, vtque vitaret detrimentum, vtiliter spreuit lucrum. *Metus* (aiebat Cassiodor. 9. *variar.* 19.) *cuncta componit.* Metus, dum iure decretam horrescit mortem, spernit periculosissimam prauitatem. Susanna castitatis decor, nuptarum honor, cùm in arctas deueniisset angustias, voluptatis mercedem cum peccati præmio conferens, noluit breui ob-

Metus.

lectamento grauissimum subire supplicium, & dum non cœcè se præcipitat, sed prudenti rerum examine quid sibi vtilius recogitat, voluptatis non irretitur fallaciis, nec magnatum obtemperat votis: *Si hoc egero, mors mihi est: Si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Profectò verba videntur ab animo obturbato prolata. Mortem, ait, sibi esse, si consenserit, cùm potiùs, si consentiat, mortem effugiat: si renuat, in eorum incidet iram, & mortis sustinebit sententiam: si votis annuerit, vitam asseruabit, & accusationem effugiet. Cur ergo verba inuertit, &, si annuerit, mortem subeundam sibi suadet? O inuersum sapienter verborum ordinem! Mortem corporis cum scelere animæ morte contulit, cogitauitque an satiùs temporalem effugere pœnam, aut æternam vitare flammam: vtque agnouit discrimen, restitit, eligens non fœdari, magis quàm viuere. Itaque dum prudenti deliberatione res pensitat, nec se inconsideratè præcipitat, honesta decernit, & tuta. Prodest D. Thom. ad hunc locum: *Si hoc egero, mors mihi est peccando contra legem*, quia dicit Hieron. *Omne peccatum est mors, ac per hoc quoties peccamus, morimur, & è conuersò, quoties digna opera facimus, resurgimus, & viuificamur: si enim non egero, non effugiam manus vestras, quia me occideris, & sequitur Susannæ electio.* Non dubitabat iniquam contra se sententiam ferendam, morteque damnandam; verùm occidi ob castitatem, non arbitrabatur mori, etsi videret vitam finiri: mortem meritissimam credidit pudicitiam innubilare, in Deumque delinquere: ergo dum iusta prudentiæ lance expendit voluptatis fructum, & criminis censum, falsis spebus non abducitur, sed miranda virtutum constantia ornatur.

Dan. 13. v. 22.

§. XXV.

Plures, vt præsentaneis medeantur angoribus, magnis non refugiunt sordidari criminibus.

TVrpis actus ab humano corde debet esse remotus, quia lucrosum est iustitiam colere, & periculis plenum ab æquitate recedere. Verùm sæpè sic homines obcœcantur, vt sibi grauiorem ascisceant morbum, dum morbi susurrauere remedium. Ecce Saul variis angustiis afflictatus sagam adit, maleficiáque consulit; & cùm maleficos, ariolosque eradendos sanctè decreuerit, modò, vt angori medeatur, Magam perquirit: vt iam nulli habeatur firmum, quod ipse legislator violabat irreuerenter decretum. Opportunè Cassiodor. 9. *variar.* 18. *Nulli præcipimus videri firmum, quod ipse conditor non implendo, quæ leges, vel iura præcipiunt, fecit incertum.* Ipse Saul, quod contra Magos ediderat, Magam consulendo decretum infirmabat. Quod si inquiras, cur non vereatur criminibus sordidari, ipse respondebit magnis afflictationibus vri: *Coarctor nimis.* Ad Pythonissam duxit afflictio, sed ipsa mulier in memoriam reduxit, quod laudabili statuerat decreto: *Ecce tu nosti quanta fecerit Saul, & quomodò eraserit Magos, & ariolos de terra: quare ergo insidiaris animæ meæ.* Pythonissam consulens, salutem procurabat, sed ipsa solicitatione amittebat. De mentis arce prorsus præcipitabatur prudentia, dum admittebat certa delicta, vt dubia angori solicitaret remedia. *Significantur* (inquit Glossa Moralis) *mali homines artibus prohibitis vtentes.*

Calamitas. Culpa.

Totus erat Saul in sedanda angustia, vtque assequeretur votum, non refugiebat detestandum piaculum, & quia admisit piaculum, addidit angoris augmentum: *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eò quòd præuaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, & non custodierit illud: sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec sperauerit in Domino, propter quod interfecit eum.* Ecce Pythonissam consulit, vt mortem euadat, & subit mortem, quia Pythonissam consuluit. Grauius ægrotauit remedio, & dum imprudenter, cæcéque adnititur calamitatem expungere, inuentus est adaugere. Ochozias etiam periculo morbi obturbatus, ab Accaron deo remedia exambit delusus: *Consulite Beelzebub deum Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac.* Vel præsente morte, quæ coluerat, idola consuluit, & plus valuit consuetudo inueterata ad prosequendum delirium, quàm mors præsens ad arripiendum pœnitentiæ remedium. An edendum sit ab Accaron deo opportunum responsum, dubitat, & spe incerta delirus peccat: conducibilius erat morbi diuexari angoribus, & vt medeatur angoribus, non recusat defœdari criminibus, & quia defœdatur criminibus, non inuenit medelam angoribus. Audi Eliam: *Mitte, vt consulatur Beelzebub deus Accaron. Idcircò de lectulo, quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Dum morbi malè quærit medicinam, mortis sustinet iure sententiam, plus sibi nocuit remedio, quàm casu. Opportunè Rhaban. apud Glossam: *Quia Dei præsidium dereliquit, salutis remedium non inuenit.* Quæ putabat angoris delinimenta, extiterunt grauamina, suisque factis ostendit, peccatores adeò esse fatuos, vt exambiant criminosis defœdari reatibus, vt molestis medeantur angoribus.

1. Paral. 10. v. 13.

4. Reg. 1. v. 2.

§. XXVI.

Non rarò magnates, dum priuatorum domos adeunt, facultati, aut honori insidiæ disponunt.

Magnates.

MVltiformes in hoc sæculo hominibus ab homine obtenduntur insidiæ, vtque vitia virtutis mutuantur colorem; sic dolus vrbanitatis, humanitatisque induere solet imaginem, & qui putatur honor, inuenitur honoris, aut facultatis dispendium. *Grauius percutit* (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 10.) *qui blandiendo grassatur.* Verùm etsi hæc ab aliis blandimenta inueniantur nocina, à magnatibus priuato exhibita inueniuntur sæpè insidiosa: priuatorum domos humanè solent adire, & cum eis blanda colloquia miscere; sed vt humanitatis hamo ditias expiscentur, aut honori insidias moliantur. Vbi Saul mulierculæ domum intrauit, sibi mulier insidias disponi extimuit: *Quare insidiaris animæ meæ?* Nondum agnoscebat, sed dum Saule eius domum adeunte insidias extimuit, quod accidere solet, expressit. *Insidiaris* (inquit Abulensis *quæst.* 25. *animæ meæ, volendo, quòd ego confitear me esse Magam, vel aliquid incipiam operari.* Non adibat Pythonissam Princeps, vt eius domum nobilitaret, sed vt votis suis obtemperare suaderet. Iam agnito à muliere Saule, vt nosceremus aduentus fructum; occidit, quem saginauerat sibi vitulum. Itaque etsi passa non fuerit, quas timebat insidias, amisit epulas: *Mulier illa habebat vitulum pascualem in domo, & festinauit, & occidit eum.* Sauli, eiusque sociis opus fuit impendere, quo posset ipsa diebus plurimis vicitare. Principis potita est colloquio, sed graui facultatis dispendio. Populi iudices Ioakim domum frequentabant, & frequentatione honorem ad speciem impertiebant. *Illi frequentabant domum Ioackim.* Quale huius frequentationis studium, Textus non tacuit: *Ingrediebatur Susanna, & deambulabat in pomario viri sui, & videbant eam senes quotidie ingredientem, & deambulantem: & exarserunt in concupiscentiam eius.* Honorem Ioakim videbantur impertire, eius dignati domum frequentare, sed honoris specie in honorem militabant, & insidias obtendebant: ni Susanna pudicitiæ decus esset, Ioachim honor ea frequentatione periret. *In hoc peruerso sæculo* (aiebat Zeno Veronensis *serm.* 9. *de Susanna.*) *contra laudabiles viros multiformes tenduntur insidiæ.* Ioakim vir laudabilis, sed dum à magnatibus eius domum frequentantibus honoratur, insidiarum dolus disponitur, quod si à senio infectis fuit timendum, quid à iuuentute floridis expectandum?

Dan. 13. v. 6.

TEXTVS.

VERS. X. Et iurauit Saul in Domino, dicens: Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quidquam mali propter hanc rem.

§. XXVII.

Pro magnatum arbitrio quis aut præmio censetur dignus, aut supplicio inuenitur obnoxius.

QVisque è suis actibus censendus est; iuri obtemperans, à suppliciorum terrore inuenitur alienus; legum corruptor, manet supplicii obnoxius: verùm non semel magnates pro arbitrio suo rerum statum inuertunt, & quod in alio puniunt delictum, in alio nulla pœna statuunt mulctandum. Vt videas, quàm sit verum illud: *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* Magnatibus est voluntas pro ratione, arbitrium pro lege. *Illos solos* (aiebat exulus virtute Princeps apud Cassiodor. 9. *variar.* 18.) *volumus vti beneficiis nostris, quos non cognoscimus studere versutiis.* Indignus est versutus fauore Principis honorari, nec fas est leges, vt honoretur, infringi: verùm si versutiæ explendis magnatum votis deseruiant, præmiis honorantur, aut pœnis lege statutis non puniuntur. Saul Magos de terra erasit, & decretis à lege supplicijs plexuit; & tamen dum Maga suis votis obtemperat, nulla pœna afficiendam iurat: *Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quidquam mali propter hanc rem.* Ob magiam nullam Pythonissa pœnam soluit, cùm Magus hariolusque ob eandem causam, etsi meritam, duram pœnam subierit. Quod si roges, cur Saul, qui Magos erabierit. Quod si roges, cur Saul, qui Magos erasit, respondebit Caietanus, Magæ iniquitatem aut pro virtute habitam, aut supplicio non obnoxiam: *Non eueniet tibi quicquam mali. Iuxta Hebraum habetur, iniquitas, hoc est, imputatio ad iniquitatem.* Cùm Saul voluit, Magia non imputabatur ad iniquita

Iudex.

iniquitatem, & imputata est ad iniquitatem, cùm voluit. Cùm Pythonissa Sauli obtemperat, cùm mensam instruit, & vitulum pascualem apponit, magia nec ad iniquitatem imputatur, nec supplicio aliquo plectitur; quia sæpè in magnatum arbitrio est supplicio mulctare, aut decretis à lege pœnis absoluere. Daniel Chanaan progeniem vocauit iudicem illum Susannæ concupiscentia corruptum, & depranatum: *Semen Chanaan, & non Iuda.* Et cur Chanaan progenies? Quia Chanaan imitatus es mores: *Chanaan* (aiebat Oseas) *in manu eius statera dolosa.* Statera fidelis profert veritatem, sed dolosa ipsam fraudem inaurat, & iustitiam venditat: ergo iudex ille dolosæ stateræ referebat ingenium, & impunè exercebat dolum. Prodest Theodoretus ad hunc Oseæ locum: *Chanaan iniquam mentis stateram habes: iustitiam semper vilipendis, iniquam potentiam exoptas, in diuitiis elato spiritu es, ac plurimum tibi arrogas.* Iniquam potentiam sibi arrogabat, & pro lege suam voluntatem habebat. Nec aliter Saul, qui, cùm voluit, Magum prorsus erasit, & Magam, cùm voluit, supplicio absoluit.

Dan. 13. v. 56.

Oseæ 12. v. 7.

§. XXVIII.

Iuramentum apud antiquos summâ obseruantiâ cultum, & magna fuit religione obseruatum.

Iuramentu.

VT multiplices in hoc sæculo obtenduntur insidiæ, ita multiplices debent esse cautelæ, ne, dum cæcè aliorum amplectimur sententiam, dolositatem experiamur inauratam. Metus prudens pericula antenertit, & securitatem enutrit. Hinc est, quod ad suspiciones anxias sedandas, & ad spes indubiè fulciendas ab antiquis adhiberetur iusiurandum, cuius ita fides firma, & inuiolata manebat, vt nec locus remaneret semel emisso dubietati, aut timidæ suspicioni. *Vsualia iura publica sub omni censemus robore custodiri* (aiebat Athalaric. 9. *variar.* 18.) *quæ tanto numine se tegunt, vt nostra quoque iurisiurandi interpositione cingantur.* Ne quis iura æquitate sancita timidis suspicionibus vereretur violanda, iurisiurandi Athalaricus addidit Sacramenta, quibus emissis quid suspicax vereretur timiditas, aut violandam præsumeret fidem dubietas, cùm apud maiores iuramentum violare non solùm esset fugiendum, sed animitus detestandum? *Duabus de causis iurato* (aiebat Socrates ad Dæmoni.) *vel vt te ipsum turpi suspicione liberes, vel vt amicos ex magnis periculis eripias.* Isocratis consilium secutus est Saul; nam cùm ad Pythonissam accessisset, & artem suam exercere obnixè rogasset, illa insidias sibi parari suspicata renuit, immò se magicam artem caliere seriò negauit: *Quare insidiaris animæ meæ, vt occidar?* Quid tunc Saul? Vt omnem à Pythonissæ animo suspicionem abigeret, seque non accessisse insidiandi studio, sed leuandæ anxietatis desiderio ostenderet, iuramento affirmauit, nullatenus ab illo quid contra Magam tentandum, aut alicui prodendum: *Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quidquam mali propter hanc rem.* Acsi dicat: Tu suspicaris me insidiatorem aduentasse, vt possem te de crimine interpellare, & ad tribunalia deferre; sed ego Deum obtestor candido accessisse animo, non expostulandi studio. Quid tunc? Iam mulier omnem suspicionem depellit, & paret: *Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi?* Profectò Pythonissa suæ prudentiæ detraxit, dum leuiter credidit. Si veretur insidias sibi ab homuncione prætendi, quid interest iuret? quandoquidem eiusmodi homines morum nesciunt custodire mensuram, sed lucri cupiditate inaurare solent fallaciam. Immò hoc ipso ostenditur clarius, quàm apud antiquos iuramenti fides erat inuiolata, & stabilita, quandoquidem non est mulier fallaciam verita, sed præstitit fidem indubia. Prodest Lira: *Illa timente hoc facere, Saul asseruauit eam iuramento, & tunc illa consensit, dicens: Quem suscitabo?* Emisso iam iuramento, omnem ex animo repulit dubietatem, & suspicionem. Consonat Abulensis *quæst.* 26. *Hic assentit Sauli Pythonissa, quia vidit eum iurantem, quòd nil mali pateretur propter hoc.*

TEXTVS.

VERS. XI. Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita.

§. XXIX.

Imprudentis est subire periculum; vt alienæ attuleris anxietati, lege violata, remedium.

CHaritas laudabili patientia splendet, & intrepida animositate periculum adit, contemnit laudabiliter, generosa viuere, si possit proximi animæ salutem afferre. Hoc charitatis ingenium peruersè æmulatur cupiditatis cæcitas, & cæcitatis cupiditas; fucata commiseratione, detestabilique pietate legem non timet infringere, & proprium periculum deuorare, si possit dolori alieno succurrere: *Si dy turpe quidquam faciunt* (aiebat Eurypid. in Bellorophon.) *iam non sunt dy*: Non est charitas, quæ quid operatur turpiter, etsi ad speciem habitum induat pietatis. Saul magnis anxietatibus afflictatus Pythonissam adit, & fallaci arte excitare mortuum exposcit: illa decretam sagis à Deo, & Principe mortem opponit: instat Saul nullum testatus ob id periculum subeundum, & iam mulier, ne afflictioni medelam differat, quem è mortuis excitari velit, interrogat: *Dixitque ei mulier? Quem suscitabo tibi?* O exoculatam cæcitatem! Sibi necem infligendam timet, & se posse excitare defunctos credit, & quis excitandus fuerit, arbitrio afflicti committit: Magiam exercens inficitur culpa; & nihilominus detestanda assentitur misericordia. *Hic assentit Sauli* (inquit Abulensis *quæst.* 26.) *Pythonissa.* Alienæ anxietati medetur, vtque medeatur; periculis, & criminibus irretitur. Chananæa, cùm intestino filiæ angore adurgeretur, supplex Christum Dominum adiit, & impetrare sanitatem profusa vi lachrymarum contendit: *Miserere mei, Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur.* Cùm eo tempore non deessent homines seductores, qui maleficiis potestatem ad pellendos dæmones ostentarent, quærit Origenes, cur huiusmodi homines non adierit filiæ miserta? Respondetque vti prudentem noluisse, vt depelleret à filia dæmonium,

Periculum.

Matth. 15. v. 22.

petpetrare piaculum. Fortassis maleficorum incantamentis anxietati subueniret, sed se criminibus sordidaret: ergo sapiens mulier noluit, vt filiæ solicitaret anxietatis delinimentum, deglutire piaculum. Audi Origenem *in Catena D. Thom. Vide prudentiam fœminæ: non iuit ad homines seductores, non quæsiuit inanes ligaturas, sed omnes relinquens diaboli cultus, venit ad Dominum.* Charitas erat impetrare à Christo contra dæmonem auxilium, esset prauitas, à maleficis fallax solicitare remedium: ergo prædens noluit alteri delinquendo m deri, sed à Christo Domino sanitatem fusis precibus impetrare. O si huius aliæ matres imitarentur exemplum! verùm plures filiabus criminum occasiones conciliant, earum cupiditatibus adulantes, aut connubium exambientes.

§. XXX.

Lex facillimè contemnitur, si statuta à lege pœna vitatur.

Timor. Lex. Pœna.

ODerunt peccare mali formidine pœnæ, iusti amore virtutis. Id discrimen inter benè moratos, & improbos est; hi amant scelera, horrent supplicia; illi minus supplicia, & plus verentur scelera: etsi nulli pœnæ crimina subiacerent, virtutis alumni morum custodirent mensuram, mali nescirent morum mensuram, ni horrerent pœnam. *Perquirantur fontes* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 32.) *summo silentio, teneantur in suis laribus quieti: vt dum mox insecutor increpuerit, eorum corda turbentur.* Sontium corda criminibus non turbantur; sed ad insecutoris vmbram solicitis anxietatibus percelluntur: formidant pœnam, exambiunt culpam. Ecce lege reclamante, & programmate regio ariolis pœnam decernente Pythonissa exposcentis relinquit arbitrio, quem defunctum velit excitari: *Quem suscitabo tibi?* Si anteà Magam se esse negarat, cur modò exercet Magiam; aut si modò exercet, cur anteà solicitè occuluit? Quia anteà (respondet Lira) auersabatur pœnam, non culpam, & modò admittit culpam; quia credit soluendam nullatenùs pœnam: *Saul eam assecurauit etiam iuramento, & tunc illa consensit, dicens: Quem suscitabo?* Si dæmonem consulat, contra diuinam legem delinquit; verùm vbi pœnæ timor cessauit, legem spreuit: anteà continebat metus; ast vbi concessa impunitas, efferbuit prauitas. Aliter se gessit Susanna illa pudicitiæ decus. Incitabatur ad culpam nullo teste prodendam, quam si renueret, pœnam sine dubio subiret; illa verò iustitiæ cultrix non solùm contempsit vitam, sed quod ingenuis difficilius, & grauius, honoris spreuit notam: *Si hoc egero,* Dan. 13. v. 22. *mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Delinquens vitabat pœnam, renuens amittebat & honorem, & vitam; maluit tamen, quàm infici, lapidari. Prodest Zeno Veronensis *serm. 9. Stabat Susanna in iudicio perditorum, falsorum testium oppressa mendaciis, conscientiæ tamen bonis contenta secretis, non tam rea susceptura sententiam, quàm dicata Deo pro castitate fortiter moritura.* Quàm raræ Susannæ! Quàm frequentes Pythonissæ!

§. XXXI.

Qui se Principum prorsus attemperant voluntati, videntur deseruire ambitioni.

Ambitio. Principes.

DE Arethusæ fonte in Scyllatij termino constituto id retulerunt antiqui, pro hominis scilicèt arbitrio lento illapsu excurrere, aut strepenti murmure illabi. Audi Cassiodorum 8. *variar.* 32. *Cùm ibi tacitus homo, & studiosè silentiosus aduenerit, aquas fontis irrigui reperit sic quietas, vt in morem stagni non tam currere, quam stare videantur. At vbi crepans tussis emissa fuerit, aut sermo clarior fortasse sonuerit, nescio qua vi statim aquæ ibidem concitatæ prosiliunt.* Adnectit: *Silenti homini tacita, loquenti strepitu, & fragore respondens: vt stupeas sic subitò perturbatam, quam nullus tactus exagitat. Noua vis, inaudita proprietas, aquas voce hominum commoueri.* Hoc fontis ingenium imitatur non semel ambitio, quæ adeò se magnatum arbitrio attemperat, vt eorum nunquam votis resistat. Pythonissa pro Saulis arbitrio defunctum promittit excitare, siue virtutibus exornetur, siue sceleribus vinciatur; nec enim attendebantur excitandi merita, sed Principis vota: *Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita.* Saulis sic attemperabatur arbitrio, vt quidquid ille eligeret, illa excitaret: obsequium non attendebat honestatem, sed discipiebat mercedem. Ita Abulensis *quæst.* 26. *Quem suscitabo tibi, id est, quem vis, vt suscitem à mortuis?* Diabolica erat illa potestas, quæ non attendebat erigendi meritum, sed magnatum solùm arbitrium. Saulis erat electio, lagx operatio; miser adeò cœcutiebat Saul, vt dolosam fallaciam eximiam demiraretur potentiam. Nec minus saga deerrabat, dum potestatem arbitrio Principis subiiciebat. Et nota Pythonissæ posse nihil aliud esse, quàm artificiosè fallere. Et quidem in frequentissimis vrbibus, & hominum copia refertis curiis grandi excellere potestate putantur, qui habere se potestatem mentiuntur: dolus colitur, & præmium ab illusis fallaci porditur: ingentibus beneficiis putant se obstrictos ipsi, qui veluti magicis incantamentis contingere deludi cœcos. Aaron deos erigere à populi magnatibus adurgetur; ille conflatilem erexit vitulum: *Fecit ex eis vitulum conflatilem*: verùm Exod. 32. v. 4. cùm ad deos efficiendos mentitam extendit potestatem, ipsis declarat factis exoculatissimam ambitionem. Non erexit aquilam, non leonem, sed bouem tardigradum, priusque pro petentium arbitrio stylo delineatum: *Conflatilem.* Notante Caietano ad hunc locum, & Glossa Interlineris: *Quia bouem adorauerunt in Ægypto, aliud forsitan idolum non suscipere nt.* Vidit, inquit Glossa, magnates erga bouem, non erga aquilam, aut leonem affectos, & bouem extulit procerum se attemperans voluntati, vt propriæ adularetur etiam ambitioni: *Ecce* (verba sunt Caietani) *quò ducit ambitio Principatus.* Expendit Aaron principatu se stabiliendum, si magnatum, procerúmque conflando vitulum votis intum, procerúmque conflando vitulum votis intum, procerúmque conflando vitulum votis int

§. XXXII.

A Principe in consiliarios debent eligi sapientia praditi, & experientia approbati.

Consiliarius.

SÆpè in rebus ambiguis consilio est opus, nec satis sibi est prudentia, ni aliorum auxiliis fuerit adiuta. In hoc magno periculo erratur, ni expertus, & sapientiæ aduocetur luminibus exornatus. *Decet tractatores habere doctissimos* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 12.) *quibus potestas summa committitur: vt nullo defectu impediente meritorum prouisa Reipublicæ vtilitas explicetur... De generali securitate solicito talis associandus fuit, qui parem in suis studiis non haberet.* Perniciosum est ad depellendam mentis ambiguitatem allicere, qui nec experientia, nec prudentia agnoscuntur fulgere. Ob id Saul de generali securitate solicitus, & quid tunc agere oporteret dubius, Samuelem sibi excitari expetiuit, & in consultationem vocauit: *Samuelem mihi suscita.* Si quæras, cur Samuelem præ alio elegerit, respondebit Abulensis *quæst.* 27. Samuelem elegisse; quia expertus fuerat & veracem, & prudentem. Abulensem audi: *Putabat, quòd nullus inter mortuos sapientior esset Samuele; ideò illum voluit potiùs quàm alium suscitari.* Addit paulo post: *Putauit quòd iste sic nunc certissimè ei responderet, sicut certissimè responderat in omnibus, quæ ei prius euenerunt.* Non erat Samuel ex iis, qui morem Principibus gerunt, sed veritatem nullis proferebat ambagibus obscuratam, aut tectam: ergo eum præ aliis elegit, vt integerrimum, & veridicum, suis factis edocens in consilium vocandos sapientia claros, & ab omni adulationis suspicione remotos; nam si morem gerat ascitus, est sibi, & Reipublicæ perniciosus. Misterio non caret in montis recessu cum Moyse, Eliaque Dominum de morte subeunda egisse, nec adstantes

Matth. 17. v. 3. Apostolos quidquam interrogasse: *Ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes.* Et cur cum Petro de hac re non agat, aut Iacobum, & Ioannem consulat? Quia Petrus earum

Marc. 9. v. 5. rerum inscius: *Non sciebat quid diceret*; & quia Ioannes, & Iacobus timore exterriti: *Erant enim timore exterriti.* Moysem, Eliamque vocanit non eorum consilio indigens, sed nos edocens: Moyses legis resplenduit scientia exornatus, vtque populo consuleret, oblatam sibi à Domino, *Exod.* 32. dignitatem respuit generosus: Elias viduarum, pupillorúmque fuit patronus, qui nec Regis Achab indignationem extimuit, nec eius gratiam desiderauit: ergo hos in consilium aduocat, vt Principibus formam consulendi præscribat. *Moyses* (inquit Chrysostomus *in Catena ad Matth.* 17.) *legem dedit, & Elias pro gloria Dei æmulator fuit.* Elias sibi panem taxans, largus cum vidua, eiúsque familia fuit: ergo optimus erat consiliarius sibi parcus, & aliis prouidus. Non erat Elias ex eorum censu, qui viduas, pupillósque dispoliant; vt malè partis facultatibus insanas substructiones erigant. Moyses, & Elias, qui generosè despexerunt humana, vocati sunt ad Reipublicæ tractanda negotia: Christo Domino famulantes tenuerunt cacumina; qui sine Christo tenent dignitatum culmina, vereantur dura tormenta.

TEXTVS.

VERS. XII. Cùm autem vidisset mulier Samuelem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: Quarè imposuisti mihi? tu es enim Saul.

§. XXXIII.

Qui cœlestia inspicit, facilè qualia sint humana veluti in speculo deprehendit.

Contemptio.

QVæ nostros fugiunt oculos, à tergo posita repræsentant specula; ibi deprehendit obtutus, quod videre nequibat oculus. *Æquè manifestum est* (aiebat Seneca *lib.* 1. *Natural. c.* 4.) *speculari ratione imaginem reddi.* Quod non apparebat oculis subtractum, in speculo apparet eleganti delineatione depictum: ergo cùm sit crystallini adinstar speculi cœlum, in eo deprehenditur, quod noster non videbat obtutus. Sanctissimus noster parens Ignatius aiebat: *Heu, quàm sordet terra, dum cœlum aspicio.* Dum aspiciebat cœlestia, contemptu digna agnoscebat caduca; & quia ibi mentis oculus detersa caligine illustrabatur, veritas agnoscebatur. Ecce Pythonissa Saulem non nouerat veste mutata, & tamen agnoscit Samuelem intuita: passa fuerat anteà impositionis fallaciam, sed iam deprehendit apertis oculis impostúram: *Cum vidisset mulier Samuelem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? tu es enim Saul.* Inquirunt Interpretes, quomodò Samuelem aspiciens, illusam se deprehenderit? Lira existimat à Samuele edoctam, & fallaciam fuisse detectam: *Exclamauit præ timore Saulis, quem tunc sciuit esse præsentem.* Consonat Caietanus: *Mulier ex viso Samuele agnouit Saulem.* In Samuele veluti in speculo agnouit, quam ignorarat veritatem, & adesse vidit etiam industriè tectum Saulem. Profectò si plures dirigerent oculos ad cœlestia, præcellerent, quàm sint contemnenda humana; verùm è contra accidit; nam cùm totam mentis aciem direxerint ad caduca, ignorauere quàm sitienter exambienda cœlestia. Abrahamus natale solum deserit, & Domino altare construit: *Apparuit Dominus* Gen. 12. v. 7. *Abraham, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc.* Quid tunc? Vbi cœlesti visione donatus, & cum Domino collocutus, iam constituit altare, abolita antiqua de rebus cœca opinione: *Ædificauit ibi altare Domino.* Anteà stellarum pulchritudinem demiratus, & ipsa astrologica scientia cœcus plurimi habebat caduca, nec plenè agnoscebat æterna: ast vbi Deum audiuit, depulsis tenebris terram, & cognationem deseruit. Prodest Philo *lib. de Abrahamo*: *Mundum ipsum existimabant esse Deum, prophana opinione creaturam facientes creatori similem: huic innutritus dogmati, & per tempus longum Chaldaico imbutus delirio, tanquam post altum somnum aperto mentis oculo, postquam puram lucem pro densis tenebris cœpit intueri, sequutus eius splendorem animaduertit, quod prius non viderat.* Antè quàm Abraham cœlestem lucem attenderet, & cum Deo ageret, arbitrabatur mundum, & æternum, & diuinum; natale solum, & nobilem cognationem magni æstimabat, & patrem excelsum

dicè

dici exambiebat: Verùm cum Deo disserens, vti eius discipulus rerum impostura nouit, & se delusum expauit. Dum mentis oculus contemplatur vera, & solida, quæ magni habebat, deprehendit euanida, & fluxa. Pythonissa Saulis agnouit impostura, vbi conspexit Prop hetam.

TEXTVS.

VERS. XIII. Dixitque ei Rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra.

§. XXXIV.

Ab his plus tibi timendum, quibus contra legem es obsequutus, & officiis obsequiosis dignatus.

Obsequium. Lex. Timor.

QVi iura seruauit, à se anxietatem timoris depulit. Omnia bona possidet secura conscientia, & parum externis concutitur, qui internis anxietatibus non granatur. Nec tutum est alicuius gratiam criminibus promereri, quando ab ipso, Deo sic disponente, dignam criminis pœnam constat infligi. *Talis subsecutio* (aiebat aliorsum Cassiodorus 8. *variar.* 14.) *creditur, quale primordium venisse sentitur.* Qui primordia obtinendæ gratiæ legi non ignorat aduersa, sequenda vereri potest supplicia. Pythonissa veneficiis suis Samuelem excitare conata est, vt Sauli pareret, & parendo sibi gratiam eius acquireret, & tamen effectu subsecuto timore exterrita clamat, & cordis anxietudinem manifestat: *Dixitque ei Rex: Noli timere.* Quid mulier fuerit verita, inquirunt interpretes; nam mortuorum non deterrebatur aspectu, quia timorem abegerat frequens vsus. Quid ergo extimuit? A Saule (inquit Caietanus) infligendam sibi pœnam, cuius eis artificiis promereri studuerat gratiam. Caietanum audi: *Hinc patet, quòd clamor mulieris fuit ex timore Regis, propter quod scriptura dicit significanter: Et dixit ei Rex: Non timebis.* Samuelem ad speciem inquietarat: *Quare inquietasti me?* Regi inseruierat, & tamen non timet iustum ad speciem exasperatum, & timet Saul officiis illicitis delinitum: vt suo nos mulier edoceret timore ab ipsis dignam nobis infligi pœnam, quorum iniquis artibus elucrari adnitimur gratiam. Serpens Euæ adulatus eius cupiditati inseruiuit, & æquitatem contempsit: cúmque infligenda decernitur pœna, ipsa muliere pro carnifice vtitur diuina iustitia: *Ipsa conteret caput tuum.* Quibus serpens putabat promereri officiis gratiam, duram sibi conflauit inimicitiam: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.* Quæ iniquis erat officiis obligata, caput serpentis atterit, & meritam pœnam infert: Mulier, cui serpens inseruiuit ad perpetrandam culpam, ei intulit dignam pœnam: *Ipsa conteret caput tuum.* Preme illud, *Ipsa.* Acsi dicat: Vt inires mulieris gratiam eius fouisti ambitiosos conatus: ergo à muliere ingemisces attritus, & pedibus proculcatus. *Docet locus iste* (inquit Oleast. ad mores) *quanto odio prosequendus sit, qui vos ad peccatum inducit.* Et nota mulierem etiam ab eo insidiari pati, à quo grata solebat audire.

Gen. 3. v. 15.

§. XXXV.

Eximia virtus proprio se splendore publicat, & vel cæcis oculis manifestat.

VT lux suo nequit splendore nudari, nec caligine nox exui; ita virtus nequit non splendere; nec diu vitium abscondi: nequitiæ quantumuis solicita tegatur cautela, euanescet industria: virtus etiam ab oculis remota, & in secessu exercita sua luce se signat, & inter nebulas emicat. *Malitia miseros facit* (inquit Seneca *epist.* 81.) *virtus beatos.* Hinc est, quòd Pythonissa Samuelem, quem antèa non nouerat, suspexerit, & Dei esse imaginem proclamarit: *Deos vidi ascendentes de terra.* Et cur, quæ assueta erat mortuos videre, Samuelem pallio obtectum præ aliis suspexerit, & agnouerit? Et quomodò etiam Saulem habitu demutato non ignorauit? Quia cùm Samuel (inquit noster Sanctius) eximia esset expolitus virtute, ingenito virtus se prodebat splendore, vt è contrà Saul detestabili pranitate. Verba Sanctij sunt: *Acsi diceret: Maius aliquid video, quàm in aliis, qui magicis eliciuntur carminibus.* Adnectit: *Neque mirum, si ita senserit mulercula rudis, & falsis sæpè imaginibus delusa: cum rebus sordidis, & speciebus assueta deformibus nihil vnquam vidisset aut augustum, aut aliqua ratione venerabile.* Itaque, etsi alij euocarentur, potiùs apparebant deformes, quàm venerabiles; at Samuel quid præ se ferebat augustum, & venerandum. Cum pueris in fornace versatur Angelus numero, & & loco postremus, & tamen Nabuchodonosor Deo similem agnouit, & prædicauit: *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.* Sub humana specie latebat, & nihilominus, quantumuis fornacis fumo impeditus, Deo similem Regis agnouit aspectus. Et quare? Quia ipse fulgor, & splendor ex facie promicans virtutem prodebat, & sanctitatem: non potuit assumpta etiam extranea specie occultari, qui sanctitatis lingua constabat proli. Prodest Lira: *Propter irradiationem vultus in corpore assumpto benè apparebat, quod Angelus non erat filius hominis, sed magis aliquid supra hominem, & quid diuinum.* Tegatur Angelus quantum velit, & humana delitescat specie, agnoscetur tamen irradiatione. Philosophia eliguis sonat, & venerationem, licèt inuita, sibi conciliat.

Virtus.

Dan. 3. v. 92.

TEXTVS.

VERS. XIV. Dixitque ei: Qualis est forma eius? Quæ ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul, quod Samuel esset, & inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit.

§. XXXVI.

Qualis quis extremo vitæ tempore excedit, talis post mortem apparet.

HOc in sæculo fortuna sæpè mutatur, &, qui culmina tenebat fortunatus, ad ima deprimitur

Mors.

deprimetur inuidiæ machinamentis deiectus; & qui heri sordescebat pannosus, fulget hodiè fortuna celsus. Mors immortalitatis ianua vices non permittit, quia aut æternat prospera, aut infelicia. Benè Seneca epist. 58. *Manent cuncta, non quia æterna sunt, sed quia defenduntur cura regentis. Immortalia tutore non egent: hæc conservat artifex, fragilitatem materiæ vi sua vincens.* Caduca conseruat solicita vigilantia, & sagax industria. Quæ ab hoc sæculo expuncta tutore non egent, quia varietatibus non obnoxia: quisque vt ex hac ad aliam vitam transiuit, perdurabit. Ad hanc fide indubiam veritatem fulciendam Samuel amictus pallio post mortem etiam conspicitur: *Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio.* Si inquiras, quo pallio apparuerit amictus? Respondebunt interpretes, eo, quo discessit è viuis, non quod Samuel egeret defunctus veste, sed vt eodem modo ac discessit apparens edoceret, post mortem omnia durare fixa, & stata. Quæ anima interueniente morte secum detulit, nullatenus demutabit. Itaque qui virtutum ornamentis discessit eis fulgebit semper decorus, qui vitiis, erubescet sordidatus. *Talis apparuit Samuel* (inquit noster Sanctius) *qualem illum extremo vitæ tempore agnouerat Saul. Erat enim senex, iudex, & Propheta, & licèt non ex sacerdotali genere, sed ex leuitico, sacerdotali tamen munere functus est. Et eam ob causam arbitror habuisse pallium, ex quo Saul tanquam ex propria, ac familiari nota Samuelem esse cognouit.* Sacerdotali honore insigniebatur, quia dignitate sacerdotali functus, ergo ipso habitu, quo discessit, apparuit: nam extremus vitæ halitus animæ æternat gloriam, aut pœnam. Virga Aaron turgentibus decoratur gemmis, viridantibus vestitur foliis, & saporatis ditescit amygdalis: *Inuenit geminasse virgam Aaron in domo Leui.* Vbi floruit, ex hominum aspectu aufertur, tabernaculóque asseruatur. *Refer virgam Aaron in tabernaculum testimony, vt seruetur ibi in signum.* Quàm citò ab humanis oculis est erepta, quæ floribus exornata! quàm longo tempore cum draconibus certamen iniuit nuda! Fortassè eò tendebat hæc ab oculis remotio, vt noscamus serò apud sæculum felicitatem florere, & citissimè oculos fugere. Abulensis existimat eo verbo: *Vt seruetur ibi in signum*, denotari perpetuò vernaturam; alioquin signum non esset. Itaque virga, quibus ornabatur floribus, fructibúsque, dum ab oculis erepta, micabat semper vestita. Ita Abulens. *quæst.* 11. *Debuit manere ista virga florens ad probationem.* Si marceret, non probaret: ergo, quæ asseruabatur in signum, flores conseruabat in æuum, vt non solùm esset contra rebelles victoria, sed vtilis nobis doctrina, constarétque eo habitu, quo, interueniente morte, discedit anima, in sæculum duraturam.

Num. 17. v. 8.

§. XXXVII.

Ex hac vita transitur ad aliam, viuet iterum instauratus, qui morte existimabatur prorsus dispunctus.

Resurrectio.

VT ex ipsa veritate contra veritatem immixtis fabulis arma noxiè conflantur; sic etiam à cœcis erroribus pro veritate arma salubriter procuduntur. Putauerunt Philosophorum plures omnia morte prorsus aboleri, nec posse hominem iterum instaurari; alij sapientiores mortem solùm dixerunt vitæ interstitium, & agnouere resurrectionis mysterium. Vnus ex his videtur Seneca *epist.* 36. Eius verba sunt: *Desinunt ista, non pereunt. Et mors, quam pertimescimus, ac recusamus, intermittit vitam, non eripit; veniet iterum, qui nos in lucem reponat, dies.* Hanc veritatem noster Textus etiam confirmat. Putabat delusa Maga suis carminibus mortuos excitare, & in vitam reducere: verùm Deus illud delirium in veritatis vertit documentum, & Samuelis animam non necromantica arte adductam, sed diuina prouidentia allatam Sauli voluit adesse in corpore assumpto, vt ipse error veritati deseruiret, dum Samuel Sauli futura prædicit, & se viuere manifestis argumentis ostendit: *Intellexit Saul, quòd Samuel esset.* Si omnia morte prorsus abolerentur, Samuel redire non posset: ergo dum rediit resurrectionem statuit. Profectò, qui orbem rerum in se remeantium voluerit attentè considerare, videbit nihil extingui, sed vicibus aliquando disparere, iterúmque resurgere. Solem nox obruit, sed etiam depulsis tenebris splendore fulget vestitus, & innouatus. Siderum cursus, quidquid perierat, instaurat; pars cœli mergitur, sed leuatur. *Voluntate Dei* (inquit Diuus Thomas apud Glossam) *ipsa anima Samuelis Sauli euentum belli prænuntiauit.* Samuel rediuiuus Philosophorum expungit errorem, & alterius vitæ suffulcit apertissimè veritatem, Iob, vt contra calamitatis se obarmaret adsultus, ad resurrectionis mysterium confugit, & se resurrecturum asseruit: *In nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.* Acsi dicat: Etsi caro mea in eorum substantiam transierit, à vermibus deuorata; etsi pellis mea prorsus videatur vlcere attrita, iterum redibit, & efflorebit; intermittet vita, sed Phœnicis adinstar iterum redibo, & meis oculis Deum videbo. Prodest Galfridus *in Allegor. Tilman. Visurus sum ego ipse, & non alius, videlicèt, quantumlibet in qualitate mutatus: sed tamen ego ipse proprietate personæ, & vtriusque substantiæ veritate.* Anima, corpúsque insolubili vinculo iterum (inquit Iobus) vnientur, & patientiæ, tolerantiæque assequar præmium; nec enim scelera impunita, aut heroica virtutum merita remanere possunt impræmiata.

Iob. 19. v. 25.

§. XXXVIII.

Magnates, quos despiciunt florenti fortunæ vsi, reuerentur calamitatibus pressi.

Magnates, Fortuna.

QVi nobili vena exorti, qui ad dignitatum fastigia fortunæ fauore euecti, humanam naturam exuti, & in Deos præsumptionis Magia videntur sibi translati, non exhibebunt adorationis obsequium, aut reuerentiæ cultum, dum florent: si tamen sors aduersa contigerit, iam aduersitatis collyrio inoculati se demittunt, aliósque reuerentur, vt suæ ipsorum necessitati adulentur, ad speciem illis blandiuntur. Itaque reuerentiam necessitas præstat, non probitas. *Vnde ingratitudo dignitatibus plerumque venit* (aiebat Cassiodorus *de Opilione* 8. *variarum* 17.) *iste disceptando sibi amicitiam colligebat. Ex iudicibus natus arbitrum agebat.* Profectò morum probabatur Opilio elegantia expolitus: nam cùm frequenter ex dignitatibus, magistratibúsque

tibúsque aliis oriretur tumens superbia,& odiosa semper elatio ; ipse modestiæ forma nullum despiciebat , cùm floreret origine nobilissima exortus , & dignitatum infulis adornatus : eum edocuit modestia tumorem deponere , & dignitatum splendoribus non inflari. Saul Samuelem in Ramatha ab hominum aspectu semotum , & Dei canendis laudibus dicatum adorasse non lego, modò summisso vultu adorationis impendere obsequium video : *Inclinauit se super faciem suam in terra , & adorauit.* Et cur adoret modò pronus,cùm anteà adorationis oblitus? Iam ipse refert : *Coarctor nimis... vocaui ergo te,vt ostenderes mihi quid faciam.* Qui Samuelis de abolendo prorsus Amalec despexerat salubria monita,modò ad terram deiectus perquirebat consilia , & adorationis impendebat obsequia ; sed non tam Samuelis meritis persuasus , quàm propria necessitate compulsus. Innuit Abulensis *quæst.* 34. *Hic dat causam magis in speciali.* Angustia , qua premebatur , adorationis fuit causa, ridenti non exhiberet fortuna. Balthasar cœnam magnam instruens optimates vocauit : inter condita verò fercula, & annosa vina cœlestis contra ipsum profertur sententia , & anxiis dubiis distorquetur conscientia rea. Quid tunc? summo dolore perculsus ad Danielem confugit,& munera obtulit : *Audiui de te , quoniam spiritum deorum habeas.* Si non ignorabat Danielem florere sapientia, & morum relucere elegantia, cur anteà nec honoribus extulit,nec vocauit ? Dum dolor non pressit,nec honorem impendit,nec ad aulam venire iussit, modò purpura vestit , quia eius indigere sapientia nescit.Notauit Theodoret.*orat.* 5. *Videtur iste præ multa impietate post patris obitum Danielis consuetudinem fugisse.* Non solùm non impendebat anteà reuerentiam , sed fugiebat amicitiam ; modò verò vocat , sed vt anxietati succurrat. Nam sæculi Principes limis alios adspiciunt ridenti fortuna vsi , & solùm honorant, dum anxietatibus pressi.

Dan. 5. v. 14.

§. XXXIX.

Ob vanas sæpè ceremonias seria negotia impediuntur , & periculosa iurgia excitantur.

Honor. Ceremonia.

QVi virtutis seriò agit causam, generosè despicit, quas sitibunda honoris ambitio exigit ceremonias , aut potiùs nugas. Planè hæc contentio homine ingenuo indigna , & à vanitate solùm exorta. Qui affectat hos paleares honores, impedire solet Reipublicæ vtilitates,quæ sæpè turbantur,aut deferuntur ob ridicula,& vana. Perbellè Philo *lib. Quod deterius : Si quis abundans diuitiis extruit templum sumptu magnifico,& indesinenter hecatombas immolat,ædemque à se dedicatam ornat pretiosis donariis , non parcens auro, argentoque nec artibus has materias superantibus,ne is quidem piorum adscribitur numero,aberrauit enim à via pietatis in ceremoniis.* Qui debitas honoris ceremonias denegat ambitiosus, aut tumidus,officia depranat,& quomodo sit virtutibus inseruiendum , ignorat. Saul, vt anxiè desiderabat implexa expedire negotia , non detrectauit honoris impendere officia, reuerentiæque obsequia. Vt audiuit Samuelem adesse , profunda se inclinatione deiecit, & Prophetam adorauit: *Intellexit Saul,quòd Samuel esset,& inclinauit se super faciem suam in terra , & adorauit.* Regia fulgebat dignitate,& tamen profundam exhibere reuerentiam non renuit , mallens quid dignitati suæ ad speciem detrahere , quàm negotium ad communem totius Reipublicæ salutem pertinens impedire. Notauit Abul.*q.* 33. *Fecit hoc ad suadendum Samueli,vt responderet vellet, quia obsequiis homini suadetur:& si fortè non honorasset Saul Samuelem,dedignaretur Samuel respondere:idèo inclinauit se nimis Saul,vt responsum haberet.* Grauissimum toti Reipublicæ imminebat periculum, & à Samuele quærebatur remedium: ergo noluit Saul hac in parte prudens honoris ceremonias taxare, ne responsum contingeret impedire. In exhibendis honoribus esse maluit nimius , quàm parcus, quandoquidem ea nimietas parum,aut nihil suæ dignitati officiebat, & parcitas negotium grauissimum retardabat : *Si fortè non honorasset Saul Samuelem,dedignaretur Samuel respondere.* Ni Samuel responderet, magnis implexum difficultatibus adurgebat negotium , & sperabatur , si responderet , faciliter expediendum : ergo noluit Saul ad honoris ceremonias retardare,quod ad hominum salutem aduentarat, inquirere : Petrus Christi Domini Vicarius, & Apostolorum Princeps imitandam præsulibus normam præscripsit:nam cùm collectis omnibus discipulis,& Eucharistia esset instituenda,& Ecclesia optimis Christi exemplis esset informanda,noluit eiusmodi honoris ceremoniis excitare iurgia,aut salubria impedire lauacra.Dum Ioannes refert Dominum discipulorum pedes lauasse, & ad Petrum tandem deuenisse,innuit alium ante ipsum Petrum fedisse, & ei, vtpotè Apostolorum Prælato,debitum locum præoccupasse. *Cepit lauare pedes discipulorum , & extergere linteo, quo erat præcinctus.Venit ergo ad Simonem Petrum.* Notauit Chrysost. *hom.* 69. *in Ioann. Credibile est proditorem stultum existentem ante Petrum erubuisse,quod Euangelista significauit,cùm dixit:Cepit lauare ; deindè venit ad Petrum.* Etsi Iudas Christi proditor, gloriolæ ambitionis sedem occuparit,cur Petrus dignitatis honori non contuluit, & vetuit ? Quia maluit Christi Dominis sequi humilitatis exemplum , quàm excitatis iurgiis impedire lauacrum. Plus gloriæ acquirunt Petrus tantisper cedens , quàm primam sedem exambiens. Noluit in se Christi discipulo inuniri , quod constat vel in sæcularibus displicere.

Ioann. 13. v. 5.

TEXTVS.

VERS. XV. Dixit autem Samuel ad Saul : Quare inquietasti me vt suscitarer ? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philisthiim pugnant aduersum me , & Deus recessit à me , & exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum,neque per somnia: vocaui ergo te, vt ostenderes mihi quid faciam.

§. XL.

A religione deficere , est calamitatem calamitatibus addere.

Religio.

ADeò cæcutiunt sæpè homines , vt pro antidoto sitiant venenum, & indè maturauerint sibi detrimenta, vndè imprudenter requirebant auxilia. Religio inconcussa,& vita criminibus

bus non attaminata ; vt secundus ventus nauim securum defert in portum , ita ducunt homines ad solidum , & tranquillum gaudium. Sunt tamen , qui religionem temerantes , & pietatem lædentes , calamitati materiam addant , & addendo lenamen quærant. *Natura , quæ rationem auxiliatricem* (aiebat Philo *lib. de Cherubin, &c.*) *validissimam homini addidit , eum , qui hac potest vti , felicem meritò reddidit, vt verè rationalem : cùm verò , qui non potest , brutum , ac miserrimum.* Ad depellendam calamitatem æquitas prodest,& ratio : quod si obrutescant homines, & infelicitatis causam putauerint medicinam , eisdem actionibus apponent impedimentum , quibus imprudenter perquirebant suffragium. Ecce Saul necromanticis artibus diuina lege damnatis Samuelem solicitat excitari,nec aduertit violata religione sibi calamitatem augere , & remedium impedire. Samuel diuina prouidentia allatus , non magicis carminibus excitus Saulis imprudentiam carpsit , & sententiam votis contrariam edixit : *Quare inquietasti me vt excitarer ?* Aesi dicat : Quid proderit me adesse , cùm tu Magam adiens,& eius incantationibus fidens religionem violaueris , Deumque offenderis ? Hunc esse horum verborum sensum expressiùs tradit ipse Samuel : *Quid interrogas me, cùm Dominus recesserit à te.* Si magicis artibus religionem violas , si culpis culpas adaggeras,quid me interrogas ? esto , in me maneat antiquum tibi fauendi studium,quid proderit ; si tu tibi ipsi apponis impedimentum ? *Mortuus est Saul propter iniquitates suas,eò quòd præuaricatus sit mandatum Domini , quod præceperat , & non custodierit illud: sed insuper etiam Pythonissam consuluerit , nec sperauerit in Domino: propter quod interfecit eum, & transtulit regnum eius ad Dauid.* En Pythonissam consulens religionem temerat , & calamitatem sibi iegis violatione maturat. Notauit Abulens. *quæst.* 28. *Specialiter additur ibi peccatum de consultatione Pythonissæ , tanquam causa mortis Saul.* Vt anxietati , qua arctabatur , quæreret delinimentum,à religione defecit, & ipso defectu interitum maturauit.Repetere posset Samuel,quod aiebat datus iam Philo : *Superstitiosi discedant obturatis auribus ; diuina enim misteria tradimus his , qui talibus sacris dignè initiati sunt : hoc est, qui veram, & minimè fucatam pietatem colunt.* Si Saul pietatem ritè coluisset , in Samuele inueniret solatium , sed Ethnicis præstigiis vsus , accelerauit supplicium ; ipsa namque præsentiâ creuit angustia. Vt omnibus notum fuerit violata religione nec posse regna consistere,nec durare.

1. Reg. 10. v. 13.

§. XLI.

Cæcus & reprehensione probatur dignus, qui addendo doloris causam, doloris quærit medelam.

Culpa. Medela.

IMprudentia est doloris quærere medicinam ; addendo dolori causam. Inutili labore defatigatur , qui suis actionibus præpeditur. *Tibi sit* (monebat Ambrosium Præfectus Prætorij apud Cassiodorum 11. *variar.* 4.) *pro publica vtilitate mittendi fiducia , & nullus te contemnendi sumat audaciam.* Profectò quisque irridendi , aut carpendi audaciam sumeret, si non ritè , immò ab scopo aberrando exerceri munus videret. Ob id Samuel sugillatiua interrogatione à Saule quæsiuit , cur eum inquietauerit Magam adiens, & simul ab eo suppetias quærens : *Quare inquietasti me, vt suscitarer ?* Aesi dicat : Magam consulendo Numinis contra te iram inflammas , & per me iram placari procuras : ergo tua imprudentia proditur , & tui ipsius actionibus sugillatur. Ita Abulensis *quæst.* 33. *Hìc increpat Samuel Saulem, & non quærit quare eum inquietauerit, quia benè nouerat cur hoc fieret , sed quærit per modum increpatorium , vt habeat locum eum redarguendi.* Consonat noster Sanctius : *Lex eo modo scisciatari non sinit.* Addit : *In eas rerum angustias adductus est , vt non consilium solum , sed etiam mens omninò defecerit.* Ex 1. *Paralip.* 10. vt vides constat, propter hanc consultationem magicam Deum in Saulem fuisse iratum , & supplicium mortis inflictum : ergo erat , qui durissimè carperetur,dignus,dum anhelans anxia solicitudine dolorem sopire, probabatur doloris causas augere. Nec poterat Samuel ad speciem non exasperari ex vna parte ad remedium ascitus, & ex alia retardatus. Iosephus à patre missus , vt fratres quæreret,campis inuiis exerrabat , à viroque ad nostram eruditionem,quid quæreret, interrogatur : *Inuenit eum vir errantem in agro , & interrogauit quid quæreret.* Historiæ penicillo arbitratur Philo lib. Quod deterius,exprimi,quod sæpesæpiùs contingit. Sunt , qui ad honestum tendant scopum, sed obliquis viis, & actionibus prorsus contrariis,scilicèt ad pietatem superstitiosè , imprudenter ad prudentiam. Philonem audi : *Ille profectum se putans , errare deprehenditur. Inuenit* (inquit) *homo eum errantem in campo ; declarans, quod non labor per se , verùm coniunctus cum arte res bona sit.* Adnectit : *Ita nec prudentiam callidè, nec temperantiam sordidè,illiberalitérque,nec fortitudinem temerariè , nec superstitiosè pietatem , nec inscienter vllam aliam virtutis scientiam ; deuia enim hæc cuncta sunt confessione omnium,& ideò lex iubet iustè iusta exequi.* Iosephus desiderabat fratres inuenire,sed probabatur deuiis ab scopo itineribus exerrare.Nec aliter superstitiosè quærebat pietatem,& ipso studio distabat plus à remedio.Est enim grauissima scelerum pœna sic mentem deficere, & prudentiam innubilari, vt peccatores ad speciem quærendo sibi remedium , præmaturarint exitium.

Gen. 37. v. 5.

§. XLII.

Animæ incommodis non adeò affligimur,vt temporalium decrementis arctamur.

Anima. Corpus.

DEi noster animus capax est ; si non deprimant vitia , sine obice tendet ad superna. Ipse nostrorum corporum habitus dum erectus, cœlum spectat , animúmque ad superna efformatum indicat. Benè Seneca *epist.* 92. *Contemptor omnium nec ad pecuniam respicit: aurum, argentúmque illis, in quibus iacuere tenebris, dignissima,non ad hunc æstimat splendorem, quo imperitorum verberant oculos : scit erui è cœno, ex quo illa secreuit cupiditas nostra, & effodit. Scit* (inquam) *alibi positas esse diuitias , quam quo congeruntur : animum impleri debere , non arcam.* Prudens animi gerit negotium , imprudens arcæ cogitat incrementum. Vt turbatis oculis aliæ, quàm sint , res apparent ; ità peccatoribus detestandis cupiditatibus cœcis in magno pretio sunt contemptu digna , & pretiosa frequenter inueniuntur despecta.Ecce Saul fatetur se nimis actari,quia periculosum bellum imminebat: *Coarctor nimis; siquidem*

Philisthiim pugnant aduersum me, & Deus recessit à me. Pugnam recessui præposuit, & ad Pythonissam tetendit, non vt Dei indignationem auerteret, sed vt hostium vires incantamentis eluderet. Equidem ipse ait: *Vocaui ergo te, vt ostenderes mihi quid faciam.* Non ignorabat Deum vera pœnitudine placari, & dolore cordis emolliri, & nec doluit, nec ingemuit; quæsiuit tamen à Samuele, quomodò posset aduersariis resistere, & pericula propulsare, quia nimis eum affligebant volatica, non sic Dei affligebat absentia. *Rationem angustiæ* (inquit Caietanus) *manifestat hinc Philisthinorum bellum.* Inuidia, impietatéque defœdatus solùm timebat ab hostibus capi, aut potestatem eius imminui; nam iniqui despiciunt animam, & anhelant solùm fortunam; ad hanc igitur suffulciendam Samuel excitatur, & quæritur. Cainus studiosè à Deo fugit: *A facie tua abscondar*, & fugiens, vt violentam mortem vitarit, remedium quærit: *Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Nonne vides sopiendis conscientiæ stimulis opportunam non arripere pœnitentiam, & caducam ambire solicitè vitam? Notauit Gillebertus *in Allegor. Filman. Non vult peccatum occidi, non vult pati salutarem in confessione verecundiam, medicinalem castigationem magistri, non vult inueniri, quia non vult mori.* Animam peccatis iam demortuam non postulat suscitari, nec pœnitudine conatur vitam refundere, totus est in auertendo vitæ pericula, & quærendo contra mortem appetentem remedia: salutis afflictatur periculo, animæ non ingemiscit piaculo.

Gen. 4. v. 14.

§. XLIII.

Deum inuenire solet surdum, qui audire detrectauit propitium.

Inspiratio.

DEi verbum candidissimam secum lucem affert, qua tenebrosæ sensuum caligines depelluntur, & teterrimæ, quibus insanimus, cupiditates fugantur: verùm Dei sermo aures requirit promptas, & expeditas, non affectatis surditatibus obturatas. *Quid fulgidius Dei sermone, aut radicantius* (scribit Philo 2. *lib. leg. Allegor.*) *cuius participatione & aliæ res caliginem, ac tenebras excutiunt, quæ appetunt lucem animarum. Huic sermoni quiddam peculiare accidit; nam quando animam ad se aduocat, gelu excitat in omnibus rebus terrenis, corporeis, ac sensibilibus.* Qui salubriter patulas Dei verbo aures præstiterunt, corporeas fallacias, & præstigiatrices delicias amandarunt: qui verò affectionibus subiugati, ne Dei voces perciperent, aures densis spissamentis obturarunt, sibi inuiderunt: ipsa, quam affectant, surditate Deum surdum quodammodò efficiunt, & quamuis totus sit auris, suis clamoribus aures non præbet. Saul ad Domini præcepta obsurdescens: *Non obedisti voci Domini*, modò clamores repetit, preces iterat, sed oraculum, quasi non audiuerit, conticescit. Equidem ipse ait: *Exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per somnia.* Deum aures Saulis clamoribus iustissimis de causis testatur denegasse Samuel, Saulis cœcitatem seuerè carpens, & cœteros edocens: *Non obedisti voci Domini.* Domini vocem audire noluit: ergo suis clamoribus surdum inuenit; quia prospera fortuna vsus Dei contempsit monita, summis afflictationibus diuexatus non est sortitus oracula. *Rationem angustiæ manifestat* (inquit Caietanus) *hinc Philistkinorum bellum, indè recessum Elohim à se, non respondendo ei vlla via.* Sub nomine Elohim, id est, iudicis, refertur Deus non exaudiens, vt compertum fuerit æquissimo iure ad Saulis clamores obsurduisse, quando certum erat Saulem aures Dei vocibus denegasse. O! exhorreant hanc Dei suis in afflictionibus surditatem, qui Dei opportuno tempore audire noluerunt vocem! E contrà, qui Dei vocem audiunt, exaudientem preces inueniunt. Quia Israelitæ Dei voces referuntur audire. *Audient vocem tuam*, referuntur etiam auditi, dum clamant, angoribus afflictati: *Clamorem eorum audiui propter duritiam eorum, qui præsunt operibus.* Prodest Philo *lib. 1. de vita Mosis*: *Iam dudum* (inquit) *me miseret oppressorum intolerandis iniuriis, quos nemo vel misereatur, vel subleuat, & video tum singulos, tum vniuersos vnanimiter supplices implorare, speraréque meum auxilium. Sum autem exorabilis, & propitius.* Ecce summis in angustiis inuenerunt exorabilem, quia ad eius non obsurduerunt vocem. Saul, qui ad Dei voces aures occlusit, clamans occlusas Dei aures persensit; *Exaudire me noluit.*

Exod. 3. v. 18. & 7.

TEXTVS.

VERS. XVI. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cùm Dominus recesserit à te, & transierit ad æmulum tuum.

§. XLIV.

Summa miseriarum miseria est à Deo deseri, & aduersarium sortiri.

PArens indito à natura amore filiorum solicitat incrementa, & de eorum prouectione plenissima capit gaudia; eius institutionibus applicatur, quidquid in prole laudabile agnoscitur. Nihil filiis vtilius, quàm à parentibus coffoueri, nihil calamitosius, quàm desertari. Prodigus à patre seiunctus cœnoso pecori inseruit nudus, & sustinet inediam famelicus. *Ecce quemadmodum sine patre* (aiebat Chrysol. *serm. 1.*) *census nudauit filiū.* Adnectit: *Quod vitæ, quod mortem, quod pietatis, quod libertatis, quod est gloriæ, nihil reliquit.* Filius sine patre non solùm factus est peregrinus, sed mercenarius. Iam pientissimo in hoc patre Deum adumbrari nemo non videt: ergo retulit Scriptura ad quantam sine patre peruenerit filius miseriam, vt vel ipsa historia vtilissimam nobis ministraret doctrinam. Quid enim sine Deo fortunatum? quid sine radice floridum? sine lumine quid conspicuum? Vndè Senatus Prætori præfectus aiebat 11. *Vndè viar. 3. Dignitatem conscientiæ donet, qui tribunalia conferre dignatus est, faciat inoffensum incedere, ne damnet errantem. Sit nobis prosperrimè præsens, vt infausta vitia reddantur absentia.* Dum Deus adest, abest infaustum vitium, nec verum affligere queit infortunium: at si Deus recesserit, quidquid floridum, marcet, quidquid robustum, flaccescit, & quidquid iucundum, luget. Vnico verbo explicuit Samuel, quàm duræ Saulem calamitates manerent, cùm ab eo

Deum

Deum receſſiſſe protulit: *Quid interrogas me, cùm Dominus receſſerit à te.* Acſi dicat: Corona, vitaque mulctaberis, in hoſtiles manus deuenies, & infeliciſſima clauſula proprio transfoſſus telo vitam concludes. Immò explicari non poſſunt, quæ ex hac Dei abſentia promanatura tibi ſint damna, quia omnem Rhetoricæ excogitatam hyperbolem vincent detrimenta. Prodeſt Caietanus *Hebraicè habetur: Et fuit inimicus tuus. Deus ipſe manifeſtatur à Samuele inimicus Saulis, & ſi Deus contra eum, quis pro eo? Ne mireris Deum dici inimicum Saulis, quia ſcriptum eſt, quòd Altiſſimus odio habet peccatores.* Saulis improbitas, dum Deum à corde abegit, confuſa calamitatum volumina contra ipſum armauit. Ob id Sanctus Iob aiebat: *Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.* Vniuerſali eo verbo, *Cuiuſuis*, ipſum etiam Deum comprehendit. Acſi dicat: Dum cor meum ei adhæreat, dum culpis non ſordeat, etſi dæmon obarmet furorem, etſi Deus ipſe adducat infortuniorum illuuiem, ero veraciter fortunatus, quantumuis in fortuniis, temporalibus ingemiſcam afflictus: aſt ſi Deus à me receſſerit, omnium, quæ habentur apud homines bona, congerie circumfuſus, veraciter ero miſerrimus. Nihil enim felicius Dei præſentia, neque infelicius diſtantia. *Quo irent iniqui, aut quid agerent* (inquit Gregor. *lib.* 13. *Moral. cap.* 10.) *dum is, quem perſequebantur in terra, iam ſedebat in cœlo.* Deo coniunctus, reſplendebat fortunatus, quantumuis in ſterquilinio ſorderet à dæmonibus impetitus. Solida namque, & vera felicitas non conſiſtit in his, quæ exterius reſplendent, ſed in his, quæ interiùs lucent. Cùm populus delira cœcitate vitulum ſibi conflaſſet, Deus, vt iram oſtendat, recedere ſtatuit, ſed, vt datam fidem impleat, Angelum, qui in terram fluentem lacte, & melle introducat, præire decernit: *Mittam præcurſorem tui Angelum, vt eiiciam Chananæum, &c. & intres in terram fluentem lacte, & melle; non enim aſcendam tecum.* Quid tunc? *Audiénſque populus ſermonem hunc peſſimum luxit.* Profectò non videbatur referendus planctus, ſed riſus. Quid lugeant Angelica protectione ſtipati, & mille commodis circumfuſi? Profectò nouerunt, quàm amarum ſit Deo carere, etſi contingat diuitiis, deliciiſque, ac commoditatibus exundare. Ipſa ſine Deo felicitas erat reuerà luctuoſiſſima aduerſitas. Opportunè Oleaſter hîc ad mores: *Quantum debeat peccator ſentire receſſum, & abſentiam Dei, pulchrè locus iſte adumbrat.* Satius erat Deo in corde exiſtente calamitatibus adurgeri, quàm ſine Deo Angelico aſpectu frui: ergo quàm deflenda ſit Dei abſentia, manifeſtè declarauit anguſtia. Referat Samuel Dei abſceſſum, vt Saul omnium malorum ſibi nouerit manere cumulum.

Iob. 17. v. 3.

Exod. 33. v. 2.

TEXTVS.

VERS. XVII. Faciet enim tibi Dominus, ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid.

§. XLV.

Dum peccator iniquis artibus ſolicitat, quod exambit, inuenire ſolet quod horret.

SÆpè peccatores ſuis cupiditatibus aduerſantur, dum aſſequi iniquis artibus adnituntur: quærunt ſalutis, aut voluptatis ſuffragia, ſed inueniunt, quia malè quærunt, diſpendia. *Adeò non eſt facilè conſequi beatam vitam* (ſcribit Seneca *de vita beata cap.* 1.) *vt ab ea quiſque eò longius recedat, quò ad illam citatius fertur, ſi via lapſus eſt, quæ, vbi in contrarium ducit, ipſa velocitas maioris internalli cauſa fit.* Non ſolùm præuidendum eſt, quò tendamus, ſed qua; nam licèt animus ſit ſecura petere, ſi via excidamus, ad præcipitia contingit deuenire. En Saul anxietatis, qua premebatur, à Samuele requirens iuramentum, inuenit acerbiſſimum imminentis calamitatis prænuntium, vt præ matura notitia, quam formidabat, creuerit pœna: *Faciet tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid.* Pythoniſſam conſulendo regnum anhelat ſtabilire, ſed ipſa conſultatione inuentus eſt calamitatem ſibi præmaturare: inuenit, quod horreſcebat, quia iniquis artibus delinimentum anxietudinis procurabat. Notauit opportunè Caietanus: *Deus impediuit effectum incantationum, & Sauli obtulit Samuelis animam non reſpondentem quæſito, non indicantem Sauli quid facturus eſſet, quod ipſe petebat, ſed indicantem eidem quid paſſurus eſſet, quod ipſe nolebat.* Quod fugiebat, inuenit, quia dum malè fugit, ſtatuit: nec enim ſemel peccatores, dum contra ius, faſque anhelauere fraudulentas voluptatum delicias, pertulere digniſſimas pœnas. Rex Iſrael aſcitis à Ioſaphath ſuppetiis in campum prodit contra Syros, & vrbanitatis ſpecie Ioſaphath veſtibus regiis veſtiri ſuadet, quia ſolùm contra Regem pugnaturos Syros cognouit: *Sume arma, & ingredere prælium, & indue veſtibus tuis.* Exhibere ſe fingebat honorem, honore tamen tegebat fraudem; verùm cum fraude anhelat ſoſpitatem, fraudis præmium tulit ſagitta transfoſſus mortem: *Vir quidam tetendit arcum in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit Regem Iſrael inter pulmonem, & ſtomachum.* Pro ſcuto obiecit Syris inſidioſo honore nobilitatum amicum, ſed ob inſidias paſſus eſt iaculum. Non eſt aſſecutus, quod cogitarat, & paſſus eſt, quod horrebat. *Intendebat* (inquit Lira) *quòd pondus belli verteretur ſuper Ioſaphath,* Ioſaphath fefellit, vt ſuæ prouideret ſoſpitati; ſed ob ipſam fallaciam obnoxius periit diſcrimini. Eis namque artibus peccatores ſolent perire, quibus cœciſſimè ſibi ſatagunt prouidere.

Peccator.

3. Reg. 22. v. 30.

§. XLVI.

Inuidi, ambitioſique non tam ſe dolent deiectos, quàm æmulos dignitatum culminibus elevatos.

QVi propriæ vitæ modum imponit, qui contra inſanas affectiones militat, qui inuidiæ, ambitioniſque pernicioſam extinguere adlabo-

Inuidia. Æmulus. Dignitas.

rat flammam, proeudit sibi fortunam; qui verò inardescit illicito ambitu, & inuidiæ torquetur æstu, nequit pacatè viuere, quia duris constat stimulis adurgeri. *Studete* (aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 8.) *cuncti actibus bonis, & formidanda nescitis. Nolite inardescere ad præsumptiones illicitas, amate viuere quietè, transigite semper innoxy.* Pacatè viuit, qui à corde ambitionis laboriosam excluſit molestiam, & præcordia abrodentem inuidiæ flammam: qui verò eiusmodi affectionibus habenas laxauit, se mirè torsit. *Inuidus* (aiebat Nicomachus in Naumachia) *hostis est sibi ipsi.* Hinc est, quòd Saul, dum iniquis artibus adnititur depellere angustiam, inuentus est adaugere sibi miseriam. Audi Samuelem futura prædicentem, & prædictione calamitatem anticipantem: *Faciet tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid.* Iuuat inquirere, cur Samuel non solùm prænuntiet Saulem corona denudantem, sed Danidem in Regem faustis acclamationibus sufficiendum? Quandoquidem satis videbatur, quæ ipse passurus erat, aperire, non Danidem adiuturum regnum denuntiare. Mitiùs cum Saule ageret, etsi ab eo scindendum regnum assereret; si Dauidi dilargiendum, silentio tegeret, & signaret: verùm vt dignas tot sceleribus pœnas solueret, non solum prædixit foræ deiiciendum, sed Dauidem addidit sublimandum: Et quidem plus Saulem, grauiusque torquebat, quàm sua calamitas, Dauidis prosperitas. Huc voco nostrum Sanctium: *Samuel derelictum à Domino Saulem ab omni spe, solatioque depellit.* Adnectit post aliqua: *Et ait, ereptum Sauli regnum traducendum esse ad Dauidem.* Non est facile dictu quo dolore perculsus fuerit Saul, cùm audiuit Danidem, contra quem immortale odium conceperat, & diu fouerat, ad regiam dignitatem eleuandum, & ab omnibus suspiciendum. Cùm inuidi non tam propriis calamitatibus diuexentur, quàm æmulorum prosperitatibus referiantur. Virga Aaron floruit, & Deus in signum rebellium seruari iubet: *Vt seruetur ibi in signum rebellium filiorum Israel.* Oleaster ad literam sic legit: *Ad seruandum in signum filiis amaritudinis, seu amaris.* Et quæ hæc amaritudo? Aaronis virgam conspicere floridam, & exaltatam. Audi quid dicant: *Ecce consumpti sumus: omnes periimus.* Oleaster ad mores legit: *Ecce nos morimur, omnes nos perimus.* Aaronem deturbare adnisi, & virga florente exaltari tunc intuiti, distorquebantur inuidia, & eorum reddebatur vita præ morte amara. Nam ambitiosis, & inuidis nihil adeò acerbum, vt æmulum conspicere fortunatum. Amarissimi æmulis virgæ erant flores, & quò micantiùs vernabant, viuidiùs eorum animos perurgebant.

Num. 17. v. 10.

TEXTVS.

VERS. XVIII. Quia non obedisti voci Domini, neque feciſti iram furoris eius in Amalec, idcircò quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.

§. XLVII.

Qua Deus erga te vsus fuerit misericordia, declarant inflicta aliis ob leuiorem culpam supplicia.

Misericordia. Supplicium.

MAteria est gloriæ principalis (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 46.) *delinquentis reatus, quia nisi culparum occasiones emergerent, locum pietas non haberet.* Parum clementia, misericordiáque luceret, si morum probitas cuncta componeret. Salutifera medentis manu firma valetudo non eget; ast dum imbecillitati suffragatur, medici peritia dignoscitur. Verùm tunc præcipuè, quid ars valeat, elucet, si alter leuiori morbo interierit correptus, & alter graniori ægrotans sanitati gaudeat restitutus; nam tunc ex euentus collatione dignoscitur, quanta medici sit peritia, & quanta fuerit medicaminis efficacia. Animi, vt corpora morbis, sæpesæpiùs ægrotauere piaculis, quæ Deus aut seuerè punit, aut clementer ignoscit, & licèt te ad sanitatem perducere semper sit Numinis misericordia, tunc plus sentitur, cùm alius ob leuiores culpas seuerè carpitur: Ecce Saul vita mulctatur, & regno, quia Amalecitis contra præceptum pepercit, & dispendiosæ cupiditati imprudenter indulsit: *Quia non obedisti voci Domini, neque feciſti iram furoris eius in Amalec, idcirco, quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.* Ipse Textus, dum Saulem refert proiectum, & Danidem ad regnum eleuatum, occasionem præbet quæstioni, cur scilicèt Dauid, qui adulterij, homicidiique grauissimis se constrinxit reatibus, nec vita, nec corona fuerit mulctatus, cùm Saul ob leuiora crimina iustissimè corona, & vita fuerit expunctus? Non dubito omnia Saulis peccata longè supergressa fuisse Dauidis delicta; verùm cum ob impiam erga Amalecitas misericordiam Saul referatur deletus, cur Dauid non fuerit ob grauiora adeò rigidè castigatus? Quia Deus misericordiam Dauidi impensam dignatus est commendare; nam cùm non minori iure, ac à Saul, ab eo posset pœnas repetere, indulsit, & de impio iustè, ritéque Sauli inflicto pietatem erga Dauid dilucidiùs commendauit. Itaque ex mulcta ritè, legitiméque Sauli inflicta erga Danidem impensa magis relucebat misericordia. Quandoquidem si conferas mortem inferre iusto, cum parcere iniquo, venerandum thorum violare, cum diuitias subripere, grauius videbitur Danidis delictum, quàm Saulis peccatum. Itaque cùm ob concessam Amalec imprudenter veniam Saul tulerit mortis pœnam, apparet, quantam Danid sortitus fuerit misericordiam. Adest Caiet. *Mirabilia sunt iudicia Dei, quod vnicum, ac non grauissimum peccatum Saulis imputatum illi sit ad tam grauem pœnam, & multò maiora peccata Danidis non fuerint ad huiusmodi pœnam imputata.* Deus infligendo Sauli pœnam, æquitatem non violat, sed indulgendo Danidi misericordiam, exaltat. Ficus, quæ famelico Domino fructum non exhibuit, iusta sententia exiccatur. *Nihil inuenit in ea nisi folia tantum: & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea.* Alia ficus spes possessoris sæpesæpiùs eludens non exiccatur, sed minis terretur: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio.* Si semel fructibus nudam puniuit, cur semel, & iterum

Matth. 21. v. 19.

Luc. 13. v. 7.

iterum carenti fructibus tempus concessit, & solùm terroribus erudiuit ? Vt dum iusta seueritate aliam castigat (inquit Basil.) qua erga aliam vsus fuerit misericordia, ad nostram eruditionem ostendat: *Proprium est* (inquit *in Cat. ad Luc.* 13.) *diuinæ propitiationis non silenter pœnas infligere, sed præmittere minas reuocando ad pœnitentiam.* Qua fuerit clementia vsus erga diu sterilem, edocuit exiccata, & fructibus interdicta. Plures gratias rependat Deo, qui grauissimis sceleribus prægranatus pœnam euasit, quam alius ob leuiores culpas iustè persoluit.

§. XLVIII.

Indulgentia sceleratis impensa Reipublicæ, & indulgenti ingentissima attulit. non semel damna.

Venia. Scelerati. BEnè constitutæ Reipublicæ infatigabilis cura circa virtutem fouendam, & prauitatem extirpandam debet insudare, vt desideratus felicitatis prouentus sine obice quiuerit efflorere. Quidquid laboris in extirpandis vitiis impenditur, gaudiis generalibus applicatur. *Si tale aliquid* (aiebat Cassiodor. 3. *variar.* 31.) *moderna præsumptione tentatum est, sine dubitatione tollatur, vnius enim desiderio prauo generalis debet vtilitas anteferri, cui vel in causis iustis raro poterit obuiari.* Adnectit: *Malarum rerum emendatio nos delectat, ne concessa videatur ex taciturnitate licentia.* Qui non adhibuit, vt res noxiæ eradicentur, studia, fructus impediuit solatia. Amalecitas obscuris moribus deprauatos penitus aboleri præcepit oraculum; verùm Saul detestabili indulgentia, vt cupiditati adularetur, implere contempsit Numinis venerandum præceptum: venia, quæ plausum, & diuitias videbatur augere, modò refertur amara lamenta adducere: *Quia non obedisti voci Domini, neque feci sti iram furoris eius in Amalec, idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.* Supremis hodiè adurgetur angustiis, & cras extremis etiam inuolutus disperibit miseriis. *Dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthiim: cras autem tu, & filij tui mecum eritis.* Nonne vides quot, & quanta Reipublicæ, & Sauli attulerit detrimenta impensa iniquis imprudenter misericordia? Scelestis parcere, & iniqua commiseratione fouere attulit Sauli mortem, Reipublicæ cladem. Prodest Caiet. *Dabit Dominus Israel tecum in manum Philisthiim, vtpotè cum quo peccasti parcendo rebus bonis Amalecitarum.* Dum Saul iniquis permittit viuere, sibi, & Reipublicæ lamenta probatur afferre Isaias, vt luctuosam Reipublicæ calamitatem describeret, sic aiebat: *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata.* Si tumens circumligaretur plaga, ad salutem perueniret Respublica; nam qui à latronibus percussus, sanitati ligamentis est redditus: *Alligauit vulnera eius*: ast dum digna correctio defuit, plaga sanie pestifera tabuit. Notauit Galfrid. *in Allegor. Tilman. Vulnus est, cùm intus læditur conscientia. Liuor est, cùm etiam foris decoloratur vita. Plaga tumens, cùm additur impudentia.* Adnectit post aliqua: *Non est circumligata, quod nemo sit, qui coerceat. Non curata medicamine; nemo quippè est, qui arguat ... Fouent enim vitia, qui vitiis fauent.* Dum vitia non coercentur, dum non alligantur, sed pestiferis indulgentiæ blandimentis fouentur, totum corpus pestifera putrescit sanie, rediisset ad salutem seuera, & rigida correctione. Saul Rempublicam totam labefactauit, cùm Amalecitis indulsit.

Isai. 1. v. 6.

Luc. 10. v. 34.

§. XLIX.

Non debent alto premi silentio causæ, si insolitæ, ac grauissimæ infligantur alicui pœnæ.

Pœna. Culpa. QVæ communem modum videntur excedere, insolita causa putantur inniti, si effugiat causa notitiam, inflicta pœna iniquæ suspicionis præbet materiam, &, dum supplicij meritum studiosè tegitur, æquitas læsa putatur. *Quidquid vos ab incerto eripit* (aiebat Theodoricus Rex 3. *variar.* 49.) *famam nostræ defensionis extendit*: æquitati iudicis applicatur, quidquid iustis causis definiri cognoscitur; verùm si quid stuporem ingerat rarum, & causam occultarit silentium, audax præsumptio magis applicatur, vt læsam credat iustitiam, quàm vt æstimet promereri supplicium, causam. Hinc est, quòd Samuel, dum Sauli insolitam, grauissimamque vitæ, & coronæ mulctam inflixit, quàm esset æquitati consonum, eiulgauit: *Quia non obedisti voci Domini, neque feci sti iram furoris eius in Amalec, idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.* Etsi æquitati, iustitiæque dubitari nequeat consonum, quidquid cœlesti auctoritate decretum, nihilominus Samuel, vt iniquitatis frænaret ausum, cunctis declarauit delictum. Normam iudicibus præscripsit, dum infligendæ pœnæ rationem reddidit. Innuit Abulens. *q.* 37. *Id est, propter ista prædicta fecit tibi Deus, quod hodie pateris.* Consonat etiam Caiet. *Scribitur: Et dedit illud proximo tuo Dauidi ratione suprà dicta.* Ratio expulsionis declaratur, cùm Saul à vita, & regno expellitur; aliter namque, etsi à Samuele integerrimo æquitatis vindice proferretur sententia, non adeò ritè audaci suspicioni videri posset prolata. *Dabo domum tuam* (aiebat Deus ad Achab) *sicut domum Ieroboam filij Nabat, & sicut domum Baasa filij Abia, quia egisti, vt me ad iracundiam prouocares, & peccare feci sti Israel.* Non dedignatur Deus rationem reddere, ob quam grauissimam Achab decreuerit pœnam infligere, vt iudices, Principesque, si insolitum, valdèque durum sit supplicium, cui decernendum, non recusent rationem reddere, & malè suspicacis vulgi linguas frænare. *Denuntiauit ei* (scribit Glossa Moralis) *ex parte Domini terribilem sententiam contra se, & vxorem suam.* Ventres canum promittebat, insolito Achab supplicio castigabat: ergo expressit causam, vt iniquitati occluderet linguam. 3. Reg. 21. v. 22.

TEXTVS.

VERS. XIV. Et dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthiim: cras autem tu, & filij tui mecum eritis: sed & castra Israel tradet Dominus in manus Philisthiim.

§. L.

Eandem subire solitat pœnam, & qui perpetrauerat culpam.

Pœn. Culpæ. Patronus.

NVllum vitium sine patrono est, suoptè ingenio irritator accedit, & improba desideriorum semina fouet, non considerans, quàm se grani discrimini exponat, dum malitiam iuuat. *Cùm bellum Græciæ indiceret Xerxes* (scribit Seneca *lib. 6. de Benefic. cap. 31.*) *animum tumentem, oblitúmque quàm caducis confideret, nemo non impulit. Alius aiebat non laturos nuntium belli, & ad primam aduentus famam terga versuros: alius nihil esse dubij, quin illa mole non vinci solùm Græcia, sed obrui posset.* Xerxes vanis plausibus inflatus, & infirmis spebus fretus stratus cum suo exercitu per totam passim Græciam tardè intellexit, quantum ab exercitu turba distaret. Secum traxit exercitum in perniciem, & tulerunt etiam audaciæ patroni eandem consiliorum mercedem. Nec aliter Sauli, eiusque militibus accidit. Sequenti die in hostium manus prædicit Samuel deuenturos: *Cras tu, & filij tui mecum eritis, sed & castra Israel tradet Dominus in manus Philistkiim.* Quid passuri essent die sequenti prænuntiauit, & satis esse ad tot hominum copias penitus delendas exiguum spatium docuit. Nox vna fuit inter exercitum copiosum, & nullum; nihil tutum est: bellum in media pace consurgit, & securitatis auxilia sæpè extiterunt metus fomenta. Ex socio hostis, ex amico fit aduersarius: longam moram dedit malis properantibus Samuel, dum in diem sequentem distulit. Interpretes sciscitantur, cur castra cum Saule tradita, & calamitate simili afflicta? Varij varias causas afferunt. Lira existimat exercitum illum constare ex plurimis, qui ferale contra Danidem Saulis odium fouerant, & consiliis improbis instigarant: ergo, qui impulerant Saulem, vt contra Danidem prodiret in campum, etiam cum Saule tulerunt modo supplicium. Liram accipe: *Propter peccatum Principis benè puniuntur subditi pœna temporali, & etiam morte corporali, & maximè, quia multi erant fautores Saulis, consentanei in malis suis.* Similem tulere pœnam, quia fouebant Saulis inuidiam. O quàm est miserum sub iniquo Principe militare, quando ob eius scelera armatorum perierunt castra! quod expendatur est dignum, eodem mortis genere Achitophel, & Absalon interiisse:

2. Reg. 17. v. 23. *Achitophel videns, quòd non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexitque, & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam, & disposita domo sua, suspendio interiit.* Non multò

C. 18. v. 9. post Absalon interiit etiam suspendio: *Illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit.* Et cur simili adeò pœna vterque dispereat? Arbori, vt carnifici, traditus est Absalon, quia immaturè regnum ambiuit; & Achitophel etiam ligno est traditus, quia ambitionis insaniam improbis consiliis fouit. Opportunè Rhabannus apud Glossam: *Meritò tales laqueo diaboli malitiæ suæ vitam finiunt, quia alienam prauis persuasionibus corrumpunt.* Eadem pœna mulctatur, qui temeritatis prauis persuasionibus fouit audaciam, & qui regiam ambiuit intempestiuè coronam. Vt clarè appareat, quàm nostra thesis sit vera, eandem scilicèt subire non rarò pœnam, qui perpetrauit, & qui instigauit ad culpam.

§. LI.

Sæpè diabolus, vt salubrem impediuerit pœnitentiam, stultam salutionis ingerit peccatori fiduciam.

Fiducia. Prou. 10. v. 29. Confidentia.

FIducia prodest, si ab honestis actionibus non recedit. Vndè Apostolus aiebat: *Vigilate, state in fide, viriliter agite.* Fidei virilia coniunxit opera, vt contra praua dæmonis nos obarmaret consilia. Sæpè namque diabolus sic mentem hominis tetris cupiditatum vaporibus aut obscurat, aut cœcat, vt salutionis armet fiduciam, vt inter peccatorum deliria à corde expunxerit pœnitentiam. Opportunè Galfridus ad hunc locum *in Allegor. Tilman. Confessionem nimis necessariam esse mentitur, potestati detrahit Prælatorum: quæ etiam sunt criminalia, venialia fingit . . . Iam per corpus multas disseminat praui tates, in consultationibus Mathematicorum, in maleficiis præcantatorum, in variis erroribus occultorum.* Incantationibus, & veneficiis accitus locis apparet Angelus, aut alicuius sumit personam, qui fuerit moribus expolitus, vt stultis permissionibus conscientiam sopiat, & stultam fiduciam ingerat. Saul incantationibus quærit anxietatis leuamentum, & opportunum à Samuele consilium. Dæmon, vt Interpretibus plurimis placet, specie Samuelis vestitus apparuit, & die sequenti futurum secum, Sauli promisit: *Cras tu, & filij tui mecum eritis.* Samuel in portu quiescebat placida tranquillitate fruitus: ergo dum Saulem secum futurum asserit fraudulentus, Saul vanissimis spebus delinitus mortem oppetiuit incautus. Notanit Interlinearis: *Mecum eritis in requie, quod falsum dicit, vt credi faciat, & securum reddat.* Consonat Hugo Cardinalis: *Mecum in requie, & mentitur diabolus tunc, vt decipiat.* Promittit requiem, vt, dum Saul delusus pœnitentiæ vero dolore negligit expungere scelera, æterna subeat supplicia: *Quæ sunt criminalia, venialia fingit.* O quàm sæpè, quod ergà Saulem finxit, erga alios exercet. Pungit tetus conscientia, sed tunc peccatori stulta à dæmone innutritur fiducia. Promittit sibi peccator pœnitentiæ opportunitatem, felicem spondet mortem, &, dum vanis spebus sibi blanditur: æternis cruciatibus deuouetur. Ecce superstiosissimis incantationibus Saul delinquit, & cum Samuele placidam fore sibi requiem delusus credit: *Mecum eritis in requie, quod falsum dicit, vt credi faciat, & securum reddat.* Filius vnicus matris suæ immatura mortè corripitur, & sepeliendus effertur: *Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris sue.* Qui fuerint huius defuncti portitores, explicat ad mores Hugo ad hunc locum: *Quatuor portitores sunt, amor peccati, timor pœnitentiæ, spes emendæ, præsumptio de misericordia Dei.* Ardore inuentutis obcœcatus differebat pœnitentiam, vitæ emendationem sibi promittens, & Dei misericordiam ad criminum patrocinium deflectens. Hac ergo spe, & præsumptione delusus oppetiit mortem improuidus; &, ni Christus Dominus miraculosè excitasset, prosus periisset. Et expende excitatum miraculo, dum

Luc. 7. v. 12.

dum stultè de misericordia præsumit, & opportunum sibi futurum tempus ad peccata abolenda credit. Non est miraculum conscientiæ morsibus perculsum salubrem arripere pœnitentiam, sed miraculo quodammodò opus est, vt dum pœnitere differt euanidis spebus sibi adulatus, non pereat delusus. Adolescenti citissimè occubituro dæmon promittebat longam vitam, & assequendam misericordiam, & dum impostori adhibet fidem, miraculo opus est, vt redeat ad sanitatem: *Portitores sunt spes emendæ, præsumptio de misericordia Dei.*

§. LII.

Qui iniquè filios anhelarunt extollere, eis contingit immaturè priuari.

Parens. Filius.

DEbent filij parentibus, quòd ab eis geniti vinant; sed parum debent, nisi eorum vitam optimis moribus expoliuerint, & virtutibus efformauerint. *Colligo* (aiebat Seneca lib. 3. de Benefic. cap. 31.) *minimum esse beneficium patris, matrisque concubitum: nisi accesserint alia, quæ prosequerentur hoc initium muneris, & alijs officijs ratum facerent. Non est bonum viuere, sed benè viuere. Ita hoc tantum est tuum, quod viuo: Si vitam imputas mihi per se nudam, egentem consilij, & id, vt magnum bonum iactas: cogita te mihi imputare muscarum, & vermium bonum.* Parum dedit pater filio, si eius vitam bonis artibus non instruxerit, & eius cursum ad rectum iter direxerit: verùm frequenter parentes collatum in filios beneficium non tam student augere solidis virtutibus, quàm euanidis splendoribus: ipsis laborant, ipsis diuitias conquirunt, ipsos quoquo modo ornare dignitatibus gestiunt, nec expendunt sæpè in paterni reatus pœnam immatura filios morte corripi, aut violenter occidi. Saul nulli dolo pepercit, nulla iniquitate abstinuit, vt Ionathæ regnum firmaret; immò cædem Dauidi sæpèsæpius intentauit, quia obstaculum credidit: *Omnibus diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum.* Itaque mortem Dauidis ardenti desiderio suspirabat, vt Ionathas fulgeret stabilitus, & regali colluceret purpura ornatus, sed dum iniquis artibus regnum filio satagit stabilire, inuentus est vita, & regno denudare; nam Ionathas cum alijs fratribus violenta morte iacuit occisus: *Cras tu, & filij tui mecum eritis.* Ecce filiorum mors prædicitur, & Ionathas ipsis in patris oculis vulneratur: *Percusserunt Ionatham.* Eius immaturum vidit excidium, cui iniquis artibus procurauerat regnum, vt doleret non solùm priuatum regali corona, sed etiam vita: *Cras tu, & filij tui mecum eritis* (inquit Abulensis *quæst.* 40.) *id est, cras morieminì iu, & filij tui.* Ecce Ionathas in Saulis præsentia sagittis cadit transfossus, vt acerbè ingemiscat pater filio, & spebus orbatus. Quod Saul stulta ambitione putabat augmentum, filio maturauit excidium, & obijt immaturus, qui sperabatur dignitatibus exornandus. E contrà Abraham, cùm filium deuotè illigat, & ne vel leui culpa denigretur, studiosè solicitat, stellis audit exæquandum, & contra fortunæ adsultus stabiliendum: *Quia fecisti hanc rem & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Iniecta filio vincula fuerunt inconcussa felicitatis fulcimenta, & certa prosperitatis auspicia. Iam filium illigasse, ne leui culpa forderet, testatur Zeno serm. 2. de Abraham: *Traduntur teneræ adhuc vinculis manus, & ne quid minus ab hostia videretur pedem ligatura destringit, ne incitata victima displiceret.* Prouidus pater teneras filij manus salubri ligatura destrinxit, & dum omne à filio auertit peccatum, secundum ei prosperitatis solicitauit augmentum: Vt in Abrahamo, Sauleque discant parentes filijs iniquis artibus augmenta non quærere, sed eorum felicitatem miris virtutibus suffulcire.

Sup. c. 20. v. 31.

Infr. c. 31. v. 2.

Gen. 32. v. 18.

TEXTVS.

VERS. XX. Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa.

§. LIII.

Peccatoris morte proximi solent acri timore percelli, & salubri confidentia nudari.

RAtionabilis timor, salubris; nimius, & acerrimus, virtutibus inuenitur contrarius. *Cauendum est* (aiebat Richardus in Alleg. Tilman. ad Gen. 49.) *ne timor solicitudinis vltra mensuram excrescat.* Si rationis metam excesserit, mentem infatuat, vires eneruat; & totum robur pectoris euigorat. Ita Basilius orat. 12. quæ est de Mærore: *Nimia tristitia auctor peccati esse solet, cùm mœror mentem summergat, consilij inopia vertiginem afferat.* Hinc est, quòd peccatores, quem in vita è corde abigunt, veluti collectum, & vt ita dicam, thesaurizatum in morte metum inueniunt; & quia lucis flore vsi; non didicerant salubriter formidare, in morte solitant nimijs angoribus deterreri, in desperationem deuenire, & animæ salutem contemnere. Saul, qui salubria Samuelis monita non timuerat; sic modò eius exhorrescit minantia verba, vt non solùm timore prorsus elangueat, sed in terram decidat: *Statim Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis.* Modò debuisset auersari terrena, & modò inclinatur ad fluxa: arduum est instante morte inueteratos mores denudare, & contrarios induere: *Porrectus in terram.* Nimio timore prudentia de mentis arce deturbabatur, & animus euigorabatur. Prodest Caietanus: *Duæ rationes redduntur huius casus, seu iactus; altera ex parte animi, videlicet magnus timor ex verbis Samuelis; altera ex parte corporis, quia robur non erat in eo.* Addit post aliqua: *Vidit* eum (Pythonissa) *tam exterritum, vt appareret attonitus.* Apparebat attonitus, cum debuisset pœnitere compunctus, quia nimius terror mentem quodammodò illigarat, & prudentiam prorsus abegerat. Pharao Deum timere non didicit: *Quis est Dominus, vt audiam vocem*

Peccatör. Timor. Mors.

Exod. 5. v. 2.

Eman. de Naxera in Reg. *Tom. II.*

vocem eius? Naufragio tamen proximus acri adeò timore perculsus est, vt prorsus desipiat, à Deoque adnitatur recedere, cùm ad eum deberet confugere: *Fugiamus Israelem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* A Domino recedebant timore perculsi, qui delicta debuissent retractare sapienter prouidi. Audi Caietanum: *Triplex incurrerunt malum; nam animo sunt attoniti, & corpore sunt moti deorsum, & rotas curruum amiserunt.* Vehementi stupore deterriti, & terrore obstupefacti deuenerunt non ad portum, sed ad profundum. Defecit prudentia, quia nimis excreuit timoris insania. Hanc dignissimè subeunt aliquando scelesti pœnam, morti proximi acri adeò terrore illigantur obstupefacti; vt omni prudentia desperent nudi; tunc nimium timent, qui nimium audent.

Exod. 14. v. 25.

§. LIV.

Dura aliquanto tolerantur ieiunia, vt perpetrentur scelera.

Scelus. Ieiunium.

PEccandi ardor, & insana delinquendi affectio detestabilem fortitudinem induit, & omnem asperitatem emollit. *Illud te admoneo* (aiebat Seneca lib. 1. Epist. 5.) *ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sunt. Asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quidquid aliud ambitionem peruersa via sequitur, deuita.* Qui philosophiam mentiebantur, ambitiosa plausus siti nil deuitabant ex his, quæ prudentia horreret, aut honestè saltem subiret; virtutis asperitatem amplectebantur sine virtute, vt inani fruerentur laude. Saul etiam refertur ieiunus, & toto die, ac nocte vacuo ventre, & siti afflictatus, vt pythonissam adeat, & consulat: *Robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa.* Caietanus sic ex Hebræo: *Legendum est tota die, & tota nocte.* Huius ieiunij causa fuit; quia cum è castris clam excessisset, & totam noctem, vt Pythonissæ domum intraret sine rumore, ambulasset, otium non fuit, nec tempus ad cibum sumendum. Audi Caietanum: *Hinc insinuatur, quod die illa Saul ambulauerat, quamuis, nocturna hora peruenerit ad mulierem.* Itaque ex Caietani sententia Princeps tota die pedes incessit, & temporis inclementias ieiunus sustinuit, vt occultè mulieris domum intraret, & hoc totum, vt dæmonem consuleret, & sibi improuide prouideret. Consonat Abulensis *qu.* 41. *Fortè recesserat in aurora vel per noctem de castris, & vt non cognosceretur, non declinauerat ad aliqua loca ad sumendum cibum, & sic ipse, nec viri sui non comederant die illa.* Clam è castris excessit, ne quis Pythonissæ domum suspicaretur adire, & ieiunus lucem anteuertit, vt occultè posset intrare. Itaque ieiunus nocte jam procedente peruenit, & cibo, ne immoraretur, aut cognosceretur, abstinuit. Videas aliquos, vt Veneri famulentur, aut ambitioni blandiantur, duros labores subire, & asperitates amplecti; tota nocte perstant copiosis imbribus repercussi, aut gelida pruina afflictati, & hoc totum, vt mulierculæ fruantur alloquio, aut eius domum intrarint grandi periculo. Itinere defatigatus, fame luridus Saul refertur, vt incognitus adeat Pythonissam, & ingenti pretio soluat periculosam fallaciam. Cùm Elias pro veritate cum Baal prophetis decertaret, illi non solùm vt adesset exertis Baal clamoribus inuocabant, sed se cultris, & lanceolis referiebant: *Clamabant voce magna, & incidebant se iuxta ritum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Confer Eliæ labores cum horum asperitate, & inuenies duriora pro ambitione sustineri, & sanguinem fundi: aliquando latuit Elias sed à coruis pastus: ieiunauit, sed Angelico cibo viguit refectus, ast falsi Prophetæ vulnerum dolore torquentur, sanguine perfunduntur, rauci expedita voce priuantur. Minus tulit Elias, qui virtutibus inseruiuit, grauiora est passus, qui figmentum vanissimum adorauit. Et ad hæc: Baal Propheta miserrima strage perijt, Elias nitidissimis ad cœlestia raptus splendoribus inuolauit: *Incidebant se cultris* (inquit Lira) *quia dæmones delectantur in sacrificijs de sanguine hominis*: Consonat Theodoretus *quæst.* 56. *Stolidi & clamorem communiter emiserunt & se gladijs, & saromastis concciderunt vsque ad effusionem sanguinis. Nam cum hominum cædem spirent dæmones, hominum sanguine delectantur: quamobrem hoc modo eos colebant.* Elias Deum colens ieiunauit; stolidas idolum adorans sanguinem fudit: vt compertum fuerit vitijs, cupiditatibusque inseruientes grauiora perferre, leuiora virtutis afflectas tolerare.

3. Reg. 18. v. 28.

TEXTVS.

VERS. XXI. & XXII. Ingressa est itaque mulier illa ad Saul (conturbatus enim erat valdè) dixitque ad eum: Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam in manu mea, & audiui sermones tuos, quos locutus es ad me. Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualescas, & possis iter agere.

§. LV.

Principi pro suis decertanti subiecti debent officia expromptè exhibere, alimentaque ministrare.

Principi. Subditus. Alimenta.

PRincipi omnium incolumitatis studioso obsequiosa debentur officia, & obsequentis laudibus applicatur quidquid solicitè pro suis inuigilanti Principi penditur: Grata non sunt dona, ni spontaneè videantur oblata. Boni Principis est suos non prægranare, vt etiam seruientis, quæ necessaria nouerit, exhibere. Sine emptatione exhiberi debent egenti Principi, & pro suis decertanti subsidia, & alimenta. *Omnium vestrum studia debent concitari* (aiebat Athalaricus 8. *variar.* 12.) *quando pronectum meum excogitatum noscitis pro vtilitate cunctorum.* Alacriter omnium vtilitati studenti obsequiosa debentur officia, & deuota præstari debent obsequia;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

obsequia : laudabiliter collocatur, quidquid accommodum generalitatis offertur. Vt nouit Pythonissa Saulem ad castra decertaturum contendere, fameque vexari, quem sibi innutrierat, hilariter exhibuit pascualem vitulum, & promptitudine commendauit obsequium : *Ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualescas, & possis iter agere.* Iter arripiebat, vt hostes reprimeret, aut à suis iugum repelleret ; deerat robur, quia defecerat alimentum : ergo mulier, quem habebat, vitulum condiuit, & panes celeriter conformauit. Nec enim fas erat Principi quid denegare, quando anxios labores pro suorum constabat vtilitate subire. Ita Abulensis *quæst.* 41. *Sciebat mulier, quòd Saul volebat redire in castra, & tamen non potuisset iter agere, nisi comedisset : ideò cumpulit eum comedere.* Ni mulier exhiberet subsidium, Saul non posset prodire contra aduersarios in campum : ergo prodeunti in campum exprompte ministrauit subsidium : nulli rei ex his, quæ domi habebat, pepercit, rata crimen esse quid sibi asseruare eis in circunstantijs, & bellicoso Principi non offerre. Gedeon Principes Soccoth spinis pungentibus flagellatos contriuit : *Tulit seniores ciuitatis, & spinas deserti, ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Soccoth.* Iudic. 8. v. 16. Hostium, quos jam in manu habebat, mortem distulit & gladio regio interfecit : *Surrexit Gedeon, & interfecit Zebee, & Salmana.* Mira res! Honestiori morte puniuit hostes, turpiori, ac duriori ciues, & anteà suis intulit mulctam, quàm inferret hostibus plagam. Ecqua huius discriminis causa est ? Quia cùm Soccoth ciues Principi pro eis decertanti debuissent spontè subsidia offerre, vrbanis etiam precibus allecti renuerunt præstare : *Dixit ad viros Soccoth : Date, obsecro, panes populo, qui mecum est, quia valdè defecerunt, vt possimus persequi Zebee, & Salmana Reges Madian.* Preces debuissent Soccoth ciues anteuertere & panes decertanti Principi ministrare ; se verò adeò tenaces, inurbanosque exhibuerunt, vt nec precibus allecti, nec indigentia fuerint commoti : ergo æquum fuit duriùs, grauiusque, quàm aduersarios, punire sibi subiectos. Non est hostem anhelare aduersarij excidia insolitum, subiectum verò Principi pro eo decertanti, indigentique alimenta non præstitisse, mirandum, quando æquum erat spontè offerre, & vota Principis præuenire. *Tulit ergo spinas, &c.* (inquit Lira.) *quia traxit per spinas, & tribulos, vel quia combussit eos igne facto de spinis, secundùm alios.* Hostes gladio regio iacuerunt occisi, subiecti inurbani, tenacesque duriori, ac grauiori pœna mulctati.

§. LVI.

Efficacia sunt apud eum vota, pro quo petens constat grauia subijsse pericula.

Oratio. Periculum. OBedientibus (aiebat Athalaricus 9. *variar.* 8.) *iustè indulgetur animus, & quos scimus memores bonorum, indubitanter eis denuò præbemus affectum.* Si spontè obedientibus debetur affectus; pericula vt obtemperauerint, subeuntibus potiori iure inclinari debet regentis animus, nec fas est inueniri cassa eius vota, quem constat pro Principe adijsse grauia pericula. Sic consternatus Saul iacebat, vt mallet inedia vitam finire, quàm edulijs protelare ; verùm Pythonissa, vt eius annueret votis, alleganit, quantis se, vt Sauli obtemperaret, exposuisset periculis : & jam Saul vrbanè paret coactus, & resistre nequit allatis à Pythonissa rationibus honestè concluſus ; vbi, vt obediret, subijsse grauissimum est attestata periculum, eius à Saule frustrari nequiuit votũ : *Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam in manu mea, & audiui sermones tuos, quos locutus es ad me. Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ.* Efficax satis erat persuasio, quæ firmabatur lato periculo ; nec enim videretur æquitati consonum, eius honesta eludere desideria, quæ vt obediret, passa fuerat tanta discrimina : ergo orationis efficacia quodammodò coactus Princeps annuit, & comedit. Prodest Lira : *Feci opus ad tuam petitionem sub pœna mortis prohibitum. Quasi dicat : ex hoc debes inclinari meæ petitioni.* Latum à Pythonissa dilcrimen orationi grandem indebat efficaciam, vt persuasioni energiam : ergo Saul comedit, & demutauit sententiam : quòd si Saul eiusmodi precibus annuit, quomodò Deus fusis lachrymis, & anxijs eorum votis resistet, qui vt ei obtemperarint, gloriamque extenderint, vitam despexerunt honesta audacia, & prohibiti capitali pœna peregrino inuolarunt ad regna. Loth, vt peregrinos à se humanè receptos à deliro Sodomitarum ardore defenderet, vitam periculo exposuit : *Vim faciebant Loth vehementissimè.* Elegit, vt honestati consuleret, à furentibus affligi, & ab insanientibus diuexari : *Te ipsum magis, quàm hos affligemus.* Ergo in Segor habitaculum eligit, & tesseram securitatis deposcit : *Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea.* Quid tunc Dominus ? *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es.* Segor, quia Loth exhibitura erat hospitium, singulare obtinet priuilegium : à communi incendij pœna perstat exempta, quia Lothi fuerat hospitio nobilitanda. Monebant Angeli ad montem celeri pede contendere, petijt Loth oppido vicino habitare, & obtinuit ab Angelis desiderata, quia ob Angelos passus fuerat incommoda. Quodsi priuilegium attulit ciuitati futurum Loth iusti hospitium ; quis dubitet ob futurum Verbo incarnato exhibendum gratum hospitium, Mariam sanctissimam in primo Conceptionis instanti obtinuisse singulare priuilegium. Loth nondum ingressus fuerat Segor, & jam à communi incendio lucebat exempta, & anticipata mercede hospitij nobilitata. Verùm reuertamur ad thesim. Angeli, qui omnem regionem aduenerant copiosis flammarum imbribus tumulare, Segor sospitatem non recusarunt promittere : *Non subuertam vrbem, pro qua locutus es* ; quia quodammodò cogebantur eius annuere votis, quem pro eis viderant afflictatum periculis. *Videtur hic Loth* (inquit Oleaster ad mores) *obligare Angelos, postquam vitam concesserant, concedere ciuitatem.* Quodammodò cogebantur annuere, quia Loth non dubitarat vitam discrimini exponere. Igitur sanctorum ambi patrocinium ; nam efficacia eorum apud Deum sunt vota, quia ob eius gloriam, & honorem non solùm adierunt pericula, sed durissima etiam pertulerunt tormenta. Gen. 19. v. 9.

TEXTVS.

VERS. XXIII. & XXIV. Qui renuit, & ait: Non comedam. Coegerunt autem eum serui sui, & mulier, & tandem audita voce eorum surrexit de terra, & sedit super lectum. Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, & festinauit, & occidit eum: tollensque farinam, miscuit eam, & coxit azyma.

§. LVII.

Priuata mulier non bonis artibus videtur vti, si pretiosis dapibus vesci, & supellectilibus constat ditari.

Fœmina. Pompa.

CONtra se præsumptionis armat audaciam fœmina alias non dives, si floridam vestium, aut pretiosam supellectilium ostentauerit pompam; quandoquidem non bonis creditur artibus acquisitum, quod scitur à maioribus nullatenus deriuatum. *Excusari non potes* (aiebat Cyprianus lib. de disciplin. & habit. virg.) quasi *mente casta sis, & pudica: redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus.* Non inanem ingenerat suspicionem florida ornatus pompa, vt etiam diserta dapibus mensa. Eua, dum ignorabat serpentem; degebat nuda, vbi cum illo colloquia miscuit ignominiosa, & florida veste

Gen. 3. v. 7. resplenduit ornata: *fecerunt sibi perizomata.* Ipsa ornatus folia erant ad colloquium cuulgandum pro lingua. Nec enim Eua ea fulgeret floriditate, ni legis delinqueret transgressione. *Ruentes* inquit Basilius Seleuciensis orat. 3.) *publicis ignominiæ notis consignat.* Nec aliter Pythonissa, dum refertur lectulos triclinares habere, & saginati vituli dapibus mensam instruere: *Habebat vitulum pascualem in domo.* Cùm Abrahamus Angelis exhibuit pascualem vitulum, refertur

Gen. 18 v. 7. habuisse armentum: *Ad armentum cucurrit, & tulit indè vitulum tenerrimum, & optimum.* Pythonissa non habebat armentum, & habuit vitulum vt hinc constaret malis artibus vti, & dæmonis causas agere. Notauit noster Sanctius: *Vocatur saginatus, & altilis, quem ad delicias, seu similes vsus alunt domi viri, qui sunt paulò lautiores.* Adnectit: *Lectulos habuisse videatur discubitorios, & triclinares. Tales certè habuit ille apud Lucam cap.* 15. Vt illius patris satis diuitis domus triclinaribus splendebat lectis, ita veneficæ domus lectis fulgebat triclinaribus. In patris domo inuentus est ad delicias vitulus, & vitulus etiam ad delicias refertur à venefica saginatus. Habebat illa, sed iniquis artibus, quod pater, & Abrahamus honestis nacti fuerant laboribus. Cùm Balac seniores Moab, & maiores natu Madian legatos ad Balaam ariolum destinasset, domo sua excepit, & honorifice aluit: *Manete hic nocte.* Filius Beor describitur, & amplam satis domum habitare refertur, quandoquidem angusta Principes nequiret excipere, nec hospitio digno honorare. Adde, quòd vt viam carperet, vt quondam Abrahamus, satellitio dicitur stipatus: *Insidebat asinæ, & duos pueros habebat secum.* Ditissimus Abraham duos pueros secum duxit ad

Num. 22. v. 8.

Gen. 22. v. 3. montis visionem tendens: *Ducens secum duos iuuenes*, & Balaam duos etiam duxit, sed Abraham, quia diuitijs ritè acquisitis exundabat; Balaam, quia vt exundaret, artes peruersissimas exercebat. *Portabat* (inquit Abulensis hic quæst. 7.) *secum in itinere duos iuuenes seruientes illi.* Vno contentus Elisæo fuit Elias: Elisæus Giezi vnico; Balaam satellitio Abrahamum exæquat, & dum exæquat, peruersis artibus vti declarat.

TEXTVS.

VERS. XXV. Et posuit ante Saul, & ante seruos eius. Qui cum comedissent, surrexerunt, & ambulauerunt per totam noctem illam.

§. LVIII.

Bonus Princeps maulit sibi deesse, quàm suos, & Rempublicam desertare.

ILlud solùm vobis iudicauimus esse commodum (aiebat Principis nomine Cassiodorus 11. variar. 8.) *si vos, iuuante Domino, seruemus illæsos. Non vos quisquam militum pro sua voluntate concutiet; non exactor adiectitijs grauabit incommodis: non solùm nostras, sed & officijs innoxias custodiumus manus.* Principale munus est vtilitatem publicam respicere, non priuatis commodis prouidere. Qui ad dignitatis culmen euectus suum communi redemit periculum, dignitati intulit probrum. Qui se, suaque Reipublicæ vtilitati postposuit, integra laude resplenduit. Saul, etsi alijs piaculis obscuratus suo sic muneri satisfecit, vt maluerit vitam non dubio discrimini exponere, quàm vt sibi consuleret, castra, & Rempublicam desertare. Prædixerat ei Samuel certissimo vaticinio die sequenti mortem oppetiturum, & triumphis opimis aduersarium coronandum: cumque posset à certamine abstinere, & à campo Martio distare, cædemque imminentem effugere, muneri satisfecit, & discrimini vitam exposuit: *Ambulauerunt per totam noctem illam.* Ceteri pede contendit ad castra, ne suos debilitaret absentia. Notauit noster Sanctius: *Hebræi multa de Saulis fidelissima constantia, qui cum videret sibi eodem, quo appulisset, die, oppetendam esse mortem; deesse tamen sibi maluit, quam suis, imque publicæ: & cum nosset hostili ferro suum deuotum esse iugulum; non tamen sic illud exhorruit, vt non audacter in medios inimicorum cuneos irruperit.* Et persuasit dignitas castra adire, ne vrgeret hostilis terror armatos, & sua absentia vinciùs inflammaret aduersos. Iacob morti proximus Iudæ principatum dignis elogijs dilaudans, sic alebat: *Catulus leonis Iuda: ad prædam, fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo.* Leo ad nullius pauet occursum, & maulit gloriosa morte vitam finire, quàm incolumitati fuga ignobili prouidere. Hæc prophetia cùm referatur ad Christum, nos cogit mortis eius circunstantias inspicere, & ad nostram eruditionem expendere. Armati deuenerant in hortum aduersarij, cumque non ignoraret, quæ illum mors maneret, suorum salutem periculo proprio redemit, & armatis se aciebus obiecit: *Sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis?* Et adiecit: *Si ergo me quæritis; sinite hos abire.* Futurorum præscius maturam non arripuit fugam, sed suorum egit tutelam. Leo audacter processit, vtque suos defenderet, mortem sibi si fas est dicere, procedendo maturauit. Vt ab eo discerent

Gen. 49. v. 9.

Ioan. 18. v. 4.

superio

superiores, Principesque intrepida constantia mortem despicere, vt muneris leges valeant implere. Prodest Chrysostomus in Catena: *Quasi dicat: si me quæritis, nihil vobis ad hos commune est. Ecce me ipsum trado: vsque ad vltimam horam ad suos dilectionis conseruantiam demonstrans.* Si se substraheret, sibi consuleret, sed suos in hostium manibus capiendos desereret; inimicis obuiam procedens suorum saluti prouidit, honestamque mortem ob subjectorum incolumitatem Principes, ac duces suis factis oppetere edocuit.

§. LIX.

Milites non tam curant conscientiæ prouidere, quàm fortitudinis gloriam ambire.

Miles.

GRande inter gentes constat esse præconium, militem inconcussa constantia non exhorrere periculum. *Agesilaus* (scribit Stobæus *cap.* 54.) *Lacedæmoniorum Rex interrogatus, quas res Imperatorem habere oporteat, dixit. Aduersus hostes audaciam, erga subditos beneuolentiam, in opportunitate verò rationem, & consilium.* Laudabilis est in hostem audacia consilio, & ratione suffulta, quia afferre non potest laudem, si prudentiæ inuerterit ordinem. Priùs est prudentiæ legem colere, quàm in aduersarium irruere. Vndè qui exulcerata conscientia certaminis intrat pericula, non audet, sed furit. Vndè Sophocles apud datum Stobæum aiebat: *Cùm diis mouere hastam sapientes duces oportet.* Mouenda est in hostes hasta, sed cum Deo expurgata ritè conscientia: nam qui aliter periculosa exambit certamina, defecit penitus à prudentia; verùm adeò milites frequenter desipiunt, vt nullam conscientiæ habentes rationem, militarem exambiant laudem. Immò timidus, & imbellis arbitratur habendus, si animum miles expiarit, & quidquid culpa inquinarit, absterserit. Audit Saul à Samuele ab eius animo Deum distare, & piaculis perpetratis sordere: cúmque fas esset aliquod tempus in expiando animo laudabiliter collocare, maluit quidquid noctis reliquum fuerat, in castra adeunda consumere: *Ambulauerunt per totam noctem illam.* Inquires, cur Saul, cùm non ignorarit admissa piacula, & futura belli discrimina, celeriter adeò arripuerit iter ad Martialem pugnam, & contempserit expiare conscientiam? Nonne lugebit æternum, si occumbat culpis irretitus, & criminibus sordidatus? Quid ergo temeritatis terminos supergressus, exponitur periculis condemnandus? Quia eo tenentur delirio (inquit Abulensis) qui Martia tendunt ad bella, vt animæ non attendant pericula, & euanida fortitudinis sitiant elogia. Audi Abulensem *quæst.* 47. *Ibat in bellum, ibat animo fortiter pugnandi contra Philisthæos.* Totum studium erat contra Philisthinos pugnare, nec curabat Deum lachrymis ad commiserationem allicere. Cùm Daniel in Balthassarem exaratam legisset, & enodasset sententiam, totum eius, conniuarumque studium fuit, vt ex Isaiæ 21. colligitur, arma prensare, & in campum prosilire. Audi de hac re Isaiam præcinentem: *Pone mensam contemplare in specula comedentes, & bibentes: Surgite Principes, arripite clypeum.* Ac si dicat: Principes, militesque, qui opipara in Balthassaris mensa se ingurgitabant, & insanis idola laudibus efferebant, vbi audierunt scripturam à Daniele reseratam, arripuerunt clypeum, vt procederent ad bellum. *Surgite* (exponit Hieronymus apud Glossam) *postquam comederitis, & biberitis, arma arripite*, id est, toti eritis in arripiendis armis, non in detergendis culpis, quasi frequentissimum sit militibus conscientiam paruipendere, & audaciam bellicam ostentare. Isai. 21. v. 5.

CAPVT XXIX.

1 CONGREGATA sunt ergo Philisthiim vniuersa agmina in Aphec: sed & Israël castrametatus est super fontem, qui erat in Iezrahel: 2. Et Satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centuriis, & millibus: Dauid autem, & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis: 3. Dixeruntque Principes Philisthiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad Principes Philisthiim: Num ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saul Regis Israel, & est apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quidquam, ex die, qua transfugit ad me, vsque ad diem hanc? 4. Irati sunt autem aduersus eum Principes Philisthiim, & dixerunt ei: Reuertatur vir iste, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis aduersarius, cùm præliari cœperimus: quomodò enim aliter poterit placare Dominum suum nisi in capitibus nostris? 5. Nonne iste est Dauid, cui cantabant in choris dicentes: Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in decem millibus suis? 6. Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei: Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris; & non inueni in te quidquam mali, ex die, qua venisti ad me, vsque in diem hanc: sed Satrapis non places: 7. Reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos Satraparum Philisthiim: 8. Dixitque Dauid ad Achis: Quid enim feci, & quid inueniſti in me seruo tuo à die, qua fui in conspectu tuo vsque in diem hanc, vt non veniam, & pugnem contra inimicos Domini mei Regis: 9. Respondens autem

tem Achis, locutus est ad Dauid: scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei; sed Principes Philisthinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prælium: 10. Igitur consurge mane tu, & serui Domini tui, qui venerunt tecum: & cùm de nocte surrexeritis, & cœperit diluescere, pergite: 11. Surrexit itaque de nocte Dauid ipse, & viri eius, vt proficiscerentur manè, & reuerterentur ad terram Philisthiim: Philisthiim autem ascenderunt in Iezrael.

TEXTVS.

VERS. I. Congregata sunt ergo Philisthiim vniuersa agmina in Aphech: sed & Israel castrametatus est super fontem, qui erat in Iezrael.

§. I.

Imprudentia est ea loca frequentare, in quibus expertus es inimicum prævalere.

Periculum. Locus.

VIrtus, vitiumque sunt humanæ voluntatis effectus, non sunt locis adscribenda, aut locorum qualitatibus imputanda: verùm negari non potest faciliùs pedem in lubrico, quàm in sicco elabi. *Non tantùm corpori* (aiebat Seneca *epist.* 51.) *sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus.* Disertè dixit: sunt enim aliqua loca diuersorium vitiorum, ibique infeliciter soluitur, quæ major licentia loco debetur. Vbi cantus symphoniarum allicit, vbi Syrenarum delectat accentus, faciliùs admittitur culpa, & sauciatur frequentiùs conscientia. Id solicitè curare debemus, vt vitiorum irritamenta fugiamus. Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum prorsus abstrahendus; & quidem dum ad eiusmodi loca frequentanda dæmon viuidiùs instigat, quàm sint periculosa, clarissimè manifestat. Philisthæi, qui dæmonum gerebant imaginem, contra Israelitas adornant bella, & in Aphec astutè disponunt castra: *Congregata sunt ergo Philisthiim vniuersa agmina in Aphec.* Et cur potiùs in Aphec, quàm aliis in locis? Quia ibi jam potiti victoria, & ditati præda: *Philisthiim venerunt in Aphec, & instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine terga vertit Israel Philisthæis.* In Aphec populus corruit, & indè Philisthæus prædam copiosissimam asportauit, Arcamque tulit: ergo ibi iterùm astutè fixit castra, & iterùm est potitus victoria. Quàm se imprudenter Israelitæ gesserunt ea loca non deuitantes, & victoriam præsumentes. Aphec suspicantur aliqui locum fuisse spatiosum, & obtendendis insidiis opportunum: ergo ibi Philisthæus disponit castra, quia ibi Israelitis certiora pericula. Innuit Abulensis *quæst.* 1. *Castrametati sunt Philisthæi apud istam vrbem tempore Heli sacerdotis, quando rapta fuit Arca in bello, vt patet suprà cap.* 4. Ipse locus erat Israelitis infelix præsagium, & Philisthæis fortunatum auspicium. Fortè Israelita non caderet, si alio loco pugnam iniret; aſt, dum sibi repetit periculosa, atteritur miseranda ruina. Pharao ad aquas oblectationis causa egressus, virgam inuenit, quæ liquorem in sanguinem transmutauit: *Ecce egredietur ad aquas, & stabis in occursum eius super ripam fluminis.* In aqua Pharao expertus periculum, & sanguinolentum venenum, adeò desipuit, vt repeteret, & per medios vortices sibi triumphum promittens inuolaret. Quid tunc? In mediis fluctibus disperiit absorptus, & voluminibus aquarum sepultus: *Inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* Inimici expertus vires in aqua debuisset fugere, & audet temerarius aquas intrare: ergo, dum contemnit periculum, miserandum subit naufragium. Innuit Basilius Seleucensis *orat.* 9. *Fumen virga percussum purpurascebat: Nec verò istius vindictæ cursus antè potuit abrumpi, quam virga percussum mare his iter, illis sepulchrum fuerit.* Plurimis diuinitus immissis flagellis Pharao vapulauit, sed in aqua solùm periit. Ranarum vndantia agmina aures raucis clamoribus referiebant: locustæ in modum exercitus inuolantes omnia deuastabant: lumen tenebræ densis caliginibus euincebant; sed quamvis repetitis fuerit verberibus fatigatus, penitus non periit consumptus; at aquarum fluctus eum violenter absorbuit, quia expertus cruorem, vndam iterùm repetiuit.

Sup. c. 4. v. 2.

Exod. 7. v. 15.

Exod. 14. v. 27.

§. II.

Prudentia est collectis omnibus viribus contra hostem pugnare, ne paulatim contingat imminui.

CONstat felicem esse Rempublicam, quæ multis viribus resplendet armata: nam sicut cœlum redditur stellarum multitudine clarum; sic Reipublicæ robur lucet militæ plurimo stabilitum. *Clypeus ille* (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 4.) *exercitus nostri quietem debet præstare Romanis.* Dum hostium audaciæ copiosus resistit exercitus, Princeps vinit tranquillitate securus. Hosti proficit exiguas turmas in campum producere, si possit valentiori robore imperare. Satius est pacem petere, quàm audendo consumi. Hinc militiæ periti, & benè politici duces malunt, collectis omnibus viribus, hostem semel aggredi, quàm exiguis manibus certaminis tempus producere, & paulatim ab aduersariis imminui. Hoc consilium amplexi videntur, & quidem felici euentu, Philisthæi; nam cùm non semel anteà ab Israelitis fuissent profligati, imminutique, semel collectis totis viribus cum hoste decertare statuunt, satiùs ducentes, quàm diù pendere, rem prælio vnico definire: *Congregata sunt ergo Philisthiim vniuersa agmina in Aphec; sed & Israel castrametatus est super fontem, qui erat in Iezrael.* Dum collectis, productisque omnibus viribus in campum Philisthæus prodit, auspicatè pugnam init. Equis hoc ait? Ipse profectò euentus; nam Israelitæ interfecti ceciderunt, & Philisthæi egregiam consecuti victoriam, spolia plurima reportarunt. Innuit Abulensis *quæst.* 1. *Omnes Philisthæi dispositi per agmina sua venerunt in vrbem Aphec.* Productis non copiosis manibus expediebantur consumi: ergo decreuerunt viribus collectis

Papias. Hyps.

collectis fortunam tentare, & audaciam hostis infringere. Gedeon etiam cum Madianitis certamen initurus, copiosas manus producit in campum: *De nocte consurgens, & omnis populus cum eo.* Deus multitudinem ad sua remittere jubet, & insolitam victoriam spondet: *In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos.* Et cur Dominus vetet copiosas manus producere, & trecentos solùm velit pugnare? Iam ipse expressit: *Ne glorietur contra me Israel, & dicat: Meis viribus liberatus sum.* Si Gedeon plurimo milite, & omnibus collectis viribus assequeretur victoriam, non appareret miraculum; trecentis solùm viris erat triumphum obtinere prodigium: ergo Deus numerum breuiauit, vt beneficium augeret. Verùm ipsa historia nobis est pro doctrina, videlicet non esse insolitum collectis magnis viribus de hoste reportare triumphum, & assequi de valido hoste exigua manu victoriam, prodigiosum esse miraculum: exiguam manum opponere, est velle paulatim imminui, & fortunam hostis augere. De victoria certus omnes Gedeon vires produxit in campum, ne prudentiæ deesset, si parua manu prodiret. *In bellis humanis* (inquit Interlinearis) *numerosior exercitus præstat tutiora subsidia.* Qui numeroso potest exercitu hosti occurrere, si exiguo occurrat, prudentiæ infert notam, aduersariorumque non solùm fouet audaciam, sed fortunam.

Iudic. 7. v. 1.

TEXTVS.

VERS. II. Et Satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centuriis, & millibus: Dauid autem, & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis.

§. III.

In benè constituta Republica proceres non sectantur otia, sed tractant arma.

OTium est morum corruptela, virtutum tinea, & non semel nobilitatis infamia. Pessimus consiliarius inertia voluptates suggerit, vigorem hebetat, mentem infatuat. *Iuuenum virtus* (aiebat Theodericus 5. *variar.* 25.) *præsumptione laboris animatur.* Virtus labore viget, & otio cadaueraſcit. *Otium* (aiebat Seneca *epist.* 82.) *mors est, & hominis viui sepultura.* Hac tabe homunciones, & priuati liberantur, dum paupertate, aut vitæ conditione ad non otiandum coguntur. Nobiles verò, & meliori fortuna vsi huic morbo inueniuntur expositi: benè tamen constituta Respublica dignam generoso sanguine eis occupationem injunxit, scilicet arma tractare, & militarem gloriam acquirere. Vbi Philisthæi referuntur exercitum contra hostes adornare, Reipublicæ primores, dynastæque dicuntur cæteris anteire: *Et satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centuriis, & millibus: Dauid autem, & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis.* Quos modò Satrapas dixit, Principes, nobilesque Philisthinorum esse Textus expressit. Itaque exercitus ille non solùm constabat militibus gregariis, sed Principibus nobilissimis. Principem suum nobiles sequebantur honori ducentes arma tractare, & dedecori otij oblectamenta sitire. Innuit noster Sanctius: *Præcedebant in acie Satrapæ, id est, Principes Philisthinorum, qui centenis, millenisque præerant. Extremum claudebat agmen Rex Achis, cui summa erat in bellica administratione potestas.* Euentus belli semper est varius, dum tamen exercitus regia armabatur præsentia, & conspicua nobilium copia, faustis processit auspiciis, & futuræ felicitatis præsagiis. Principes, nobilesque, qui in frequenti ciuitate, & curia inertia mores corrumperent, in acie sibi pepererunt gloriam, & populo desideratam attulerunt fortunam; triumphis redierunt coronati, qui aliter marcerent otiosi. Dum procerum, magnatumque filij in ciuitatibus, & curiis nulla honesta occupatione eruduntur, in virtutis detrimentum otiantur: ergo optima politices eiusmodi Marti adlegit, & Rempublicam egregiis eorum facinoribus munit. *Cor meum* (aiebat Debbora) *diligit Principes Israel, qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino. Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini.* Ac si dicat: Quid potestis dicere, qui maluistis asinis nitentibus insidere, quàm arma tractare, cùm Principes, & nobilitate clari elegerint militiam tractare, non ignobili otio torpere? Innuit Abulensis hìc: *Cor meum diligit Principes Israel, scilicet, Principes illos, qui iuerunt ad bellum: congratulatur enim eis Debbora.* Principibus congratulatur bellicosis, non nitidis, & pompaticè ornatis; ab his namque nullum Reipublicæ commodum, & ab illis magnum subsidium.

Proceres. Bellum. Respublica. Otium.

Iudic. 5. v. 9.

§. IV.

Nobilior in acie locus non est extraneis designandus, sed propriis militibus exhibendus.

QVamvis militaris honor ad cunctos bella tractantes spectet, in acie tamen his creditum plus videtur, quibus repellendis hostium adsultibus opportunior statio designatur. *Rerum qualitate perpensa* (aiebat Cassiodorus 7. *variar.* 4.) *multum iis creditum videtur, quibus confinales populi depopulantur.* De more apud milites est honori ducere, si pro munimine exercitus ad repellendos hostium impetus prima fronte contigerit collocari. *Ibi* (addit datus Cassiodorus) *impetus gentilis excipitur, & transmissis iaculis sauciatur furibunda præsumptio.* De stationis periculo fortitudo quærit elogium, & emere proprio sanguine exambit plausum. Ob id Achis in expeditione, quam Israelitis opposuit, egregiis militibus frontem exercitus designauit, & extremum agmen claudere Dauidi concessit: *Satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centuriis, & millibus: Dauid autem, & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis.* Loca profectò videbantur inuertenda; nam cùm Dauid militari robore esset præ aliis strennus, & tot victoriis nobilitatus, debuisset agminibus anteire, non extremam partem tenere. Cur ergo Achis, si exambit triumphum, priorem Dauidi non adsignauerit locum? Quia Dauid, etsi robore strenuus, peregrinus erat, & extraneus: noluit ergo benè politicus Princeps exercitum perturbare, si extraneis, & non propriis honorem illum videretur concedere; ægrè namque ferrent proprij,

Certamen. Honor. Locus.

proprij, si exercitus frontem occupassent extranei. *Præcedebant in acie* (inquit noster Sanctius) *Satrapæ, id est, Principes Philisthinorum.* Princeps Dauidem honorauit, suis tamen strenuis ducibus non præposuit, veritus, ne orirentur jurgia, & perturbarentur agmina. Non semel è manibus est elapsa victoria, quia inter milites oritur controuersia, dum ægrè ferunt aliis postponi, qui vulnerum cicatricibus, & bellorum peritia approbati debuerunt honore frui, & cæteris anteferri.

TEXTVS.

VERS. III. Dixeruntque Principes Philisthiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad Principes Philisthiim: Num ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saul Regis Israel, & est apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quidquam ex die, qua transfugit ad me vsque ad diem hanc.

§. V.

Quos specialis Principum amplectitur gratia, dura insectatur inuidia.

Inuidia. Princeps.

QVisquis eminuit, quid appeteret, aut carperet, cupiditati, & liuori ostendit: factiosas causas architectatur calumnia, & artificiosis fucis fraudes colorat maleuolentia. Quibus sibi debuit strenuus allicere studia, inuenitur excitare æmulorum odia. Dauid ea militari peritia, ea in bellis fortuna resplenduit, vt Achis animum sibi deuinxerit, & ad impertiendos ei honores distertum Principem prouocarit. Repetere posset Cassiodorus, quod de Cypriano scripsit 8. *variar.* 22. *Talem mentis exhibuit constantiam, tantum bonorum habuit propositum, vt semper in se prouocauerit regium munus. Hæc est certa gloria, hæc indubitata sententia frequenter potuisse mereri, per quod homines constat ornari.* Regis Dauidem adornabant judicia, & jure ad Regis tutionem præferebatur electus, quia sæpiùs dignis actionibus approbatus: *Non inueni in eo quidquam ex die, qua transfugit ad me vsque ad diem hanc.* Quem Achis expertus fuerat fidelem, adjunxit sibi auxiliarem: verùm vbi lateri regio adhærere, eiusque tutelæ honore nobilitari animaduertit inuidia, contra Dauidem armauit odia: *Dauid autem, & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis.* Cùm Dauid à regio latere distabat, satrapæ nullis denigrabant calumniis; modò verò carpunt inuidiosis querelis: *Quid sibi volunt Hebræi isti?* Non rogant inscij, sed æmuli, & dum inquirunt, insidias struunt. Ita Abulensis *quæst.* 4. *Non interrogauerunt Principes Philisthinorum de istis Hebræis, quid ibi agerent, quasi ignorarent, sed vt haberent locum reprehendendi Regem Achis.* Adnectit: *Isti Principes erant Satrapæ, qui conuenerunt ad Achis, redarguentes eum propter Dauid.* Vt viderunt Regis lateri adjunctum, quis esset interrogarunt, non sciendi studio, sed calumniandi ardentissimo desiderio: nam inuidia semper molitur iniquis suspicionibus deturbare, quem dolet fastigium dignitatis tenere: Moyses Hobab, quia Israelitas à desertorum quibat erroribus liberare, in populi ducem promittit efferre: *Eris ductor noster. Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.* Quid tunc Hobab magnis pollicitationibus incitatus, & beneuolentia Principis aliis præpositus: *Non vadam tecum* (respondet) *sed reuertar in terram meam.* Et cur deserta eligat, & fastigia dignitatum fastidiat? quia timet, si præfectura luceat cæteris antelatus, inuidentium multiplici querela impetendus. Opponerent Moysi Israelitarum primores, quod Achis Philisthinorum magnates, esse scilicet Hobab exterum, nec licere eo honore nobilitari, & cæteris anteponi: ergo Hobab vti prudens Principis beneuolentiam extimuit, quia inuidiam exasperandam agnouit. *Narratur* (scribit Philo de Temulentia) *respondisse inuitanti: Non proficiscar; malo in terram meam, & gentem reuerti.* Reuerti maluit, quia ipsa dignitatis, & dignitiarum incrementa fore sibi est suspicatus discrimina.

Num. 10. v. 32.

§. VI.

Ad fastigia à se fuisse non erubescet elatum, quem Princeps agnouerit eximiis dotibus insignitum.

DE primo prouectu potest esse cunctatio, præcipuè si Princeps ad dignitatum lumina eligat, quem alienis solùm relationibus dignum existimat; experientiæ, & temporis suffragiis non approbatus, est aliquando elligentis nota, quia videtur defeciisse prudentia. Qui noluit per se ipsum veritatem dignis examinibus indagare, sed aliorum relatu regi, erroribus probatur exponi. Qui verò honores est impertitus, longa experientia ductus, & electi actionibus informatus, nunquam de electione erubescet confusus, quia ratione prudenti innixus. *Ornant* (aiebat Athalaricus de Cypriano 8. *variar.* 22.) *tales & nostra iudicia, quoniam benè priùs electus creditur, qui sæpiùs approbatur. Natura ipsa bonis addidit perseuerantia pretium: quia minus est laudanda incipere, quàm bonorum propositum custodire.* Hinc est, quòd Achis à Satrapis redarguitus, quòd Dauidem suo lateri adjunxerit, libera fronte responderit, elegisse suffragiis temporis approbatum, non alienis solùm relationibus dignum. *Num ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saul Regis Israel apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quidquam ex die, qua transfugit ad me vsque ad diem hanc.* Eis Dauid exornabatur virtutibus, vt judicium Principis commendaret, & inanes contra eum esse suspiciones ostenderet: ergo Achis non est veritus fateri à se honoribus nobilitatum, vt qui priùs fuerit expertus multis virtutum dotibus expolitum. *Ingens gloria* (aiebat Plinius in Panegyr.) *ingensque fama, cùm abundè expertus esset, quàm benè humeris tuis sederet imperium, tibi terras, te terris reliquit.* Famam, gloriamq; sibi Princeps adauxit, qui

qui Traianum post experientias delegit; nam quantumuis abrodere electionem conaretur inuidia, æmulationis occludebat ora experientia. Audi Abulensem *quæst.* 4. *Conuenerunt ad Achis redarguentes eum propter Dauid: ipse autem alligauit coram eis rationabilem causam.* Aliquando obiicitur Principibus, & Reipublicæ administris impertiisse aliquibus dignitatem, & coguntur erubescere, quia nequeunt vt Achis, obiectionibus satisfacere. Qui elegit indignum, vt adularetur patrono, qui promouit sine solicito examine, & vnius, aut alterius solum suffragio, nec sopire quibit querelam, nec depellere notam. Qui verò expertus elegit, audacem linguam frænauit. Cùm Ioseph patri morti proximo filios benedicendos obtulisset, pater decussatis manibus minorem prætulit. Ioseph instanter patris manum amouere studuit; renuit tamen pater, & se certa scientia moueri ostendit. Gen. 48. v. 19. *Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio.* Acsi dicat: Non erubesco de electione, quæ à certa promanauit notitia, immò tibi, fili, erubescendum est instituisse sine experientiæ suffragio, & certæ notitiæ auxilio. *Verus Iacob* (inquit Hugo) *id est, Christus manus cancellans dexteram suam ponit super caput minoris. Nam qui sunt hic in dextera mundi, erunt in futuro in sinistra Christi.* Itaque Iacob Christi imaginem retulit, dum non attendit patrocinium, sed meritum, cùm sæpè postponatur meritum, quia attenditur patrocinium. Sic elige, vt redargutus satisfacias, nec rubore linguam contineas.

TEXTVS.

VERS. IV. Irati sunt autem aduersus eum Principes Philisthiim, & dixerunt ei: Reuertatur vir iste, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, vt non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis aduersarius, cùm præliari cœperimus: quomodò enim aliter poterit placare Dominum suum nisi in capitibus nostris.

§. VII.

Diuina prouidentia in suorum vertit commoda, quæ parabantur ab æmulis detrimenta.

Prouidentia. VT est cœca humana prudentia aliquando nocendo consulit, consulendo lædit. Quæ ab hominibus disponuntur, incommoda transeunt, Deo gubernante, in felicitatis argumenta, & indè emergit secura tranquillitas, vndè sæua timeri potuit calamitas. Sub contraria specie latent aliquando diuersæ causæ, & inuenitur prodesse, qui studiosè adnitebatur affligere. Audi Cassiodor. 7. *variar.* 47. *Patitur hoc improuida mortalium plerumque conditio, vt cùm ladere putatur, consulat, & cùm consulere videtur, affligat; sed illud magis est eligendum, quod prodesse cognoscitur.* Philisthini è regio latere deturbare Dauidem conati sunt: *Reuertatur vir iste, & sedeat in loco suo*: verùm Deus eorum est vsus consilio, vt cœco Dauidem exoluerit nodo: nam si Dauid contra Israelitas pugnaret, culpa sorderet infectus, si contra Philisthæos, arma verteret infidelitatis, ingratitudinisque defœdatus; ast dum de Regis imperio è castris excedit, nec incurrit culpam, nec infidelitatis, aut ingratitudinis notam. Perbellè Caietan. *Perpende existentiam diuinæ beneuolentiæ erga Dauidem, prouidendo ei, vt vtrumque euadat periculum: vel manifestandi se proditorem Achis Regis, vel pugnandi contra Israel.* Non poterat Dauid Carybdim vitare, quin incideret in Scyllam; nam si non pugnaret, haberetur proditor, si pugnaret, paternarum legum desertor; ast dum suspicax ad castra non admittit cautela, difficultate exoluit cœcissima. Addit Caietanus *Per hanc enim prudentiam Principum Philisthinorum exemit Deus Dauidem ab vtroque malo cum honore, & vtilitate ipsius Dauidis: honore quidem coram Rege; vtilitate autem, quia hinc sequuta est recuperatio direptorum ab Amalecitis, quæ in sequenti tractatur capitulo.* Vt Regis latus suis militibus stiparet, ciuitatem suam armis reliquerat nudam, & hostili incursioni expositam: ergo honorificè à Rege dimissus euasit culpam, & ablatam ab Amalecitis recuperauit substantiam. Vt repetat Cassiodor. 4. *variar.* 47. *Mundanis rebus frequenter nascitur de aduersitate prosperitas, & homines, cùm ladere cupiunt, beneficia frequenter impertiunt.* Deus in Danidis vertit commodum, quod à Philisthinis parabatur dehonestamentum, & Dauid exprompte secessit, quia non attendit quo animo procuratus, sed quàm sibi vtilis esset discessus. Regni proceres ægrè ferebant Moysem origine Hebræum Ægypti regnum potiri, & regia maiestate fulgere. Hinc patulas aui aures plurimis calumniis impleuerunt; ita vt de amittendo immaturè regno reddiderint solicitum, & periculi anteuertendi studiosum. Moyses fugam arripuit; vt æmulorum odium absentia sopiret, aut saltem frænaret: *Fugiens de conspectu eius moratus est in terra Madian.* E deserto iam Pharaonis Deus rediuit, qui nepos excesserit: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Dum magnatum exulare fecit inuidia, ea occasione vsa est, vt ad Deitatis honorem, eleuaret prouidentia. Æmulorum consilium versum est in Moysis commodum, &, dum putarunt affligere, inuenti sunt prouidere. Audi Philonem *lib* 1. *de Vita Mosis*: *Occasionem nacti purpurati, & suspectum habentes iuuenem, quem norant aliquando exacturum pœnas præsentis crudelitatis, quàm primum potuerunt patulas aui aures impleuerunt plurimis calumniis.* Regni primores è solio deturbare calumniarum ariete conati sunt: verùm Moysi præter opinionem suffragantur; nam, dum delituit expulsus, in Pharaonis Deum resplendet inauguratus. In Moysis honorem, & commodum vertit prouidentia, quas insidias dispouerat inuidia, & pro Ægypti sceptro donatus est virga, qua imperauit elementis, & quas præsagiebant, intulit pœnas Ægyptiis. Exod. 2. v. 15.

§. VIII.

Aliquando magistratus tantam sibi auctoritatem vendicant, vt à se decretum, inuito etiam Principe, stabiliendum præsumant.

VTilitas publica sæpe debet à Principe optari & studiosis conatibus suffulciri; verùm cùm à Principe disposita aliorum actione indigeant, *Magistratus. Auctoritas.*

vt enitescant perfecta, non potest sine administris perficere, quod salubriter agnoscitur procurare. *Tantæ rei* (aiebat Theodoricus nobilem ministrum alloquens 5. *variar.* 16.) *quem desideramus effectum, magnitudinis vestræ solicitudine credimus esse procurandum.* Principis mediis in conatibus prouisio langueſcit deserta, ni dignè administrantium fuerit actionibus industriis adiuta: verùm non semel, qui exprompte Principi obsequuturi, eam sibi arrogant potestatem ambitiosa muneris extensione, vt iam non tam videantur parere, quam imperare. Adduxerat secum Achis Dauidem, vt inferret hostibus bellum; verùm Satrapæ aut prudenti coniectura moti, aut inani suspicione deterriti ad designatas illi sedes reuertendum decreuerunt, & ipsi Regi intimarunt: *Reuertatur vir iste, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum.* Hæc verba non tam rogantium, quàm imperantium fuisse tradit Abulensis *quæst.* 5. *Illud fuit per modum sententiæ, & obediuit eis Achis.* Videbantur rationes ad Principis animum flectendum modestè allaturi; sed tantam sibi auctoritatem vendicarunt, vt fixè Dauid reuertendum decreuerint, & Regem decretis assentire compulerint. *Obediuit eis Achis.* Non accesserunt in modum rogantium, sed in modum fixè, ac immutabiliter sententiam proferentium: *Illud fuit per modum sententiæ.* Decreuerat Deus, qui Principis temporalis apud Hebræorum populum vices gerebant, gentes deteri, eorúmque possessiones inter Israelitas diuidi. Gabaonitæ, cùm nequirent viribus prævalere, callida decreuerunt astutia sibi consulere: Ergo populi dynastas, magistratúsque adeunt, & oblatis muneribus pacem rogant, & inconsulto Principe impetrant: *Susceperunt de cibariis eorum, & os Domini non interrogauerunt ... Principes quoque multitudinis iurauerunt eis.* Citò fraus detecta est; nam mendacium, si perspexeris, lucet; cúmque vulgus repetitis querelis Principis adurgeret, se eam pacem sacramento stabiliisse responderunt, & à se decretum non immutandum asseuerarunt: *Non possumus eos contingere.* Satius erat Principis iussa exequi, quàm quæ ipsi decreuerant, prosequi, & tamen quæ semel decreuerant, inuiolata, & inconcussa fixè sanxerunt. Profectò iuramentum emissum Numinis reclamante præcepto eos non illigabat, à religione tamen mutuauere colorem, vt suffulcirent auctoritatem. *Secundum Dei præceptum* (inquit August. *q.* 15. *in Iosue*) *debellare deberent; noluerunt tamen frangere iurationem.* Historia miris videtur coloribus adumbrare quod aliquando solet accidere. A Principe statuta interpretatione mutantur, aut aliquo colore eluduntur. Magistratus verò insistunt in à se decretis tuendis, & nullatenus immutandis. Achis quodammodò compulsus est cedere, ne à magistratibus decretum videretur violari: *Hoc fuit per modum sententiæ, & obediuit eis Achis.*

Iosue 9. v. 14.

§. IX.

Magistratus studiosè Reipublicæ debent consulere, & periculis suspectis rationabiliter obuiare.

Magistratus Periculum.

FAs non est leuiter suspicionibus assentire, & alienam famam denigrare: suspicioſi tranquillitati sæpè inueniuntur contrarij: verùm quibus aut familiæ tutela, aut Reipublicæ committitur causa, fundatas suspiciones non debent contemnere, immò eis ad obuiandum periculis obarmari. *Non est tale* (aiebat Cassiod.) *variar.* 4.) *pacatis regionibus iuu dicere, quale suspectis gentibus assidere: vbi non tantum vitia, quantum bella suspecta sunt.* Suspectis gentibus non est fidendum, sed discriminibus, quæ emergere possunt, cautè obuiandum. Nihil suspicio temeraria suadeat, sed benè fundata, incautè viuere non permittat. Vt viderunt Satrapæ Dauidem non exigua manu cinctum castris adesse, & posse sui Principis gratiam eorum sanguinis pretio emere, è castris decreuerunt abigere: *Non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis aduersarius, cùm præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare Dominum suum nisi in capitibus nostris?* Videbant Dauidem profugum, suspicabantúrque rationabiliter sui Principis gratiam desiderare, posseque assequi, si Philisthinorum turbaret castra, & eorum pernicie præstitisset obsequia: ergo decernunt sibi consulere, & fundatis suspicionibus periculum anteuertere. Non dixerunt: Fiet nobis aduersarius, sed, *ne fiat*, quod suspicantium est proprium: prudentia tamen fuit rationabili timori prouidenter occurrere, & periculis obuiare. *Poterat suis* (inquit Rabbi Leui apud Glossam) *magis prodesse, quam obesse, infatuando scilicet consilia Palæsthinorum, & in periculis, monendo Israelitas: id quod Satrapæ Palæsthinorum facilè aduertere potuerunt.* Consonat Abulensis *quæst.* 6. *Philistkini habebant suspicionem contra Dauid, quia per hoc poterat nimis sibi placare Saulem.* Cùm Satrapis incumberet generalitatis pronidere saluti, & prudenti timerent pericula suspicione, non contempserunt, vt Achis adulantur, quæ imminere incommoda Reipublicæ videbantur, sed solicito studio totius populi moliuntur agere causam, quàm vnius Principis conciliare sibi benevolentiam. Rebecca Iacob in Mesopotamiam delegat, vtque exemta periculo, ab Esau seiunxit consortio: *Fuge ad Laban fratrem meum in Haram, habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius.* Et cur Rebecca non Esau, sed Iacob ad fratris domum remittat? Et cur indignationis flammis credit succensum, & fratris cædem meditatum. Quia vt prudens noluit exulcerato nouam querelam addere, & dilcrimen anteuertit vbi suspicata est Esau in fratrem ardore furere. Distulerat Esau fratris necem vsque ad patris obitum; verùm mater vcrita, ne demutaret sententiam, & vsque ad illud tempus incautum opprimeret, & cædem tantisper differendo faciliùs inferret, rationabili suspicione filium maturè periculo eripuit. Immit Lira: *Si inuadat te, poterit esse, quod ambo eritis interfecti: vel si vnus remaneat, oportebit, quod sit fugitiuus à me.* Licuit Rebeccæ suspicari exasperatum Esau fratris necem moliri, & in futurum differre, vt faciliùs præsenti indignationi occasionem posset inuenire, licuit, suspicione vtrique filio consulere, & vnius absentia materiam indignationi substrahere.

TEXTVS.

VERS. V. Nonne iste est Dauid, cui cantabant in choris, dicentes: Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in decem millibus suis?

§. X.

Politici, aulicique, quem laudibus efferre videntur, obscurare artificiosè conantur.

Politici. Laus.

POliticorum laudes frequenter insidiæ sunt; eo modo virtutem commendant, eo artificio egregiè facta dilaudant, vt quid gloriæ laudando detrahant, &, quam dolent famam imminuant. Quod de Nilotica sylua aiebat Cassiodorus 11. *variarum* 38. adaptari potest curialibus, & politicis: *Nescio qua vacuitate plena, plenitudine vacua.* In ipsa laudum plenitudine, si perspexeris, non est difficile deprehendere vacuitatem. Satrapæ Dauidis triumphos referunt, sed eo modo, vt plenitudine euacuarint, vacuitate adimpleuerint: *Nonne iste est Dauid, cui cantabant in choris, dicentes: Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in decem millibus suis?* Cantus refertur, plausus ad speciem exaggeratur, sed in ipsa laude latebat inuidia, & occulebatur maleuolentia. Quod præcinebant mu-
Supr. c. 18. v. 7. lieres, erat: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Isti non referunt percussos, sed quibus fuerit militibus stipatus, & dum stipantium adaugent summam, imminuunt victoriæ gloriam: nec enim adeò mirum erat hostem vnicum, quantumuis gigantea mole procerum sternere, quando Dauid decem pugnatorum millibus constabat armari. Notauit Glossa: *Inuidentes gloriæ Dauid aiunt eum pugnasse tantum in decem millibus ... nec addunt quot percusserit inuidentes.* Itaque extollebant triumphum, sed asserebant magno exercitu comparatum, & in ipso laudis suffragio tetrum latitabat odium, & liuoris apparebat artificium, laus erat ipsa plenitudine vacua, & vera vacuitate, & ad
Eccli. 15. v. 9. speciem solùm lucebat plena. *Non est* (aiebat Ecclesiasticus) *speciosa laus in ore peccatoris*, id est, non habet debitam pulchritudinem, & competentem decorem, quia, aut quid scalpit inuidus, aut minuit ambitiosus, aut dolosa arte corrumpit superbus, laudat; sed non speciosè, nec debitè laudat, vt deprimat, non extollat. Innuit Hugo: *Non est speciosa, id est, Deo placita, vel hominibus gratiosa. Vnde infrà* 21. *narratio fatui quasi sarcina in via.* Sarcina humeros atterit, caput deprimit, & leuare oculos non permittit: ergo aliquorum laus est sarcinæ similis, quia laudatum videtur extollere, sed reapse inuenitur deprimere. Achis aulici, Satrapæque studiosè nitebantur Dauidem deprimere, & triumphos referentes videbantur extollere.

TEXTVS.

VERS. VI. & VII. Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei: Viuit Dominus quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo, & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris, & non inueni in te quidquam mali ex die, qua venisti ad me vsque in diem hanc; sed Satrapis non places: reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos Satraparum Philisthiim.

§. XI.

Prudentis est proprio iudicio non fidere, sed cordatis reclamantibus demutare.

Prudens. Iudicium.

PRudentis iudicium aliquando aliquid approbare contingit ambiguum, & quamuis non decernat ad subitum, sed temporis, & experientiæ expectarit suffragium, non sic suo iudicio hæret, vt, si plurium, præcipuè cordatorum in contrarium norit consensum, demutare renitatur consilium; scit faciliùs errorem vni posse subrepere, quàm iudicia plurium deprauari: ergo maulit amplecti sententiam alienam, quàm tueri obstinatè propriam. *Multi fallunt* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 22.) *Principis animum, quando facile est illudere, cui semper votum est præstitisse.* Achis Dauidis fidem, & mores expertus, secum duxit ad castra, & sui commendauit tutelam; verùm vbi plurium Satraparum contrariam est expertus sententiam, cessit, & vrbanè dimisit: *Non inueni in te quidquam mali ex die, qua venisti ad me vsque in diem hanc, sed Satrapis non places, reuertere ergo.* Non erat Achis ex eis, qui arbitrantur potentiam auctoritatemque suam lædi, & imminui, si aliorum iudicio se submittant, & à decretis semel recedant, sed ex eis, qui prudentiæ ducunt cordatis annuere, & sententiam demutare. Et quidem, ni Achis Satrapis assentiret, possent iurgia exoriri, & ante congressum acies turbari, ast dum suum non tuetur, sed Satraparum iudicijs acquiescit, suam sententiam commendauit. Vt discas cordatis acquiescere, nec tuo pertinaciter iudicio fidere. Opportunè noster Sanctius: *Neque fieri posse* (ait) *vt ipse contra nitentibus illorum studijs aliquid moliatur ex sua sententia*: Itaque ni aliter Satrapæ sentirent, Achis, cùm haberet Dauidis fidem perspectam, eiusque mores, & ingenium illi probarentur, nil de priore voluntate, decretisque retractaret, animo fixè semper adhæreret; verùm cùm tot viris visum fuerit ex vsu non futuram Dauidis præsentiam, cessit, & vrbanis verbis dimisit. Idem Dauid effecisse legitur; nam cùm decreuisset adoriri bellum: *Egrediar & ego vobiscum*, populi prudentiores perpensis vndique rationibus satius esse senserunt Regem certaminibus non adesse, sed in vrbe euentum certaminis expectare: *Melius est igitur, vt sis nobis in vrbe præsidio.* Dauid, etsi bellicosus pugnam ambiret, & vsui non modico præsentiam fuam fore crederet, ad ani-

mos militibus refundendos, & hostium enervandos; vt vidit tamen non infirmis rationibus prudentes inniti, cessit, & sententiam demutauit: *Quod vobis videtur rectum, hoc faciam.* Repetere posset de Dauide Cassiodorus, quod de suo Principe 10. *variar.* 17. *Licet culmini nostro videretur incongruum, libenter acquieuimus facere, quod generalitatem probamus optasse.* Experiebatur, cordatos, prudentesque aliter sentire, & non expedire certamini adesse, & quamuis militari ardoti quid videretur detrahere, & obediendo suam auctoritatem minuere, prudenter acquieuit, seque continuit. *Volebat* (inquit Lira) *esse de primis ad labores, & pericula.* Arbebat bellum, sed secutus est plurimorum consilium. Iob de peccatore nimis prudentia sua fisо, & reuera tumoris nebulis obcæcato aiebat: *Præcipitauit eum consilium suum.* Acsi dicat; Periculosa constantia suo adhærebit consilio, & qui sapientium sententiam secutus pericula euaderet, in cæca se præcipitia conijciet. Non est constantia, sed superbia semel decreta tueri, & prudenter in contrarium nitentibus refragari. *Consilium* (inquit Lira) *quod cogitabat sibi fore ad commodum, erit sibi nocium.* Sibi prospicit, qui rationabiliter cedit: ergo Achis cessit, & prudentiam suam commendauit.

Iob. 18. v. 7.

§. XII.

Superior, dum præcipit aspera, modo debet mellire, & comitate leuare.

Superior. Præceptum.

Scimus (aiebat Princeps apud Cassiodorum 10. *variar.* 17.) *pro remedio nos datos esse cunctorum, non despicimus sanare subiectos.* Ad subiectorum salutem aliquando congruit alicui aspera iniungere, & ob generalitatis tranquillitatem loca demutare. Prudens ergo superior sic iussa proferet, vt vrbanitate melliat, & verbis benignitatem diffluentibus molliat. Vt nouit Achis Satraparum Dauidem suspicionibus denigratum ad castra non admittendum, vt asperum decretum melliret eum vocauit, & quàm sibi probarentur eius mores, verbis humanitate diffluentibus ostendens abire iussit: *Viuit Dominus quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus: reuertere ergo, & vade in pace.* Iniunxit aspera, sed humanitate, vrbanitateque sic emollire curauit, vt omnia prouidenter componeret. Satrapas non exasperat, dum è castris iubet recedere, Dauidis honori consulit, dum eius virtutes, fidelitatemque non detrectat commendare. Notauit noster Sanctius: *Vocat Dauidem, cui id etiam futurum esse molestum existimabat, & captata prius benevolentia quid constitutum esset à Satrapis, & Principibus ostendit.* Ecce mandatum asperum, & mellitum, quo superiores suo exemplo edoceat iniungenda subiectis aspera, amaraque humanitate mellire, & imperandi modo leuare. Elisæus Giezi iubet stricto cingulo lumbos constringere, & baculum manu gerere: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade.* Facta à se ipsis dissidere videntur: cingulus arctè præcingit, & non modicos secum labores affert. Nam dum cruentis cruciatibus Petrus dicatur, cingulo adstringitur: *Alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Baculus laboris est leuamentum, & infirmitatis auxilium, iuxta illud Prophetæ: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Si ergo constringit cingulo, cur alleuat baculo, aut quid solatur baculo, si affligat cingulo? Ob id ipsum, respondet Guilielmus. Aspera præcepta dedit, sed quid commoditatis immiscuit: vt sic commoditas asperitatem leuaret, & Giezi facilius obediret. Guilielmum audi in Allegor. Tilman. ad Gen. 32. *Non videtur mihi, fratres, vir iste despere, nec plus, quàm oportet, sapere, qui prosperitatis illecebras aduersitatis commemoratione declinans lata tristibus, & læta quasi tristia lætis conferendo temporibus ipsa temperauit.* Temperauit baculo cingulum bonus superior, quia salubre, amarum dedit præceptum, sed, quia amarum erat præceptum, in baculo prouidit etiam solatium.

4. Reg. 4. v. 29.

Ioan. 21. v. 18.

Psal. 22. v. 4.

§. XIII.

Prudentiæ est, si malè animatos magnates senseris, declinare, nec præsentiæ irritamentis offendere.

Magnatum. Absentia.

VT sub magnatum tutela, si benè sint animati, degere est laudanda prudentia; sic, si aliter contingat, eorum se aspectui offerre, periculosa est audacia: ni se eorum aspectibus subduxerit, qui nouit exasperatos, putant despectos, &, quam auctoritatis suæ irreuerentiam arbitrantur, seuerè castigare adnituntur. *Te aliorum auctoritate custodi* (monebat Senec. aliorum *epist.* 25. *aut Cato ille sit, au Scipio, aut Lælius.* Magnatibus gratus sub eorum patrocinio degit securus; multis discriminibus obuiauit, qui magnatum beneuolentiam promeruit; qui verò sensit infensos, prudenter refugit oculos, ne indignationem irritarit præsentia, & maturato sibi discrimina. Hinc est, quod Achis, vt Satrapas malè in Dauidem agnouit animatos, consuluit, vt, si pace vellet frui, discederet, ne præsens viuidiùs eos irritaret: *Satrapis non places: Reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos Satraparum Philisthiim.* Et quæ hæc offensio? Eorum aspectibus adesse, quia sic videbatur eorum indignationem despicere. Notauit Abulensis *quæstione sexta. Non offendas oculos Satraparum: si autem maneres hic, offenderes illos.* Salubre dedit consilium, quia præsensit odium. Et quidem plures calamitatem vitalsent, si se prouidè subtraxissent: verùm dum non ignorant malè animatos, & periculosa animositate eorum se aspectibus ingerunt, imprudentiæ pœnas exoluunt. Deliquerat Adamus; cùmque non benè in se animatum Principem agnoseeret, se fuga subduxit, & quodammodò mitescatis est reuerentiam contestatus, dum oculos declinauit confusus: *Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.* Cain grauiter deliquerat, horti aperuerat ianuam, & impudenti fronte Domini subiit præsentiam: *Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio:* Fortè si Domini præsentiam honestè erubescceret, non periret; verùm dum audaci animositate adest, & meritam pœnam subit. *A facie Domini proiectus* (scribit Hugo de Sancto Victore *in Allegor. Tilman.*) *ab intima contemplationis illius luce foras venit.* Agnoscere iratum, & se oculis subiicere, fuit insolescere. Adam oculos potentiæ iratæ declinando quandam reuerentiam exhibuit, qua & iram fregit: Cainus verò, dum audet, dilassat patientiam, & viuidiùs accendit iram.

Gen. 3. v. 10.

Gen. 4. v. 9.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. VIII. Dixitque Dauid ad Achis: Quid enim feci, & quid inueniſti in me ſeruo tuo à die, qua fui in conſpectu tuo vſque in diem hanc, vt non veniam, & pugnem contra inimicos Domini mei Regis.

§. XIV.

Opus eſt aliquando dare querelas, ne taciturnitas admiſſas videatur fateri culpas.

Querela. GEneroſæ magnanimitatis, & laudabilis patientiæ eſt honeſto ſilentio ora ſignare, & ad iniquè obiecta non reſpondere: quia tamen aliquando de ipſo ſilentio vires ſumit arguentis audacia, & de ipſa patientia arma conflare ſolet malitia; congruit modeſtè dare querelas, & illatas ſibi manifeſtè oſtendere iniurias. Prouerbium eſt: *Qui tacet, conſentire videtur.* Vndè Athalaricus aiebat 8. *variar.* 1. *Iuſtè poſſem reprehendi, ſi pacem veſtram querelam tepidè, quam parentes meos conſtat ardentius expetiuiſſe.* Quam ardenter expetiuerant parentes, tepidè querelam dare reprehenſione cenſebat dignum, quandoquidem videretur aliqua conſcientia grauatus, ſi taceret non querulus. Hinc eſt, quod Dauid, quæ Achis iam retulerat, iterùm explicauit, ne Satraparum ſuſpicionibus tacendo videretur annuere, & culpa aliqua defœdari. Notauit Abulenſ. *quæſt.* 7. *Si ipſe non conqueſtus fuiſſet de præſumptione habita contra ipſum, taciturè confiteretur, quòd ipſe talis erat, de quo iuſtè ſuſpicio haberi poſſet: vt ergo excluderet à ſe omnem ſuſpicionem, conqueſtus eſt.* Prudentia fuit modeſtè dare querelas; nam ſi obmutuiſſet, Satrapæ eius ſilentio ſuſpicionem ſuffulcirent, & fidem quærerent. Chriſti æmuli dæmonium habere, & Samaritanis moribus informari ei obiiciebant, & licèt aliàs patienter ſuſtinuiſſet conuitia, conqueſtus eſt eos inani duci coniectura, certa inuidentia: Ioann. 8. v. 49. *Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum, & vos inhonoraſtis me:* Id eſt, iure de vobis queror; nam cùm meis factis Dei quæram gloriam, vos confingitis inuidioſam calumniam. Innuit Auguſtinus *in Caten.* Quaſi dicat: *Ego facio, quod debeo; vos non facitis, quod debetis.* Inuidentia obiecit inflammatos, & ambitione cœcos ei crimina obiectare, quibus manifeſtum erat carere. Noluit tacendo fouere inſolentiam, quia querelis oportebat reprimere audaciam. Chriſtus Dominus dæmonia depellebat; quam denegabant Samaritani, reſurrectionem adſtruxerat, & firmarat; ſed quamuis ipſa opera diluciдè calumniam confunderent, & æmulorum inuidiam ardentiſſimam propalarent, conqueſtus eſt, vt qui nouerat ſilentio in obiecti criminis argumentum abuſuros, & de ſugillatione gloriandos. Sunt, qui patienti modeſtia, & modeſto ſilentio in ſuæ patrocinium iniquitatis vtantur, & verum, quod iniquè ſuſpicantur, teſtentur.

§. XV.

Plures datis de induſtria querelis ſatagunt culpam tegere, & innocentiam mentiri.

NOn ſemel, etſi conſcientia reclamet, color innocentiæ querelis obducitur, & confundi veritatem prætenditur. Alius de fortuna dat querelas, & adſcribit ſorti, quod iure applicandum eſt crimini. Alius iudicem iniuſtam protuliſſe ſententiam clamat muneribus ſubornatum, non quia ignoret à ſe admiſſam culpam, ſed vt mentiatur querulus innocentiam. Auguſto Cæſari contigerat ob ignauiam graue infortunium, & querebatur prudentibus conſiliariis carere, cùm ipſe aures nollet admonenti præſtare. *Sapè exclamauit* (inquit Seneca *lib. 6. de beneficiis cap. 32.*) *horum mihi nihil accidiſſet, ſi aut Agrippa, aut Mecænas vixiſſet.* Adnectit: *Quid putem? Defuiſſe ſimiles, qui aſſumerentur, an ipſius vitium fuiſſe, qui maluit queri, quàm quærere.* Quod ſui erat criminis, adſcribebat tempori, &, vt tegeretur ignauia, deeſſe ſibi veridicos frequenti lamentabatur querela. Dauid etiam queritur de caſtris ſine cauſis excludi, & iniquis ſolùm ſuſpicionibus infamari, cùm tamen ei conſcientia nequiret non repræſentare, quæ apud Achis demoratus egerat, & quibus coloribus honeſtarat: *Quid feci, & quid inueniſti in me ſeruo tuo à die, qua fui in conſpectu tuo, vſque in diem hanc, vt non veniam, & pugnem contra inimicos Domini mei Regis.* In Philiſthinorum ditione degens contra Iſraelitas non pugnarat, & tecta artificiosè veritate Regi ſæpiùs interroganti reſponderat; ſed licèt reuerà non deeſſet fundamentum Satrapis, ipſe datis querelis adnitebatur ſuſpicionem infirmare, & ſuam cauſam tueri. Innuit Abulenſ. *quæſt.* 7. *Multa fecerat, propter quæ ſuſpicio haberi deberet de ipſo, tamen ſciebat, quod nemo illa nouerat de Philiſthinis, ideò loquebatur confidenter, tanquam eſſet prorſus immunis à culpa.* Non exiguam Dauid ſuſpicioni exhibuerat cauſam, verùm cùm exiſtimaret ad Philiſthinorum non perueniſſe notitiam, induſtriè dabat querelam, vt ſic, quæ poſſent ei obiici, propulſaret, aut ſaltem cauſam ambiguam redderet. Diabolus ad Chriſti Domini genua prouolutus, adorat, vtque adſtantes fallat, eo tempore vrgeri queritur, quaſi contra fas, iuſque fieret tunc depelli, & quam poſſidebat, præda diſpoliari: *Veniſti huc ante tempus torquere nos.* Matth. 8. v. 30. Non ignorabat reum ſe eſſe, & in plenitudine temporum Chriſtum Dominum aduentaſſe; verùm dabat querelas, vt adſtantes exiſtimarent pati violentiam, cùm ad dandas querelas foueret audaciam. Notauit hanc dæmonis verſutiam Chryſ. *ſerm.* 16. *De tempore queritur, quaſi ante tempus habere debuerit, & non vt exorta eſt, mox punire: de tempore cauſatur nequitia ſæculi indurata.* Itaque cauſabatur, vt nequitiam induratam obtegeret, adſtantes falleret, & ad commiſerationem alliceret.

TEXTVS.

VERS. IX. Respondens autem Achis, locutus est ad Dauid: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei: sed Principes Philisthinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prælium.

§. XVI.

Singulare elogium est in curia Angelicis moribus exornari, & ad leges Olympi viuere.

Curia. IN curiis, regiisque aulis frequenter adulatio viget, & ambitio floret. Vt difficile est in locis lubricis pedem figere, in lutuosis nulla macula defœdari: sic est arduum in curiis aliorum exemplo non corrumpi, & ad voluptates impelli. *Lemenda sunt* (aiebat aliorsum Seneca *epist.* 40.) *quæ me exterrent, compescenda, quæ irritant, discutienda, quæ fallunt, inhibenda luxuria, corripienda auaritia.* Non facilè pertinaces eiusmodi morbi sanantur, ni per otium, & in recessu medicamenta applicentur. Cúmque in copiosis vrbibus plures luxuriam, auaritiam, ambitionémque respirent, hic halitus pestem secum importat, qua vel sobrias mentes corrumpat. Mirandus fuit Dauid recessibus de vrso, ac leone triumphos agens, mirandus gigantem lapidis iactu prosternens; mihi verò videtur mirabilior in Achis curia Angelus, & optimis moribus expolitus: *Bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei.* Non potuit sumptuosiore elogio nobilitare, nec laude digniore efferre. *De cœlo* (inquit noster Sanctius) *dicuntur venisse, qui omni carent labe, in quibus summa sunt omnia: nam qui de terra sunt, & cum terrenis habitant, aliquid semper trahunt à terrena mole, & concretione mortali.* Plus quàm humanus visus est Dauid nullo crimine inter au-
Iob. 3. v. 29. licos sordidatus, & nulla sordidæ infectus. *Frater fui draconum* (aiebat Sanctus Iob) *& socius struthionum.* Inter struthiones insipientes, inter astutos dracones incontaminatus adeò resplenduit, vt ei similem in terra non inueniri ipse Deus testatus sit, quo Sathan inuiden-
Iob. 2. v. 3. tia æstuantem referiret: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra.* Cùm plures efflorerent tunc iusti, &, vt Ruperto placet, vineret Abrahamus, quærendum est, cur Deus aliis prætulerit, & ipse inter astutos, versutósque dracones in nocua simplicitate vixisse dixerit? Profectò Abrahamus Deum excepit hospitio, & singularem sibi laudem comparauit filij holocausto: ergo Iobo poterit exæquari, aut præferri. Non est dubium Abrahamum eximiè coluisse virtutem, sed in conuallibus, & recessibus; ast Iob inter dracones, struthionésque: ergo hac præ aliis dote excelluisse refertur, scilicèt simplicitate inter astutos vigere. Prodest Gregorius *libro primo Moral. cap.* 1. *Sicut grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse; ita immensi est præconij bonum etiam inter malos extitisse. Hinc est, quòd iisdem beatus Iob sibimet attestatur, dicens: Frater fui draconum, & socius struthionum.* Immensi præconij fuit Iobum inter aulicos callidítatem non didicisse, & inter ambitiosos ambitum ignorasse. Vt etiam Dauid retulisse mores Angelicos inter Philisthinos, & aulicos.

TEXTVS.

VERS. X. Igitur consurge mane tu, & serui Domini tui, qui venerunt tecum: & cùm de nocte surrexeritis, & cœperit diluescere, pergite.

§. XVII.

Mariæ cœlestis aurora lux nostros gressus dirigit, & inimicorum insidias arcet.

COelestis aurora veri solis mater semper ho- Maria tu.
minibus opem tulit, & dæmonum audaciam repressit. *Tu fidelium fax*, aiebat Methodius *in oratione ad Hypopantem Domini.* Qui sine luce viam carpit, offendit; qui blando, temperatóque lumine præeunte iter agit, impedimenta tenebrarum eludit: ergo cùm Maria splendida fax sit, qui eam sequitur, securus graditur. Hinc est, quod Achis, vt amorem, quo in Dauidem ferebatur, ostenderet, admonuit, vt se de nocte præpararet, & iter, aurora illucescente, festinè arriperet: *Cùm de nocte surrexeritis, & cœperit diluescere, pergite.* Vt felici auspicio viam inciperet, expectare auroram voluit. Sic interpretatur Abulensis *quæst.* 9. *Incipite pergere in aurora, vt nemo vos videat resedentes.* Huius solicitudinis causam expressit Hugo: *Ne Satrapæ insidiarentur ei.* Aurora pro tenebris erat Satrapis; pro splendenti face Dauidi: ergo si aurora protegente, illuminanteque, Dauid viam carpat, astuta vitabit Satraparum machinamenta, & occurrentia pericula. Dauid etiam, vt domus suæ stabilem felicitatem prædicat; confugit ad scalam: *Faciens misericordiam* 2. Reg. 7.
Christo suo Dauid, & semini eius in sempiternum. v. 16.
Acsi dicat: Domus mea tam firma non esset, quæ contra temporum adsultus inconcussa persisteret, & contra inuidentium machinamenta firma permaneret, ni eam protegeret cœlestis scala: verùm eius patrocinio protectus, & nimine cœlesti illustratus despiciam infortunia, & assequar faciliùs cœlestia, &, ne ambigendi relinqueretur locus, ipse Psaltes expressit, hæc diuino oracvlo accepisse, & scalam propheticis oculis spectasse: *Dixit vir, cui constitutum est* 2. Reg. 23.
de Christo Dei Iacob. Hieronymus *in lib. de Hebraic. quæst.* sic legit apud Hugonem. *Dixit vir, cui constituta est scala Christo Dei Iacob.* Acsi dicat: Vt Iacob scalæ patrocinio fratris eluserit odia, & cœpta perfecit itinera; ita ego scalæ virgineæ fulcris contra humanas tempestates pertstam firmus, & contra dæmonum adsultus protectus. Et quidem qui Mariæ auxilio fruitur, Satraparum, id est dæmonum eluisse insidias probatur.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. XI. Surrexit itaque de nocte Dauid ipse, & viri eius, vt proficiscerentur mane, & reuerterentur ad terram Philisthiim. Philisthiim autem ascenderunt in Iezrahel.

§. XVIII.

Prudens ad profectionem necessaria maturè comparat, nec temporis vrgentiam expectat.

Prouidētia. Mors.

PRudentiæ est cauere etiam, quæ non putantur emergere, & ita se in otio comparare, vt nullis possit subitaneis, ac improuisis perturbationibus concuti. *Munitio* (aiebat Cassiodorus 3. *variar.* 49.) *tractanda est semper in otio, quia tunc male quæritur, quando necessaria iudicatur.* Cùm tempus vrget, non benè disponitur, quod necessarium habetur. Hinc est, quòd Dauid manè profecturus tempus anteuertit, vt necessaria profectioni disponeret: *Surrexit itaque Dauid ipse, & viri eius, vt proficiscerentur mane.* Dux exemplo præiuit, &, vt alij surgerent, ipse de nocte surrexit. Si mane Dauidem inueniret imparatum, tempus in se comparando insumeret, & tardaret: ergo cùm proficisci mane oporteret, ad insidias Satraparum declinandas auroram non expectauit vt surgeret, sed maturè sibi prouidens, vbi micare cœpit, perrexit. *Manè* (inquit Hugo) *ne Satrapæ insidiarentur ei.* Vereri poterat Satraparum, quibus erat infensus, si immoraretur, insidias, & opus esset non sine periculo immorari, si plus, quàm fas esset contingeret obdormire: ergo vtili somni, otisque dispendio profectionem adornauit, & alacriter viam arripuit. Quàm anxia obturbaretur solicitudine, si tempus adurgeret, & Satrapa insidiis circumueniret: ergo prouidè antelucanus surrexit, & necessaria profectioni disposuit. Qui plurimum florente vita steterunt, magnis solent angustiis premi, cùm imparatos mors vrget, & conscientia premit. Echini futuras tempestates præsentientes, cùm indigeant lapillis, quibus velut anchoris firmentur, ante tempestatem perquirunt, & ad scopulos fluctibus non impetendos contendunt. Audi dictum Cassiodorum: *Dum futuras tempestates agnouerint, loca mutare cupientes (quia illis pro leuitate corporis nandi nulla fiducia est) lapillos, quibus pares possint esse complexi, quadam anchorarum ponderatione librati scopulos petunt, quos fluctibus vexandos esse non credunt.* Verentur Echini, ne eorum leuitas procellosis vincatur vndis: ergo ante tempestatem aptis se lapillis muniunt, & periculo eluso scopulorum asyla petunt: & homines non pudet necessaria peccatorum expiatione se non munire etiam cùm norunt procellosam mortis tempestatem instare. Iacob benedictionem fratri præripuit, frater ingemuit, quia Iacob ex grege hœdos attulit, & Esau venatione incerta, quod patri offerret, quæsiuit: ergo Iacob, dum parata affert, benedicitur, & Esau, dum immoratur in quærendo, benedictione priuatur. *Ecce odor filij mei* (aiebat pater) *sicut odor agri pleni.* Plenus ager habuit, quo patrem oblectaret; nudus non adeò citò potuit producere, quo placeret. *Rebecca* (inquit Hugo) *consulit Iacob, vt pergat ad gregem,* id est, vt afferat ex præhabitis, non ex eo breui tempore anxietate quæsitis. Gen. 27. v. 28.

CAPVT XXX.

1 *VM QVE venissent Dauid, & viri eius in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam igni: 2. Et captiuas duxerant mulieres ex ea, à minimo vsque ad magnum: & non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, & pergebant itinere suo: 3. Cùm ergo venissent Dauid, & viri eius ad ciuitatem, & inuenissent eam succensam igni, & vxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captiuas: 4. Leuauerunt Dauid, & populus, qui erat cum eo voces suas, & planxerunt, donec deficerent in eis lachrymæ: 5. Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant, Achinoam Iezraelites, & Abigail vxor Nabal Carmeli: 6. Et contristatus est Dauid valdè: volebat enim eum populus lapidare; quia amara erat anima vniuscuiusque viri super filiis suis, & filiabus: Confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo: 7. Et ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimelech: Applica ad me Ephod. Et applicauit Abiathar Ephod ad Dauid: 8. Et consuluit Dauid Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam: 9. Abiit ergo Dauid ipse, & sexcenti viri, qui erant cum eo, & venerunt vsque ad Torrentem Besor: Et lassi quidam substiterunt: 10. Persecutus est autem Dauid ipse, & quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant Torrentem Besor: 11. Et inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid, dederúntque ei panem vt comederet, & biberet aquam: 12. Sed & fragmen massæ caricarum, & duas ligaturas vuæ passæ. Quæ cùm comedisset, reuersus est spiritus eius, & refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus, & tribus noctibus: 13. Dixit itaque ei Dauid: Cuius es tu? vel vnde? & quo pergis? Quæ ait:*

ait : Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ : dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius : 14. *Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, & contra Iudam, & ad meridiem Caleb, & Siceleg succendimus igni :* 15. *Dixitque ei Dauid : Potes me ducere ad cuneum istum ? Qui ait : Iura mihi per Deum, quòd non occidas me, & non tradas me in manus Domini mei, & ego ducam te ad cuneum istum. Et iurauit ei Dauid :* 16. *Qui cùm duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem vniuersæ terræ comedentes, & bibentes, & quasi festum celebrantes diem, pro cunctis præda, & spoliis, quæ cœperant de terra Philisthiim, & de terra Iuda :* 17. *Et percussit eos Dauid à vespere vsque ad vesperam alterius diei, & non euasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, & fugerant :* 18. *Eruit ergo Dauid omnia, quæ tulerant Amalecitæ, & duas vxores suas eruit :* 19. *Nec defuit quidquam à paruo vsque ad magnum, tam de filiis, quàm de filiabus, & de spoliis, & quæcumque rapuerant, omnia reduxit Dauid :* 20. *Et tulit vniuersos greges, & armenta, & minauit ante faciem suam : dixerúntque : Hæc est præda Dauid :* 21. *Venit autem Dauid ad ducentos viros, qui lassi subsistiterant, nec sequi potuerant Dauid, & residere eos fecerat in torrente Besor : qui egressi sunt obuiam Dauid, & populo, qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populum, salutauit eos pacificè :* 22. *Respondensque omnis vir pessimus, & iniquus de viris, qui ierant cum Dauid, dixit : Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus : sed sufficiat vnicuique vxor sua, & filij, quos cùm acceperint, recedant :* 23. *Dixit autem Dauid : Non sic facietis, fratres mei, de his, quæ tradidit nobis Dominus, & custodiuit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant aduersum nos, in manus nostras :* 24. *Nec audiet vos quisquam super sermone hoc : æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident :* 25. *Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum, & præfinitum, & quasi lex in Israel vsque in diem hanc :* 26. *Venit ergo Dauid in Siceleg, & misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis, dicens : Accipite benedictionem de præda hostium Domini :* 27. *His, qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad meridiem ; & qui in Iether :* 28. *Et qui in Aroer, & qui in Sephamoth, & qui in Esthamo :* 29. *Et qui in Rachal, & qui in vrbibus Ierameel, & qui in vrbibus Cени :* 30. *Et qui in Arama, & qui in lacu Asan, & qui in Athach :* 31. *Et qui in Hebron, & reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipse, & viri eius.*

TEXTVS.

VERS. I. Cúmque venissent Dauid, & viri eius in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, & percussérant Siceleg, & succenderant eam igni.

§. I.

Dæmones acriùs contra eos inflammantur, à quibus sæpiùs vincuntur.

Tentatio. NVnquam diabolus malitiæ suæ otium facit, sed tunc præcipuè inardescit, cùm se virtutibus oppugnatum agnoscit. Cain duro ingenio, & peruersis moribus sordidatus contra fratrem semper gerebat stomachum; ast vbi vidit pingui victima aras nobilitare, & Numinis beneuolentiam promereri, ardentiùs doluit, & contra fratrem surrexit : *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel.* Conspirauit cædem, dum Abelus hostiam non obtulerat, & aram nobilitarat : ast vt vidit miris virtutum incrementis ornari, acriori indignatione efferbuit, & insaniuit. Notauit Tertul. *de patientia c. 5. Nec occidere potuit nisi iratus, nec irasci nisi impatiens.* Ob Abeli sacrificium cœca ira incanduit, & liuori adulatus est cædem molitus, iam ex tunc diaboli ingenium exprimens, & in Deo placentem furens : *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum.* Nec aliter per Amaleeitas adumbratus se dæmon gessit ; Siceleg impetunt, & flammis tradunt. *Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, & succenderant eam igni.* Alias ciuitates infrà *n.* 14. constat oppugnasse, non tamen vt Siceleg succendisse. Quod si iniquiras, cur ardentiùs in hanc ciuitatem irruerint, & anhelantibus flammis in tumulum redigere suspirauerint ? Respondebunt Interpretes, cùm sæpè à Dauide variis fuissent excursionibus attriti, ardentissimo vindictæ desiderio studuisse vicem rependere, opportunóque tempore, quæ contra Dauidem cogitarant expleisse. Ita Rabbi Dauid Kimhi apud Abul. *q.* 2. *Rabbi Dauid Kimhi dicit, quòd hoc fecerunt ad vindictam eorum, quæ intulerat eis Dauid.* Adnectit Abul. *Et forte aliquis habebit hoc, vt verisimile, quia nullam de aliis vrbibus succenderunt, sed solùm prædati sunt ; Siceleg autem succenderunt.* Dauid prę aliis plurimâ ab Amalecitis prædam tulerat, sæpiúsque profligarat : ergo sæuo dolore perculsi, & insano odio inflammati contra eum viuidiùs exarserunt, & ciuitatem eius in cineres redigere procurarunt. Sibi debet solerter prouidere, & maiori solicitudine inniti-lare, qui animarum prædam à dæmone eripuit, & cumulo virtutum resplenduit : nam diabolus acerrima indignacione inflammatus nihil non rentabit, vt rependendo vicem, soletur dolorem. Ardentissimas Amalecita contra Siceleg euomit flammas, quia Dauid copiosas tulerat prædas. Cùm Tobias iunior immanem piscem trucidasset, fumoque veluti excantatum repulisset, Raphael duris vinculis, ne contra Tobiam fureret, illigauit : *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.* Otiosa videntur vincula, cùm tot iam Tobias reportasset trophæa. Quid ergo Angelus modò iniiciat dæmonio vincula, & vinculorum apponat impedimenta ? Ob idipsum, respondet Lira

Tob. 8. v. 3.

Lira; nam modò rabido ardore furebat, quia Tobias virtutum majori censu emicabat. *Tunc Raphael Angelus* (inquit) *apprehendit dæmonium, ne Tobiæ posset inferre nocumentum.* Suis factis ostendit Angelus opus esse tunc Tobiæ solicitiore vigilantia, quia repetita refulgebat victoria. Ob id apposuit scriptura illud, *Tunc*, nam quia tunc eius crescebat dolor, adaugebatur & furor: ergo oportuit vti majori cautela, quia ardentior ira.

§. II.

Si Præsules, superioresque regali assistant in aula, magna subiecti pati solent detrimenta.

SVperior, Ecclesiasticusque Præsul se sibi eripuit, cùm gubernacula Ecclesiarum susceperit. *Omnium domos* aiebat Seneca lib. de Consolat. ad Polybium *cap. 26. illius vigilia defendit; omnium otium illius labor; omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit.* Quòd si sæcularis Princeps se sibi eripuit, potiori jure sibi se debet denegare, qui Deo sacratus dignitatis insulis constat fulgere. Quòd si reprehensibile est Ecclesiasticum quid temporis aliis, quàm sui muneris rebus impendere, quid erit in magnatum, Principumque aulis immorari, &, quæ dignitas respuit, negotia gerere? Iam quæ ob eiusmodi pastoris absentiam patiantur greges, miris scriptura historiæ adumbrauit coloribus: nam cùm Dauid cum Achis versaretur, & à Siceleg ciuitate sua abesset, Amalecita opportunitatem nactus incolas captiuos duxit, & ciuitatem ardentissimis flammis succendit: *Impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam igni.* Glossa Moralis testatur hic esse adumbrata, quanta, si pastores demorentur aulis, patiantur subditi detrimenta: *Per hoc, quòd Dauid existente cum Achis Rege contigit damnum prædictum, signatur damnum in spiritualibus, quod contingit frequenter in diœcesibus prælatorum propter ipsorum occupationem circa negotia Regum, & magnatum.* Vbi dæmon vidit subjectos doctrina, & præsentia Præsulis destitutos, cupiditatum flammis accendit, & plures captiuos ducit. Ob id Christus Dominus suos discipulos instruens, aiebat: *Vos estis lux mundi.* Et cur non soli, aut lunæ comparari, sed luci? Fortassis quia sol nocte abest, & luna die. Noluit ergo adinstar solis, aut lunæ resplendere, sed lucem die, noctuque in templo resplendentem imitari. *Per Apostolos* (inquit Augustinus in Caten. D. Thomæ) *scientiæ lumen inuehitur, & cognitio Dei claret.* Itaque voluit nullo tempore Ecclesiæ Præsulem abesse, sed veluti templi lucernam semper doctrinæ radios effundere, & tenebras suorum depellere. Quod si velis nomine lucis solem designari, ipsa similitudo quanta, ob Præsulis absentiam incommoda nascantur, ostendit. *Posuisti tenebras* (aiebat Psaltes) *& facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Oriens est sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur.* Vbi syluæ feræ sentiunt solem abesse, audacter prosiliunt, vt deprædentur; vbi adesse agnoscunt, suis in cubilibus collocantur: ergo agnouerint solis locum tenentes quàm truculentis syluæ feris, hoc est, dæmonibus audaciam eorum absentia ingerat, & quàm præsentia vires eneruet, & reprimat. *Feris* (inquit Euh ymius hic) *liberam prodeundi facultatem præstat.* Præstat solis recessus audendi facultatem, frænat præsentia furorem.

Matth. 5. v. 14.

Psal. 103. v. 20.

TEXTVS.

VERS. II. Et captiuas duxerunt mulieres ex ea à minimo vsque ad magnum, & non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, & pergebant itinere suo.

§. III.

Sunt, qui blandè lambant, vt ardentibus flammis adurant.

NIhil deterius peccatoris oleo, blandiendo grassatur, grassando blanditur; ouis assumit speciem, vt faciliùs insidias disponat, & incautos fallat; blãditur muneribus, gratis corrumpit adulationibus, & hoc totum, vt captiuarit affectum, & miserum impellat ad casum. *Quis nouit* (aiebat Cassiodorus 12. *var.* 17.) *cum qua gente confligat? Ideóque omnes debent agnoscere, quod futuris hostibus gratum non sit audire.* Munera ad ornatũ præstita cupiditatis inquinamento tendunt sordidare, & gratæ auribus adulationes blandimentis corrumpere. Ecce Siceleg decinerescit exusta: *Succenderant eam igni.* A quibus ejaculatæ flammæ, & vxores abductæ, scriptura non tacuit: *Amalecita impetum fecerant ex parte australi.* Amalecita lambens interpretatur, sed qui nomine promittebat blanditias, ardentes injecit flammas. *Considerandum est* (inquit Gregorius apud Glossam) *quid sit, quòd Amalechitæ Siceleg inuadunt, & prædã capiunt. Amalechita populus lambens vocatur, per quẽ sæcularium mentes designantur, quæ terrena ambiẽdo quasi lambunt.* Vxores maritorum præsentia destitutæ, & fortassis ad vitam, ornatumque necessariis fraudatæ, lambentium, adulantiumque jugum subierunt, & infamiam captiuitatis non recusarunt. Sæpè jam diximus historiæ coloribus mores adumbrari: ergo, dum viris absentibus captiuæ vxores referuntur, & fœminarum ingenia, & blandientium ostenduntur studia. *Iura* (aiebat Cassiodorus 2. *variar.* 11.) *vel diuina, vel publica nexum coniugij tanta cautela præcipiunt custodiri, vt crimen sit magnum conscientiæ alienos effectus in reuerentiam non habere. Basilius siquidem vir spectabilis datis precibus intimauit Agrippam coniugem suam de propriis Prænatibus à quibusdam vitio solicitationis abductam, dum sexus ille fœmineus ad mutabilitatis vitia patet.* Nesciunt frequenter fœminæ aures gratis adulationibus denegare, nesciunt promissis non credere: ergo facilè, qui lambit, abducit. Admisso errore solent ingemiscere, & in monialium castris munimen quærere, sed sera pœnitentia agnoscunt, quàm volaticis innixæ, & quàm adulationibus fallæ. *Adiciens* (Prosequitur Cassiodorus) *eam, cum in sacrosanctæ Ecclesiæ septa refugisset, ignorante marito; magnitudini tuæ cassam Arcinatitam ratione postposita comuliſſe. Vndè nunc resipiens deplorat ingestam sibimet grauissimam nuditatem, factum suum ipsa condemnans.* Tardè nonnullæ vxores suam leuitatem condemnant, & ad monialium profugia se conferentes insaniæ suæ cæcitatem deplorant. Ergo oportet maritos secũ expẽdere, muliebre ingenium ad pompaticũ ornatũ esse propensum, & ad enanidas laudes inclinatũ; vt satagãt pro statu cõditione ornamẽta eis

Adulator.

præbere & prudenter assentari, alioquin coniugij iura contemnent, & notam pudori inferent. Fortè in stultis illis virginibus est depictum fœminarum ingenium: se in Pœnatibus continuerunt, quandiù lampas oleo fota resplenduit: ast vbi nitor pabuli defectu elanguit, ambitio cæca foris quæsiuit: *Dum autem irent emere, venit sponsus.* Hoc in oleo adulationes, & fauores humanos exprimi tradit Gregorius Magnus homil. 12. in Euangelia: *Humanos fauores expetunt.* Itaque expetebant nitidiùs splendescere, & pompatico cultu ornari: & dum foris inuenire desiderata præsumunt, ad adulatores contendunt; vt qui suo honori cupit consulere, vxori, quo decenter splendeat, non recusarit præstare, immò sataget honestis adulationibus deuincire.

Matth. 25. v. 10.

§. IV.

Inhonestum, exiguumue lucrum maximum afferre solet dispendium.

Cupiditas. Dispendium.

ILla tantum (aiebat Cassiodorus 11. variar. 17.) *quærenda sunt lucra, quæ potest lætus possessor offerre, & miles solemniter securus accipere.* Qui prouectum desiderat magis extendere, ab impijs, impendiosisque lucris animum prorsus debet retrahere. Non solùm conscientia detestandis emolumentis læditur, sed facultas ipsa fraudatur, & indè grauissimum solet emergere detrimentum, vndè quæsitum est commodum. Amalecitæ, de quibus Saul, Israelitæque violato iure prædas obegerant, modò onusti prædis referuntur. *Captiuas duxerat mulieres ex ea à minimo vsque ad magnum.* Ex Siceleg, quæ jam ad Israelitas pertinebat, prædam tulerunt; immò Saul ab Amalecita diademate, & armilla

1. Reg. 1. v. 10.

dispoliatus occubuit: *Tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius.* Qui contra legem diuitias ambierat, capite, & corona persoluit, & Israelitæ sustinuerunt modò rapinam, si tulerant prædam. *Isti sunt Amalecitæ* (inquit Interlinearis) *quos Saul delere debuit, & inobedientiæ reus regnum amisit.* Saul, Israelitaque quam ex Amalecitis prædam legis iniuria concupiuit, dispendio ingenti persoluit: vt nobis liqueat ea solùm lucra sequenda, quæ æquitati, & legi inueniuntur conformia. Laban Iacob iniquis artibus dispoliauit, & fraudibus coloratis sapiùs fefellit: verùm iustitiæ oculus inultam culpam passus non est, sed Iacob virgarum philosophiam edocuit, qua Laban dispoliatus ingemuit: *Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus.* Nec solùm diuitijs, sed, quos colebat, dijs etiam caruit: *Furatus es deos meos.* Deos, quos colebat amisit, & malè quæsita lucra dispendio ingenti persoluit. *Continenter agite* (repetat vbi suprà Cassiodorus) *si prouectum vestrum magis desideratis extendere, impia lucra sint à vobis omnimodis aliena; de æquitate potius, quam de rapacitate proficitur. Semper metuit iniuste præsumptio. Quid enim acquiri putatur, vbi bona conscientia perditur.* Quid Laban acquisiuit, vbi corrupit conscientiam, & vberem gregum amisit copiam.

Gen. 31. v. 1.

§. V.

Qui Dei religiosè non adimplet mandata honoris, & facultatis frequenter patitur detrimenta.

MEritò testimonium solutionis (aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 7.) *securitas dicitur, de qua non solum animus, sed substantia communitur.* Quod legis reuerentia præstatur, incrementis augetur: securitatis non potest tranquillitate frui, qui præcepta non adnititur studiosè seruare. Non potest conscientia læsa quiescere, nec violata legum obseruantia detrimentum non afferre. Amalecitarum omnimoda extirpatio sacris legibus intimatur suprà cap. 15. Verùm Israelitæ parere magis voluerunt cupiditati, quàm legi. Modò Amalecitæ Israelitarum facultates flammis anhelantibus tradiderunt, & vxores libertate nudarunt: *Captiuas duxerunt mulieres ex ea.* Theodoretus apud Glossam inquirit, cur Deus præmiserit vxores, filiosque in captiuitatem adduci? Respondetque voluisse hoc facto indicare, quæ ex legis violatione incommoda solent oriri. Amalecita viuere permissus violatæ legis erat clarissimum testimonium, cùm deleri penitus præcepisset oraculum: ergo Amalecita Siceleg incendit, & vxores captiuas duxit: attritus verò à Dauide, quæ deuorarat, euomuit, & tranquillitatem iterùm non turbauit: *Cur Deus permisit vt eorum vxores, & filij abducerentur in captiuitatem?* Iam respondet: *Vt reuersi expeditionem facerent aduersus Amalecitas, & conuenienter diuina prædictione eos penitus perderent.* Ducantur vxores captiuæ, & facultates vertantur in cineres vstulatæ, vt notum sit quanto detrimento Amalecita viuere fuerit violata lege permissus, & Dauid eos penitus atterat, vt regnum firmiter stabiliat. Samson, qui leonis truculentiam edomuit, qui copiosas Philisthinorum acies attriuit, à muliere fune vincitur, & ab æmulis oculorum acie priuatur: *Eruerunt oculos eius.* Mira res! si anteà leonum

Iudic. 16. v. 21.

domitor, si acierum extitit profligator, quomodò jam bruti adinstar habitus, & ab hostibus derisus? Solutio facilis. Quia Nazaræorum lege religiosè asseruata inuicto robore prænitebat; ast decapillatus, leges probatur transgressus. Vtque noueris quanta à lege ritè culta commoda, & quanta ab eius violatione emerserint detrimenta. Modò eius oculos ardent aduersarij eruere, qui anteà non audebant Samsonis oculos sustinere; anteà honore, & saporatis fani fruebatur deliciis, modò inhonestè inserit manus catenis. Notauit Ambrosius *epist.* 70. *Granibus in eum insultabant conuitiis, circumagebant ludibriis.* Qui legis obseruatorem horrescebant, ludibriis prænaricationem jam onerabant: tantus à legis obseruantia planius, tantus à prænaricatione oriri solet contemptus.

TEXTVS

TEXTVS.

VERS. III. & IV. Cùm ergo venissent Dauid, & viri eius ad ciuitatem, & inuenissent eam succensam igni, & vxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captiuas, leuauerunt Dauid, & populus, qui erat cum eo voces suas, & planxerunt, donec deficerent in eis lachrymæ.

§. VI.

Pro acceptæ ab hoste cladis mensura esse debet pœnitudinis, lachrymarumque copia.

Pœnitentia. LVctuosa strages, si oculis hauriatur, interna viscera concutit, & gemitum reprimi non permittit. *Sit querula vox doloris* (aiebat Theodericus 2. *variar.* 25.) *nec se contineant immuniti, & læsus animus vociferatione pascatur.* Qui grauia damna perpessus est, nequit ardentissimo angore non vri, & gemitus leuamentum non quærere; & quamvis in corporis detrimentis fortitudo mutam aliquàndo edoceat constantiam, & infractam casibus aduersis patientiam: in animæ cladibus sicci oculi arguunt stupiditatem insanam, vt lachrymarum copia prudentem dolorem: nec satis sit faciem lachrymis irrorare, si grauissimis vulneribus conscientiam constet confodi. Hinc est, quòd Dauid bestiarum domitor, & gigantum terror, vbi Siceleg voracibus flammis adustam, & dilectas vxores ab hoste agnouit subjugatas, lachrymas non temperauit, sed dolenter ingemuit: *Cùm ergo venissent Dauid, & viri eius ad ciuitatem, & vidissent eam succensam igni, & vxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captiuas, leuauerunt Dauid, & populus, qui erat cum eo, voces suas, & planxerunt, donec deficerent in eis lachrymæ.* Cui videatur strenuum ducem dedecere ploratum, cùm Scæuola immotus manum foco applicitam fluere conspexerit, & quis alius tormentis discerptus gemitum non emiserit? cur ergo Dauid non veretur fortitudinem ejulatu defœdare, & aërem clamoribus adimplere? Quia cùm in Amalecitis adumbrentur dæmones, & per diuitiarum deprædationem dispoliatæ virtutes, clamorem non emittere esset stupiditas damnanda, non fortitudo laudibus extollenda. *Per hoc* (inquit Glossa Moralis) *quòd Dauid existente cum Achis Rege contigit damnum prædictum, signatur damnum in spiritualibus.* Animorum damna copiosis lachrymis sunt deflenda; nec fas est temperare fletum, si graue contigit admisisse piaculum. Vbi Magdalena carere Domino agnouit, in tristem ejulatum erupit: cœlestes spiritus, cur ploret, interrogant, vt ad copiosiorem fletum exacuant: *Mulier, quid ploras?* Non ignorant causam, sed nobis vtilem præbent doctrinam. Iuuenis mater inhibetur plorare, sed, quæ Domino caret, suadetur flere. Ita Drogo Hostiensis de Sacram. Dom. pass. *Vt tota vis lachrymarum excurrat.* Qui aliis in causis solari adniteretur afflictam, augeri lachrymarum nituntur copiam; quia cùm Magdalena se Domino existimaret priuatam: *Quia tulerunt Dominum meum,* fas non erat modicè flere jacturam: ergo

Ioan. 20. v. 13.

ad lachrymarum incitant abundantiam: *Vt tota vis lachrymarum excurrat.* Iacob etiam, vbi se dilecto Ioseph sensit orbatum, tristissimum edebat singultum: *Indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.* Filij studiosè dolorem nitebantur delinire, fletui tamen pater nòluit modum imponere, quia amisso Ioseph, hoc est, Christo, fas non erat consolationem admittere, & lachrymis abstinere. *Ictus aures nuntio* (scribit Philo lib. de Ioseph) *simulque oculos spectaculo* (*allata enim fuerat tunica lacerata, cruentaque fœdum in modum*) *dolore turbatus obmutuit per multum temporis spatium, ne caput quidem valens attollere oppressum tanta calamitate. Tandem repentè effusus in lachrymas, velut è fonte prorùpentes plangebat pectus.* Prudentissimus senex veri Ioseph orbitatē nos plangere edocuit, & à fletu non temperandū ostendit.

Gen. 37. v. 34.

TEXTVS.

VERS. V. Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant, Achinoam Iezrahelites, & Abigail vxor Nabal Carmeli.

§. VII.

Citò fortuna vertitur, & à throno ad captiuitatem transitur.

FAllimur, & nobis ipsis imponimus; ni habeamus præ oculis res humanas susque deque ferri; & nullatenus posse consistere. Conchæ in montibus peregrinantur, & montium cacumina jacent voluminibus aquarum immersa. *Mutant & bestiæ pro veste formam* (aiebat Tertullianus de Pallio *cap.* 3.) *quamquam & pauo pluma vestis, & quidem de catacliitis, immò omni conchylio depressior, qua colla florent, & omni patagio inauratior, qua terga fulgent, & omni syrmate solutior, qua caudæ iacent, multicolor, & discolor, & versicolor; nunquam ipsa, semper alia; etsi semper ipsa, quando alia, toties denique mutanda, quoties mouenda.* Mundus mutando persistit, diuersitatibus durat; & temperatus vicibus perseuerat. Itaque solemne est rebus omnibus vices pati. *Ante res Macedonum* (scribit Philo lib. Quòd Deus sit, &c.) *inclyta fuit Persarum felicitas: sed vna dies tam ingenti regno finem attulit: & nunc Persæ, penes quos paulò antè fuerat imperium, sunt Parthorum prouincia.* Hanc varietatem in se ipsa ostendit etiam Abigail, rustici Nabalis quondam vxor, ad regalem thronum transiuit in Danidis futuri Regis vxorem assumpta, & post regias nuptias modò captiua, & vinculis illigata: *Duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant, Achinoam Iezrahelites, & Abigail vxor Nabal Carmeli.* Hostes vitæ pepercerunt, vt majori dedecore afficerent, & sub hasta venderent. *Volebant eos habere, & vendere* (inquit Lyra) *in seruos, & ancillas.* Ecce captiua sub jugo gemuit, quæ throno efloruit. Ob id, qui perspicaces habent oculos, omnia, quæ cupiditatem attendunt, & admirationem faciunt, nihili habuerunt, & generosè calcarunt: Moyses legationem instruit ad Regem Edom, vtque per florentem eius Regionem transire liceat, deposcit: *Obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam.* Et cur non obsecret, vt liceat immorari, & copiosis deliciis frui? Quia

Fortuna.

Num. 20. v. 17.

Moysi, respondet Philo, cælesti luce illustrato, quæ ab aliis ambita, videbantur prorsus despicienda. *Celeriter, inquit* (verba sunt Philonis lib. Quòd Deus sit, &c.) *transibo per terram tuam. O promissionem generosam, & magnificam? Itane obsecro superare, transire, transcurrere, quidquid in terra bonum censetur, poteritis? Nihilne vestram properationem remorare poterit? Conspectum diuitiarum congestarum auersabimini deflexa facie? Quid maiorum dignitates paterni, maternique generis, decantataque à multis nobilitates despicietis? Gloriam quoque, quam homines r aimunt, cæteris bonis omnibus prætercurretis tanquam rem vilissimam?* Omnia profectò proculcabant, & despiciebant. Huius contemptus Philo rationem reddit: *Olympiæ, cælestisque animæ sunt hæc tam ingentia facinora: repleta enim contemplatione verorum bonorum, & incorruptibilium, meritò adulterina illa in diem durantia reiicit.* Qui serena vtitur luce, quia nullius insanæ affectionis caliginibus obscuratur, agnoscit, quàm contemnenda mirentur, nec delitiis desiderat immorari, sed celeriter transire; de nobili origine gaudet, sed non tumet; corporis habitudine vtitur, non miratur; diuitiis, ac delitiis circumfunditur, sed stercora arbitratur. Itaque quicumque imperturbatis oculis res humanas despicit, Moysis secutus exemplum non desiderat immorari, sed inoffenso pede transire.

TEXTVS.

VERS. VI. Et contristatus est Dauid valdè: Volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima vniuscuiusque viri super filiis suis, & filiabus: confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo.

§. VIII.

Inopina damna grauiori dolore exulcerant, & diuexant.

Casus.

VTi inopina felicitas gaudium incrementat; sic calamitas grauiùs dolorem exulcerat. Aliquando citiùs quis appulit portum, cùm minax jam patiebatur naufragium, & quia mœror tristissimus intrarat præcordia, de inopina securitate lætissima augentur gaudia. *Felix illi contigit* (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 9.) *& prædicanda captiuitas, Romana ciuitate perfrui, & Afrorum primilegiis potuisse misceri.* Felix fuit illi captiuitas, quia resplenduit insperatis priuilegiis fruitus, & nobilium origini insertus. E contra increscunt lamenti causæ, si calamitates oppresserint inopinæ. Dauid, cùm ad sua rediret, & suis tranquillitatem aliquam sponderet, oculis hausit ciuitatem exustam, vxorem, & facultatem ablatam: ergo improuiso, acerrimoque spectaculo perculsus ingemuit, & ferè obstupuit: *Contristatus est Dauid valdè.* Omnium animi tanta amaritudine sunt repleti, vt extra se viderentur acti: noua calamitate calamitatem tentarunt solari, & lapidum grandinatione Dauidem obruere. Quòd si inquiras, cur Dauid tanto fuerit dolore perculsus, & populus amara insania repletus? Respondebit Chrysostomus apud Glossam dolorem excreuisse, quia pro tranquillitate, quam sperabant, vxores, filiosque captiuos inuenerunt, & pro domicilio nigros domicilij cineres spectarunt. [Ex insperato superuenientia duplò, quàm erant, grauiora videbantur, neque jam tolerabilia: iuerat enim ille quasi quieturus domi: mœroris prætendit consolationem inuenturus vxores scilicet, ac liberos; cùm repentè audiuit illos in seruitium ab hostibus abductos, hausitque oculis ignem, fumum, sanguinem, cadauera.] Inopina strage, & sperata quies inter se concordabant, & veluti dolore ingeminato animos adurgebant. Floridissimam Nabuchodonosor arborem intuitus, eiusque aspectu oblectatus inopinæ securis ictum audit, & conturbatus stupet: *Visiones capitis mei contur.* Dan. 4. *bauerunt me.* Non ait, visio, sed, *visiones*, quia non minus dolorem auxit floriditas, quàm aduersitas. Quòd si ob statuæ casum timorem cum hoc ob scissionem arboris conferre velis, cùm statua corruit, reperies non solùm obturbatum, sed anxio dolore detectum: *Conterritus est spiritus eius.* Et cur modò grauiori exul. Dan. 2. ceretur dolore? Forte quia arbor paulatim succisa, & floribus denudata: *Præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius.* Ramus repetitis ictibus præciditur, at statua, cùm temporum adsultus materiæ firmitate videbatur despicere, inopino ictu jacuit prostrata, & in cineres conuersa: ergo insperatus prorsus euentus spiritum conturbauit, & graniori dolore vrsit. *Ecce lapis* (inquit Richardus in Allegor. Tilman.) *sine manibus abscinditur, vndè ferri duritia conteratur.* Non præcessit ictus, qui aures admoneret lapidem abscindi, & contra statuam armari: ergo calamitas tota simul, & insperata graniori dolore perculsit, & spiritum terrore repleuit.

§. IX.

Populus insanit in superiorem etiam innocuum, si incommodis gemat pressus, & calamitate discrucietur vexatus.

PRinceps, superiorque cùm debeat omnibus Regentia. prouidere, & ad omnium tranquillitatem in- Cautum. uigilare, pati solet inuidiam, si populus fortunam Princip. experiatur aduersam. *Impulsus à fortuna* (aiebat Seneca de Consolat. ad Polybium *cap.* 2.) *& cadentem sustinuit, & in præceps euntem leniter diuina manus vsus moderatione deposuit.* Principis, superiorisque elogium augustius est potentia scilicet in salutem vti, & generalitatis miseris prouidere. Sciat Princeps eius ingenij esse populum, vt licet absque eius culpa incommodis diuexetur, reuerentiam vertat in audaciam, & amenter sæpè prorumpat in insolentiam. Cùm Amalecita Siceleg inuasit, Princeps aberat, nec vllam infortunio occasionem præbuerat, & nihilominus eius lapides arripuerunt, & Dauidem lapidare tétarunt. *Volebat eum populus lapidare, quia amara erat anima vniuscuiusque viri super filiis suis, & filiabus.* Ecquod crimen admisit Dauid, vt à populo multis aliàs beneficiis obstricto lapidibus impetatur? Nullum profectò, sed quia amarus, populus exorbitabat delirus. Notauit Chrysostomus apud Glossam: *Irruunt ad eum feris omnibus immanius habitatores ciuitatis, quærentes singuli casuum suorum consolationem ex illius capite.*

Profectò,

Profectò horum demens audacia, audaciſſimaque imprudentia eſt ſuperioribus, ac Principibus pro doctrina: nam ſi ſatis fuit communis miſeria, & improuiſa, ac inopina calamitas, vt populus fureret, & de lapidando Dauide ageret, quid fieret, ſi ipſe aut otioſus ſectaretur oblectamenta, aut calamitatis exiſteret quomodolibet cauſa? Si, quia tantiſper affuit, & nudam præſidio ciuitatem reliquit, cùm nec bella perſtreperent, nec hoſtilis obſidio cingeret, tanto ardore impetunt, quo impeterent, ſi ipſe ſuos denudaſſet, & ad ſtatum miſerum reduxiſſet? Sciat Princeps populum inſtar feræ truculentiſſimæ eſſe, aliquandoque feritatem mitigatam recrudeſcere, & deſæuire; opus eſt prudenti cautela, curandumque eſt, ne irritarit vel leuis cauſa: ſi populus nequeat, quia nimium oppreſſus, viuere, omnia aggredietur tentare: Vbi procera illa Nabuchodonoſori per ſomnium obiecta arbor diſpoliata eſt floribus, viduata fructibus, præciſis contracta ramis, Daniel ſapientiſſimus ſomnij interpres eius exilium prædixit: *Eycient te ab hominibus.* Non mirarer, ſi Nabuchodonoſoris manu arbor denudata eius eſſet exilij indubium præſagium, & infelix calamitatis auſpicium. *Eycient te ab hominibus.* Verùm ſi aliena vi præciditur, Nabucho cur pellitur? Mira res! Ex arboris nuditate coniecit ſapientiſſimus ſomniorum Interpres, Nabucho à ſuis pellendum, nam cùm ei parerent tranquillitatis, felicitatiſque auidi, iugum detrectarunt contraria prorſus experti. Nabucho nec folium abſtulit, nec pomum concupinit, nec ramuſculum diſſecuit; ſed cum carerent deſideratis, eum condemnauerunt exilijs. Satis enim eſt, ſi calamitas durè premat, vt populus irrationabiliter furat. Dum arbor floruit, Nabucho reſplenduit quietus; dum elanguit, exulauit expulſus. *Diſcant Prælati noſtri* (inquit Richardus in Allegor. Tilman) *diſcant hic, quid facere debeant.* Vereri poſſunt non diſſimilem euentum, qui arborem denudant, qui ad amaras cogunt lachrymas, qui omnibus attulere miſerias: quandoquidem Nabucho exulauit non ob ſterilitatem à ſe inuectam, ſed aliundè Reipublicæ inductam.

Dan. 4. v. 22.

§. X.

Iuſtus, cùm grauioribus calamitatibus adurgetur, maiori etiam conſolatione, ac ope cæleſti fruitur.

2. Cor. 1. v. 5.

Sicut abundant (aiebat Paulus) *paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Qui externis ſolùm oculis res metitur, nec interna diſpicit, fallitur; nam ſæpè quæ putantur infauſta, felicia ſunt; quæ proſpera externa ſpecie, probantur infortunata. Ita Anſelmus ad Pauli locum: *Non minus abundat etiam conſolatio noſtra, quam Deus nobis intus per Chriſtum exhibet.* Qui adſpiceret exteriùs Paulum, cenſeret vinculis, & laboribus afflictatum; qui interna diſpiceret, inueniret hilari, ac ſolida conſolatione perfuſum. Rubus voracibus impetitus flammis ad commiſerationem alliceret, ſi quis externa ſolùm attenderet; verùm ſi examinaret interna, inueniret Dei præſentia nobilitatum, & floridum: ipſæ flammæ pro humore erant, quibus lætus niteſceret, & viriditatem floridus conſeruaret: *Habet hæc vices conditio mortalium* (aiebat Plinius in Panegyr.) *vt aduerſa ex ſecundis, ex aduerſis ſecunda naſcantur.* Quæ ad ſpeciem aduerſa, felicitati ſæpè adulantur, & quæ felicia, calamitati blandiuntur Dauid duris calamitatibus angebatur oppreſſus, cùm Siceleg deciniereſceret flammis ardentibus impetita, cùm vtraque vxor gemeret captiua, & vinculis illigata, & quaſi ſæua adeò tempeſtas parum eſſet, additus eſt exoculatus ciuium furor, & imminentis etiam periculi terror: *Contriſtatus eſt Dauid valdè: volebat enim eum populus lapidare.* Quid tunc? *Confortatus eſt autem Dauid in Domino Deo ſuo.* Interna confortatione inconcuſſa perſtabat tolerantia, & imperturbata prudentia, foris anguſtabatur, ſed dilatabatur intus; cum ſæua autem tempeſtate colluctabatur ſolicitus, ſed celſo magnanimitatis culmine lucebat tranquilla pace fundatus. *Iſta confortatio* (ſcribit Abulenſis *quæſt.* 5.) *vocatur ſpiritus Domini.* Intus habebat ſpiritum conſolantem, populum exteriùs patiebatur prementem. Videre eſt aliquando Dei ſeruos inter vrgentiſſima tormenta tranquillitate vera, ſolidaque lætitia delibutos, & immobili conſtantia obarmatos. Vt erga purpuratorum felicitatem non eſt oculis credendum, quia ſub bracteata illa felicitate & timor vexat, & dolor diſcruciat? ita erga iuſtos, & Dei amicos aſpectus fallitur, quia quos duriſſima putat calamitate vexatos, interna Dei conſtat conſolatione perfunctos. Populus Ioſue, & Caleb dura lapidum procella tentat obruere, ſed cum durus lapidum imber minatur, cœleſtis eos gloria protegere adnititur: *Cùm clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere apparuit gloria Domini ſuper tectũ fœderis.* En Domini gloria fruuntur, & oblectantur, qui videbantur anxijs timoribus concuti, & lapidum grandine premi: pro laboris modo fuit ſolatium, & maiori tunc ſecuritate, tranquillitateque fruebantur, cùm acerbiùs, & duriùs à populo diuexarentur. *Apparuit gloria Domini* (inquit Lira) *ad defenſionem eorum, & terrorem malorum.* Æmuli confundebantur, & impetiti gloria fruebantur, nam Deus ſuos intus ſolatur, quos mundus grauiori perſecutione exagitat, & acerbiùs diuexat.

Num. 14. v. 10.

Tentatio.

§. XI.

Qui plagam ab inimico accepit, animo non cadat, ſed notam depellere nobiliori triumpho præſumat.

Panitentia.

FRequenter multum noſtris malis adijcimus, quia pauido metu remedia deſperamus, & fortunæ cedimus. Pernicioſior eſt hoſtis fugientibus, & omne fortuitum magis premit ignauè pauentem. Benè Seneca Epiſt. 78. *Toto contra illum pugnet animo; vincetur, ſi ceſſerit: vincet ſi ſe contra dolorem ſuum intenderit. Nunc hoc plerique faciunt, attrahunt in ſe ruinam, cui obſtandum eſt. Iſtud, quod premit, quod impendet, quod vrget, ſi ſubducere te caperis, ſequetur, & grauius incumbet: ſi contra ſteteris, & obniti volueris, repelletur.* Plures, dum deſpondent animum, incrementauere infortunium. Strenuus athleta, quam accepit, plagam ſatagit reportata ſolari victoria, & indè acrius accenditur, vndè ad ſpeciem extinguebatur. Cùm Dauid ingen-

tissimam ab Amalecitis plagam accepisset, cùm eius ciuitas acri flammarum voracitate sorderet exusta, cùm vtraque vxor ingemisceret subiugata, copioso prius fletu diluit, si quàm contraxerant culpam, & aggressus est nobili triumpho notam expungere, & amissa fœnore lucroso instaurare: *Confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo.* Si ignauo impeditus metu animum desponderet inflicta hostibus plaga, amissa non instauraret: ast dum honestas spes alit, & in certamen descendit, captiuam captiuitatem duxit, & inimicorum strage, quam amiserat, gloriam redemit: *Eruit ergo Dauid omnia, quæ tulerant Amalecitæ.* Prodest Caietanus: *Legendum esset: Et roborauit se Dauid in Iehovà Elohe suo. Diuina inspiratione fiduciam accepit non in se ipso, sed in summo Deo gubernatore suo.* Deus Dauidi inspirauit accepta clade non ignauè succumbendum, sed acrius, & virilius pugnandum. Dauid, dum fortiter dimicat, amissa recuperauit, & hostili sanguine notam eluit. Ab Haiensibus plagam acceperat Iosue, sed cùm dolore iaceret prostratus, animos iubetur indere, & expiata macula validiùs arma prensare: *Surge, cur iaces pronus in terra?* Et iterum: *Ne timeas, neque formides; tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum.* Iuxta Hebræum habetur: *Non te franges.* Et Caietanus ad cap. 8. *Purgato anathemate confortat Dominus Iosuam, vt non frangatur animo, sed ad pristinam integritatem redeat, & aggrediatur ciuitatem Hai.* Iacere exanimem incrementabat infortunium; expiato anathemate arma prensare promittebat trophæum. Ergo discat à Dauide, & Iosue, qui ab inuiso hoste plagam accepit, animum non despondere, sed strage hostis dignam vltionem ambire. Nam vt benè datus Seneca: *Quod vrget, si subducere te caperis, sequetur, & grauius incumbet; si contra steteris, & obniti valueris, repelletur.* Acris pugna finis dolendi sit, & vt athletæ de genu pugnant; sic virili certamine debellanda est hostis audacia, & reprimenda impudentia.

Iosue 7. v. 10. & cap. 8. v. 1.

TEXTVS.

VERS. VII. & VIII. Et ait ad Abiathar Sacerdotem filium Achimelech: Applica ad me ephod. Et applicauit Abiathar ephod ad Dauid, & consuluit Dauid Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere, absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.

§. XII.

Non est internis motibus audax fiducia adhibenda, sed voluntas Domini prudenti consultatione exploranda.

Oratio. Inspiratio. COelesti sæpè ad egregia facinora pulsu incitamur, vt sæpè etiam occulta nobis ipsis præsumptione, & temeritate mouemur. In his magno periculo erratur, si falsus audeas, aut timidus cedas. Res ad Dei amicos est deferenda, & Numinis sententia consultiùs & prudentius est exploranda, ne, si pulsui resistas, amittas triumphum, aut si præsumptioni credas, luctuosum patiaris naufragium. Veternosus serpens Deo voluit assimilari; sed vt similitudo honestè prætensa, virtutis esset elogium; sic temerè quæsita ei attulit præcipitium: *Proiectus est draco.* Non solùm interest honestum ambire, sed debito modo conari. *Vuere omnes* (aiebat Seneca de vita beata cap. 1.) *beatè volunt, sed ad peruidendum quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant.* Sæpè cupiditas virtutis nomine obrepit, præsumptionis ausus supernus existimatur impulsus: ergo inter has caligines lux est perquirenda, quæ veritatem aperiat, & quid faciendum edoceat: Cùm Amalecitæ succensa Siceleg, copiosam prædam abegissent, cœlestis pulsus Danidem excitabat, vt cum latrunculis iniret pugnam, & ablatam excuteret prædam: ille verò vt prudens Sacerdotem adijt, & Deum consuluit: *Et ait ad Abiathar Sacerdotem filium Achimelech: Applica ad me ephod. Et applicauit Abiathar ephod ad Dauid, & consuluit Dauid Dominum.* Ad hanc insectationem latrunculorum à Deo fuisse motum colligunt Interpretes ex eis verbis: *Confortatus est Dauid in Domino Deo suo*; id est, Deus animos indidit, & vt persequeretur latrunculos, inspirauit. Ita Abulensis quæst. 5. *Prius erat Dauid quasi desperans de recuperanda præda; nunc autem capit sperare, & hoc, quia fuit per quandam pulsationem factam in corde suo à Deo. Dicitur confortatus esse Dauid in Deo suo, & ista confortatio vocatur spiritus Domini.* Hinc oritur difficultas. Si Dauid Dei spiritu agitur, ad quid iterum quid faciendum per Sacerdotem consulitur? Otiosa videtur consultatio, cùm superna sentitur motio: ergo Dauid Sacerdotem non adeat, sed in latrones insiliat. Profectò Dauid formam præscripsit, ne facilè omni spiritui credamus; sed, an ex Deo sit, examine prudenti pensemus. *Prius Dauid* (inquit Abulensis quæst. data) *confortatus est, quam consuleret Dominum: immò propter hoc consuluit Dominum, quia confortatus erat, & putabat se posse recuperare prædam.* Spes corde fouebat prædam recuperandi, sed quia clare non agnoscebat; an spes illa à militari audacia promanaret, an à Dei spiritu proueniret, prudenter decreuit per Sacerdotem, quid ex vsu foret, scitari, & omnem ambignitatem expungere. Consultus Deus pulsum illum non fallacem dixit, & victoriam spopondit. Plures à veritate deerrarunt, quia quid corde sentirent ad Sacerdotem non detulerunt, & dum callidam serpentis astutiam arbitrantur Spiritus Sancti flammam, à recto tramite deuiant, & calamitatem sibi præmaturant. Paulus ad Corinthios scribens, aiebat: *Timeo, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua; ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.* Euæ, dum seductori credidit, & ei, qui se in Angelum lucis transfigurare solet, patulas aures exhibuit, à veritate prorsus aberrauit. Protest Anselmus: *Timeo, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, id est, ne sicut diabolus in serpente latens, & per os eius loquens Euam seduxit; ita corrumpantur sensus vestri, ab eodem fallaci deceptore.* Latet diabolus, & virtutis specie alium præcipitat in audaciam, instigat alium ad austeritatem rationi aduersam, & dum quis

2. Cor. 11. v. 3. Apoc. 12. v. 9.

putat

putat bono spiritu duci, inuentus est falli: ergo, vt aurum examinatur ad lydium, ita spiritus ad Sacerdotum, ministrorumque Dei lydium debet examinari, & Dauidis adinstar veritas per Sacerdotem inquiri.

TEXTVS.

VERS. IX. Abijt ergo Dauid ipse, & sexcenti viri, qui erant cum eo, & venerunt vsque ad Torrentem Besor, & lassi quidam substiterunt.

§. XIII.

Prudens per otium consultat, sed decreta consulto accelerat.

Consilium. Executio.

FVlmina (aiebat Seneca 2. lib. Natural. cap. 41.) *dicunt à Ioue mitti, & tres illi manubias dant. Prima, vt aiunt, monet, & placata est, & ipsius consilio Iouis mittitur. Secundam mittit quidem Iuppiter, sed ex consilij sententia. Duodecim enim Deos aduocat: Tertiam manubiam idem Iuppiter mittit, sed adhibitis in consilium dijs.* Iuppiter aduocatis in consilium dijs, an aliquis sit mulctandus per otium tractat, sed semel consilio habito celeriter decreta exequitur, nec moris fulmen tardatur. Et quidem ex fabulis instrui potest politica, & ad regimen necessaria prudentia. Quæ subita, & inconsulta, probantur incauta, vt etiam sæpè effectu careant, quæ lenta. Diù meditata, & celeriter absoluta prosunt; nam consilio error vitatur, & celeritate obex quilibet anteuertitur. Si deliberata tardentur, hac, aut illa industria solent præsentiri, & varijs obicibus optato fine frustrari. Curandum est, ne opportuna occasio præteruolet; aliter spes eluditur, & inutili labore tempus conteritur. Hinc est, quòd Dauid, & si interno pulsu, ad producendas contra Amalecitas acies moueretur, noluit bellum tentare, quousque Deum per Sacerdotem prouidenter consuluit; ast post consultationem, quod expedire agnouit, exequi nullatenus retardauit: *Abijt ergo Dauid ipse, & sexcenti viri, qui erant cum eo.* Nulla inter consultationem, executionemque mora refertur, sed benè consultum celeriter executioni mandatur. *Nihil cunctatus Dauid* (inquit noster Sanctius) *assumpsit secum sexcentos viros, qui magnis, vt res ipsa postulabat, itineribus simul vsque ad Torrentem Besor omnes peruenere.* Expende verba illa: *Nihil cunctatus*: cum Martialis ardor, & excutiendi prædam desiderium Dauidem veluti adactis calcaribus irrumpere contra latrunculos persuaderent, quid ex vsu foret, consulnit; at consilio jam habito, quamuis ex castris Achis vsque ad Siceleg per tres dies itineris labor tantisper animos recreare, viresque colligere persuaderet, nullatenus Dauid profectionem distulit, sed irruptionem quantociùs accelerauit, & feliciter successit; nam excussit prædam, & hostium sanguine deleuit iniuriam. Gedeoni fugam adornanti cœlestis nuntius apparet, & victoriæ spes securissimas fouet: *Liberalis Israel de manu Madian.* Gedeon, vt erat prudens, quàm opus illud esset arduum, obiecit: *Ecce familia mea infima est in Manasse.* Angelus, quod deesset robori humano, cælitus ait adijciendum, nec de victoria vsquam dubitandum: *Ego ero tecum.* Vt felicis nuntij strenas exhiberet gratus, hædum parauit, & obtulit; obsequiosis officijs jam delinitum, ne vel leuis cordi hæreret scrupulus, signum exhiberi sibi precatus est: in re adeò difficili examinanda, discutiendaque tempus aliquod vtiliter impendit; re verò jam maturè deliberata inimicos sic adorsus est, vt vigiliæ aduentum non præsenserint, nec inimici gladium euaserint: *Gladius Domini, & Gedeonis.* Panis, qui (commilitone interprete) gladius erat veluti alatus inuolauit, & castra momento euertit: *Cum peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit.* In hoc Gedeonis triumpho bona politices instructa est. Per otium omni jam difficultate discussa, & prudenter examinata gladius inuolauit, & ingentem hostibus cladem inuexit. *Hoc modo* (inquit Caietanus) *secutus tentorium casus describitur.* Hoc modo describitur hostium casus, Gedeonisque triumphus, scilicet præmissa matura consultatione, & celeri adhibita executione. Hoc modo victoria reportata est, pane, & gladio; nam vtroque opus. Gedeon libratis vndique rationibus prudentiæ lance deliberat, & deliberatum accelerat.

Iudic. 6. v. 14.

Iudic. 7. v. 20.

TEXTVS.

VERS. X. Persecutus est autem Dauid ipse, & quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant torrentem Besor.

§. XIV.

Non est mirandum optimis exemplis non allici, sed mirum prauis non inici.

Exemplum.

NEscias quid maioris energiæ exemplis insit ad prauа. Video meliora, proboque (aiebat quidam) deteriora sequor. Quisque, quod sensibus blanditur, gratius, & auidius amplectitur. Rationi consonum, nostræ fragilitati videtur amarum, & ignauiæ fugiendum aut retractandum. *Est & hæc peruersitas hominum* (aiebat Tertullianus aduersus Gnosticos c. 5.) *salutaria excutere, exitiosa suscipere.* Solemne est insanis affectionibus obscuratis virtutis auersari antidotum, hiare ad voluptatum venenum. Hinc, laudandi sunt quadringenti illi viri, qui eosdem, ac cæteri, itineris labores passi, non substitere lassitudine irretiti, sed Dauidis vestigia presserunt læti. Nec mirandi adeò ducenti, qui maluerunt lassitudinis sequi consilia quàm sociorum amplecti exempla. Prodigiosum fuit ex sexcentis, qui honestum illud iter arripuerant, ducentos solùm in medijs conatibus substitisse, quando frequens est plures immorari, & paucіores virtutis iter absoluere: *Persecutus est autem Dauid ipse, & quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant Torrentem Besor.* Maluerunt ducenti præsentanea

aquarum

aquarum dulcedine lassitudinem recreare, quàm spolijs hostium speratis ditescere. Fragilitati ducenti cesserunt; at quadringenti, etsi lassi, præterfluentem voluptatem aspernati, viuidiori cursu ducem referuntur secuti. *Alij magis expediti* (inquit noster Sanctius) *inceptam viam velociori cursu persecuti sunt.* Horum alacritas lassos ad imitationem non allexit, nec illorum ignauia hos ab incepto itinere retardauit; sed mirabilius fuit lassorum exemplis alios non corrumpi, quàm fortium vestigia lassos non sequi. Cùm nescias, quæ maior insit exemplis prauis energia, & ad euigorandas vires efficacia. Iosue, & Caleb cœlestis gloria protegit, & cœlicolarum quodammodò refertre mores ostendit: Num. 14. v. 10. *Apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filijs Israel.* Digno Deum præmio Iosue, & Calebum muneratse tradit Caietanus: *Hinc insinuatur, quòd volentibus illis lapidare Iehoshuà, & Chaleb, confugerunt ad diuinum tabernaculum: & statim visa est gloriosa species ad protegendum eos.* Non solùm periculum effugêre protecti, sed radiarunt cœlesti splendore nobilitati. Et cur modò eximia adeò remunerentur mercede, qui egregia executi facinora tanto donati non refulserant splendore? Si Amalecitas Iosue oppugnans, & atterens hoc honore non fruitur, si sideribus stationem imperans his præmijs non muneratur; cur modò cœlesti fulgore cingitur? Referamus historiam Reliqui exploratores reclamantibus vberrimis, & micantibus è tellure adductis fructibus ausi sunt telluri detrahere. Iosue, & Caleb pro veritate steterunt: ergo, dum eorum sententiam non secuti, mercede probantur digni. Insolitum non fuit reliquos exploratores Iosue, & Caleb opinioni non adhærere, sed rarum visis etiam fructibus, & inspecta studiosè regione exempla praua vtrumque non sequi. Iam more cœlicolarum gloria fruuntur, quia exuisse quodammodò mores humanos probantur; nam licèt frequens sit otij, voluptatisque sectatores optima exempla despicere, non est frequens virtutis assectas prauis exemplis non lædi: facilè persuadentur vitia, quia nos inclinat corrupta, & vitijs assueta natura. Virtus in arduo posita est, eius cliuum superare est honestè audacis, & fortis.

TEXTVS.

VERS. XI. & XII. Et inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid, dederuntque ei panem vt comederet & bibetet aquam, sed & fragmen massæ caricarum, & duas ligaturas vuæ passæ. Quæ cùm comedisset, reuersus est spiritus eius, & refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus, & tribus noctibus.

§. XV.

Subsidio est virtuti mundi assecla despectus, & plurimis laboribus diuexatus.

Vitium. Labor. INcorruptus vir consonæ virtuti vitæ artifex est, à vera luce haurit vndè ad honestatem conetur, & à fucatis vitiorum, voluptatumque splendoribus auersantur: verùm cùm ardui virtutis sint gressus, oportet, vt facilius viles subeat molestias, ostendere, quàm miseras vitiorum sectatores patiantur ærumnas. *Infelices quidam* (aiebat Seneca de vita beata cap. 7.) *non sine voluptate, immò ob ipsam voluptatem sunt.* Adnectit: *Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia pro muris stantem, puluerulentam, callosas habentem manus: voluptatem latitantem sæpius, ac tenebras captantem; circa balnea, ac sudatoria, ac loca ædilem metuentia; mollem, eneruem, mero, atque vnguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollutam.* Virtus callos manibus obducit honesto labore, voluptas robur expectorat, vires enernat, adducit maciem, & pallorem. Quicumque incorrupto iudicio virtutis ærumnas cum vitij incommodis contulerit, pro virtute stabit; ast deprauatus affectus interpellat iudicium. Dauidem sequebantur milites armis onusti, & molestijs itineris fatigati, cum cœlestis prouidentia eis obtulit Ægyptium Amalecitæ seruum super nudam tellurem iacentem, & ferè ob famem, & ægritudinem spirantem. Huic edulia misericorditer perrexerunt, & penè extinctos spiritus reuocarunt: *Inuenerunt virum Ægyptium in agro, &c. non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus, & tribus noctibus.* Israelita non solùm habuit panem, vt famem expelleret, sed vt Ægyptio porrigeret: Ægyptius nuda tellure iacebat febrium ardoribus adustus, & inedia diuexatus; ergo dum Dauidem sequuti Amalecitæ infermentis ærumnas oculis exhauriunt, virtutis labores facilìores agnoscunt. Dauidis non detrectabunt sequi vestigia, qui Ægyptij animaduertunt exempla. *Commodum* (inquit noster Sanctius) *illis accidit vt puerum quendam Ægyptium Amalecita cuiusdam seruum offenderent.* Adnectit paulò post: *Affectus ægrè, & extrema penè fame consumptus iacebat humi moriturus.* Ægritudinem, famemque, quam Amalecitæ inseruiendo contraxerat, mors miseranda manebat. Dauidi inseruientes non vrebat fames, & manebat spoliorum abundantia, & victoriæ gloria. Cùm Pharisæi vxorum molestijs diuexati, aut iumpto, continuisque querelis afflicti, Christum interrogarent, an maritis liceret quacumque ex causa eas dimittere: *Si licet homini dimittere vxorem* Matth. 19. *suam quacumque ex causa.* Dominus cœlestis doctrinæ magister iugum semel ceruici impositum pro libito excuti non posse asseruit; & in hanc vocem discipuli proruperunt: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Non calu accidit, vt discipuli audirent dubium, & reponsum; nam cùm Dominus castitatis expeditam viam discipulos edoceret, oportuit, ne laboriosam semitam illam existimarent, quantis coniuges laboribus diuexarentur, audire, vt conferentes inter se ærumnas, eligerent vxorum liberari molestijs, & insistere castitatis vestigijs. Ita Hieronymus in Catena: *Graue pondus vxor est, si excepta causa fornicationis eam dimittere non licet. Quid enim si ægra, si lenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si delenda erit? Videntes ergo Apostoli graue vxorum iugum, proferunt motum animi sui.* Experiderunt Apostoli cum vxorati laboribus labores cælibis, agnoueruntque satiùs sibi esse breui voluptate carere, quàm tot molestijs subiici ergo

ergo eorum continentiæ subsidio fuit vxoratus querulus, & afflictus. Ad custodiendam viam ligni vitæ flammeus gladius apponitur: *Ad custodiendam viam ligni vitæ*, cùm ad custodiendam viam ligni scientiæ apponendus videretur: verùm cum arbor, quæ serpenti instrumento fuit, horrida manserit, & nudata: *Consuerunt folia ficus*, satis erat, vt arceret, aspectus. *Nudant arborem* (scribit Basilius Seleucensis orat. 3.) *circa arborem prænaricati, ab arbore tegumentum mutuantur.* Quis serpenti inseruiat, si videat arborem, quæ inseruiuit, foliis denudatam, & horridam? Quis pomum ambiat, si aspiciat Adamum ob brevem voluptatem tot laboribus addictum, tot commodis dispoliatum? Quæ mulier floridum illum ornatum discupiat, si Euam doloribus discruciandam expendat? Ergo gladius viam ad vitæ lignum muniat; nam oculis vtentibus ipsa arbor scientiæ persuadet non accedere, nec adeò cara poma exambire.

Gen. 3. v. 24.

Gen. 3. v. 7.

§. XVI.

Ministrorum Christi est proprium egentes alere, & ad virtutis iter adducere.

Eleemosyna. Zelus.

CHristi minister pauperum est subsidium, & ægrotorum fomentum. Quid Redemptori gratius, quàm peccatorem ab vtraque morte reuocare, & ad virtutem adducere? *Conscientia recta* (aiebat Cassiodorus 12. variar. 17.) *vias publicas tenet, plurimorum collocutione gratulatur, & cùm diuersos grauanter inquirit, laboris tædio non grauatur.* Christi discipulus laboris tædio non grauatur, sed culparum maculis sordidatos, vt restituat virtutis candori, inquirens zelo, & charitati blanditur. Anxiè ab inferorum via, vbi facilis patet aditus, & non reditus, homines reuocare contendit, nec labori parcit. Qui Dauidem sequebantur, milites Ægyptium inuenerunt ferè extremos spiritus agentem, inedia tabidum, morbo afflictum: ergo alimentis recrearunt, & ad Dauidem duxerunt: *Inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid: dederuntque ei panem vt comederet, & biberet aquam.* Nil Dauidis militibus iucundius, quàm Ægyptium penè emortuum humeris imponere, & Dauidis aspectui obijcere. *Inuenerunt eum quasi mortuum* (inquit Abulensis quæst. 10.) *propter famem, vt patet infrà, & adduxerunt eum ad Dauid.* Iucunda satis fuit Dauidi præda, homo à mortis faucibus erutus, & ab animæ, & corporis ægritudine liberatus. Ezechiel in terra Chaldæorum mirabilis visio obijcitur, similitudo scilicet quatuor animalium, quæ in modum ignis inuolabant, & splendore tenebras depellebant: *Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem in terra Chaldæorum secus flumen Chobar. Et facta est super eum ibi manus Domini.* Super Ezechielem facta est manus Domini, immò ipse factus est Domini manus, vt animalia cœlestia imitatus indè extraheret verò prædicationis spiritu, quos jam Chaldæa absorbuerat immani hiatu. Dei gloriam animalia sitiebant: ergo induerunt multiplices pennas, lucis ardentes ejecerunt scintillas, si possent ad virtutis semitam reuocare, quos à Chaldæis videbant abduci. Innuit Gregorius homil. 2. in Ezechiel. *Venit in terram Chaldæorum. Chaldæi interpretantur, vt diximus, captiuantes, vel quasi dæmones. Iniqui enim, quia & ipsi iniquitates perpetrant, & ad iniquitatem alios persuadendo trahunt, nimirum captiuantes sunt.* Quàm legitimus Dei resplenduit Sacerdos, & quàm dignè Numinis erat manus, qui captiuantes abigebat, & captiuos doctrinæ luminibus illustrabat. In medio captiuorum Dei manus efficitur, vt hos iugo eximat, & captiuantes profligatos pudore confundat. Verbum Dei ad Ezechielem dirigitur: *Factum est verbum Domini ad Ezechielem*, & manus verbum comitatur: *Et facta est super eum ibi manus Domini*; quia parum prodesset verbum sine manu, & manus non proficeret sine spiritu. At Sacerdotis munus impleuit, cum verbo adiunxit manum, & fractis captiuantium viribus captiuorum excussit iugum.

Ezech. 1. v. 3.

§. XVII.

Grande ad euertendos dæmones subsidium est pauper generosè altus, & æger misericorditer fotus.

DEsideres (aiebat Seneca Epist. 100) *contra vitia aliquid asperè dici, contra pericula animosè, contra fortunam superbè, contra ambitionem contumeliosè.* Qui desiderat aliquid edoceri, quo possit luxuriam cohibere, ambitionem deponere, dæmonum astutiam eludere, vires appetitus frangere, auditum non occludat, sed patulas aures præbeat. Pro armis est eleemosyna in pauperem benè collocata, & misericordia ægrotantibus impensa. Vt hostis copiosam, armatamque manum extimescit, sic dæmon ad eleemosynæ, & misericordiæ conspectum pauet. Cùm Dauid, eiusque socij Amalecitas persequi Dei oraculo destinassent, felicissimum victoriæ reportandæ ipso in itinere habuerunt auspicium, hominem scilicet extremos ferè spiritus agentem, quem misericorditer fouerunt, & recrearunt: *Cùm comedisset, reuersus est spiritus eius, & refocillatus est, non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus, & tribus noctibus.* Hic jam fotus, & recreatus Dauidem ad inimicorum cuneum duxit, & quodammodò victoriam tradidit: *Cùm duxisset eum ecce illi discumbebant super faciem vniuersæ terræ comedentes, & bibentes, & quasi festum celebrantes diem.* Fors, ni pauperem illum aluissent, campis deerrarent, & tardiùs, aut nunquam inimicos subigerent: at pauper altus, recta, breuiorique via duxit, & quodammodò victoriam præstitit. Est enim misericordia ad inimicos euertendos compendium, & reportandæ victoriæ felix auspicium. Expendit moralissimè Gregorius apud Glossam: *Dux Dauid efficitur .... quo duce Dauid Amalechitem conuiuantem inuenit, & extinguit.* Clarè ostendit euentus, quàm fuerit vtilis pauperis alti ducatus, quandoquidem non solùm magno lucro, quod pauperi inpensum, fuit compensatum, sed etiam eo duce reportatum trophæum. Exhibuerat Dauid non magni pretij alimenta, & recepit opima, & ditissima spolia; eleemosynam dilargitus, amissa recuperauit, & victis hostibus prædam copiosissimam tulit. Expende quanta à misericordia commoda promanarint: præda est excussa captiuitas abacta, & reportata victoria. Christus Dominus discipulos delegat, vt vitia expungant, & languores corporum pellant: *Misit illos prædicare verbum Dei, & sanare infirmos*, & jam dæmon

Ægrotus. Eleemosina.

Luc. 9. v. 2.

Euan. de Naxera in Reg. *Tom. II.*

contremiscit: *Dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent.* Vtrumque coniunxit infirmis subuenire, & dæmonum vires atterere. Inuictis armis discipulos contra dæmonem communiuit, misericordia scilicet; qua infirmos recreabant, & commiseratione fouebant: *Qualiter posset natura creata super spiritus dona possidere dominium?* (inquit Cyrillus in Catena D. Thomæ) *At Dominus noster Iesus Christus tanquam naturaliter Deus existens impertitur huius gratiam.* Dominij in dæmones impertitur gratiam, dum impendere ægris edocuit misericordiam, nam misericordia ægrotantibus impensa est contra dæmonem vis robusta.

TEXTVS.

VERS. XIII. Dixit itaque ei Dauid: Cuius es tu? vel vndè? & quo pergis? Qui ait: Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cæpi nudiustertius.

§. XVIII.

Quæ putabantur infausta, inueniuntur non semel commoda.

Infirmitas. SOliciti sunt, qui patiuntur aduersa, verùm plerumque sub diuersa specie latent diuersissimæ causæ, & tegitur specie calamitatis prosperitas, vt etiam vestitur specie prosperitatis calamitas. Habet has vices conditio mortalium, vt tranquilla ex turbulentis oriantur, incommoda ex commodis generentur. *Sicut maris, cœlique temperiem* (aiebat Plinius in Panegyr.) *turbines, tempestatesque commendant, ita ad augendam pacis tuæ gratiam illum tumultum præcessisse crediderim.* Præcesserat tumultus, qui Reipublicæ tranquillitatem concuteret, sed occasio fuit, vt citiùs inauguraretur Traianus, cuius ad imperium designatione tumultus transiuit in tranquillitatem, & periculum desiuit in tutamentum. Nec aliter Ægyptio accidisse videtur: quia ægrotus, ab Amalecita, cui inseruiebat, indecorè relinquitur, sed perierat, nisi infirmassetur: *Dereliquit me Dominus meus, quia ægrotare cæpi nudius tertius.* Sanus eamdem, ac reliqui Amalecitæ, fortunam subiret, ægrotus non solùm euasit periculum, sed dux Dauidis effectus ob ægritudinem ad honoris, & salutis peruenit commodum. Qui non ægrotarunt, perierunt: *Percussit eos Dauid à vespere vsque ad vesperam alterius diei, & non euasit ex eis quisquam, &c.* En non euasisset, nisi ægrotasset: ergo infirmitas, quæ videbatur infortunium, attulit vitæ subsidium, & honoris incrementum. Qui nuda tellure iacentem morbidum, & tabidum inspicerent, censerent miserum; qui ad futura prospectum extenderent, fortunatum. Expendebat apud Glossam Gregorius Magnus. *Quia Amalechitam sequi non valuit, dux Dauid efficitur.* Dux Dauidis non efficeretur Amalechitam sequutus & factus est dux, quia ægrotus, & derelictus. Prosperitas ab infortunio emanauit, & plus infirmitas, quàm salus conduxit. Ambitione, cupiditateque alarum instar inuolabat Balaam Dei populum maledicturus, & à Balac cumulatissimè munerandus: verùm cùm asina parieti nimis adhæreret, pedem insidentis attriuit, & graui dolore exulceratum tardauit: *Attriuit sedentis pedem.* Ni asina à via exorbitaret, pedemque attereret, Balaam iaceret occisus. Ecquis hoc ait? Ipse profectò Angelus: *Nisi asina declinasset de via dans locum resistenti, te occidissem.* Pedis dolore redempta est vita, & asina, dum deuiat, Prophetæ fauet: irascebatur ille deuianti cæcus, vti eius felicitatis impedimento, & perueniendi citiùs obstaculo, sed ignorabat indignationem Angeli, ni asina deuiasset, subiturum, & inopina morte mulctandum. Innuit Gregorius apud Glossam: *Balaam peruenire ad propositum tendit, sed eius votum animal, cui præsidet, præpedit, quia Angelum asina videt, quem humana mens non videt.* Historiam moribus adaptans adnectit: *Plerumque caro per molestias tacta flagello suo menti indicat Deum, quem ipsa carni præsidens non videbat; ita vt anxietate spiritus proficere in hoc mundo cupientes velociter tendentes impediat, donec inuisibilem, qui sibi obuiat, innotescat.* Sæpè infirmitas, & aduersitas mentis oculos reluminat, & hominem, ne, quam sequebatur, viam prosequatur, retardat, & retardatus euadit mortem, peruenit ad salutem.

Num. 22. v. 25.

§. XIX.

Mundus sibi inseruientes aliquali mercede munerat, sed si nequiuerint inseruire, deserat.

RAtioni est consonum ad honorem perduci, qui laborum molestias non exhorrit sustinere. Dignis actionibus expolitus præmijs debet gaudere competentibus muneratus. Opportunè Cassiodorus 6. variar. 13. *Considerandum quali labore seruitum est, & sic de remuneratione cogitandum. Harum quippè rerum mensura de contrario venit, dum tale obedientibus dari debet donum, quale indeuotis potuit esse periculum.* Æquitas præstita attendit officia, vt exhibeat rationabiliter præmia: verùm cùm apud sæculum non floreat æquitas, sed fallacitas, non attenditur præstitum, sed solùm attenditur, quod præstatur. Voluptas remunerat suo ardori parentem, ambitio gratificat auxilianti, fastus munerat humerum oneri subijcientem. Quòd si præsens aufertur obsequium præstitum non attenditur officium. Ægyptius Amalecitæ seruus, dum validam ceruicem oneri subijciebat, intra familiam erat admissus, & pastus; vt verò ægritudo vires abstulit, & ferendis non potuit oneribus deseruire, derelictus abijcitur, & obliuioni, quod præstiterat, traditur. *Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ: dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cæpi nudiustertius.* Non diuturna infirmitas diuturnæ seruitutis obliuionem intulit, & Amalecita ad præterita non respexit. Prodest Abulensis quæst. 10. *Quia erat languidus, putauit iam inutilem, & noluit me portare, ne essem sibi onerosus, sed reliquit me, vt morerer.* O quàm hac in historia sæculi exprimuntur mores! Quidquid nequit voluptati auxiliari, aut ambitioni prodesse, facilè abijcitur, & præteriti memoria deletur. Malefici virgas in dracones verterunt, & cum Aaronis virga acerrimè decertarùt. Vicit Aaronis virga, & non sine Magorum rubore eorum virgas tanquam piscículos deglutitos absorbuit:

Mercedes. Merces.

Exod. 7. v. 12. absorbuit : *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Iterum Magos aduocat, & iterum Magi incantationibus vndas in sanguinem commutarunt : *Fecerunt similiter malefici.* Iterum aditur certamen ; sed cùm Aaron, percusso pulnere, mordicantes salientesque sciniphes eduxisset, Magorum virgæ viribus destitutæ languerunt: Exod. 8. v. 18. *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, vt educerent sciniphes, & non potuerunt.* Non video Magos exinceps ascitos, nec à Pharaone honoribus muneratos. Si asciuit, vt cum serpente inirent certamen, si vocauit, vt aquam in sanguinem verterent, si impulit, vt sciniphes educere laborarent, cur prorsus Magorum oblitus, & præstitis tot officijs ingratus? Quia dum Pharao à Magis aliquod sperauit subsidium, sua præsentia dignabatur; vt verò expertus est jam languescere, nec eius posse votis deseruire, non attendit, quæ fecerant, vt muneraret ; sed jam nil ab eis sperandum, vt oblitus prorsus despiceret. *Discamus* (aiebat Basilius Seleucienſis aliorsum orat. 1.) *Scripturam, dum tacet, audire, & dum loquitur, erudiri.* Et quid ab scripturæ silentio erga Magos audiendum? Nostræ profectò thesis perspicua veritas, scilicèt sæculi amatores solùm, dum aliqua spes effulget, adulari, obsequi, officia exhibere : si verò spes anolarit, quidquid anteà præstitum, non attenditur, sed ingratæ oblitioni traditur.

§. XX.

Apud Principes ingenua æstimanda est veritatis confessio, vt abominanda astuta dissimulatio.

Veritas. Versutia. VEritatem deorum conuictu frui, cœlique esse ciuem, aiebat Mænander in Nannis Olympiadis : *Veritas cœli ciues est, & sola fruitur conuictu deorum.* Cùmque boni Principes, & magnates Dei gerant vmbram, & quodammodò eius repræsentent personam, gratis oculis veritatem adspiciunt, & apud eos, qui apertè, ingenuéque confitentur veritatem, admissum allenant crimen. Vt contrà, qui astutis adnituntur inuolucris tegere, adaugent; iniuriam irrogat, qui fallit : qui humiliter, & ingenuè veritatem fatetur, de Principe benè præsumit. Cùm Ægyptius, qui prædam de Siceleg Dauidis ciuitate tulerat, inuentus à militibus, ante Dauidis sisteretur conspectum, varia interrogauit : *Cuius es tu? vel vndè? & quò pergis?* Iterrogatus, ingenuè fassus est Amalecitæ inseruisse : *Ego sum seruus viri Amalecitæ.* Profectò ægritudine prudentia videtur de mentis arce præcipitata. Si Amalecitæ Siceleg flammis succenderant, si prædam tulerant, cur non vereatur aperta adeò confessione Dauidis indignationem exulcerare, iramque accendere? Immò adeò prudens fuit (inquit Abulensis quæst. 10.) vt suaderet sibi, tecta veritate Dauid irritandum, & aperta deliniendum : *Cùm esset in potestate Dauid, putauit, quòd si falsum loqueretur, & postea hoc deprehenderet Dauid, occideret eum : si autem verum loqueretur, quamquam ipse fuisset de latrunculis, qui diripuerunt Siceleg, misereretur eius Dauid.* Prudenter secum cogitauit Principem minus irritandum, quàm culpa, fallacia, immò alleuandam culpam, si veritatem fatetur apertam. Nec eum sua fefellit opinio. Morati namque Principes aperta criminis confessione mitigantur, & tectis dissimulationibus offenduntur. Cùm ad Gerasenos Dominus aduentasset, dæmon tormenta veritus, ad Domini vestigia prouoluitur : *Obsecrò te, ne me torqueas.* Interrogatus de nomine : *Quod tibi nomen est?* apertè aperuit veritatem : *At ille dixit : Legio.* Post veritatem incepit sperare, qui verebatur torqueri. In porcos ingredi rogauit, & obtinuit : *Et permisit illis.* Si humanis oculis rem dimetiaris, non debuit aperire numerum, cum numerus adangeret reatum. Quandoquidem grauior videbatur offensa plures consilio conuenisse, & ad resistendum Christo vires parasse. Quomodò ergo præsumit assequenda vota, quando vereri debuit multiplicanda tormenta? Fortassè quia apertè confessus est veritatem : *Quia culpam* (inquit Chrysostomus in Catena D. Thomæ) *differri non poterant, instant, ne citò sustineant pœnam.* Culpam fas non erat denegare : ergo apertè fatentur, ne citò sustineant pœnam, quasi ad leuandam, aut differendam pœnam prodesset aperta confessio, & noceret callida simulatio. Luc. 8. v. 28.

TEXTVS.

VERS. XIV. Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, & contra Iudam, & ad meridiem Caleb, & Siceleg succendimus igni.

§. XXI.

Diabolus, vt assequatur magna, potiùs tentat exigua.

Tentatio. PEr minora peruenitur ad magna, & per gradus adnititur proficere, qui ad fastigium optat ascendere. Quod naturæ solemne, etiam diabolicæ versutiæ inuenitur commune. *Pro temporis ratione* (aiebat Tertullianus de arbusculis lib. de Anima cap. 19.) *remoratur coalescens, & coadolescens robori suo, donec ætas adimpleat habitum, quo natura fungatur, aut vndè mox illis & frutices inoculantur, & folia formantur, & germina inflantur, & flosculi inornantur, & succi condiuntur : si non in ipsis omnis paratura generis quiescit, & partibus promota grandescit.* Partibus peruenitur ad totum, & fit arbor, quæ modò frutex : Amalecitæ, etsi Siceleg ardentibus, anhelantibusque flammis nigros redigere in cineres studuerint, ab exiguis inceperunt : *Erupimus ad australem plagam Cerethi, & contra Iudam, & ad meridiem Caleb, & Siceleg succendimus igni.* Animus erat, Siceleg redactâ, in tumulum, quas à Dauid acceperant, clades rependere, & vindicare : noluerunt tamen initio tanta aggredi, sed quodammodò in Cerethi parua vrbe vires experiri, & minori triumpho ad maiorem prouocari. Ita Abulensis quæst. 10. *Cerethi erat nomen alicuius vrbis, vel regionis paruæ.* Parua vrbe subiugata maiora tentarunt, & Siceleg exusserunt : *Qui viderit mulierem* (aiebat Christus Dominus) *ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Docuit Christus desiderio mœchandi, etsi in actum non prodeat, animam defædari, & pro mœchiæ crimine haberi : potest tamen Matth 5. v. 28.

locus ſic explicari, ſcilicet dæmonem mæchiam perfici exoptantem priùs oculos obiecta venuſtate ineſcare, jam ineſcatis inſufflare affectionis flammam, & adaucta flamma externam vrgere ad operam. Huc voco Tertullianum de Pœnitentia cap. 7. *Obſervat, oppugnat, obſidet; ſi qua poſſit aut oculos concupiſcentia carnali ferire, aut animum illecebris ſingularibus irretire, aut fidem terrenæ poteſtatis formidine euertere: aut à via recta peruerſis traditionibus detorquere.* Itaque non ſemper à recta via valido impulſu depellit, ſed paulatim deuiare ſuadet, & jam à tramite, etſi paulatim, longè abductum, & varijs erroribus implicatum facilius ducit ad præcipitium. Cines liuoris flammis ſuccenſi, & non rudes diabolicæ prauitatis diſcipuli, vt Chriſtum Dominum præcipitarent, ad ſupercilium montis duxerunt, non celeri volatu, ſed greſſu: *Duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.* Gradientem ducunt, ſed præcipitare exambiunt. *Peiores ſunt Iudæi diſcipuli, diabolo magiſtro* (ſcribit Beda in Catena) *ille ait: Mitte te deorſum.* Diabolus momento ad pinnaculum duxit, & præcipitium ſuaſit: iſti idem tentarunt, ſed lentiori paſſu, duxerunt: immò lentiori duxerunt paſſu, ne carerent effectu: nam eorum praua ſagacitas ſuſpicata eſt conducibilius ſibi eſſe, vt aſſequeretur votum, non accelerare curſum. Et quidem in templi pinnaculo verbis tentatorem conuicit, hic miraculosè è manibus ducentium euaſit. Vt nos edoceret ſuis factis difficilius eludi tentationem lentè à recto itinere abducentem, quàm ſtrepitu, & impetu militantem: *Peiores ſunt Iudæi diſcipuli diabolo magiſtro.*

Luc. 4. v. 29.

TEXTVS.

VERS. XV. Dixitque ei Dauid: Potes me ducere ad cuneum iſtum? Qui ait: Iura mihi per Deum, quòd non occidas me, & non tradas me in manus domini mei, & ego ducam te ad cuneum iſtum. Et iurauit ei Dauid.

§. XXII.

Qui tempus triuit ſæculo addictus, recolligat eximiè virtutibus conſecratus.

Tempus. Virtus. Sæculum.

NEceſſariam curam (aiebat Seneca Epiſt. 117.) *maioribus, melioribuſque debitam, in re, neſcio an falſa, certè inutili terimus.* Querebatur Stoicus in re inutili curam, & tempus impendi; potiori iure quereretur non jam inutilibus ſolùm conſumi, ſed nocentiſſimis teri. Tempus non ſolùm fruſtra elabitur, ſed, quod deterius eſt, voluptatibus, ac libidinibus ſtudioſè impenditur: poteſt tamen prudentia vaſa colligere, & diſpendia reparare. Qui prauis affectionibus vltrò ſe vendidit, tempus redimat, & reſpirare ad libertatem exambiat; ſit eius vita improbitatis pernicies, ſchola morum, magiſterium virtutum; laboret ad vtilitatem cunctorum, ad honeſta tranſeat officia, ſi olium peruerſa fouebat vota. Ægyptius, quas à Dauide cibo recreatus vires, & ſalutem acceperat, ſic eius dicauit obſequijs, vt contentus non fuerit inter ſequentes numerari, ſed ducatu præire: *Ego ducam te ad cuneum iſtum.* Amalecitæ olim ſeruulus dux Dauidis efficitur, & quia deteſtabile exercuerat ſeruitium, honeſtum exambiuit ducatum. Ipſe, vt ſpolijs citiùs Iſraelitæ diteſcerent, effecit; ipſe Amalecitas, quibus inſeruierat, tradidit: quod amiſerat vitijs inſeruiendo, tempus recollegit ductando. Adeſt Gregorius apud Gloſſam: *Dux Dauid efficitur, quia quem mundus deſeruit non ſolum conuerſus in mente Deum recipit, ſed prædicando vſque ad aliena corda præcurrit.* Non ſolùm Amalecitarum iugum excuſſit, ſed Amalecitarum ceruices iugo depreſſit: inanrauit præſtitum indignè obſequium, honeſtum officium, & tempus inſeruiendo Amalecitis malè collocatum, Iſraelitas ducendo laudabiliter eſt redemptum. Sponſa Solis ſe ardoribus fuſcam, & decoloratam ingemuit. *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decoloruit me Sol.* Delrius in Tropologia vitijs fuſcam, nigramque teſtatur: *Fuſca per vitium.* Quid tunc? Sponſus monet, vt ſi pulchertima videri exambit, hædos iuxta tabernacula paſtorum alat, & ſtudioſè regat: *Paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Hædos monet paſcere, vt cœleſti metamorphoſi in agnos tranſmutet, & vertat. Ita idem Delrius in litera: *Nunc hædi, poſt in agnos commutandi.* Ecce detergendi contracti à ſæculo pulueris artem, hædos in agnos vertere, & luis exemplis, ac ducatu pro petulantia inſerere continentiam: pro celeri excurſu ad fœtidas voluptates, fragrantes volatum edocere ad virtutes. Sic enim nigredo antiqua depellitur, & decolorata facies eximia venuſtate expolitur.

Cant. 1. 5.

§. XXIII.

Auerſari animitus ad peccati redire iugum, veræ eſt pœnitudinis argumentum.

Pœnitentia. Occaſio.

VT medicina depellendis morbis, & reparandis viribus eſt inuenta: ſic pœnitentia animorum ægrimonijs propulſandis, & redintegrandis virtutibus eſt diuinitus dilargita. *Quidquid error vetus inquinaſſet* (aiebat Tertullianus de Pœnitentia cap. 2.) *quidquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens, & radens, & foras abijciens.* Pœnitentiæ titulus ſalus eſt hominis, negotium diuinæ miſericordiæ curans, & integritatem ſalutis reparans. Vbi peccatoris gemitus auditur, peccati tyrannis etiam extincta refertur. Iſraelitæ ingemiſcunt, & Ægypti Rex moritur: *Mortuus eſt Rex Ægypti, & ingemiſcentes filij Iſrael propter opera vociferati ſunt.* Et quo Rex Ægypti morbo correptus? qua peſte ſublatus? Profectò oppreſſorum clamore. Quid enim valentiùs iniqui ſuperioris inſidiaretur ſaluti, quàm amarus pauperis eiulatus, & copioſus violenter oppreſſorum gemitus? Principibus potentia abutentibus nil adeò erat extimeſcendum ac miſerorum potentes lachrymæ, & iniuſtè afflictorum continuæ angustiæ. In tyranni vitam pro contortis jaculis, & vibratis

Exod. 2. n. 23.

bratis ſpiculis erat Iſraelitarum gemitus, & ploratus. Philo hiſtoriam ad mores allegorizans ſic ait lib. Quod deterius: *Lex miſerata lamentationes continuo, clementer admittit animas ſupplices, & calamitatem depellit incuſſam eis ab Ægyptiis affectibus.* Itaque amiſſa quodammodò poteſtate moritur culpa, vbi Dei luce illuſtrati ingemiſcimus vitam anteactam, deploramuſque, quòd voluptatem ſequuti mortalem vitam immortali prætulimus, & cæciſſimè deerrauimus. Itaque efficax ad ſalutem animarum medela pœnitentia eſt; verùm tunc ſalus vegetior, & fortior, cùm anteactam vitam ſic peccator horreſcit, vt redire ad antiquam voluptatem expaueat, & omnem redeundi occaſionem vehementer extimeat. Inſeruierat Ægyptius Amalecitæ, hoc eſt, lambenti populo; ſic enim interpretatur. Cumque à Dauid jam eſſet adductus, nil ſolicitiùs cauit, quàm ne iterùm Amalecitæ jugum repeteret, aut tyrannidem antiquam ſubiret: *Iura mihi per Deum, quòd non occidas me, & non tradas me in manus Domini mei, & ego ducam te ad cœtum iſtum.* Sic anteactam vitam doluit, ſic ſalutis à Davide acceptæ beneficium honorauit, vt omnem redeundi ad antiquum dominum juriſiurandi interpoſitione præcluſerit aditum, & oſtenderit laudandum faſtidium. Notauit Abulenſis *quæſt.* 11. *Quomodò iſte puer Ægyptius petiuit, quòd hoc iuraret Dauid? quia nullo modo erat veriſimile, quòd contrarium ageret?* Quæſtioni reſpondet: *Dicendum, quòd puer iſte timuit.* Eo pauore antiquam ſeruitutem exhorreſcebat, vt exigeret juramentum, quando impoſſibile videbatur contrarium: & quidem in ſe perfectiſſimæ pœnitentiæ præſcripſit formam, quandoquidem eo anteactæ vitæ dolore excruciatur, vt acri redeundi ad antiqua timore pulſetur. Deus, vt ſuis factis veram hominem pœnitentiam edoceret, cum delictis humanæ temeritatis proritatus hominem cum ſæculi dote rapidis diluuij fluentis obliteraſſet, nequaquam iterùm diluuij aquas adducturum promiſit, & licet nulla ei poſſet obliuio ſubrepere, maluit cœleſtem iridem veluti in vadimonium præſtare: *Nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium diſſipans terram.... Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram.* Non egebat eo ſigno, qui firmiter hærebat propoſito; maluit tamen homines inſtruere, & pœnitendi modum edocere. Huc voco Tertullianum de Pœnitentia *cap.* 1. *Cùm rurſus ad ſuam miſeritordiam maturauiſſet, iam indè in ſemetipſo pœnitentiam dedicauit, reſciſſa ſententia iratum priſtinarum, ignoſcere pactus homini, & imagini ſuæ.* Itaque dum reſciſſa priſtina iratum ſententia diluuium non repetit, & inuiolabili fœdere non repetendum ſtatuit, in ſe pœnitentiam dedicat, & veræ pœnitentiæ formam demonſtrat. Sed proh nos miſeros! Ipſam pœnitentiam delictorum interitum ad eorum detorquemus patrocinium, & inuolamus ad ægrimoniam, quia nouimus pœnitentiæ medelam. Opportunè Theodoritus lib. hiſtor. *cap.* 20. *Nacti ſunt Principis humanitatem velut ſubſidium ad fraudem.* Quia Deus ad commiſerationem humanus, homo ſolet ad antiqua ſcelera redire peruerſus.

Gen. 9. 11. v. 1

TEXTVS.

VERS. XVI. Qui cùm duxiſſet eum, ecce illi diſcumbebant ſuper faciem vniuerſæ terræ, comedentes, & bibentes, & quaſi feſtum celebrantes diem pro cuncta præda, & ſpoliis, quæ cæperant de terra Philiſthiim, & de terra Iuda.

§. XXIV.

Peccator tunc degit ſecurior, & lætior, cùm diſcrimini inueniturproximus.

Peccator, Securitas.

HVmana vita vapor eſt ad modicum parens; extant noſtræ fragilitatis plurima, & repetita argumenta. [Non tantum manu facta (verba ſunt Senecæ *epiſt.* 91.) labuntur, non tantùm humana arte, atque induſtria poſita vertit dies: juga montium diffluunt, totæ deſedere regiones, operta ſunt fluctibus, quæ procul à conſpectu maris ſtabant: vaſtauit ignis colles, per quos elucebat: eroſit, & quoſdam altiſſimos vertices ſolatia nauigantium, ac ſpeculas ad humilem arenam deduxit.] Audis quanta ſint fragilitatis teſtimonia, & indubitata argumenta; verùm eam ſecum inſaniam ſcelera afferunt, vt, qui pejor, ſibi videatur ſecurior, & feſtiuum diem agat, cùm interitus proximior inſtat. Ecce Amalecitæ acceptis prædis quaſi feſtum agebant diem proſperitati ſuæ adulati, & ſibi videbantur ſecuri, cùm Dauid jam inuolarat dignam expetiturus vltionem, & miſeram illaturus ſtragem: *Diſcumbebant ſuper faciem vniuerſæ terræ, comedentes, & bibentes, & quaſi feſtum celebrantes diem.* Non venit illis in mentem poſſe Dauidem injuria exulceratum ſe vlciſci, non cogitauerunt inſtare periculum, quia totos occupauerat ſpoliorum ineptum gaudium; inopino tamen inimicorum aduentu ſplendidas menſas proprio ſordidauere cruore, & quàm eſſet eorum ſecuritas falſa, miſeranda ſæculis oſtenderunt ſtrage. Notauit Ioſephus apud Gloſſam: *Hunc Dauid habens ducem ſuper Amalechitas, apprehendit eos in terra iacentes, & aliòs quidem prandentes, alios iam ebrios, & vino ſolutos, quibus cum ſociis irruens eos latè proſtrauit.* Nihil huiuſmodi ſuſpicati copioſis ſcyphis, & epulis indulgebant, ſed vinum eorum cruore mixtum, & gaudium conuerſum eſt in lamentum. Conſonat Lira: *A Siceleg elongati credebant eſſe ſecuri.* Ebrietas eos non ſiuit ſuſpicati periculum, nec hoſtilem videre gladium. Eſt enim hoc culpis proprium, mentem ſcilicet hebetare, & ſecuritatem promittere. Sanctus Iob peccatoris inſipientiam deſcribens, ſic aiebat: *Propter ſuperbiam quaſi leænam capies me.* Et cur, *quaſi leænam?* Quia hoc animal adeò ſuis vitibus fidit, vt ad nullius paueat occurſum, immò ſibi promittat ſemper trophæum. *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum.* Tunc peccator leoninos mores induens nullo timore concutitur, cùm caſui miſerabili proximatur. Notauit Gregorius Magnus *libro nono*

Iob. 10. v. 16.

Prouerb. 30. v. 30.

Moralium capite trigesimo quarto. [Qui longè nos conditor deserit, eo mens nostra insensibiliùs obdurescit, nulla, quæ Dei sunt, diligit, nequaquam superna concupiscit, & quia amoris intimi calorem non habet, frigida deorsum jacet, ac miserando modo fit quotidiè tantò securior, quantò pejor.] Mirabiliter conjunxit captionem, & securitatem, nam dum peccator leonis adinstar non timet securus, inuenitur periculo proximus. Amalecita, dum prandet lætus, inter epulas jacet occisus.

TEXTVS.

VERS. XVII. Et percussit eos Dauid à vespere vsque ad vesperam alterius diei, & non euasit ex eis quisquam nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant Camelos, & fugerant.

§. XXV.

Diuitiæ iniquis artibus adquisitæ possessori insidiantur, & miseram stragem moliuntur.

Prouerb. 28. v. 8. *QVi coaceruat diuitias vsuris, & fœnore, liberali in pauperes congregat eas.* Immodicum diuitias congregandi studium æquitati inuenitur aduersum, immò ipsi possidenti contrarium; nam auaritia caret auri vsu, & inaniter lætatur solùm congestu: alteri auaritia parat, quæ sibi denegat, tam ei deest, quod habet, quàm quod non habet, nisi quod eam durè premit adquirendi labor, & amittendi timor. Non solùm anxiam afferunt auaro diuitiæ solicitudinem, sed aliorum proritant, & inflammant cupiditatem, sicque quæ vitæ, ac prosperitatis videbantur tutamina, calamitatis, & amaræ mortis probantur auxilia. *Diuitia.*

Eccles. 5. v. 12. *Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole* (aiebat Ecclesiastes) *diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima.* Diuitiæ iniquis artibus paratæ aut furis exacuunt famem, aut dispoliati possessoris accendunt recuperandi cupidinem. Quàm benè aiebat Seneca *epist.* 87. *In eadem vrna & aurum est, & vipera.* Non solùm tinea corrodit aurum, sed ipsum aurum producit viperam, quæ possidenti insidietur, & periculum moliatur. [Non nascitur (adnectit Stoicus) ex malo bonum, non magis quam ficus ex olea, ad semen nata respondent... Non tantum bonum diuitiæ non sunt, sed malum sunt. Vos autem illas dicitis tantum bonum non esse. Præterea, inquit, conceditis diuitias habere aliquid vsus: inter commoda illas numeratis. Atqui eadem ratione, ne commodum quidem erunt: per illas enim multa nobis incommoda eueniunt.] Arbitrabantur Amalecitæ magnum sibi esse commodum diuitias vndique rapere, & fortunam suam adaugere; verùm Dauid vt sensit dispendium, armatus processit in campum, vtque à prædonibus eriperet raptas diuitias, arctissimas inflixit plagas, quibus opulenti jacuerunt occisi, & nisi habuissent aurum, mortis non experirentur supplicium: *Quasi festum celebrantes diem pro cuncta præda, & spoliis, quæ ceperant de terra Philisthiim, & de terra Iudæ, & percussit eos Dauid.* Sibi potuissent celebrare exequias, cùm lætum diem agebant ob congregatas diuitias. Aurum fuit illis vipera venenata, & inexcogitata ruina. Prodest apud Glossam Iosephus: *Alij quidem adhuc mensis appositis apprehensi super eas exinaniti sunt, & sanguis eorum cibo permixtus est.* Dum iniquè rapti auri oblectantur splendore, denudantur sanguine, &, dum furantur, vt ditescant, ditescunt, vt amaram mortem subeant. *Quasi leænam capies me*, aiebat Sanctus Iob. Iob. Leæna anhelat ouis sanguine saturari, sed constat saturatam disperire. Audi Gregorium 9. Moral. 33. *Fit in eius itinere fouea, in quam pecus deponitur, vt illuc se eius appetitu proiicere leæna prouocetur: quæ angusta simul, & alta præparatur, vt in eam ruere ambiendo valeat, sed hanc saliendo nullo modo euadat.* Innocentis sanguine saturatur, sed saturata jaculis venatoris occiditur: diù viueret, ni immodicè ad sanguinem inhiaret. Reges illi, qui Loth cum facultatibus captiuum duxerant, captiuitatem sibi elaborarunt, & ex ipso auro catenas durissimas procuderunt: *Percussit eos, & sequutus est eos vsque Hoba.* Abraham justa indignatione commotus adornauit bellum, & ditissimum tulit spolium. Ita Philo lib. de Abrahamo: *Potitus occasione noctu superuenit hostibus iam sumpta cœna ad somnum se componentibus, in quos irruens, alios trucidauit in cubilibus, alios resistere conatos fudit, fugauitque.* Satius illis fuisset carere breui illo gaudio, quàm diù lugere luctu copioso. Vt videas, quàm sint sæpè possessoribus periculosæ diuitiæ, præsertim si malis artibus comparatæ.

Iob. 10. v. 16.

§. XXVI.

Si desit vnio, hostis sine laboriosa pugna opulenta potietur præda.

VNio est salutis vena, diuitiarum custodia, tranquillitatis tutela; quos vides vnitatis vinculo communitos, & concordi societate protectos, hostilis veretur audacia, quia malè sibi de vnione auspicatur vel exoclata fiducia. Grues viribus infirmæ, dum moralem quodammodò nouerunt exercere concordiam, securam sibi elaborauere cautelam. Ipse passus alternus est, vicissim agunt vigilias, &, dum volatus prudentia disponitur, rapacitas insidiantium abigitur; vltima fit prima, &, quæ primatum habebat, posterior esse non recusat. Tempestiuè Cassiodorus 9. *variar.* 2. *Quadam communione sociatæ sibi sine Regibus obsequuntur, sine dominatu parent, sine terrore famulantur. Voluntariè seruiendo liberæ sunt, & inuicem se diligendo communiuntur.* Has si Respublica voluerit imitari, contra hostiles adsultus prouidenter constat muniri, vt, quæ hanc politiam non nouit, probatur variis casibus subjacere. Non copiosa manu Dauid in Amalecitarum irruit multitudinem, & inopinam infert stragem: *Percussit eos Dauid à vespere vsque ad vesperam alterius diei.* Non audies iniisse pugnam, & inuenies copiosam tulisse prædam.

Cassiod.

prædam. Iam si inquiras, cur sine certamine accepta fuerit palma, cur sine præliandi labore reportata fuerit victoria? Respondebit Abulensis, vt vacarent conuiuiis per viridantem camporum planiciem Amalecitas fuisse dispersos, & à se ipsis diuisos: ergo non facile fuit eis arma prensare, & constructo agmine aduersariis occurrere; quia dispersi sine pugna jacuerunt occisi, & Dauidis socij, quia concordia vniti, spoliis sunt ingentibus diuitati. Abulensem audi *quæstione decima quarta. Non dicitur hic, pugnauit contra illos, sed percussit, quia ista magis erat occisio, quàm pugna.* Rationem reddit: *Hoc autem, quia latrunculi illi erant diffusi per diuersas partes agri.* Si fuissent concordi societate adunati, inirent pugnam, & forsan non amisissent victoriam; ast, dum per campos jacent diffusi, &, vt conuiuentur, à se ipsis separati, cadunt sine pugna, & hostes sine certaminis labore potiuntur præda. Statua illa Nabuchodonosor aduersus temporum durauit adsultus, dum omnia membra ligata, & sibi ipsis concorditer consentientia; verùm vbi à se sejuncta, satis fuit lapis sine jactu, vt ferrum vinceret, & domaret: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus.* Et cur sine grandi impetu percussa statua citò adeò corruat, &, quam fortitudinem ostentabat, amittat? Iam Textus retulit. Pedum partes vnionis vinculo non illigabantur, solùm erant loco conjunctæ: ergo vbi defuit concordia, corruit, quæ inuincibilis videbatur, statua: *Quia vidisti pedum, & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream, regnum diuisum erit.* Quæ immota constiterat, leui ictu prostrata est, vbi deficit concordia, & fortissima vnionis tutela. *Non adhærebunt sibi* (inquit Interlinearis) *qui discordes.* Consonat Lira: *Per hoc signatur fortitudo illius regni in principio, & postea debilitas ipsius per diuisiones intraneas: propter ambitiones, ex quibus regnum Romanorum quasi ad nihilum deductum est.* Ambitio pestilens concordiæ tinea tranquillitatem turbauit, & hostibus opportunitatem exhibuit: testa, & ferrum loco erant conjuncta, sed ingenio separata: ergo leuis ictus dejecit, & in puluerem splendorem reduxit: *Non adhærebunt sibi, quia discordes.*

Dan. 2. v. 34.

§. XXVII.

Sibi consuluit, qui salubri pœnitentia imminentia elusit pericula.

Pœnitentia.

Satisfactio (aiebat Tertullianus de Pœnitentia *cap.* 9.) *confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Pœnitentia, quæ est misericordiæ ilex, dum ardentem mitigat iram, imminentem auertit pœnam. Plerique pœnitentiam vt publicationem sui conantur suffugere, & de die in diem adnituntur differre; verùm dum stulti pudoris agunt causam, salutis maturaere jacturam. Sibi consulant, qui opportunam pœnitentiam arripiunt. Amalecitæ Dauid ciuitatem succenderant, prædas egerant, eiusque indignationem sceleribus sufflammarant; verùm non impunè tulerunt, quia capite emerunt coronam, quam capiti suspirarant: *Non euasit ex eis quisquam nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, & fugerant.* Si literam solùm attendas, camelus tardigradus celeri fugæ non videbatur opportunus; si cortice contentam attendas moralitatem, innenitur aptissimus; nam Camelus, vt ex Hieronymo citat Lauretus Ceuarienſis, pœnitentiam designat. Eius verba sunt: *Camelus ferens onus designare potest pœnitentiam, & ipsos pœnitentes: horum pilis vestiebatur Ioannes Baptista, Matth.* 3. Itaque camelis vsi euaserunt Dauidis gladium, & opportunum vitæ inuenerunt subsidium. *Isti quadringenti adolescentes* (inquit Abulensis *quæstione decima quarta,*) *à principio belli fugerunt, ascendendo super camelos.* Qui camelis, id est, pœnitentia vsi non sunt, miserè jacuerunt prostrati; qui confugerunt ad pœnitentiam, euaserunt iram prouidi. Et nota non tardasse, sed à principio camelos celeriter ascendisse, quia fortè, si tantisper differrent, vt reliqui disperirent: *A principio belli fugerunt, ascendendo super camelos.* Ruina aliorum inopinata procalcaribus fuit, vt adolescentes arriperent pœnitentiam, qua euaserunt Dauidis iram. Intellectui irrogassent injuriam, si aliorum strage non saperent, nec saluti consulerent. Sanctus Iob de Behemoth loquens, sic ait: *Cùm sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Behemoth ruina justos prouidam edocuit cautelam. Ad quæ Gregorius 34. Moral. *cap.* 7. sic ait: [Spes de regni propinquitate lætificat, & carnis infirmitas de iræ ostensione perturbat. Erit ergo in eis aliquomodò tremor lætus, & timor securus: quia & cœlesti regno se remunerari certi sunt, & per tanti turbinis metum pro carnis infirmitate contremiscunt.] Adhuc timent justi pro carnis infirmitate, quamvis non dubia argumenta sint pro salute, & quia Behemoth miserandus casus conspicitur, ipsa securitas prouida formidine armatur. Quod si de ipsis Angelis locum accipias, ait Gregorius de sua stabilitate non dubitasse, & nihilominus, si fas est dicere, in ea tanta securitate cautiùs se gessisse. Verba Gregorij sunt. *Istis cadentibus illis in munere datum est, vt cadere omninò non possent. Sancti Angeli, dum in istis naturæ suæ damna conspiciunt, in se ipsis iam cautius, robustiúsque consistunt.* Dum sancti Angeli vident Luciferum dejectum, & in colubrum degenerasse mutatum, quodam terrore, si dicere liceat, quatiuntur, & licet nunquam labenda securitate nouerint se munitos, cautiùs robustiúsque consistunt, vt periculis instruant obnoxios. Vt hinc nouerint, quid facere debeant, non solùm qui exulcerata conscientia vrgentur, sed etiam qui virtutibus exornantur, quando Angeli quodammodò territi pergentur cauti, cùm sint de possessa felicitate securi:

Iob. 41. v. 16.

TEXTVS

TEXTVS.

VERS. XVIII. Eruit ergo Dauid omnia, quæ tulerant Amalecitæ, & duas vxores suas eruit.

§. XXVIII.

Non est tardandum recuperari, quod malè agnoscebatur amitti.

Pœnitētia. PErnigil nos debet cura solicitare, ne quid valeat inimicus diripere. Miserum est sub hostis potestate videre, quod possessum constabat nobilitare: verùm si casus asper contingat, non est recuperatio tardanda, sed omni solicitudine disponenda. *Erigite colla depressi*, (aiebat Cassiodorus 9. *variar.* 2.) *sublevate animos malorum sarcinis ingravati: date studium recuperare, quæ vos malè cognoscitis amisisse.* Pars remedij est, si morbus non sinatur indurari, & ipsa dilatione vires acquirere. Diuturna infirmitas medico negotium facit, faciliùs curatur, si medela ipso in exordio adhibetur. Hinc est, quòd Dauid, vt omnem prædam abigeret sine vlla mora hostes est aggressus, nec diù rapta retinere passus. Et quidem consilium euentus comprobauit, nam prædam omnem recepit: *Eruit ergo Dauid omnia, quæ tulerant Amalecitæ, & duas vxores suas eruit.* Fortè si non bona patientia prædam recuperare differret, consumptam prorsus, aut deturpatam inueniret; aut, dum accelerauit remedium, accepit triumphum. Et expende è castris Achis aduentasse, cùm ab inimico captam prædam cognouit, & tamen, quamvis itinere defatigatus, & fessus, nec ad horam distulit recuperare, quæ hostem agnouerat possidere: ergo ipsa celeritas acceptam injuriam imminuit, & quæ inimicus tulerat, eruit. Innuit noster Sanctius: *Quia hostis vrgebat, quæcumque abstulerant Amalecitæ, integra Dauidi, & salua reliquerunt.* Ni Dauid ea celeritate adurgeret, laboriosum esset vxores longius abductas, & fortè jam diuenditas iterum recipere, & prædam integram instaurare; verùm hostem deleuit, quia adoriri non distulit. Innocentiæ assimilatur festinata correctio, nec videtur quid amisisse, qui breuissimis interuallis probatur recuperasse. Qui pœnitere distulit, hostis causam egit, & se magnis difficultatibus implicauit. Ipsemet Dauid referat huius celeritatis in irrecuperandis amissis commoda. *Pascebat* (inquit) *seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* Non ait eripuisse ouem morsibus laceratam, cùm apud Amos alij pastores exiguam partem redemerint: *Quomodò si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ.* Laceratæ, deuoratæque ouis eruta auricula, pastoris ad speciem sugillabatur ignauia. Non haberet leo tempus, vt deuoraret, si statim pastor Dauidis instar accurreret. Dauid leonem ouis sanguine delectari non permittebat, quia, statim ac sentiebat raptam, inuolabat, & ab ipsis dentibus eripiebat. Huc voco, quod aiebat Abulensis *quæst.* 21. *Eruebam de ore eorum, id est, accipiebam adhuc animal viuens de ore leonis, vel vrsi, & reducebam ad gregem.* Celeris amissæ ouiculæ instauratio erat pastoris elogium, leonis excidium: non sinebatur leo dentibus lacerare, quia pastor festinabat citissimè subuenire.

Sup. c. 17. v. 34.

Amos 3. v. 12.

TEXTVS.

VERS. XIX. & XX. Nec defuit quidquam à paruo vsque ad magnum, tam de filiis, quàm de filiabus, & de spoliis, & quæcumque rapuerant, omnia reduxit Dauid, & tulit vniuersos greges, & armenta, & minauit ante faciem suam: dixeruntque: Hæc est præda Dauid.

§. XXIX.

Glorioſior Principis plausus est suos à miseriis releuare, & diuitiis adaugere.

PRinceps honorabili fruitur plausu, dum Reipublicæ felicem statum solicitat, & generale excludere lamentum procurat. *Non est salus in corpore* (aiebat Cassiodorus 9. *variar.* 2.) *nisi quam & membra potuerint obtinere. Iniuria vnius loci compago tota concutitur, & tanta conuenientiæ vis est, vt vnum vulnus vbique credas accipi, quando illa cœperit condolere.* Satis non est Principis vnius, aut alterius cura, *sed opus* prouida, & generali custodia. Quidquid ex Republica minuitur, dispendio Principis applicatur: minus enim habere necesse est, cui aliquid periit. Vtque arbor florida, quam summa vides viriditate nitere, cultoris est gloria, quia eius labori, & solicitudini adscribitur, quidquid in germine relucere videtur; sic foliis denudata, & exuta arguit ignauiam, aut imperitiam, nec semel quod adscribendum rudici, solet applicari cultori. Dauid ab Amalecitis eripuit, quos adduxerant captiuos, vtque dignis victoriam plausibus celebrarent, iteratò repetebant: *Hæc est præda Dauid.* Et cur non repetant: Hæc est victoria Dauid? Cur, vt olim, non resonet: Dauid vicit Amalecitarum decem millia? Quia augustius Principis elogium, inquit noster Sanctius, suorum sospitas, & libertas: *Victor ille Hebræorum cunctus, Dauidi duci suo, & tantæ victoriæ auctori, atque auspici festiuum cecinit epinicium, dixitque sapius iterato cantico, & triumphali plausu: Hæc est præda Dauid.* Nil resonare potuerunt Dauidi gloriosius, quàm suos in libertatem asseruisse, & spoliis ditasse. Hæc erat Dauidi præda optabilior, & sumptuosior. Injuncta fuerat Adamo paradisi cultura; ille, dum mulieris amres perluationibus præstat, textili floriditate ficum denudat: *Confuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata,* Basilius Selencienſis *orat.* 3. ait, dæmonem ignominiosis notis Adamum, Euamque consignasse, & honori, ac muneri insidias obtendisse. *Publicis ignominiæ notis consignat.* Et queis ignominiæ notis serpens Adamum, Euamque consignat? Ipsis profectò ficus frondibus, inquit; nam plantam denudari ab ipso, cui eius injuncta fuerat cultura, erat indecora nota,

Princip.

nota, quia manifesta rapina. Vxoris ornatus ad publicandum scelus erat pro lingua: *Ipsi nudati nudant arborem, circa arborem præuaricati, ab arbore tegumentum mutuantur*: Arbor marcens, nudatáque erat Adami ignominia, & esset frondescens fama. *O nefarium scelus* (aiebat datus Cassiodor.) *importabile malum, quando debuit Reipublicæ seminando proficere, tunc libertatem suam cum fortunis videtur perdere.* Audiant hoc gubernatores, & Principes.

§. XXX.

Vt integra potiaris victoria, appetitus non est sequendus, sed, quò ratio vocat, ductandus.

Appetitus. Sensus.

SEnsus brutalitati inuenitur affinis, mens, animúsque est rationis progenies. Quisquis liberiori aura fruitur, corpori, & sensibus dominatur: qui sensibus dominari permisit; verum, & solidum dominium perdidit, & æquitatis leges confudit; quando fas est cœcum ab inoculato regi, non oculis vtentem à cœco duci. Hinc est, quod Iacob, vt tenerum in Iosephum exhiberet affectum, de valle Hebron ad superiora mittere studuit, id est, sensibus renuntiare suasit: *Missus de valle Hebron venit in Sichen.* Philo, vt assolet, historiam allegorizans, sic scribit *lib. Quod deterius. E valle Chebron, inquit, quæ figuratè corpus nostrum significat, quia comparatum, & quasi amicitia, societateque coniunctum est cum anima. Hoc cauas valles habet sensuum, magnas lacunas capere omnium, quæ sunt extra nos sensibilium. Hæc certè qualitates affatim ingerunt, & per istas lacunas infundendo in mentem inundant eam, atque demergunt.* Monerat pater illigatis somno sensibus Iosephum fratribus cæteris anteponi, & à sideribus adorari, vtque feliciter adimpleretur præsagium, è valle, hoc est, è sensuum obscuritatibus, ac fallaciis eduxit, & ad rationis altiora transtulit. Si mens rector, aurigaque sensuum eis provt oportet, vtatur, ipsis sensibus impertitur honorem, & sibi elucratur vtilitatem. *Sensui honorem habemus* (prosequitur Philo) *quando cohibemus eius impetum ad res sensibiles, & refrænamus per intellectum gubernatorem, aurigamque potentiarum, quæ nobis insunt, irrationalium.* Sensus perito auriga, intellectu scilicet gubernati deseruiunt plausui; effrænes verò, & præcipites habentur contemptui. Ioseph sensibus deerrando veste exuitur, dum sensu non vtitur, antefertur. Dauid greges, armentáque ante faciem suam minauit, vt triumphum perficeret: *Tulit vniuersos greges, & armenta, & minauit ante faciem suam: dixerúntque: Hæc est præda Dauid.* Grex minatus fuit triumphi testimonium; si sequeretur, non esset victoriæ argumentum, immò prudentiæ, & rationis probrum. Aliud est sequi, minare aliud: qui minat, gregem dirigit, &, ne à recto itinere exorbitarit, vtiliter cogit: qui sequitur, aliquando in partem deerrationis venit: ergo, vt Dauid illustris conclametur triumphator, non dicitur armenta sequi, sed ducere, sed minare: insipientis gregis non erant vestigia sectanda, sed dirigenda: Prodest noster Sanctius: *Rediit itaque victor Dauid cum pecudum, atque armentorum gregibus, quos ipse pastoritiæ artis non imperitus præcedentes cogebat.* Adnectit: *Sicut Israelitides virgines cum sublato Philisthæo victor ex acie reuerteretur, triumphale cecinere carmen.* Vt fuit triumphali carmine dignus cùm immanem gigantem deiecit; sic, cùm quidquid ad brutalitatem pertinebat, minauit. Quisquis ad brutalitatem vergentes non frænat, se boni gubernatoris elogio priuat, & munus inuertisse factis demonstrat. Nabuchodonosor, dum fœno pascitur, à seipso recessit, & ab homine in bestiam transiuit: *Fœnum vt bos comedit*: Totus sensibus dicabatur, & à ratione alienabatur; verùm cùm iam ad prudentiam maturasset, sensus sibi testatur redditos: *Oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi.* Mira res! Si totus ipse Nabuchodonosor erat sensus, quomodò sensus redditus, & restitutus? Ob idipsum (inquit Interlinearis) nam sensus effrænis non tam erat Nabuchodonosoris, quàm ipse Nabuchodonosor sensus: ergo cùm ad cœlos oculos dirigit, sensum habet: *In ipso tempore, quo cognoui eum, sensus meus reuersus est ad me.* Ipse sensus videbatur amissus, quia indignis actionibus deturpatus. Vbi oculos cœlesti luce illustrauit, vbi fœnum exhorruit, iam Nabuchodonosor sensibus ornabatur; nam, dum abusus, malè impensis denudabatur: ergo non potuit ad antiquum splendorem deuenire, nec se sensus habere, ostentare, quousque benè eis est vsus, & cœlestibus meditandis dicatus. *Oportet singulis istis vti* (aiebat datus iam Philo) *non quomodocumque, sed ad optima quæque. Potest visus omnes colores, formasque videre, sed videat, quæ luce, non tenebris digna sunt. Potest & auris omnes voces recipere, sed nonnullas sinit præteruehi.* Legitimus sensuum vsus est rationis ornamentum; non legitimus, hominibus est indignus.

Gen. 37. v. 14.

Dan. 4. v. 30.

TEXTVS.

VERS. XXI. Venit autem Dauid ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi potuerant Dauid, & residere eos iusserat in torrente Besor: qui egressi sunt obuiam Dauid, & populo, qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populum, salutauit eos pacificè.

§. XXXI.

In Republica benè constituta nullus otiosus permittitur, sed cuiusque viribus labor attemperatus imponitur.

Respublica. Otium.

DIligenda sunt ista (aiebat Cassiodorus 12. variar. 16.) *vndè Respublica videtur esse firmissima.* E contrà, omni debet solicitudine vitari, per quæ constat mores corrumpi, & pericula frequentissimè emergere: Cúmque inter alias pestes otium sit virtutis naufragium, à benè constituta Republica penitus expungere debet pronidum regentis studium. Vndè Menand. apud Stobæum c. 30. aiebat: *Circuire in otio ferians infensissimum est vitæ malum.* Rectè dixit; nam otiosus peruersa agitat consilia, quæ ipsi, & aliis peperere frequentissimè detrimenta. Prodest Eurypides vbi suprà, apud datum Stobæum: *Otiosus vana spe ductus, dum eget victu, mala secum ipse meditatur.* Hinc est, quòd Dauid lassis, nec bellum contra Amalecitas adornare valentibus, sarcinas iussit excubiis

excubiis solicitis asseruare, ne à prorsus otiosis, vti ab aduersario, commilitonibus posset detrimentum emergere: *Venit Dauid ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi potuerant. Dauid, & residere eos iusserat in torrente Besor.* Residêre iusserat, non vt inerti indulgerent otio, sed vt sarcinas solicitè custodientes, militantibus essent auxilio. Miles in hostes acrior, si expeditior: ergo, dum depositis sarcinis arma prensabant expeditiores, sarcinas asseruantes inueniebantur cæteris vtiles: ergo Dauid, quos vidit ob lassitudinem tractandis armis defatigatos, sarcinarum voluit esse solicitos. Non poterant viam prosequi, sed poterant sarcinas custodire: igitur prouidentissimus gubernator otium exclusit, & viribus laborem attemperauit. Tempestiuè Lira: *Licèt propter fatigationem non possent competenter aduersarios persequi; tamen poterant competenter custodire sarcinas: propter quod Dauid, & viri eius reliqui dimiserunt sub custodia eorum illa, quæ poterant eis esse oneri, vt possent hostes expeditiùs persequi.* Lassi etiam, & viribus destituti reportandis triumphis deseruierunt, dum ob eorum solicitudinem reliqui expeditiùs arma tractarunt. Audiui apud aliquam Rempublicam claudis ea opera iniungi, quæ manus exigunt, manicis, quæ pedibus perfici possunt, & quidem industriam laudo: sic namque Reipublicæ non sunt oneri, immò inueniuntur esse iumenti. Huc voco, quod aiebat Oseas: *Ephraim vitula docta diligere triturам... Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob.* Vitula, etsi bobus tenerior, ac delicatior, excutit grana, tritura addicta, quia aperiendis profundis sulcis non apta. Iudas, quia fortis, orationi deseruit solicitus, vt Iacob confringendis glebis intentus. Quid tunc? Iam Propheta refert: *Vitis frondosa Israel.* Non me latet litera: sed, dum honestè quolibet occupato vitis frondescit, viridi pompa, & fructuum emicat abundantia. Ad instruendam politiam vtilis etui potest doctrina. Huc voco Hugonem Cardinalem: *Fructus adæquatus est ei, quia in ipsis non fuit, qui fructus bonorum operum non produceret.* Israel vitis frondosæ adinstar & floruit, & viguit, dum cuique pro viribus labor iniunctus, & omnis otiosus torpor abactus.

Oseæ 10. v. 11.

§. XXXII.

Sine rubore Domino possunt occurrere, qui studuerunt sibi commissa fideliter asseruare.

Munus.

QVisquis sibi commissa nulla fraude immiuit, sed fideliter asseruauit, ruboris detrimenta non sensit; libera facie queit coram omnibus apparere; qui conscientiæ semper recusauit integritatem minuere. *Quod agnoscis iussum* (aiebat Cassiodorus 12. *variar.* 16.) *inculpabiliter sortiatur effectum. Caue ergo, ne te aut improbatæ redemptionis, aut torpentis desidiæ culpa respiciat, & , quod expedire neglexeris, tuis inferas damna fortunis.* Monebat distertus Princeps Canonicarium, quam Principi accipiebat annonam, illæsam fideliter asseruare, vt Principis erga se gratiam valeret augere; quandoquidem depositum fideliter custoditum custodientis est meritum, vt culpæ verteretur violatum. Hinc est, quòd milites, apud quos remanserant sarcinæ custodiendæ, detriumphanti sine rubore potuerunt occurrere, & gratum affatum eius promereri: *Salutauit eos pacificè.* Deuota mente offerebant apud eos deposita, & erat eorum meritum, quod integritate asseruatum. Eos Princeps salutauit humanus, & lata lege, vt decertantibus, statuit præmium: *Salutauit eos pacificè* (inquit Abulens. *quæst.* 16.) *id est, protulit eis verba salutis, & pacis, sicut solent homines preferre ad eos, quos diligunt.* Inuiolatam integritatem illaudauit, & fidem Iacob, vt irascentis Laban tumorem reprimeret, se fideliter gregem curasse testatus est: *Viginti annis fui tecum, oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt. Arietes gregu tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi.* Id est, non infamabam oues, capraeve steriles, vt fœtus subriperem, nec bestiarum grex patebat incursibus, quia semper attendebam oculis vigilantibus. O si possent omnes Episcopi, pastoréque similia audacter verba proferre, nec conscientia vlla redargui. Iacob vigilanci cura integra fidelitate exornatus Episcopis præscripsit formam, & Regibus politiam. Huc voco Hugonem: *Quod in eo reprehenderet, non inuenit.* Immò inuenit fidelitatem erga greges eximiam, & solicitudinem, quam laudaret. Christus Dominus pastorum forma, Principum id. a gratias Patri agit, quia ex sibi traditis nihil perdiderit, sed studiosa sedulitate asseruauit: *Quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex eis periit nisi filius perditionis.* Periit Iudas, sed contumax, & pernicax, & audax. Christus verò sua sibi patientia quodammodò detraxit, quando ad eius genua prouolutus exterius pedes lauit, & internas maculas abradere exæstuans amoris flammis contendit. Adest Chrysostomus *in Catena: Nemo ex eis periit, id est, quantum ex ma parte non perdam.* Felix Princeps, si superiorque, si quantum ad eum attinet, & prouidenter tractauit, & solicitè custodiuit.

Gen. 31. v. 38.

Ioan 17. v. 12.

TEXTVS.

VERS. XXII. Respondensque omnis vir pessimus, & iniquus de viris, qui ierant cum Dauid, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus; sed sufficiat vnicuique vxor sua, & filij, quos cùm acceperint, recedant.

§. XXXIII.

Cupiditas peruersè est prouida, & prouidenter auara.

Cupiditas.

MAius commodum quærendum non est, quàm egentibus subuenire, & paupertum anxietatem depellere: verùm tanta hominum anaritia frequenter sordescunt, vt cognationis vincula rumpant, æquitatem nesciant, & confarcinandis diutiis semper studeant: maligna prouidentia quoduis subodorantur dispendium, & studiosa calliditate anteuertere adnituntur periculum. Cupiditati egregiè adaptatur, quod aiebat Cassiodor. 11. *variar.* 7. *Semper metuit iniusta præsumptio.* Nonnulli ex Dauid militibus, cum vitam exposuissent honesto discrimini, cesserunt iniquæ cupiditati; nam cùm humanum erga sarcinarum custodes Principem spectarent, quid

quid illis de præda obueniendum præsumentes exertis clamoribus eis ignauiam opposuerunt,& supra meritum, vxoribus,& filiis receptis remuneratos asseuerauerunt : *Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda.* Inquires, cùm modò de præda diuidenda non ageretur, cur ignauiam obiecerint, & lassos prorsus excluserint ? Si Dauid ad torrentem subsistentibus quid tunc vellet diuidere, nihil mirum conarentur liberali Principi refragari; at cùm modò de celebranda solùm victoria ageretur, intempestiua videbatur querela, nimis prouida audacia. Ita est sanè, inquit noster Sanctius, sed ea perspicacia pollet cupiditas, adeóque auaritia peruersè est prouida, vt ex humanis Dauid verbis coniecerint animum, & opponere adlaborarint impedimentum : *Cum alij, qui iniquo erant, & illiberali animo, quid illa salutatione sibi vellet, non dubiis signis essent odorati, dixere sub amaro murmure nihil illis deberi de præda, in qua eruenda de latronum manu nihil laborassent.* Expende illud, *odorati*, Perspicax auaritia, & cupiditas inoculata ex Dauidis verbis coniecit, quid ex accepta præda sarcinas asseruantibus dilargiendum, & amaro murmure, vt à communicanda præda ducem auertant, sociorum inertiam publicè infamant. Pientissimus ille pater vt receptum filium gaudium proderet, opiparum instruxit conuiuium; filius senior ægrè tulit, & querelas dedit : sed pater, vt cum fratre in gratiam reduceret, sic respondit : *Omnia mea tua sunt.* Quid ais, prudentissime senex? Si omnia tua filij seniotis sunt, maiori iure exaggerabit, quòd eius vitulus fuerit occisus, & iunior post tot piacula delicatis epulis pastus. O patris prudentiam ! Vidit (inquit Chrysologus) queruli animum; vidit seniorem ex patris humanitate coniecisse diuidendam substantiam, & ob id factiosis querelis liberalitatem patris arrosisse, vt, quod suspicabatur dispendium, prouidenti liuore auerteret : ergo pater respondit ad animo concepta, non ad ore prolata. *Frater credidit damnum* (inquit *serm. 4.*) *qui rediisse conspicit coheredem. Et quando inuidus non auarus ? quando quidquid habet alter, se computat perdidisse.* Ex instructo conuiuio coniecit senior animum patris, & querelis largitati opponere studuit impedimentum. Non quellus est tenerioris amoris oscula, amplexuque signa proferre, quia non curabat plus diligi, sed ditari : ergo pater iniquè prouidenti cautelæ respondit, & responso, quàm sit auaritia perspicax, declarauit.

Luc. 15. v. 31.

§. XXXIV.

Semper inuenit, quo dehonestet competitorem auarus, & ambitiosus, semper, quo nobilitet, ingenuus, & largus.

Competitor.

SI plures in honoribus ambiendis, aut diuitiis acquirendis concurrant, primum esse solet studium alium dehonestando excludere, & , vt excluserint, liuido dente mordere. *Quid acquiri putatur* (aiebat Cassiodorus 11. *variar.* 7.) *vbi bona conscientia perditur, aut in qua parte possit homo proficere, si innocentiam probatus fuerit amisisse ?* Plus ambitiosus solet perdere, quàm acquirere; nam alios dehonestando lædit conscientiam, sed parui pendit, vt adierit substantiam, aut volaticam adquisierit gloriam. Prodigi frater exacuit linguam, vbi timuit minuendam sibi substantiam. *Deuerauit substantiam suam cum meretricibus.* Cùm suspicatus est coheredem, dehonestare studuit, & excludere ab hæreditate curauit. *Qui fratrem redeuntem* (inquit Chrysologus *serm. 4.*) *de suo decorare debuit, non debuit deperdito sic fœdare.* Non vidit anteactam vitam dignis gemitibus deploraſſe, non vidit vsque ad seruorum conditionem se humiliter deiecisse, solùm vidit, quæ poterant denigrare, & generositatem patris auertere. E contrà pater, vt qui ambitione nulla teneretur, vidit mortem depulisse, & ad pœnitentiam saluberrimam inuolasse. *Reuixit* (notauit Chrysolog. *sermone dato*) *Nec ille aliud, quàm patrem quæsiuit, qui veniens, non filij, sed loco mercenarij voluit collocari.* Vides patrem nulla indigna affectione obscuratum inuenisse, quod dilaudaret, & competitorem inuidentia, ambitionéque degenerem quæsiuisse, quod morderet. O quàm à patria nobilitate degenerarat, qui meritum suum de aliena fœditate procudit, & alienam infamiam ad propriam gloriam detorsit. Iniqui, auáriique audiunt Dauidis milites, qui prædarum auiditate ad torrentem subsistentes dehonestarunt, nec sarcinas custodisse attenderunt : *Respondens vir pessimus, & iniquus de viris, qui erant cum Dauid, dixit : Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda.* Non attenderunt vires fatigatione defecisse, non animum; non attenderunt solicito studio sarcinas asseruasse, eósque asseruando expeditiores reddidisse. Dauid è contrà dilaudauit deprælíandi animum, & solicitum erga sarcinas studium : *Æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas.* Dauid inuenit, quod præmiaret, & iniquus, quod abroderet. Vt repetat iam datus Cassiodorus : *Remuneratorem illi esse promitto, quem se aliqua honestate tractasse cognouero.* Honestam supellectilium curam remuneranit; ignauiam competitor arrosit. Semper enim liberalis, & ingenuus inuenit ad dilargiendum motiuum, semper æmulus, & auarus excogitauit impedimentum. *Pessimus, & iniquus* (inquit Abulensis *quæst. 16.*) *id est, valdè malus, quia ille magis inuidus erat.* Inuidus euomuit, quam pectore gerebat, amarulentiam, vtque adularetur ambitioni, auaritiæque, æmulorum adussit famam.

Luc. 15. v. 30.

§. XXXV.

Durum tormentum est alendi vxorem, filiosque obligatione adurgeri, & facultatibus denudari.

Maritus.

SAtis magnum regnum est marito (aiebat Euripides *in Oedip.*) liberi, & vxor. Qui ex dilecta vxore chara suscepit pignora, magnam est assecutus felicitatem; hæc autem ipsa felicitas anxiam non semel ingessit solicitudinem; nam si facultas desit, ipse amor carnificis gerit officium, & grauissimum affert tormentum. Qui amantissimos sibi filios videt famescere, non poterit non cruciari : Ipsa vrit amoris teneritudo, & viscera depascit compassio. Durius nullum tormentum excogitauere tyranni, quàm vxoris, filiorúmque amantem facultatibus denudare, & amori discruciandum committere. Hinc est, quòd nonnulli ex Dauidis militibus inuidentia adusti, & maleuolentia inflammati decreuerunt commilitonibus ab Amalecitis facultatibus

prorsus nudatis, vxores, filiósque restituere, sed nihil de præda dare: *Respondens omnis vir pessimus, & iniquus de viris, qui ierant cum Dauid, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus: sed sufficiat vnicuique vxor sua, & filij, quos cùm acceperint, recedant.* Hoc fuisse inuidiæ consilium, & maleuolentiæ votum, tradit Abulensis *quæst. 16. Ille magis inuidus erat.* Vt liuori suo blandiretur, hanc discruciandi artem excogitauit, vxorem scilicèt, filiósque restituere, & substantiam retinere, vt, dum paupertate remitur, & amoris flammis vritur, commilito mortis experiatur angustiam, immò duriorem præ ipsa morte ægrimoniam. Tetris dæmon inuidentiæ flammis adustus, videtur & obscuratus, dum Iobi patientiam conatur euertere, facultatibus prorsus nudum filiis orbauit. Sabæi boues, & asinas auferunt, alatus ignis oues consumit. Chaldæi camelos furantur. Astutè acerrimum disposuerat inopiæ arietem, ni domum, qua filij vescebantur, subruueret: *Repentè vehemens ventus irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Iob. 1. v. 19. Dura parenti filiorum ruina, sed nescio an durior inopi eorum foret miseria. Grauis ærumna filios amittere, nec minus grauis beneuolis oculis inspicere, nec posse famem depellere. Fortassis non est diabolus permissus ablatis penitus facultatibus filios relinquere, quasi acrior esset aries contra tolerantiam filiorum nuditas, & summa egestas. *Ecce* (inquit Glossa) *ne quid nimis de humana aduersitate doleat. . .* Ni ventus irrueret, nimis fortassè ablatis facultatibus angeretur, cùm amor filios cogeret alere, nec illi, vndè aleret, posset suppetere: ergo ablati sunt filij, ne superstites patris patientiam subruerent, & ariete famis euerterent. Sua dæmonem fefellit astutia, dum prorsus inopi filios aufert; nec enim grauius incutere posset tormentum, quàm facultatibus denudare, & oculis famescentes filios obtricere.

TEXTVS.

VERS. XXIII. Dixit autem Dauid: non sic facietis, fratres mei, de his, quæ tradidit nobis Dominus, & custodiuit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant aduersum nos, in manus nostras.

§. XXXVI.

Prudentia est aliquali dispendio redimere iurgia, & iurgiorum euadere incommoda.

Iurgium. NIhil pretiosius, quàm pax fixa, & votiua concordia: Si lites perstrepant, animorum tranquillitas mutuis dissidiis amittitur, & non ratò salus contentionum laboribus fatigatur. Sapiens magis eliget aliquali diuitiarum dispendio vitare certamina, quàm insidiosa possidere facultatum augmenta. Opportunè Cassiodorus 10. *variar. 23. Erigite vestræ sapientiæ firmitatem, & hanc vobis palmam concordiæ specialiter vendicate, vt sicut clementissimi Imperatoris fama in præliis inclyta dicitur; ita in pacis studio opinio vestra cunctorum admiratione laudetur.* Non potest à cunctis non dilaudari pacis studium, etsi ob stabiliendam pacem aliquale diuitiarum sustineatur dispendium. Geminata victoriæ palma Dauid floret redimitus, & sæculis proponitur commendandus, dum interna maluit vitare dissidia, quàm ditescere copiosiori substantia. Subiugatis Amalecitarum latrunculis adauxerat victor famam, sed modò liberali manu prædam partitus vendicauit sibi concordiæ gloriam. Cùm ducenti ex militibus ad vires recreandas, & sarcinas custodiendas circa torrentem substitissent; reliqui, qui prædam ab hostibus eripuerant, nihil de præda ducentis impertiendum clamabant; verùm Dauid blandis verbis sententiam demutare suasit, oportereque diuidi prædam asserit: *Non sic facietis, fratres mei, de his, quæ tradidit nobis Dominus.* Non solùm optimus Princeps animum ostendit generosum, sed prudenter etiam cautum; nec solùm consuluit vni, sed alteri parti; nam si ducenti nihil acciperent, fors contra socios arma prensarent, & cythara verteretur in luctum, triumphúsque in planctum: ergo maluit quid de præda impertiri, quàm noua certamina sustinere. Ita Abulens. *quæst. 16. Si Dauid non dedisset illis viris partem præda, indignati fuissent, & mouissent litigium contra reliquos.* Si nihil concederetur de præda; victoriam turbarent arma, & orirentur pernicioſa dissidia: ergo omnibus consuluit, dum tranquillitatem aliquo prædæ dispendio emit, & iurgiorum detrimenta vitauit. Abrahami commendatur prudentia, quia cùm inter Lothi, eiúsque pastores oriri animaduerteret iurgia, totus fuit in asseruanda concordia: *Ne, quæso, sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos.* Gen. 13. v. 8. Optionem eligendi ad alendos greges pascua Loth concessit: *Si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Si Loth florida, irriguáque pascua eligeret, & Abrahamus non adeò alendis gregibus opportuna, graue erat detrimentum, cùm gregum copia plurimum à pascuis pendeat, Abrahamus tamen lubens subiuit dispendium, vt impediret dissidium, vt qui nouerat concordiæ esse maiora commoda, quàm non fœcundi soli dispendia. Vti ætate maturior; ita & prudentia resplendit etiam excellentior; non ignorabat detrimentum, sed concordiæ expendebat commodum: ergo maluit quid de suo amittere, quàm discordia, ac iurgia fouere. Opportunè Oleaster ad mores: *Non possunt iusti lites, & contentiones ferre, & malunt de sua substantia perdere, quam contentionibus misceri. Senis debuerat esse electio, sed ne iterum super hac re contenderent, optionem illi dedit, & cessit iuniori senex.* Optione concessa dignam sene ostendit prudentiam, emendo aliqua iactura diuitiarum concordiam, & dum mauult carere iurgiis, quàm studere diuitiarum augmentis, cunctis proponitur imitandus, & reuerendus. Immò vt noueris iacturam ob conseruandam pacem in vsuram conuerti honestam. Abrahamus resplendit præterea Lotho diuitiarum copia opulentus, & à prædonum incursibus asseruatus. Loth vberrima pascua discupiens, captiuus ducitur, Abrahamus pacis studiosus victor celebratur.

§. XXXVII.

Christus Dominus præ diuitiis hominem æstimat, homo præ homine diuitias amat.

Diuitiæ.

NE *Plutum mihi nominaueris* (aiebat Alexides apud Stobæum *cap.* 113.) *haud magni facio illum Deum, quem vel pessimus quisque facilè sibi asciscit.* Ille Deus prorsus probabatur confictus, quandoquidem eius studium non erat homines acquirere, sed diuitias in immensum cumulare. Pessimus quisque Pluti amicus erat, quia in eius schola non edocebatur hominis salutem diuitiis præferre, sed diuitias proximis anteponere. Ex quo pecunia in honore esse cœpit, honor virtuti impendi desiuit. Charitas elanguit, quo passu pessimus diuitiarum amor effloruit. Nonnulli ex Dauidis militibus diuitiarum cupiditate inflammati nihil de præda lassis commilitonibus impertiendum pertinaciter contendebant; ab Amalecitis aspiciebant prorsus dispoliatos, vxoribus, & filiis onustos, nec tamen aliqua commiseratione pulsabantur, vt miseris, & contribulibus subuenirent, immò auara siti nihil tribuendum eis contendebant: *Non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus, sed sufficiat vnicuique vxor sua, & filij, quos cùm acceperint, recedant.* Verùm Dauid, qui Christi Domini gerebat imaginem, aurum spreuit, & illis prædam diuidere generosus studuit. *Non sic facietis, fratres mei, de his, quæ tradidit nobis Dominus, & custodiuit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant aduersum nos, in manus vestras.* Ni præda potirentur, adurgerentur, recederentque inopes, & afflicti, præda accepta perseuerarunt grati, & beneficijs obstricti: ergo maluit Dauid homines elucrari, quàm diuitias possidere. Ita Abulensis *quæst.* 16. *Recessissent à Dauid: volèbat autem Dauid benignè tractare omnes ad se confugientes, ideò noluit eos priuare portione sua.* Dauid homines auro prætulit, milites commilitonibus præferebant aurum. Cùm miser à latronibus dispoliatus, & vulneribus confossus iaceret, nec Leuita, nec Sacerdos, qui potiori præ alijs iure ad commiserationem tenebantur, miserti sunt, sed ne quid in salute reparanda expenderent, humanitatem exuerunt. Samaritanus vinum, & oleum infudit, & denarjs etiam stabularium muneravit: *Protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe.* Plus quàm homo apparuit Samaritanus, dum hominis salutem præ auro æstimauit, & Leuita ab humanitate prorsus desciuit, dum aurum prætulit: Notauit Augustinus in Catena: *In Samaritano se voluit intelligi Dominus noster Iesus Christus.* Quæ pulchrior, elegantiorque Christi imago quam Samaritanus pietate proximus, longinquus genere aurum parupendens & hominem saluti restituens, cùm ferè omnes cæco diuitiarum amore teneantur, nec miseris subuenire dignentur.

Luc. 10. v. 35.

§. XXXVIII.

Humanus, & ciuilis Princeps facilè in suam trahit sententiam, & iniquorum etiam flectit malitiam.

Princeps. Humanitas.

LAudabilis incantamenti ingenium vrbana sortitur humanitas, & pro veneficijs ciuilis est comitas: ipsa contumacia erubescit non cedere, si honestis humanitatis, comitatisque veneficijs contigerit illigari: verùm maiores vires sortitur hæc honesta incantatio, si à Principe, magnatibusque exerceatur; tunc namque nec contumacia resistere, nec audet improbitas refragari. Ex Dauidis militibus improbi, agrestesque nihil de præda commilitonibus, qui ad torrentem lassi substiterant, dilargiendum auaris vocibus contendebant: verùm Dauid, quò eos deteriores agnouit, & humanius tractauit: superiores edocens, oportere aliquando, quò faciliùs subiectos à pranitate auerterint, verbis humanitate diffluentibus vti, & veluti fallentibus medicinis curare. Humanitate ergo vsus sic iniquos in suam sententiam traxit, vt erubuerint resistere, & Principis comitati se opponere: *Non sic facietis, fratres mei, de his, quæ tradidit nobis Dominus.* Fratres appellando suasit, quod toruo supercilio, & regali imperio, aut non assequeretur, aut saltim arduè. Notauit Abulensis *quæst.* 16. *Nec locutus est durè contra virum iniquum, qui ista mouit, sed suadendo magis, quàm iubendo dixit: Non facietis sic, fratres mei.* Non corripuit iniquum asperè, sed suasit comiter, & benignè: ergo obmutuit humanitate impeditus, & vrbanitatis incantamento illigatus. Præda diuisa est, & qui anteà nihil aliis dilargiendum, vociferabantur feroces, æqualiter diuidi censuerunt iam mites. Et quidem, qui humanitatem, ciuilitatémque Principis contempsit, indignationis contra se flammas imprudenter excitauit. Rex ille, qui ad filij nuptias celebrandas oppiparum instruxit conuiuium, plures ad mensam inuitando honorauit; verùm illi ipso honore inflati, & ipsa comitate superbi se exhibuerunt agrestes, & inciuiles: *Illi neglexerunt.* Quid tunc? In eos Princeps iratus missis exercitibus perdit, & ciuitatem flammis consumpsit. *Iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* Et cur non expectarit patienter, qui toties sua sibi patientia quodammodò detraxit, & offensis proritatus indignationem continuit? Quia vbi expertus est comitate inuitatos, vrbaneque allectos non demutasse sententiam, veluti desperata iam eorum correctione seueram decreuit mulctam. Notauit Origenes *in Catena Diui Thomæ. Additum est homini Regi, vt hominibus quasi homo loquatur.* Quid humanius, quam Regem homunculos inuitare? Quid ciuilius, quàm missis seruis allicere: ergo quos vrbanitas non attraxit, veluti omni salutis spe interdictos dignis suppliciis affecit, quasi iam nullum superesset post comitatem remedium. Est enim Principis comitas & humanitas ad alliciendos vel contumaces efficax satis argumentum, & honestum beneficium.

Matth. 22. v. 5.

TEXTVS.

VERS. XXIV. & XXV. Nec audiet vos quisquam super sermone hoc. Æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident. Et factum est hoc ex die illa: & deinceps constitutum, & præfinitum, & quasi lex in Israel vsque in diem hanc.

§. XXXIX.

Bonæ politicæ congruit stabili lege vitare, vndè iurgia possent oriri.

Politices. Lex.

IN benè constituta Republica stabili lege debet sanciri, quod omnium concordiam quierit promouere: nec tuto cuiusque arbitrio relinquitur, quod dissidiosæ occasio litis esse probatur; nam, dum quisque pro lege suum sequitur votum, cæcum emergit inter vtramque partem dissidium. Prouida, & cordata politices fixè decernit sequendum, vt litigiorum præscindat scandalum: *Non rixas viles* (aiebat Cassiodorus 10. variar. 19.) *per regna requiritis, non vos iniusta certamina, quæ sunt bonis moribus inimica, delectant, quia nihil aliud vos constat appetere, nisi quod opinionem vestram possit ornare.* Nihil debuissent deuoti subiecti sitire, nisi bona concordiæ qua redditur eximium quidquid prædicabili charitate patratum; verùm quia non semel cupiditas pacis inimica, aut gloriæ ambitus rixas solent promouere, stabili debent lege vitari. Dauid milites acceptam ab Amalecitis prædam protestabantur ad torrentem subsistentibus nullatenus diuidendam; verum prudentissimus, ac prouidus Dauid & cupiditatem repressit, & colendam exinceps legem promulgauit: *Nec audiet vos quisquam super sermone hoc: æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas. & similiter diuident. Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum, & præfinitum, & quasi lex in Israel vsque in diem hanc.* Ne iterum inter commilitones, fratrésque eiusmodi orirentur rixæ, prudenti lege quid sequendum statuit, & iam stabilita, obseruatáque lege cessauit dissidium, &, quod inter commilitones exoriri potuisset, bellum. *Ex hoc tempore* (inquit noster Sanctius) *lex fuit in Israel, vt æquam partem ferrent ex præda, seu victoria, qui cum hoste confligerent, & qui ad seruandas sarcinas essent ab Imperatore designati.* Contentus non fuit Imperator indignam illam militum vocem, quæ exiret in vulgus, hominúmque notitiam, graui, etsi humana, reprehensione compescere; sed voluit, ne similis iterum oriretur quæstio, legem sancire. O quot lites, iurgiáque vidi ob honorem exhibendum, alter plus ambit, & minus alter impendit: quæ omnia facilè vitarentur, si lex eiusmodi ceremonias fixè stabilitas decerneret; tunc enim nec reuerentiam exhibens inciuilis minueret, nec, cui exhibetur, ambitiosus extenderet: verum, dum alter putat non tantum honoris exhibendum, & arbitratus alter plus sibi donandum, discordant voluntates, & factiosæ promanant lites. Cùm Assuerus Aman exaltasset, nonnullis seruis suis præcepit, vt ante eum genu flecterent: *Cuncti serui Regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim præceperat eis imperator.* Eo tempore Mardochæus, & nobili genere exortus, & alias Reginæ patruus, cùm Imperatoris mandatum eius tantummodò seruis datum esset, arbitratus est ea se speciali lege non teneri, vndè genua flectere recusauit. Aman ventosissimus, & superbus, ob honoris ceremonias offensus Mardochæo periculum vitæ colorationibus attulit: dumque alter plus honoris sitit, & minus alter, quia se ea lege non comprehensum putat, impendit, periculosis adeò iurgiis, dissidiisque exarserunt, vt alter morti fuerit obnoxius, & patibulo alter suspensus. Si non solùm ad Regis seruos, qui in foribus palatij versabantur; sed ad reliquos omnes data fuissent illa decreta, forsitan sopita fuissent dissidia. *Ponitur* (scribit Lira) *machinationis occasio.* Machinationis occasio extitit decretum ad solùm Regis seruos spectans, nec omnes generaliter comprehendens; nam dum alij impendunt, & impendere alij refugiunt, occasio porrecta est odij, & dissidij. Esther 3. v. 2.

TEXTVS.

VERS. XXVI. Venit ergo Dauid in Siceleg, & misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini.

§. XI.

Magistratibus, Reipublicæque senioribus omnes gestiunt munera dilargiri, quibus eorum possint beneuolentiam mereri.

Magistratui. Adm.

MVnera, donáque affectus probantur illicita, immò præstigiosa incantamenta. Vel Can-cerberus oblata offa depressùs latrat, aut ora sigillat. Grati sunt plures ad mercedem, & se illis ostentanere beneuolos, quos sibi non dubitant profuturos. Hinc est, quòd quisque magnates, magistratúsque oblatis muneribus sibi adnititur conciliare, & eorum beneuolentiam mereri. Disertè aiebat Tertullianus *in Apologetico cap.* 23. cæcos idololatras Christianorum sanguinem idolis litare, quo eorum gratiam promererentur. Et quidé (quamuis delusi) cùm aras adniterentur ornare, sibi promittebant beneuolis, & humanis oculis excipi, & homicidium deprædicandum fore holocaustum. *Colletis illos* (quod sciam) *de sanguine Christianorum. Nolent itaque vos tam fructuosos, tam officiosos sibi amittere.* Nemo ex huiusmodi diis vult amittere fructuosum, officiosúmque, & cùm pauperum oblatus sanguis eorum domos ornat, offerenti gratiam conciliat. Dauid non ambitiosus, sed gratus de præda misit munera Iudæ senioribus, &, dum munera misit, honestis factis studia candidatorum expressit. Innuit Abulensis *quæst.* 21. *Indigebat amicorum fauore tam ad subsidium in victu, quàm ad adiutorium in bello: voluit ergo muneribus multorum animos sibi conciliare, & hoc fecit in viris tribus Iudæ.* Tribus seniores dilargitis voluit muneribus obligare, quo eorum fauorem,

fauorem, & beneuolentiam facilius posset sortiri; præ aliis seniores sibi allicere procurauit, quia suis incrementis profuturos plus credidit. Cùm Simeon in Ægypto vinctus detineretur, præcepit filiis suis Iacob munera Proregi deferre: *Deferte viro munera*, & iam delatis muneribus Simeon producitur vinculis liberatus, Iosephóque munera offerentes non, vt priùs, aspero supercilio percussit, sed oculis humanitate plenis adspexit: *Obtulerunt ei munera, tenentes in manibus suis, & adorauerunt proni in terram. At ille clementer resalutatis eis interrogauit eos, dicens: saluusne est pater vester senex?* Visa in manibus munera asperitatem in humanitatem demutarunt, & fratrem vinculis exoluerunt. Quàm prudenter Iacob gratiam muneribus consuluit acquiri, vt qui benè nouerat causam sic facillimè meliorari. *Habentibus pecuniam in saccis* (scribit Hugo) *educitur fratèr de vinculis.* Iam frater vinculis exoluitur, quia à fratribus pecunia offertur; oblata munera promeruerunt gubernatoris gratiam, & conciliauerunt clementiam. Vbi duplicatam pecuniam attulerunt, facilè eis adscriptam offensam inaurarunt. Nulla Ioseph cupiditatis labe sorduit, sed, quod solet fieri, honestis actionibus adumbrauit.

Gen. 43. v. 11.

§. LXI.

Non ita cognationis vinculo fidas, vt fauere muneribus, & officiis spernas.

Cognatio. Officium.

VT à consanguineo possis sperare, officiis, & obsequiis est tibi curandum colere; nam si cognatus nihil vtilitatis speret, aut obsequiosa substrahantur officia, facilè obliteratur consanguinitatis memoria. Tunc cognatio floret, affinitas viget, si officiis irrigatur, & muneribus confouetur. *Absit* (aiebat Cassiodorus 8. *variar.* 23.) *vt negemus affini, quod solemus custodire subiectis, quando qui nobis sanguine coniungitur, plus meretur.* Dum plus meretur sanguine coniunctus, plus dolet, si obsequiis debitis defraudatus. *Quid enim tali viro* (subiungit Cassiodorus) *negare possimus, qui etiam meliora suis obtinere possit obsequiis, vel si non probaretur affinis.* Etiam qui non est affinitate, aut cognatione associatus, officiosis obsequiis ad affinitatis iura probatur admissus; vt è contrà, parùm prodest consanguinitatis vinculum, si desit vrbanitatis, & amicitiæ commercium. Hinc est, quod Dauid de præda ab Amalecitis erepta munera suis contribulibus miserit, vt, quos sibi natura coniunxerat, vrbana officiositas arctiùs vniret, & validiùs roboraret: *Misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis.* Iuda Seniores erant cum Dauide sanguine coniuncti; verùm ni xeniis excitaretur amor, & officiositate alliceretur affectus, forsitan quantumuis sanguine vniti, ingeniis inuenirentur distracti. Audi Abulensem *quæst.* 21. *Voluit muneribus multorum animos sibi conciliare, & hoc fecit in viris tribus Iudæ, quia cùm illi essent cognati sui, credidit, quod firmius seruarent fauorem suum.* Prudenter expectanit à cognatis ampliorem fauoris gratiam, sed prudenter etiam eorum fouit oblatis donis beneuolentiam. Aliquando cognatus naturæ leges ignorat, si officia desint, & obsequia: Iacob ad auunculi domum de matris imperio tendebat, & licèt cognationis iure humanè se excipiendum non ambigeret, officiis tamen exhibitis auunculi animum sibi allicere procurauit. Vt vidit Rachelem greges ad puteum ducere, amoto lapide copiosis laticibus adaquauit: *Amouit lapidem, quo puteus claudebatur, & adaquato grege osculatus est eam.* Laban agnoscens nepotis obsequium, & in gregibus alendis studium, humanè, benignéque excepit, & forsitan solo consanguinitatis titulo non se adeò placidum exhiberet, nec lubenter adeò exciperet. *Docemur hìc* (inquit Oleaster) *curare ea, quæ sunt consanguineorum, quemadmodum nostra.* Iacob officiositas non parum consanguinitatis roborauit vinculum, & sibi auunculi conciliauit affectum.

Gen. 29. v. 10.

TEXTVS.

VERS. XXVII. XXVIII. & XXIX. His, qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad meridiem, & qui in Iether, & qui in Arroer, & qui in Sephamoth, & qui in Esthamo, & qui in Rachal, & qui in vrbibus Ierameel, & qui in vrbibus Ceni.

§. XLII.

Ingenuus, quàm primum potest, benefactoribus suis respondet, & gratiam addit.

Gratitu do.

GRatissima sunt beneficia parata, & difficili tempore impensa, præcipuè si omni spe, & cupiditate nuda. Illud beneficium iucundum, in animóque semper victurum noueris, quod indigenti exhibitum, & sine rubore petitionis impensum. Ingenuus quisque, dum accipit, æterna memoria colit, nec occasionem honorandi benefactorem elabi finit. *Volo Chrysippi nostri vti similitudine* (aiebat Seneca *lib.* 2. *de benefic. cap.* 17.) *de pilæ lusu: quam cadere non est dubium, aut mittentis vitio, aut accipientis. Tunc cursum suum seruat, vbi inter manus vtriusque aptè ab vtroque & iactata, & exceptæ versatur.* Citissimè pilæ finiretur ludus, si ab vno missa, & ab altero non reddita. Perseuerat non sine voluptate, cùm aptè inter vtriusque manus pila versatur. Idem, quod pilæ, liberalitati accidit. Liberalis impertitur beneficium, sed reddi debet gratitudine compensatum: nam si accipiens obliuiscitur, generositas exiccatur. Dauid, dum procellosa persecutionum tempestate iactabatur, multorum eguit auxilio, iam apud hos latitabat absconditus, iam apud illos eludebat periculum asseruatus; cúmque modò ereptis ab Amalecita prædis exundaret, curæ illi fuit liberali munerum largitione contestari memoriam, & remunerare beneuolentiam. Dona misit plurimis: *His, qui erant in Bethel, & qui in Ramoth, &c.* Eis locis commoratus, & ab incolis benignè exceptus retulit gratiam, & ingenuæ originis referendo ostendit prærogatiuam: ingenuus namque obliuioni nunquam accepata trahit beneficia, nec, si possit, differt exhibere gratitudinis argumenta. Prodest noster Sanctius: *Hac tam liberali largitione duo agebat Dauid. Primum ostendebat se non esse officiorum immemorem, deindè vt muneribus, quæ etiam alienorum animos expugnant, suorum contribulium, id est, eorum, qui erant è cognata sibi tribu, conciliaret*

liaret gratiam. Gratiam sibi conciliabat, dum gratiam benefactoribus rependebat; est enim gratitudo non solùm nobilitatis index, sed ars etiam acquirendi noua beneficia, & ampliora munera. Ezechiel, vt vidit Hebræorum gentem ad idolorum veneretionem conuersam, & tot beneficiorum oblitam, à generis claritate asseruit degenerasse, & sordidis, ac ignobilibus se immiscuisse: *Mater vestra Cethæa, & pater vester Amorrhæus.* Et cur ab Abraham origine expunxit? Quia ingratos nouit, & ingratitudo non videtur potuisse nobilem sortiri originem, vt è contra gratitudo vilem inaurat propaginem. Huc voco Tertullianum *in Apologetico cap.* 40. *Illius rea est, cuius & ingrata.* Profectò ingrati semper sunt rei, &, dum beneficia tradunt obliuioni, se defœdant odioso crimine. Non tulisset Hebræus, si rependisset gratiam, à nobili vena expunctionis notam; verùm, dum ingratus, sorduit expunctus. Dauid in primis curauit liberali largitione profiteri beneficiorum memoriam, & exhibere benefactori beneuolentiam.

Ezech 16. v. 45.

TEXTVS.

VERS. XXX. & XXXI. Et qui in Arama, & qui in lacu Asan, & qui in Atach, & qui in Hebron, & reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipse, & viri eius.

§. XLIII.

Nequit à Deo largiter non munerari, qui eius seruulos benignè nouit excipere.

Hospitalitas.

FOrtunata *domus visa est quibusdam* (scribit Philo *lib. de Abrahamo*) *in quam viros sapientes diuertisse contigit.* Humana, & ciuili benignitate Dei seruos excipere est ad fortunam adaugendam tutum compendium, & honestum artificium; quod charitas ad speciem videtur profundere, reipsa probatur augere, nam vt semina pullulant nouis prouentibus aucta; sic affert incrementum misericordia Dei seruis impensa. Amplam hæreditatem, quæ ad Damascum Eliezer deuenisset, sibi Abraham humanè excipiendo hospites conseruauit, quia hæredem legitimum meruit. *Ego vadam absque liberis* (aiebat) *& filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer.* Putabat amplam, quam possidebat hæreditatem ad exterum deuenturam, sed naturam reformat, dum lautam hospitibus apponit mensam; hospites generosi, & humanitate allecti pro mercede filium promittunt: *Habebit filium Sara vxor tua.* Filius germanus hospitalitatis fuit præmium, & iam sterilitatis deletur probrum. Redeat datus Philo: *Maiorem spe referunt ei gratiam, per vnum è tribus præcipuum, ei polliciti nasciturum breui germanum filium.* Prodigio simile ea in domo conspectum est. Hospites non esurientes videbantur esurire, non edentes edere: aduentarunt solummodò, vt plus hospitis animo, & insigni honorificentia recreati, quàm saginato vitulo innutriti spem donis euincerent, &, quàm lucrosa sit hospitalitas, edocerent. In nostro etiam Textu, qui Dauid, seruosque eius benignè exceperant, magnificis largitionibus honorantur, & mox futuri Principis beneuolentia fruuntur: *Misit dona de præda senioribus Iuda, &c... & reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipse, & viri eius.* Non est dictu facile, quàm fuerint fortunati viri illi, apud quos Dauid cum satellitio commoratus, & benignè hospitio fuerat exceptus; copiosa namque resplenduerunt remuneratione ditati, & Principis gratia fruiti. Audi Liram: *Describitur præda diuiso quantum ad amicos Dauid, & benefactores, apud quos Dauid, & viri eius latuerant, fugiendo persecutores Saulis, & à quibus beneficia receperant.* Qui Dauid milites pauperes ali, hospitióque excipi humanis solùm oculis metiretur, exhibitum eis obsequium arbitraretur amissum; sed qui acutiori acie adspiceret, copiosam ex illa misericordia beneficiorum segetem demetendam certò præuideret. Hospitalitate, quæ est fortunæ mater, & felicitatis nutrix lucrati sunt Regis gratiam, & munerum etiam copiam. Qui pauerat militem gregarium, debitorem sibi habebat Regem præexcelsum.

Gen. 15. v. 2.

Gen. 18. v. 10.

CAPVT XXXI.

CAPVT XXXI.

1 PHILISTHIIM autem pugnabant aduersum Israel, & fugerunt viri Israel ante faciē Philisthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe: 2. Irrueruntque Philisthiim in Saul, & in filios eius, & percusserunt Ionathan, & Abinadab, & Melchisua filios Saul: 3. Totumque pondus prælij versum est in Saul: & consecuti sunt eum viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à sagittariis: 4. Dixitque Saul ad armigerum suum: Euagina gladiuum tuum, & percute me, ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger eius, fuerat enim nimio terrore perterritus: arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum: 5. Quod cùm vidisset armiger eius, videlicèt quòd mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo: 6. Mortuus est ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius in die illa pariter: 7. Videntes autem viri Israel, qui erant trans vallem, & trans Iordanem, quòd fugissent viri Israelitæ, & quòd mortuus esset Saul, & filij eius reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt: Veneruntque Philisthiim, & habiuerunt ibi: 8. Facta autem die altera venerunt Philisthiim, vt spoliarent interfectos, & inuenerunt Saul, & tres filios eius jacentes in monte Gelboe: 9. Et præciderunt caput Saul, & spoliauerunt cum armis: & miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templo idolorum, & in populis: 10. Et posuerunt arma eius in templo Astaroth; corpus verò eius suspenderunt in muro Bethsan: 11. Quod cùm audissent habitatores Iabes Galaad, quæcumque fecerant Philisthiim Saul: 12. Surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan, veneruntque Iabés Galaad, & combusserunt ea ibi: 13. Et tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabés, & jeiunauerunt septem diebus.

TEXTVS.

VERS. I. Philisthiim autem pugnabant aduersum Israel, & fugerunt viri Israel ante faciem Philisthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe.

§. I.

Misera Respublica, si militiam professi ambiant solummodò annonam, & subire detrectent pugnam.

Miles. Annona.

STrenui militis describens proprietates Euripides in Aeolo, sic aiebat: *In prima acie scutum protendat, vitam suam odio prosequens; mortis verò nigras sortes præ solis radiis amans.* Miles, si honesta audacia certaminis subeat periculum, erit Reipublicæ propugnaculum; qui verò nomen solùm dedit, vt habuerit annonam, Reipublicæ spes fallet, & terga vertet. Instructæ Hebræorum acies promittere videbantur victoriam, sed miserandam ipsæ acies maturauere ruinam; sperares inituras alacriter cum Philisthæis certamina, sed indecorè verterunt terga: *Philisthiim pugnabant aduersum Israel.* Expectabas audire: Israel etiam pugnabat aduersus Philisthiim; verùm pauido adeò timore fuerunt percussi, vt infami maluerint fuga vitæ prouidere, quàm in statione viriliter, & honestè pugnare: *Fugerunt viri Israel ante faciem Philisthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe.* Videbantur tractare arma ad Reipublicæ vtilitatem, sed pauido corde attulere perniciem. Notauit Abulensis *quæstione prima. Israelitæ magis dicebantur sustinere pugnam, quàm pugnare.* Itaque potiùs videbantur hostibus objecti ad excipienda vulnera, quàm ad viriliter ineunda certamina. Non repugnarunt, sed inspectis hostibus aufugerunt; eorum plures erant militum laruæ, non milites, & militiam fortè elegerant non depræliandi animi, sed famelici. Plures Gedeonis vexilla fuisse sequutos Textus expressit, sed etiam, quàm animis distarent, non tacuit. Ad prælia remearunt viginti duo millia corde pauitantes, & ad tubæ clangorem exhorrescentes: *Recesseruntque de monte Galaad, & reuersi sunt de populo viginti duo millia virorum.* Videbatur Gedeon instructus copiosissima manu, sed erat imbellis turbæ numerus, non exercitus: qui residui, ad fontem iterùm examinantur, & plurimi dimittuntur: *Qui curuatis genibus biberint, in altera parte erunt.* Nomina dederant, sed plus curarunt sitim explere, quàm cum hoste confligere: securior fuit triumphus paucis, sed strenuis militibus, quàm plurimis timidis, & inertibus. *Ita isti probati sunt* (scribit Augustinus *quæstione 37. in Iudices*) *per quos vinceret Gedeon.* Vicit Gedeon paucis, quia sunt panci, qui honesta exambiant certamina, etsi plures decertandi ostentarint studia. Et expende Israelitas occubuisse Iudic. 7. v. 3.

fugiendo, qui fortè vita fruerentur pugnando. Non semel qui vitiis ignauus cessit, mortem sibi imprudenter asciuit, cùm in acie constans, bellumque cum voluptate gerens, salute vigeat firma, & fortuna prospera.

TEXTVS.

Irrueruntque Philisthiim in Saul, & in filios eius, & percusserunt Ionatham, & Abinadab, & Melchisua filios Saul.

§. II.

Semper diabolus adnititur nos virtutibus denudare, vt facilius possit euertere.

Virtus. ILla sunt (aiebat Cassiodorus 1. *variar.* 25.) *robusta, illa diuturna, quæ prudentia incipit, & cura custodit.* Non minor industria, quàm acquirendis, adhibenda est virtutum fructibus asseruandis: nam quæ diligenti studio non perseuerant illæsa, laborem solùm attulerunt acquisita. Cumulata fortuna non resplendet solùm inuentis, sed asseruatis. Cùm Philisthini dæmonum vmbræ Saulem ardentissimè suspirarent euertere, ab eius filiis maluerunt incipere. Ionatham, qui interpretatur columbæ donum, extinxerunt, vt jam abacta, aut extincta columba, certior, ac luctuosior opprimeret Saulem miseria: *Irruerunt Philisthiim in Saul, & in filios eius, & percusserunt Ionatham, & Abinadab, & Melchisua filios Saul.* In filiis designari opera, notum est: ergo Philisthiim filiis priùs dispoliant, vt penitus, & facilius Saulem euertant. Iunuit Abulensis *quæst.* 6. *Mortuis filiis suis grauatum est totum prælium super Saulem.* Virtutibus emortuis, extinctisque Saulem miseranda oppressit ruina, & à dæmonibus est reportata victoria. Si filiis, hoc est, honestis muniretur operibus, aditus non adeò facilis pateret dæmonibus, ast, dum orbatur dignis factis, repetitis transfigitur telis. Cain, cùm maledictus inducitur, saporatis, maturisque terræ fructibus viduatus refertur: *Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* Tribulos, spinasque Caino tellus germinabat, sed fructus laude dignos non proferebat: ergo non sine causa mortem extimuit, dum se dignis virtutum fructibus nudum agnouit: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Quàm erat miserandus Cain duris culturæ laboribus semper addictus, & fructibus semper viduatus. Philo lib. de Agricultura historiam allegoricè adaptans, sic scribit: [Nec suspicari debemus de homine, qui manibus, pedibusque, & cæteris corporis viribus ad opus est validus, aut de montana, planavè terra sermonem hîc fieri, sed de vniuscuiusque nostrum potentiis; nam mali anima circa nihil aliud occupari solet, quàm circa terrenum istud corpus, & cunctas eius voluptates.] Vbi Cainus fructibus se agnouit carentem, præuidit subeundam sibi vitam laboriosam, & mortem infaustam. Adjicit Philo: *Qui exercent, & tractant, quæ carni grata sunt, lutum maceratum, fictilem statuam, animæ carcerem, quem illa à Natiuitate ad extremum diem ceu cadaueroſum onus circumferre cogitur, colunt magno studio.* Solicitò, vigilantique studio colebat Cain terram, hoc est carnem suam, quæ saporatos non promebat fructus, sed fœuos animæ, & corpori germinabat tribulos, multiplicabat eruciatus, quia voluptatibus addictus, refertur semper & tremens, & lugens, nec enim quibat anxiis solicitudinibus non vrgeri, & timoribus non discruciari.

Gen. 4. v. 12.

§. III.

Quos parentes iniquis artibus studeant felicitare, filios inueniuntur amittere.

SVnt *instar egregij thesauri* (aiebat Eurypides in Meleag. loquens de filiis, ac parentibus) *ornamentum vitæ.* Amant homines filios vti vitæ ornamentum, & immortalitatis elogium, sed ita sæpè indignis affectionibus caligant, vt, quod ardenter videbantur optare, prorsus inueniantur euertere: nam dum nihil non tentant, vt felicitarint prolem, sibi, filiisque miserrimam adscisceret probantur stragem. Exambiunt parentes se in filios reciprocare, & immortalitatem fulcire, sed suis votis aduersantur, dum iniquis artibus felicitati, & immortalitati opponuntur. Saul, vt Ionathę regnum stabiliret, hastam sæpesæpiùs in Dauidem contorsit. Amalecitarum etiam contra Dei præceptum asseruauit substantiam, vt filiorum incrementaret fortunam; verùm sic ab scopo aberrauit, vt filios ab hostibus spectarit occisos, citissimè etiam ipse occidendus: *Irruerunt Philisthiim in Saul, & in filios eius, & percusserunt Ionatham, & Abinadab, & Melchisua filios Saul.* Textus semel, & iterum Saulis ait esse filios, quos à Philisthæis refert vita mulctatos, forsitan vt mortis adsignet causam, & vtilem nobis suppeditarit doctrinam. Et ne nobis libera opinandi relinqueretur facultas, Abinadab ipso nomine immaturæ mortis reddebat causam, & patris prodebat culpam. Notauit Rhabanus apud Glossam: *Abinadab pater meus sponte: sponte enim sua pater eius Saul malè agendo acquisiuit, vt vna cum filiis periret.* Cùm Ionathæ regnum suspirauit, cùm Abinadab iniquis artibus aurum acquisiuit, immaturam etiam mortem promeruit, & tulit; quo parentes didicerint malis artibus filiorum non incrementare fortunam, ni videre velint miseriam. Vt amplissimum primogenito Pharao delegaret imperium, Dei remittere noluit populum: timuit magnam regni partem filio circumcidere, si ad venas pateretur recedere. Quid tunc? Mors eius primogenitum inuasit, & de medio inopino casu tulit: *Percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharao usque ad primogenitum captiui, qui in solio eius sedebat.* Primogeniti amore Dei contemnebat mandatum, & quia contempsit, primogenitum jure amisit. *Vti mors* (inquit Basilius Seleucienſis *orat.* 9.) *primatum primogenitos non sine dolore depascebatur, & naturum ordo fiebat ad imperium mortis.* Ad mortis siebat imperium natorum ordo, & quia contra fas, jusque Pharao amplificare adnitebatur imperium, inopinum primogeniti, & immaturum planxit excidium.

Parœm. Filius.

Exod. 12. v. 29.

§. IV.

§. IV.

Optabilior est mors honesta, quàm vita indignis actionibus sordidata.

Mors. Vita.

EPaminonda Thebano duce (scribit Plutarchus in Apophthegmat.) *nunquam tumultus panicus castra occupauit. Mortem, quæ obiceretur in bello, esse dixit pulcherrimam.* Pulcherrima est mors, quæ æternitati consecrat famam, fœda est vita, quæ muneris innubilat gloriam. Prudens non redimit vitam indecoris actionibus, sed mortem oppetit, vt mirandis nomen æternarit virtutibus. Mirandum est accepta à Samuele certa de appetente sibi, ac filiis strage, notitia: *Cras tu, & filij tui mecum eritis*, Nihil Saulem filiis denuntiasse, sed silentio pressisse. Si filios tenerè diligit, cur præmatura denuntiatione periculis non eripiat, sed occisos videre expectat? *Percusserunt Ionatham, & Abinadab, & Melchisua filios Saul.* Hoc dubium exagitat Abulensis *quæst. 3. quæret aliquis, cùm Saul audisset à Samuele, quòd filij eius morituri erant in bello, cur non dixit eis, quòd recederent de bello, ne morerentur, cùm diligeret eos.* Iam respondet: *Melius fuit, quòd viriliter morerentur in bello pugnando pro Israel, quàm ignominiosè fugiendo desideratam vitam conseruare non possent.* Non poterant desideratam vitam, id est, honore dignam ignauè fugiendo conseruare: ergo reticuit Saul, vt viriliter pugnando laudabilem mortem subirent. Quæ enim esset vita, si sorderet infamia? Durarent fugientes tempori, peritent jam tumulati decori: ergo honestius erat sine muneris, officijque querela pro Dei honore gloriosam mortem oppetere, quàm infamem vitam pertrahere: ergo prudenter Saul tacuit, & filiis melius consuluit. Samson, cùm mortem posset differre, ad molam deputatus, mori elegit inspiratione superna pulsus: *Moriatur anima mea cum Philisthiim.* Cœlesti pulsu fecisse Patrum concors sententia est; aliter namque non esset fortitudo laude digna, sed temeritas detestanda. Historiæ documentis sacra nos scriptura ostendit, optabilius esse mortem honestè subire, quàm sordidis actionibus vitam maculatam protrahere. Viueret Samson, sed molæ addictus, & in brutorum censum redactus; moriens vitam finiuit, sed se æternis laudibus consecrauit. Ita Ambrosius *ep. 70. In morte se ipsum vicit, & insuperabilem gessit animum, vt pro nihilo haberet vitæ finem omnibus formidolosum. Non captiuum exitum, sed triumphalem inuenit.* Mors illa non fuit exitus, sed triumphus. Edocuit Samson ingenuis optabilius esse honestam mortem oppetere, quàm indignam vitam alere. O si hæc expenderent plures mulierculæ decoris injuria victum quærentes, & fœdis animam libidinibus sordidantes! O si imitarentur Samsonem plures, qui vt vitam alant, conscientiam vulnerant!

Sup. c. 28. v. 19.

Iudic. 16. v. 30.

§. V.

Princeps, superiorque plus debet generalitati consulere, quàm propriis filiis attendere.

Princeps. Filius. Respublica.

AManda sunt, vndè Respublica constat stabiliti, & virtutibus exornari. Salus generalitatis euertitur, si vilitas singularis ambitur. Princeps pater publicus est, & tot habere probatur filios, quot conspicit sibi subjectos; & decenter immemor est prolis, vt pater probetur plebis. *Vir ad regni curas* (scribebat de Theoderico Cassiodorus 10 *variar.* 31.) *singulariter, & pulchrè cõpositus.* Omnibus meruit forma regiminis proponi, quia compertum fuit semper generalitatis salutem ambire. *Ad gentis vtilitatẽ respiciet omne, quod agimus* (gloriabatur Vigitis Rex apud datũ Cassiodorum) *priuatim nec nos amabimus. Hoc sequi promittimus, quod ornet regium nomen.* Quàm erat felix Respublica, vbi Princeps nec se ipsum priuatim amabat, sed sibi ipsi vtilitatem publicam præponebat. Et quidẽ hac in parte mirè Saul resplenduit; nam cùm accepisset à Samuele, suos filios in acie ab hostibus occidendos, in domum non remisit, aut coloratis causis ab acie exemit. Iam si quæras, cur filiorum non proniderit saluti? Respondebit Abulensis *q. 3.* postposuisse filios communi omnium vtilitati; nam si filij recederẽt, exanimaretur exercitus acri timore cõcussus: ergo maluit filios honestæ morti exponere, quã generalitati nocere. Audi Abulensem: *Dato, quòd Saul sciret, quòd filij sui euadere possent, si recederẽt de bello, quia tamen eis recedẽtibus timeret populus, & esset occasio, vt multi perirent, voluit potius, vt morerentur ipsi, quàm vt populo scandalum præstaretur.* Si filij stationem desererent, plures facilius metu impediti perirent: ergo oblitus est sanguinis, ne obliuisceretur muneris. O quale est hoc pro nonnullis Rempublicam administrantibus! Qui ad tribunal, vt ad messem auream accedunt, vtque filiis amplam relinquant hæreditatem, cõmunem parupendunt salutem; Reipublicæ detrimento superbissima extruunt palatia, & prædiis conjungunt prædia. Noe audit per momenta imminere naufragium, & jussus sibi, suisque Arcam compingere, qua & imbriũ torrentes posset eludere, & cõsusa vorticum volumina superare, hominum miseratus patienter ædificat, &, si fas est dicere, non præceptis diuinis reluctans, sed charitate flagrans absoluere molem tardat: *In articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem, & Cham, & Iaphet filij eius, &c.* Amplã ligneamq; domũ illã perficere non accelerat, nec jam absoluta ingressum maturat; sed vt Reipublicæ naufragium, vtvt potest, auertat, suam, suorumq; salutẽ quodãmodò tardat. Laudabili tamen hac cunctatione (inquit Zeno Veronẽsis) fuit, qui euaderet dignior, & immortali fama celebrior. Zenonẽ audi serm. de Patientia: *Dignus euadere, qui in tanto orbis metu non festinauit euadere.* Cataclysmum, denuntiante Deo, imminere per momenta non dubitat, sed si Deus ad misericordiam inclinetur, expectat: ergo Arcam, qua cum suis saluetur, nõ cõpingit festinatione præcipiti, sed laudabili cunctatione; instruens Princeps generalitatem filiis, immò & sibi ipsis præferre, nec priuatam vtilitatem detrimento communi ambire.

Gen. 7. v. 13.

§. VI.

Imprudentia est calamitatem timore præmaturare, & inani metu adaugere.

Metus. Calamitas.

SÆpè non tam re, quàm opinione affligimur, & diù calamitatis metu, quàm calamitate ipsa discruciamur. Vrgeat dolor, sed non manufactus, & vanis suspicionibus innutritus.

Plura metuimus, quæ nullatenus contigerunt. Laciniosis terroribus debet calamitas circumcidi, non friuolis præsumptionibus maturari. *Non ad præsentia aptamur* (aiebat Seneca *epistola quinta*,) *sed cogitationes in longinqua præmittimus. Itaque prouidentia maximum bonum conditionis humanæ in malum versa est. Feræ pericula, quæ vident, fugiunt, cùm effugêre, securæ sunt: nos & venturo torquemur, & præterito. Multa bona nostra nobis nocent; timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo tantum præsentibus miser est.* Laudabilis est prouidentia pericula anteuertere, etsi possumus deuitare; insipientiæ tamen vertendum est, quæ nostro arbitrio non pendent, anticipare, & ante tempus timoribus superfluis exuri. Nouerat Saul se, filiosque suos in acie cœlesti decreto mortem subituros; ora tamen continuit, nec filiis calamitatem prænuntiauit. Quòd si inquiras, cur, quæ à Samuele audierat, non retulerit? Respondebit Abulensis *quæst.* 3. vitasse prudenter filiis acerrimi timoris tormentum, cùm vitari nequiret damnum. Quæ enim ex illa præscientia vtilitas, nisi inutilis timor, & perpetuus angor. Abulensem audi. *Hoc fecit, vt non incuteret timorem superfluum filiis suis.* Adnectit: *Affligerentur nimis cognita acerrima morte. Voluit ergo Saul, ne affligerentur, dupliciter, scilicet moriendo, & mortem suam præcognoscendo.* Plures timidi, & stulti se ipsos vero tormento angunt, & futura monstra confingunt. Satis est esse præsentibus miseros: non extendamus in malum nostrum prouidentiam, & præmaturemus futuram, aut futuram nunquam ægrimoniam. *Omnia sanè mala* (verba sunt Diogenis apud Stobæum *c.* 8.) *plus terrere solent eos, qui ipsa futura expectant, quàm vbi iam acciderint, molestare: metus enim tam improbus est, vt multi rem, quam metuunt, ipsimet anticipent. Vt qui in naui tempestate periclitantur, non expectata summersione nauis, manum sibi prius inferunt.* His ipse timor timendus erat, cùm, ne moriantur, moriuntur, & carnificis præoccupant officium, sibi accelerantes tormentum. Petrus per marinos vortices fertur non naufragus, sed viator: timebat pelagus intercipere non timentem: verùm cùm oborta tempestate repercussæ vndæ minarentur naufragium, inanem Petrus pectoribus fouit metum: Matth. 14. v. 29. *Videns ventum validum timuit, & cùm cœpisset mergi, clamauit.* Metu peribat, antequam tempestate; naufragium timebat, & jam ipse timor anticipabat naufragium, non incepit mergi, quousque incepit metuere. Et argutè expendebat Chrysostomus in Catena, Christum Dominum procellam eo in articulo non continuisse, sed timorem Apostoli sugillasse; quia illud periculum potiùs emanabat à timore, quàm tempestate: *Non iniunxit ventis quiescere, sed extendens manum, apprehendit eum.* Itaque prouidus, & cordatus timor virtuti, ac saluti deseruit, sed inutilis, & vanus vtrique nocet.

§. VII.

Satius est acerrimis pœnis aduri, quàm piaculis defœdari.

Culpa. Pœna. IN *primis* (monebat Pythagoras apud Stobæum *capite quarto*,) *reuerere te ipsum*, se ipsum probatur despicere, qui non recusat piaculis defœdari: dum, vt effugiat pœnam, admittit culpam, margaritum postponit vitro. In ipsa fortunæ tranquillitate pius carnifex animum dilaniat conscientia, & inter sæuos corporis cruciatus placidè requiescit, si nullius criminis conscia. *Bias interrogatus* (verba sunt Isocratis in Nicocle) *quænam res in vita metu careret? Bona conscientia, respondit.* Hinc est, quòd boni rerum æstimatores culpa non redimunt pœnam, sed amplectuntur libenter pœnam, ne admiserint culpam. Cùm Samuel Sauli denuntiasset filios in bello occubituros, & posset matura prænonitione è castris emittere, & discriminibus obuiare, quærunt Interpretes, cur grauem adeò pœnam noluerit vitare, cùm facilè videretur effugere? Respondentque noluisse diuinis decretis obuiare; nam cùm sciret fixè à Deo filiorum decretam mortem, si prænoneret, obicem prænonitione apponeret, & decretis cœlestibus contrairet: ergo cùm admittenda esset culpa ad leuandam pœnam, aut amplectenda esset pœna ad vitandam culpam, prudens hac in parte rerum æstimator filios discrimini non eripuit, sed ora silentio sigillauit. *Percusserunt Ionatham, & Abinadab, & Melchisua filios Saul.* Filiorum mors acerrimo patrem dolore affecit, maluit tamen, quàm infici culpa, aduri grauissima pœna. Ita Abulensis *quæst.* 3. *Si denuntiaret eis, conaretur eripere eos à morte, repugnando diuinæ ordinationi; timuit autem, quòd in hoc Deum offenderet.* Diuinæ ordinationi reluctans, & auertere conatus à filiis mortis supplicium, admittere censebat piaculum: ergo satius amsit, quàm culpis infici, doloribus sæuissimis adurgeri; nolnit conscientiam lædere, vt à temporali filios calamitate eriperet, sed æquus rerum æstimator præponere nolnit doloris redemptionem, & detestandam culpæ admittere pranitatem. Deus Abrahamo jubet aris deuouere filium, qui eius amorem sanciabat mi-
Genes. ris naturæ dotibus exornatus, & longa senectute susceptus. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Mandatum præcordiis premit, nec affert ad matrem. Si quæras, cur dolori aliquod delinimentum non quæsierit, & matri mandatum communicarit? Respondebit Basilius Seleucensis, timuisse, ne, si Saræ Dei mandatum referarit, aliquod impedimentum apponeret, & diuinæ ordinationi resisteret. Si mater (inquit) immaturam filij mortem præsciat, forsitan non permittet ab eius sinu diuelli, & in montem duci, ficque, etsi sæuo cædis dolore non discrucier, justa temerabo diuina, & attaminabor offensa. Ergo sigillentur ora silentio, quandoquidem conducibilius est dilecto primari filio, quàm aliquali sordidari piaculo. Itaque deuotus pater impedimentum timuit apponere, & diuinis præceptionibus obuiare. Lepidè Basilius Seleucensis *orat.* 7. *Facinus tam audax Sarum celat, nec ad matrem effert mandata. Quamobrem?* Iam Abrahami nomine respondet: *Verens, ne pueri furto materiam substrahat obsequendi Deo impuenti furto.* Si Sara facinoris conscia furto puerum subtraxisset, Abrahamum acerrimus mortis dolor non discruciaret; sed apposuisse diuinis impedimentum justis conscientia objiceret: ergo religiosus Abrahamus maluit

maluit chari pignoris spectare oculis holocaustum, quàm sustinere conscientiæ morsum. Suis nos eruditos actionibus, vtilius esse pati grauissimam pœnam, quàm committere vel leuem culpam,

§. VIII.

Qui culpæ agnouerit fœditatem, acerrimæ etiam pœnæ non excusabit dolorem.

Pœna. Culpa.

INnumera sunt, quæ animum inquinant (scribit Philo lib. de Nomin. &c.) *eaque abstergere, atque eluere omninò, non est facile.... Præclarum enim quiddam est vitia fugere, & auersari; sed virtutum integra possessio ab hominæ nobis simili acquiri non potest.* Vel virtutis studioso nonnullæ subrepunt maculæ fragilis naturæ conditione, aut torpentis animi crimine. Quis in vita sordida, & contaminata hominem inueniat omnium virtutum concinnitate perfectum, & numeris omnibus absolutum? Macularum reatu ferè omnes inficimur, sed pauci, vt absoluamur, ad salubria media accurrimus: supplicij dolor patienter latus, inflictæ pœnæ acceptatio humilis reatum imminuit, aut digna satisfactione persoluit. Ob id qui ad perfectionem animum intenderunt, pij sui ipsorum carnifices acerbis se discruciant flagris, & à Deo decretis patientiam suam dedicauere supplicijs. Non nouit culpæ prauitatem, qui ad eluendam recusauit dolorem. *Illud magis est eligendum* (aiebat Cassiodorus 7. variar. 47.) *quod prodesse cognoscitur. Nam venena ipsa, si iuuare probatur, accepta sunt. E contrario, refugienda est suauitas mellis, quæ inferre dignoscitur læsiones. Finis ergo sapientis est amare, quod expedit: sic nec igitur votum respicit, qui prodesse contendit.* Supplicia, & dolorum cruciamenta amara sunt corpori; sed salubria eluendo probantur crimini: ergo prudens non attendit carnis votum, sed admissæ culpæ remedium. Poterat Saul de morte filiorum præmonitus eos è castris ablegare, & acerbum sibi dolorem effugere; tacuit tamen, & occisos aspexit: *Percusserunt Jonatham, & Abinadab, & Melchisua filios Saul.* Quærunt Interpretes, cur futuræ stragis præscius nec ipse certamina vitarit, nec à castris filios prouidenter remouerit? Respondentque agnouisse infligi à Deo ob eius culpam acerbissimam illam pœnam, voluisseque meritam subire pœnam, vt deleuerit culpam. Ita Abulensis quæst. 3. [Hoc egit, vt volunt Hebræi, ad obediendum Deo, & spontè suscipiendam pœnam pro peccatis suis: cognouerat enim se grauiter peccasse contra Deum, & quod ob hoc Deus fecerat, quod moreretur ipse cum filijs suis: ideò vt in hoc satisfaceret voluntati Dei, & mereretur remissionem, voluit spontè subire pœnam.] Si è castris filios amoueret, stragis dolorem ardentissimum non subiret, sed nec admissorum criminum pœnam solueret: casu perculsus ingemuit, sed aliquomodò soluit: ergo noluit delinire dolorem, sed delere prauitatem: dum cupit Deo satisfacere, grauitatem culpæ probatur agnoscere, vt è contrà, qui pœnam recusat, culpæ fœditatem non dubium est ignorare. Ob detentæ Arcæ crimen à Deo pœna Philisthinis infligitur; sed licet dolor suaderet auferre causam, sic obcæcabantur, vt toti essent in conseruanda causa, & delinienda ægrimonia: *Inierunt Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.* Quàm distabat à prudentia consilium! quàm erat sapientiæ contrarium votum! Ad minuendam culpam æquo animo admittere debuissent inflictam pœnam, sed laborabant in architectando pœnæ delinimento, non in expungendo culpæ reatu. Profectò, si vt fas erat, criminis agnoscerent grauitatem, inflictæ pœnæ amplecterentur dolorem. *Fecerunt sibi sedes pelliceas* (inquit Lira) *vt possent melius sedere, & vt mures importuni non possent intestina prominentia mordere.* Solicito studio vitabant murium morsus, conscientiæ despiciebant reatus; nam vt qui dolent culpæ grauitatem, pio odio se affligunt; sic qui non attendunt, pœnam emollire studiosè gestiunt: Sup. c. 5. v. 9.

TEXTVS.

VERS. III. Totumque pondus prælij versum est in Saul: & consecuti sunt eum viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à sagittarijs.

§. XIX.

Superiori, Principique solicitior esse debet cautela, quia acrior contra ipsum dæmonum insurgit pugna.

Superior.

PRinceps superiorque est Reipublicæ status. Vndè Ennodius in Panegyr. Theodericum laudans aiebat: *Salue nunc Regum maxime, in cuius dominio saporem suum ingenuitatis vigor agnouit. Salue status Reipublicæ.* Si bona voluntas regio concordiam habeat cum munere, nec dissentiant cordis candor, & maiestatis splendor, Reipublicæ vigebit fortuna, morumque elegantia. Totus orbis regentis imitatur exemplum, & quisque de Principis moribus Reipublicæ conijcere potest statum. Nil anidius sitit humani generis aduersarius, quàm superiores moribus prauis inficere, & à rectis virtutum tramitibus deuiare: ob id, quia acrior contra superiores insurgit pugna, solicitior esse debet cautela. Totum belli pondus Philisthæi contra Saulem verterunt, vt qui benè nouerant in vno cæteros subiugare, & vulnerato Principe victoriam eripere: *Totum pondus prælij versum est in Saul, & consecuti sunt eum viri sagittarij.* Hugo Cardinalis historiam moraliter explicans, sic scribit: *Tota difficultas tentationis in Prælato est, quia dæmones principaliter contra Prælatos insurgunt: quia Prælato subuerso, de facili subuertuntur subditi.* Si Prælatus sit voluptatum sectator, impunè subiecti voluptatibus obsequuntur; putant superiori blandiri, si eisdem contigerit criminibus maculari. Superior cupidus inseruientium exacuit manus, nec verentur æquitatem euertere, quia agnoscunt Prælatum sordidis prouentibus inhiare. Nouerit ergo qui dignitatis fastigium inscendit quàm ei sit opus solicita, & vigilanti cautela, cùm in ipsum acrior tentationum insurgat pugna. Syriæ Rex, cùm Israeliticas copias inhiaret atterere, contra Regem solùm militibus mandauit pugnam instruere: *Rex Syriæ præceperat Principibus currum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis* 3. Reg. 22. v. 31.

contra minorem, & maiorem quemquam, nisi contra Regem Israel solum. Profectò edictum discordare videatur à voto. Si discupit victoriam de hostibus reportare, quid noceat in phalangas Martias etiam irruere? In Regem validiùs insurgant, præcipuus sit contra illum ardor, sed & reliquos militaris impetat furor. O vtilem superioribus, Principibusque doctrinam! Prophetarat Michæas occiso pastore greges cunctos dispergendos: *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oues non habentes pastorem.* Ergo contra pastorem arma Syriæ Rex studiosiùs mouit, quia in Principe reliquos vinci non dubitauit. Ita Rabbi Salomon apud Liram: *Ratio huius præcepti fuit, vt dicit Rabbi Salomon, quia exploratores Regis Syriæ erant præsentes, licet occultè, quando Michæas dixit Achab moriturum in illo prælio.* Cùm Principe occiso omnes greges dispergendi essent, noluit Syriæ Rex inutili labore consumi, sed omnes in Principe subiugare. O quot dignitatum auersarentur fastigia si expenderent contra illa homines, & dæmones mouere validius arma! Consonat Hugo: *Quasi dicat: Non curantes de aliys, solius Achab sanguinem quærite.*

Sup. v. 17.

TEXTVS.

VERS. IV. Dixitque Saul ad armigerum suum: Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me illudentes mihi, & noluit armiger eius: fuerat enim nimio terrore perterritus: arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum.

§. X.

Principes vel instante morte solent sortiri, qui adulationibus foueant amentiam, & solicitent ruinam.

Princeps. Adulator.

AMICOS, *qui nihil tibi verbis indulgeant, comparato* (monet Eurypides apud Stobæum cap. 14.) *qui verò, vt complaceant, & delectent te, verba faciunt, eos tanquam malos præ foribus excludito.* Præ foribus tanquam nocentissima pestis adulatores debuissent expelli, sed in plurimum ad secretiora constat admitti. Suis homines delectantur erroribus, & habere cupiunt, qui fallant: sed licet hoc frequens sit cæteris infortunium, Principibus videtur innatum; se tam magnos, quàm audiunt, credunt, & quia credunt, audiunt. Nunquam deest in Principum aulis, qui eorum superbam laudibus enutriat audaciam, & exoculatam assentationibus foueat amentiam. Ferendum esset, si hoc solùm florente accideret sălute, sed contingit etiam instante morte. Asserunt adulatores morbum non esse grauem, breui attestantur recuperandam salutem, & dum inter grata mendacia stupentem detinent, miserè emoritur, quia nec periculum delusus agnouit, nec in posterum sibi prouidit. Sauli adhuc vehementer vulnerato sagittis armiger aderat, qui iussus Regis periculum anteuertere, & ignominiosæ cædi honestiori morte occurrere, distulit timore perterritus, & forsitan etiam sortem mutandam confisus: *Dixitque Saul ad armigerum suum: Euagina gladium tuum, & percute me.* In armigero Saulis agnoscit Hugo adulatorem, qui ei contra veritatem, prudentiamque blandæ adulationis ministrabat arma, & præbebat contra salubres persuasiones scuta. Hugonem audi: *Armiger Saulis, id est, Prælati, sunt socij eius, qui adulantes ei dant sibi audaciam malè agendi, & ita armant eum, quòd nullus ictus reprehensionis potest venire vsque ad eum, etsi fortè veniat, ne lædatur Prælatus, ipsi se statim opponunt quasi scutum.* Itaque armiger sic Sauli adulatus est, vt instante etiam morte spes fouerit, & mutandam sortem promiserit. Quàm miser fuit Saul, dum morti proximus non habuit veracem monitorem, sed adulatorem fallacem. Succedat sibi jam datus Hugo: Behemoth eodem tempore squamis se prementibus munitus proditur, & miserè sublatus refertur: *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas.* Squammis audis præmunitum, audi etiam luctuosa clade sublatum: *Cùm sublatus fuerit, timebunt Angeli.* Cùm jam gladius vltor desæuiret, cùm jam strages approximaret, cùm jam excidium immineret, omnia despiciebat delusus, quia squammis se prementibus stipatus. In squammis adulatores agnoscit vbi suprà Hugo: *Tales ita mobiles sunt, quòd surgente Domino surgunt, & ridente Domino, rident, plorante Domino, plorant. Et hoc totum propter terrenam vilitatem.* Si illæ deessent squammæ, fors prouidus gladium timeret, sibique cordatus consuleret; verùm dum oculos squammæ claudunt, dum aures sepiunt, fouerunt ipso, quo placebant, insaniam, & maturauere ruinam. Dum adulator, quod in vitio vtile, aut iucundum exaggerat, iniquis adfectionibus materiam administrat, & dum alit cupiditatis flammam, adsciscit etiam miseriam. Vt miserrimum Behemoth casum Iob describeret, volitante jam gladio, squammis, hoc est adulatoribus, adeò cinctum asserit, vt nec luci pateret aditus, nec veritati esset locus, quia squammæ impediebant sibi arctissimè cohærentes, & spebus falsis adulantes. Iob 41. 6.

§. XI.

De infligentis manu crescit calamitatis miseria, & premit luctuosior ruina.

CAlamitas per se amara de auctore non semel accipit incrementum, & angetur infligentis manu suplicium. Infami carnifici tradi, quia dedecus habetur, morti acerbitatem addidisse putatur. Nobilis non recusat cultro præbere iugulum, animitus auersatur suspendium: aliquod solatium est, si honor maneat illæsus, nec mortis ignominia deuenustatus. *Rem atrocem* (verba sunt Plinij 3. Epist. 14.) *nec tantum epistola dignam, Largius Macedo vir prætorius à seruis suis passus est ... Lanabatur in villa Formiana: repentè eum serui circumsistunt, alius fauces inuadit, alius os verberat, alius pectus, & ventrem, atque etiam (fædum dictu) verenda contundit.* Miserum erat alapis cædi, sed à seruulis, & mancipijs miserius; amarum pedibus proculcari, sed vilibus plantis durius. Ob id Saul, vt inhonestam mortem incircumcisorum manu inflictam non subeat, armigeri manu lethale inferri vulnus exoptat: *Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant* Calamitas

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ciant me illudentes mihi: Ab incircumcisis interfici existimabat infamiam, quam vt redimeret, mortem sibi proprio gladio transfossus accelerauit. Et quidem ex hac gloriæ ambitione erui potest vtile moribus documentum, scilicet satius esse honestam mortem oppetere, quàm infame vitiorum iugum subire. Fame vteris, inopia torqueris, quæ vitabis, si culpis sordidari volueris, sed laudanda erit gloriæ ambitio, si elegeris famis inediam, & detrectaueris culpam. Huc voco D. Thomam apud Glossam: *Ad fortitudinem pertinet, quod quis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, & vt vitet peccatum, sed quod aliquis sibi ipsi inferat mortem, vt vitet mala pœnalia, habet quidem quandam speciem fortitudinis, non tamen est vera fortitudo, sed magis quædam mollities animi non valentis mala pœnalia sustinere.* Consonat Abulensis quæst. 8. *Hoc fecit propter dedecus, quia putabat sibi magnum dedecus esse occidi ab eis.* Vt quæ morti de manu occidentis incircumcisi accrescebat, ignominiam vitaret, breuianit vitam, malens illæsum honorem viuere, quàm vitam tantisper protrahere. Hoc in facto exoculata temeritas est fugienda, nec enim asciscere sibi manus, cui licet, sed audacia sic laudabiliter imitanda, vt eligas inopia, fameque honestè perire potius, quàm scelere admisso vitam protrahere. Ad eam miseriam duo Principes deuenerunt, vt benè secum agi putarent, si Gedeonis, non alicuius ignobilis manu perirent: *Tu surge, & irrue in nos, quia iuxta ætatem robur est hominis.* Puero interficiendos tradiderat, sed arbitrati dedecus, parentis manu infligi sibi exoptarunt mortem, quo sic delinirent calamitatem. Ita Lira: *Magis horrebant mori per manum pueri, qui in hoc non videtur differre à muliere, quàm per manū hominis perfecti; sicut & Abimelech leth, aliter vulneratus à muliere fecit se interfici per armigerum suum, ne diceretur; quòd à muliere interfectus esset, vt c. sequenti* 14. De instrumento, manuque accrescebat ignominia, & rectudescebat acerbior pœna, quam gloriæ ambitio conata est præ ipsa morte vitare, & fugere. Disce à sæculi amatoribus satius, conducibiliusque esse laudabiliter mori, quàm sceleribus sordidari.

Iudic. 8. v. 21.

§. XII.

Apud pessimos rerum æstimatores euanidus honor magni habetur, salus animæ deprecietur.

Honor.

QVI *omne bonum honestè circumscripsit* (scribit Seneca Epist. 75.) *intra se felix est, nam qui alia bona iudicat, in fortunæ venit potestatem, alieni arbitrij fit.* Sui non est, qui ambitionis est; sui non est, qui euanidæ gloriæ est, sui non est, qui pecuniæ est. Nesciunt homines se vti, & solida libertate gaudere, dum toti sunt in euanidis honoribus conquirendis, & diuitijs incrementandis. Stat, qui innititur solidis, nequit non ruere, qui fragilibus, & fucatis. Vna hæc est secura ad felicitatem via, honestatem amplecti, & quidquid cum honestate pugnat, auersari: is tamen ferè omnes error possedit, vt malint animæ detrimento honori cōsulere, quàm honoris iactura sibi veraciter prouidere. Saul ad eas redactus est angustias, vt à Philisthinis capi, & illudi timuerit: ergo ne regius splēdor obscuraretur ludibrijs, & honor sordesceret contumelijs, sibi ascisceret manus decreuit, & tantum admittere piaculum non detrectauit: *Arripuit Saul gladium, & irruit super eum.* Se ipsum occidens grauissimam admittebat culpam, & æternam maturabat sibi pœnam; verùm sic euanidæ gloriæ ardore obcæcatus est, vt æterno animæ detrimento temporalem redemerit ignominiā, & anteuertere suspirarit infamiam. Prodest noster Sanctius: *Vt gentium more regnum administrabat Saul, sic etiam gentilium imbiberat spiritus, & sensus: sic enim fecisse legimus illorum aliquos, qui inter gentes magnum sanctitatis, atque prudentiæ nomen consecuti sunt, vt ignominiam fugerent, quàm viui, & sospites non videbantur declinare posse.* Non putabat Saul, ni mortem sibi inferret, probrosam posse vitare ignominiam; & licet non ignoraret inferre sibi manus non licere, elegit culpam, vt inurendam vitaret notam; pessimus rerum æstimator magni habuit futilem splendorem, nihili æstimauit virtutem. O quot Saulis inueniuntur imitatores! Si existiment honorem suum apud sæculum tantisper denigrari, tentabunt admissis sceleribus instaurare, pluris ducentes, quàm animæ salutem, honoris integritatem. Consilium Ruben, & Leui abominatus est Iacob morti proximus, & cœlesti luce illustratus: *Simeon, & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea.* Princeps Dinæ vim intulit, pulchritudine inescatus, & venustate oculorum illectus, & quamuis oblatis nuptijs conatus fuerit maculam eluere, & errorem suum inaurare, Simeon, & Leui arbitrati etiam celebrantis nuptijs ignominiam non expungi, scelus grauissimum admiserunt, & dolosa fraude honorem plus obscurarunt: ergo Iacob non probat gloriam criminibus tantis quæsitam, & sceleribus adeò turpibus comparatam. Innuit Oleaster ad literam: *In consilium eorum non veniat anima mea, id est, vita mea, tanquam res, super qua est consilium, neque gloria mea, & honor eadem ratione veniat.* Acsi dicat: Dum consilia agitant, conferuntque, an vitanda fuerit culpa, an ignominia abolenda, decreuerunt honori consulere, paruipendentes conscientiam lædere. Eorum igitur consilium damno, cùm satiùs sit honorem crimine non redimere, nec animæ detrimento vanitati prouidere. Dum filiorum vti stultum consilium reprobat, edocet crimine non redimendum honorem, immò honoris etiam iactura illæsam asseruandam esse virtutem.

Gen. 49. v. 5.

§. XIII.

Potestas contra abutentem vertitur, & abusus durissimis pœnis soluitur.

NOn est idem pœnam differri, & euadi. Plura sunt, quæ aut potentiæ armis protecta, aut varijs industriæ artibus colorata frustrarunt notitiam, aut pœnam: verùm cum maxima in ipsis sceleribus pœna sit, jam censendus est miser, qui illud perpetrauit, etsi supplicium eluserit. *Atqui maximum scelerum supplicium in ipsis est* (aiebat Seneca Epist. 87.) *Errat, inquam, si illa ad carnificem, aut ad carcerem differs: statim puniuntur, cùm facta sunt, immò dum fiunt.* Improbi tetris affectionum tenebris obcæcati non norunt scelera puniri, dum fiunt, immò quibus debebant confundi, contigit gloriari. *Quàm multi* (verba sunt dati Senecæ) *furto non erubescunt, quàm multi adulterio gloriantur. Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.* Verum dixit, quia sæpè contingit paruos fures ferreis

Potestas.

compedi

compedibus illigari, magnos ſuſpici; verùm qui munere abutitur, potentiam in prauos vſus detorquens, etſi differatur, crediderit pœnam non effugiendam, immò ipſa ſæpè dilatione augmentandam. Saul à Deo contra Amalecitas armatus, exoculatæ cupiditati adulatus eſt, maluit, quàm Numinis iuſſa exequi, Amalecitas vita donare. Hic error vtpotè Principis non ſolùm manſit impunitus, ſed etiam repetitis acclamationibus celebratus: verùm cum Deus ſuæ iuſtitiæ præuaricator non ſit, ipſo gladio, quo malè vſus eſt ad prædam, interna viſcera perforante dignam expetiuit mulctam: *Arripuit Saul gladium, & irruit ſuper eum.* Quærit Rhabanus, cur vitam non finierit ſagittis aduerſariorum transfoſſus, ſed gladio proprio tranſuerberatus? Reſpondetque apud Gloſſam, exegiſſe Deum dignam pœnam eis inſtrumentis, quibus malè vſus affectionibus deſeruiuit inſanis: *Gladio, quo Amalecitis contra præceptum Dei pepercit, meritò ſeipſum occidit. Sic qui poteſtate pro communi vtilitate accepta aut non vtitur, aut abutitur, ſuo ſe nimirum gladio confodit, & quo ab hoſte defendi debuerat, hoſtem potiùs iuuat.* Gladio, quo videbatur tuendus, periit transfoſſus, quia ipſa poteſtas, ſi detorta ad prauitatem, vertitur contra abutentem. *Nonne lux impij extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis eius?* Splendor impij (inquit Iob) in ignem tranſit, & ardor non ſolùm deuorat pulchritudinem, ſed innubilat etiam euanidum ſplendorem. Lux extinguitur, ſed flamma nouis ardoribus adipatur. *Ignis* (ſcribit Gregorius 14. Moral. 4.) *ſi flammam non habet, nequaquam fuſo lumine ſplendet. Flamma itaque ignis eius, eſt decor, vel poteſtas exterior, quæ de interno eius ardore procedit: quia quod anxiè in hoc mundo adipiſci deſiderat, plerumque ad cumulum perditionis ſuæ obtinet.* Itaque extinguitur ſplendor, non ardor, immò ipſa lux, qua tumens oblectabatur ſuperbia, adurere ſolet præcordia. Subiungit Gregorius: *Siuè in poteſtate culminis, ſiuè in diuitijs multiplicatur, quaſi per exteriorem gloriam lucet: ſed non ſplendebit flamma ignis eius, cùm in die exitus omnis exterior decor ſubſtrahitur, & ſolo ſuo intrinſecus ardore concrematur.* Ipſa culminis lux conuertitur in ardorem, vt qui lucebat ſplendibus, ipſo ardore ingemiſcat vſtulatus.

Iob. 18. v. 5.

§. XIV.

Sunt, qui, vt mortem effugerint, ſibi ſtultiſſimè maturarint.

Mors.

STultitia eſt (ſcribit Seneca Epiſt. 70.) *timore mortis mori. Venit qui occidat. Expecta: quid occupas? Quare ſuſcipis alienæ crudelitatis procurationem? Vtrum inuides carnifici tuo, an parcis?* Hæc ſtultitia plures tenet, verentur dura infortunia, quæ anticipant, vt euadant. Prudens, etiamſi certa mors inſtet, & deſtinatum ſibi ſupplicium non ignoret, non commodabit pœnæ ſuæ violentam manum, ſed fortis ſpectabit euentum: mentita fortitudo eſt præoccupare carnificis munus, Sapientiam profeſſi vim ſibi afferendam negant, & quamcumque fortunam patienter ſuſtinendam pronuntiant. Expectandus eſt exitus, quem Numen decreuerit. Etſi vrat morborum accerbitas, etſi vrgeat hoſtis immanitas, miſer non eris, quia nemo niſi vitio ſuo miſer eſt. Malè initur ad-libertatem via, qua ad duriorem peruenitur miſeriam, & inextinguibilem ignis flammam. Saulis armiger nimio timore concutitur, & Domini ſecutus exemplum, ferrum in viſcera adegit, & maiori detrimento remedium timori quæſiuit: *Fuerat nimiò terrore perterritus ... irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo.* Nimius timor de arce mentis prudentiam deturbauit, & vt fugeret; mortem aſciuit. Ita Lira: *Dicunt communiter, quòd fuit Doeg Idumæus: qui timens grauius affligi à Dauid, ſi ſuperuiueret: ideò ex triſtitia, & quaſi deſperans ſurripuit ſibi vitam.* Doeg in ſe carnificem egit, quia carnificem timuit. Arriæ filius deceſſit eximia pulchritudine, pari verecundia matri non minus charus, quàm quod filius, quia eximijs naturæ donis & virtutibus exornatus. Quid tunc? Arreptum pugionem in viſcera abſcondit, & à vulnere extractum Pæto (ſic enim eius maritus vocabatur) vt ſe interimeret, porrexit, dicens, quòd vulnus non doleret. Ita Plinius 3. Epiſt. 16. *Præclarum illud eiuſdem, ferrum ſtringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem, ac penè diuinam. Pæte non dolet.* Futilis fama, vera ſtultitia orbitatis remedium atrocitas fuit, & ne vineret filio orba, iacuit extincta. Sic delirare ſolet aut nimius amor, aut nimius timor.

§. XV.

Non ſemel in morte timida vrget triſtitia, quem in vita exoculata præcipitauit audacia.

VIs aduerſus hoc corpus liber eſſe? (verba Mors. ſunt Senecæ Epiſt. 70.) *tanquam magnum Audacia. rus habita: propone tibi quandoque hoc conuubernio carendum.* O quàm aliter plures viuerent, ſi hac ſe meditatione obarmarent, verùm dum vitæ exitum non recordantur, turpiſſimis ſceleribus inficiuntur. Hæc obliuio ad omne nefas reddit impudenter audaces; ſed cum finis inſtat, pro exoculata audacia ſuccedit ſuppurata triſtitia. Doeg qui cum reliqui in Sacerdotes manum mittere extimeſcerent, impia proſiliuit audacia: *Irruit in Sacerdotes.* Modò nimio adeò terrore Sup. c. 22. v. 18. concutitur, vt quo trucidauit Sacerdotes, gladio ſe occiderit, & infelicem animam egerit: *Nimio terrore perterritus ... Irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt.* Saulis fanore elatus impias manus ei commodauit, & audaci temeritate innoxium ſanguinem fudit. Modò extincto jam Saule reſponderunt ſemini fructus, pro audacia ſucceſſit viſcera diſcrucians triſtitia, & ex triſtitia nata eſt ſumma deſperationis imprudentia. Ipſo gladio, quo intulit, dedit pœnas, & ardentiſſimas tulit anguſtias. *Dicunt communiter* (inquit Lira) *quòd fuit Doeg Idumæus: ideò ex triſtitia, & quaſi deſperans ſurripuit ſibi vitam.* Nequibat inueniri deterior carnifex, ideò ipſe ſui carnifex fuit, & qui in vita non timuit, in morte expauit: *Abſ-* Iob 18. *condita eſt* (aiebat Iob) *in terra pedica eius, &* v. 10. *decipula illius ſuper ſemitam. Vndique terrebunt eum formidines, & inuoluent pedes eius.* Mores aſperi crudelitati, & audaciæ ſolent eſſe conjuncti. Sæpè proponuntur animo honores, diuitiæ, & euanida gloria, ad quæ aſſequenda inuolnat ſitienter audacia, quia non videtur decipula, ſed dum greſſus ſe nequeunt explicare, incipiunt dari

duri timores adurere : *Tales contra se* (scribit Gregorius 14. *Moral. cap.7.*) *omnes esse suspicatur, qualis ipse esse contra omnes nititur, quæ nimirum formidines quid in eius actione faciant, subinfertur, cùm dicitur : Et inuoluent pedes eius.* Pedes duris vinculis inueniuntur illigati, quia ad vitam non permittuntur redire, & tenebrosas mortis vias amarissimis discruciati angoribus verentur intrare : cor exæstuat culparum voluminibus pressum, & anteactæ vitæ colligit amarissimum fructum. Doeg in octoginta quinque sacerdotes non metuit irruere ; sed modò octoginta quinque contra se videns non potuit horrido timore non quati : vt notum fuerit nasci ex audacia terrorem, & ex insolentia formidinem.

TEXTVS.

VERS. V. Quod cùm vidisset armiger eius, videlicèt, quòd mortuus esset Saul : irruit etiam super gladium suum, & mortuus est cum eo.

§. XVI.

Certa animæ clade famæ exambitur celebrari opinione.

Fama.

EX gloriæ cupidine ardens adeò incendium sflabellatur, vt humanam prudentiam prorsus innubilare probetur. Fœdas vitiatæ opinionis notas abstergere est cordati gloriam euanidam animæ detrimento sitire, non dubitatur esse deliri. *Fas est* (aiebat Cassiod. *3.variar.46.*) *maculosas notas vitiatæ opinionis abstergere* ; Sed fas non est gloriam maculosis conscientiæ notis ambire. Quid enim stultius, quàm famam quærere, qua non potiaris, & ad stabiliendam famam perpetrare, quibus æternum crucieris. Saulis armiger ferrum in viscera adegit, vt Saulem proprio ense transfossum vidit : *Quod cùm vidisset armiger eius, videlicèt, quòd mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.* Inquirunt Interpretes, cur armiger sibi vitam absciderit? Alij existimant id in amoris argumentum fecisse, existimassèque probrosam sibi fore iam vitam, si Saule demortuo, quem tenerè adamarat, superstes existeret. Vndè cùm in vxoris gremio Scribonianus fuisset occisus, & vxor eius mortem sibi non asciuisset, non defuit fœmina, quæ ei sic insultaret, teste Plinio *3. epist. 14. In gremio Scribonianus occisus est, & viuis ?* Mortem morti non associasse arbitrabatur amoris iniuriam, & fidelitatis notam: ergo armiger, vt amorem suum testatiorem faceret, auersatus est vitam, quasi superstes inferret amori notam. Alij existimant eis angustiis fuisse constrictum, vt stultè mortem putarit esse remedium. Vt etiam alius quidam custodiæ longo situ tabescens delictum confessus est, malens semel perire, quàm tot ærumnis vexari. Ita Cassiodorus *3. variar. 46.* ipsum alloquens : *Gratius tibi fuerit spem citæ mortis expetere, quàm tormentorum crudelia sustinere : inter supremas enim anhelantis angustias votum est potius perire, quàm viuere, quia detestabilis sensus pœnarum excludit dulcissimæ salutis affectum.* Ea armiger pœnarum solicitudine angebatur, vt maluerit vitam finire, quàm protelare. Alij id armigerum fecisse asserunt æternandæ famæ cupidine, quasi celebrandus fuerit fidelissimus. Ita noster Sanctius : *Neque vlla apparet causa grauis, & honesta, quam in hoc casu planè funesto expectare potuerit hic armiger, nisi fortasse, vt regium opperetur interitum, & laudem apud suos, & immortalem gloriam obtineret, quod vitam Regi suo, reique publicæ largitus esset, & quòd ad mortem vsque seruasset pietatem, & fidem.* Nihil mirum sic iudicarint homines prorsus euanidæ gloriæ ambitiosi, virtutéque nudi ; mirandum tamen est Christiana fide imbutos duellum admittere, malléque animam periculo exponere, quàm famam innubilare. Armiger, vt fidelis assequeretur gloriam, non solùm amisit vitam, sed animam. Hoc in Ethnicis celebratum, sed vera religione instructis detestandum est, & fugiendum. Maro *lib.9.* Sic de Eurialo, & Niso.

Tum super exanimem sese proiecit amicum,
Confossus, placidáque ibi demum morte quieuit.
Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.

Eiusmodi ergo famæ armiger ambitiosus à Saule noluit disiungi, sed eadem morte amorem, & fidelitatem testari.

TEXTVS.

VERS. VI. Mortuus est ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius in die illa pariter.

§. XVII.

Calamitatis est cumulus, si filius iners viuat, & benè moratus, ac eximius è vita excedat.

Fœlicitas.

FIlij dulce sunt laborum leuamentum, naturæ fulcrum, parentum solatium : Lætatur pater altero se genito, quia videt quadam immortalitate protendi, quod continuis constat incrementis produci. Nihil acerbius parentibus, quàm intueri extinctum, quem filium desiderabant æternum. Verùm intolerando viscera paterna dolore cruciantur, si contigerit è filiis strenuum discedere, ignauum viuere. Celebri vena exoriri, est felicitatis, respondere, virtutis : qui à cespite indignis actionibus degenerauit, de ipsa luce confusas tenebras sibi procudit ; nec debet inter maiores sæculi celebrandos recensèri, qui constat extraneis moribus denigrari : suspiciendus est, qui egregia maiorum facinora longè deuicit, & prælucente honestæ actionis lumine laudabiliter tumulauit. *Vicit ipse* (aiebat de Cypriano Cassiodorus *5. variarum 41.*) *maiores suos felicitate sæculorum.* Cyprianus fuit parentum gloria, esset, si degener, ignominia. Hinc est, quòd, dum omnes Saulis filij non referuntur occisi, sed solùm miris virtutum dotibus exornati, duplicetur calamitas, & quia extincti iacent, qui auorum possent gloriam extendere, & quia remanet, qui iners, & ignauus solùm poterat tumulare : *Mortuus est ergo Saul, & tres filij eius.* Calamitatis aliquod videbatur solatium Isboseth hostilibus mucronibus, non extinctum, sed ad generis amplificationem seruatum,

quandoquidem & hæreditatem adire, & regia quibit dignitate fulgere. Verùm idipsum (inquit Abulensis *quæst.* 2.) non erat calamitatis solatium, sed incrementum; nam qui interempti refulgebant naturæ dotibus, & miris exornati virtutibus, qui remansit, & pauidus, & iners, & quodammodò à genere alienus. Ergo geminata calamitas fuit hunc ad generis notam superresse, & illos tot stemmatibus respondentes occidi. Audi Abulensem: *Erat vir corde pauido, & inepius ad bellum, quod patet ex actibus suis, quia nihil Rege dignum egit, dum vixit, vt patet sequenti libro cap. 2. vsque ad 5.* Quid patri infaustius, quàm filios generis ornamentum perire, & ignauum, dignitatisque dedecus remanere? Abrahamus duos suscepit filios, Isaacum, & Ismaelem, hunc è serua, illum ex ingenua, & libera. Ismael referebat matris ingenium, in tenera etiam ætate lubricus, & eminendi ambitiosus: *Cùm vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac.* Pro ludis habebat idola construere, & Ægyptios mores referre. Ita Hieronymus apud Glossam: *Dupliciter hoc exponitur, vel quod idolis ludos fecerit, vel quod aduersum Isaac quasi maioris ætatis loco sibi primogenita vendicauerit.* Isaac morum decus, parentum gaudium, & generis ornamentum; hic ergo, cui pietas, & commiseratio maior debebatur, immolari iubetur: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Zeno Veronensis *serm.* 1. de Abraham expendebat, Abrahami deuotionem non minus resplenduisse, dum virtutibus immolauit expolitum, ac dum sustinuit prauis moribus sordidatum: *Hic infans, è cuius vita paternus affectus, & maternus pendebat, ad explorationem fidei suæ diuina voce postulatur ad victimam.* Ismael non postulatur, & Isaacus immolari iubetur, quo fidei, patientiæque maiora Abrahamus ediderit argumenta, agrestem, & duris imbutum moribus sustinendo, & docili ingenio, eximiisque dotibus cultum immolando: *Ad explorationem fidei suæ diuina voce postulatur ad victimam.* O quàm exacutis doloris stimulis anxium patris cor vrgebatur, cùm excedentis dolorem superstitis vita incrementaret, & indè calamitas recrudesceret acerbior, vndè deliniri debuit placatior. Quid Abrahamo durius, quàm conferre superstitem cum extincto, illius docilitatem, facilitatémque morum cum huius contumaci pertinacia, & dura ceruice: Ergo Isaac postulatur ad victimam, vt Abrahamus sæculis celebrandam ostentarit patientiam.

Gen. 21. v. 9.

Gen. 22. v. 2.

§. XVIII.

Nobilis, ingenuusque potiùs eliget honestè cadere, quàm non bono rubore suffundi.

Mors. Confusio.

SIbi non attendit, qui fortunæ attendit. Sapiens non extendit iniuriam sibi ad futurum prouidentiam, sed mauult muneris legem implere, quàm sagaci cautela vti. *Dicebat Chysippus* (verba sunt Thucididis è concione) *dolere quidem sapientem, sed non torqueri, seu cruciari; nihil enim submitti animo, ac egere quibusdam, non ita tamen, vt admittat.* Desiderat sapiens vitam, non tamen honoris iniuria; discupit dignitatem, non tamen iniquis artibus acquisitam; vult imminentem mortem euadere, sed non vult à lege, & obligatione deficere. *Arripe mortem honestam* (aiebat Musonius apud Stobæum *cap.* 4.) *dum licèt, ne paulò post moriquidem tibi necesse sit; at honestè non amplius liceat.* Turpi vitæ honesta mors præferenda est, & priùs muneris obligationi prouidendum est, quàm incolumitati, aut saluti. Cum Saule vniuersi viri eius ab aduersariis referuntur extincti, cùm potuerint è castris excedere futuri euentus non ignari: *Mortuus est ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius in die illa pariter.* Cùm Saul de euentu fuerit à Samuele præmonitus, & qui ei adstabant, oraculum nequiuerint ignorare, quærunt Interpretes, cur non recusarint Marti alem ad campum contendere, aut cur noluerint aliorum vestigia sequi, fugámque arripere? Abulensis *quæst.* 2. ait oculis spectasse mortem, nec exhorruisse, eligentes honestè potiùs cadere, quàm turpi rubore suffundi: *Cùm reliquus Israel fugeret, & viderent illi Saulem firmiter manentem in bello, erubuerunt fugere, relicto Domino in manibus hostium; ideò maluerunt gloriosam subire mortem, defendendo Dominum suum in bello, quàm turpiter fugiendo ignominiosam vitam adipisci.* E Saulis familiaribus nonnulli euentus præsagi tetenderunt ad castra, nec matura se subducere voluerunt fuga, ne à Domini latere deficientes honori vulnus infligerent, & ignominiosè vitam seruarent. Vti ingenui, & virtutibus exornati vitæ honestam famam prætulerunt, non famæ vitam. Iudas Machabæus, cùm nonnulli fuga consulere vitæ persuaderent, maluit in acie forti constantia cadere, quàm ignominiosæ fugæ subsidium quærere: *Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis: & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Exercitu destitutus, & armis aduersariorum circumseptus non acquieuit consiliis suorum, vt fugeret, immò maiori ardore inflammatus est, vt pugnaret: videbat vitæ pretio illæsam fortitudinis seruandam gloriam, aliter subeundam fore ignominiam: ergo delegit mortem pulchram, non vitam ignominiosam. *Quia fortitudo* (scribit Ambrosius *lib.* 1. *Officior. cap.* 41.) *non solùm secundis rebus, sed etiam aduersis probatur: spectemus Iudæ Machabæi exitum ... Cum nongentis viris bellum adorsus, volentibus his cedere, ne multitudine opprimerentur, gloriosam magis mortem, quàm turpem fugam suasit: ne crimen, inquit, nostræ relinquamus gloriæ.* Non inanis gloriæ cupidus, sed muneris sui conscius, impauidis spectauit oculis mortem, ne inferret fugiendo muneri crimen. Ergo Saul etiam serui maluerunt corpora sua ad tuendum Dominum hosti obiicere, quàm versis tergoribus vitæ turpiter prouidere. *Viros bonos* (aiebat Plato apud datum Stobæum) *vita non longa, sed clara, & illustri opus habere.* Non commendat vitam diuturnitas, sed actionum honestas; breui vitæ spatio consecuti sunt plures famæ immortalitatem, longissima vita alij adauxere sibi ignominiosissimam confusionem.

1. Macch. 9. v. 10.

TEXTVS.

TEXTVS.

VERS. VII. Videntes autem filij Israel, qui erant trans vallem, & trans Iordanem, quòd fugissent viri Israelitæ, & quòd mortuus esset Saul, & filij eius, reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt: venerúntque Philisthiim, & habitauerunt ibi.

§. XIX.

Magnatum strages consulit deliciis sæculi renuntiare, & tutiora saluti petere.

Magnates. Mors.

VEl rudes aues ad fundæ strepitum, vbi saporatis, ac delicioſis fructibus alebantur arbores deſertant; & ad ſecuriora feſtinant; & non eruditur homines alienis caſibus, vt ad meliorem ſe frugem recipiant. Qui oculis hauſientes non ſolùm terroribus concuſſos, ſed ipſis, quibus elucebant, flammis montes euerſos, colles ad plana deductos, & peregrinis alluuionibus campos inundatos, ſibi non conſulunt, nec ſe ad tutiora recipiunt, ſuæ prudentiæ faciunt iniuriam, & menti inferunt contumeliam. Iure æquiſſimo in brutorum cenſu relatus eſt Nabucho, dum caput aureum in fauillam æſtiuæ aræ conuerſum, ventóque ſparſum ſomnians nec ſtilum vertit, nec tumorem depoſuit. Vbi Romam fulmine tactam Romani ſpectarunt, ad numina placanda conuerſi ſunt: fulminis flamma pro luce illis fuit, vt mores expolirent, & deliciis abſtinerent. Audi Plinium ſecundùm *lib. de Prodigiis*: *Fulmine Roma, & circa pleraque tacta: Præneſte lacte pluit. Haſtæ Martis in regia motæ. Priuerni terra ſeptem iugerum ſpatio in cauerna deſedit. Saturniæ Androginus annorum decem inuentus, & mari demerſus. Virgines viginti ſeptem vrbem carmine luſtrauerunt. Reliquum anni in pace fuit.* In pace reliquum anni fuit, quia vbi animaduerterunt montes in valles tranſmigrare, liqueſcere anhelantibus flammis montium cacumina, & mores componere, & vrbem feſtinauerunt luſtrare. Sibi inuidet, qui aliena calamitate non ſapit. Valle amœniſſima, & deliciis omnibus plena fruebantur Hebræi, & tamen celeri curſu amœna reliquerunt, & ad tuta, & confragoſa inolarunt: *Videntes viri Iſrael, qui erant trans vallem, & trans Iordanem, quòd fugiſſent viri Iſraelitæ, & quòd mortuus eſſet Saul, & filij eius reliquerunt ciuitates ſuas, & fugerunt.* Eam, quam incolebant, terram antonomaſticè appellari vallem, quia deliciarum vernabat copia, & odoramentorum affluentia, tradit noſter Sanctius, cuius verba ſunt: *Eſt vallis, vt ſuſpicor, Engaddi, quæ balſami eſt nobilitata prouentu; & eo nomine maximè illuſtris, quæ proxima eſt mari mortuo, in quo olim fuere quinque ciuitates, & in illis totius mundi maximæ deliciæ.* Iam ſi inquiras, quò tetenderint? Reſpondet idem Auctor: *Deſeruerunt vrbes, quas in valle coluerant, & in tutiora loca commigrarunt.* Conſpicati Regem maximum ſagittis tranſfoſſum, prolem regiam florenti ætate vita mulctatam, eximiam Iſraelitarum fortitudinem prorſus attritam, euerſámque,

Eman. de Naxera in Reg. Tom. II.

vt hoſtiles effugerent manus, deliciis ſe prorſus interdixerunt, & ad aſpera commigrarunt; & quidem prudenter; nam ſi acri adeò timore concuſſi, & tot ſtragibus admoniti ſtilum non verterent, nec voluptatibus renuntiarent, velut ſtupidi ab hominum cenſu excludi, & brutis fas erat inſipientibus aggregari. Loth viſus eſt à rationis lumine oculos auertere, & amœnitate Sodomorum ſtudioſè cæcutire, dum audit nigros imminere flammarum torrentes, & euadere differt: verùm hic ipſe Segór iam incola, & incolumitatis donatus teſſera montem ab hominum conſpectu remotum inſcendit, & obſcura ſpeluncæ latuit: *Manſit in ſpelunca ipſe, & duæ filiæ eius cum eo.* Si roges, cur ſpeluncam voluntarius intrarit, qui ab vrbe penè coactus diſceſſit? Reſpondeo fuiſſe illi pro calcaribus inopinum vxoris caſum, & miſerandum ciuitatum euétum. Vidit opulentiſſimas ciuitates in fauillam redactas, tot ſæculorum labores ſuperbis turribus impenſos, & in delicioſis excolendis hortis poſitos momento periiſſe; vidit vxorem vegeta ſalute, integris viribus immobilem, repentè ſalem, & licèt immoraretur diſcrimen audiens, & periculo obnoxius, inſpectis ſtragibus tutiora ambiuit ſecurus. Omnibus ſpretis, ſpeluncæ latebras, vt ſibi prouideret, intrauit, magis eligens auſteritatem ſecuram, quàm voluptatem periculis plenam. Innuit Hugo Cardinalis: *Iſta inuenies in mundo, qui per Sodomam ſignificatur: Sulphur, fœtor luxuriæ, ignis ardor, cupiditatis æterna ſterilitas, vanitas ſuperbiæ, lacus mutatus in mortuum, in quo nihil viuit, occupatio mundanorum plena amaritudine mortua, quia ducit ad amaritudinem æternam.* Expendit Loth ſuperbiæ exitum, luxuriæ mercedem, deliciarum finem, & his conſiderationibus eruditus, maluit viuus aſperis antris ſepeliri, quàm flammis anhelantibus diſcruciari. O ſi plures Loth imitati mentis oculos ad ſæculorum caſus extenderent! Profectò voluptatibus renuntiarent, malléntque anguſtè viuere, quàm deliciis indulgere.

Gen. 19. v. 30.

§. XX.

Periculoſa vitat certamina, qui migrat omnibus relictis ad tuta.

SPecioſis occupationibus illigati, & cœco diuitiarum amore irretiti, non conſideramus, quanta ab his quotidiè emergant cœca pericula, quàm falſata ſint gaudia, quàm veræ tranquillitatis, & ſalutis ſint mera venena, quæ exa ambiebantur, auxilia. Ad beatam vitam hiamus, ſed circa aſſequendi modum cœcutimus. *Me hùc quoque* (aiebat Plinius 7. *epiſt.* 30.) *vrbana negotia proſequuntur, non delectant. Non deſunt enim, qui me aut iudicem, aut arbitrum faciunt. Accedunt querelæ ruſticorum, qui auribus meis poſt longum tempus ſuo iure abutuntur. Inſtat & neceſſitas agrorum locandorum, perquam moleſta.* Romæ Conſul negotiorum mole ingemiſcebat oppreſſus, & locandorum agrorum cupida ſolicitudine diuexatus; videbat in ridenti etiam fortuna plus eſſe doloris, quàm gaudij, & licèt ab aliquibus repetitis plauſibus celebratus, à pluribus angebatur querelis, & inuidentiæ machinis impetitus: *Vrbana negotia perſequuntur, non delectant.* Vna eſt via declinandi perſecutiones ab inuidentia exortas, lites à cupiditate manu factas, ſolicitudines à

Prouidētia.

diuitiis ipsis congenitas, scilicèt se his omnibus soluere, & felicem tutúmque felicitatis contemptum discere. Naturam nullus, aut rarus odit, omnis, quæ splendida circunstant, sitienter exambit. Hanc veritatem comprobant Philisthini, qui desertas ab Israelitis ciuitates occupantes, ab eis persequendis abstinuerunt, & se non homines odisse, sed eorum diuitias suspirasse factis monstrarunt: *Reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt: venerúntque Philisthiim, & habitauerunt ibi.* Et cur fugientes non persequantur, vt pleniori triumpho coronentur? Quia vbi spes acquirendi defuit, & persecutio cessauit. *Tunc ipsi non curauerunt plus eos persequi* (scribit Abulens. *quæst.* 12.) *scilicèt scientes quòd fugissent Israelitæ de vrbibus illis, occupauerunt eas, quia erat terra illa nimis fructifera, & desiderabilis.* Tellure generosè relicta cessauit bellum, quia ob tellurem erat dissidium. Quisquis opulentus luxit, inuidentiæ quid sitiret, ostendit. Vbi Isaac puteo altè effosso viuam aquam inuenit, calumnias sustinuit: *Foderunt in torrente, & repererunt aquam viuam. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua. Quamobrem nomen putei ex eo, quod acciderat, vocauit calumniam.* Quandiu caruit aquarum copia, caruit etiam calumniarum molestia; non excitabat cupiditas iurgium, dum non sperabat vndarum prouentum; verùm vbi spes improba affulsit, calumnia viguit. Reliquit Isaac puteum, vt iurgiorum vitaret tædium, &, ni reliquisset, calumnias multiplices toleraſſet. Prodest Gillebertus *in Alleg. Tilman. In illo cœpit homo rixari cum vitiis... Puteos inimicitiarum, & calumniæ reliquit Philisthæis.* Tranquillè non viueret, ni secederet: alia non est ad pacem, tranquillitatémque via, nisi paruo contentum esse, &, quæ auferri possunt, despicere.

Gen. 26. v. 20.

TEXTVS.

VERS. VIII. Facta autem die altera venerunt Philisthiim, vt spoliarent interfectos, & inuenerunt Saul, & tres filios eius iacentes in monte Gelboe.

§. XXI.

Non sic lucem anteuertere edocuit virtutis studium, vt diuitiarum edocet desiderium.

Cupiditas.

DIuitiarum amor improbam homines patientiam edocuit, & anxios labores subire suasit. *Multas myriades calculat Artemidorus* (aiebat incertus auctor apud Stobæum *cap.* 10.) *& nihil expendens mulorum vitam agit, qui sæpiùs auri pretiosissimum onus gestantes magnum super dorso, solùm comedunt fœnum*: Inuenies plures, qui aliquid de necessario etiam victu præcidant, & diuitias aliis relinquentibus adaugeant, sui ipsorum tyranni, auro inueniuntur onusti: somnum non capiunt, & si spes acquirendi effulgeat, lucem anteuertunt cupiditatis æstro agitati, & improba agitatione soliciti. Totum diem consumpserant Philisthæi acriter contra Israelitas pugnando, cúmque nocte superueniente ipsa natura exigeret defatigatos certaminibus artus somno recreare, anteuerterunt lucem, aut certè vbi aurora splendere incepit, ad deprædanda Israelitarum castra innolarunt: *Facta autem die altera venerunt Philisthiim, vt spoliarent interfectos.* Verbum illud: *Facta die*, innuit, statim ac dies illuxit, properanter iter arripuisse, & somni illecebris renuntiasse. Desertas ab Hebræis, plenásque diuitiis ciuitates possidentes, adhuc cupiditas æstuabat, & spolia ardenter sitiebat. Occisorum ruina, quàm citò omnia verterentur admonebat, sed aures cupiditas obturabat. Notauit noster Sanctius: *Totum illum diem posuerunt Philisthini in cædendis, fugandisque contrariis... vbi vero primum illuxit, conuersi sunt ad castrorum, & cæsorum exunias.* Palpebræ super oculos cadebant somno deuictæ, pedes gressus nequibant explicare certaminum labore fessi: manus fatiscebant dilassatæ, & nihilominus sic corda exæstuabant auri cupidine, vt oculos cogerent somnum excutere, & pedes ad spolia diripienda innolare: nihil extincti quibant auferre, sed Philisthæus à se impetrare non potuit, vt somno artus defessos, defatigatósque recrearet, sed lucem anteuertit prædæ cupidus, & cupiditate insatiatus. Vtinam hanc meliori intentione imitarentur solicitudinem, qui virtutis militant castris. Sed proh dolor! malunt dormire, quàm acquirendis veris diuitiis inuigilare. Sex annos posuerat Iacob in Laban curandis gregibus, &, ne aliquod pateretur dispendium, testatur cadentes palpebras detinuisse, & solicitè inuigilasse: *Dit,* Gen. 31. *noctúque æstu vrebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Hic idem cum Angelo luctatus, vt benedictionem acciperet, noctem insumpsit, & lucente aurora abstinere à luctando luit, tantámque ad speciem admirationem Angelo ingessit, vt nouo indito nomine cœlestium more viuentem appellarit; *Nequaquam,* Gen. 32. (inquit) *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Israel interpretatur *videns Deum, aut Princeps cum Deo*, vt Hieronymo *in quæst. Hebraicis* placet: *Princeps cum Deo, id est, Israel. Quomodò enim Princeps ego sum, sic & tu, qui mecum luctari potuisti.* Profectò vnius noctis luctæ ob benedictionem non videbatur tanto nomine digna, præcipuè cùm assuefactus esset Iacob cum somno luctari ob seruanda pecora. Cur ergo Angelus demiretur Iacob virilem constantiam, & pertinacem vigiliam? Expende, amabo te, causarum differentiam. Luctabatur anteà cum somno ob temporale lucrum, quod solitum, modo ob cœlestem benedictionem, quod rarum: ergo demiratus est Angelus voluisse somni dispendio laboriosos certaminis labores protrahere, & benedictionem mereri. Tanta homines desidia cœlestia quærunt, ardore tanto volatica exambiunt.

TEXTVS.

VERS. IX. Et præciderunt caput Saul, & spoliauerunt eum armis, & miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templo idolorum, & in populis.

§. XXII.

Præhabiti honores, & facultates solùm deseruiunt peccatoribus post mortem ad ludibria augenda, & dedecora incrementanda.

Peccator. Honor.

FVgaci bonorum, diuitiarúmque splendore oculi repercussi cœcutiunt, nec iustam de rebus sententiam ferunt. A fructu frumenti, vini, & olei multiplicatus, habetur peccator fortunatissimus, cùm ob id ipsum & sit, & censeri debeat miserrimus. Ipsa, quæ demiramur, causa doloris sunt, & quibus habetur beatior, ipsis reuerà imenitur miserior. Felicem putas, cui aurea supellex, quem sequitur pompaticè ornata, & copiosa pompa? Felicem putas ad dignitatum culmina elatum, & celata quadriga euectum? Omnia ista, si virtus desit, tormentorum incrementa, & origo sunt. *Quid ad rem pertinent* (disertè Seneca *epist.* 87.) *mulæ saginatæ vnius omnes coloris? Quid ista vehicula celata?*

—— *Instrati ostro alipedes, pictisque tapetis.*
Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Tecti auro fuluum mandunt sub dentibus aurum.

Ista nec dominum meliorem possunt facere, nec mulam. Vt auri sarcina mulam grauat, dum ornat, sic etiam hominem, dum ornat, grauat. Ipse voluptatum, deliciarúmque excessus in pœnarum vertitur cumulum, & crescit de felicitate tormentum. Saul Regum Hebræorum primus, acclamationibus celebratus, diuitiis onustus, vt reliqui, in montis culmine iacet stratus; non solùm præ aliis, dum viueret, sagittis doluit transfossus, sed præ aliis post mortem sorduit capite detruncatus: *Præciderunt caput Saul, & spoliauerunt eum armis: & miserunt in terram Philisthinorum per circuitum.* Et cur plus in Saulem desæuiant, & præcisum caput ludibrio exponant? Quia vbi ex ornatu Saulem esse agnouerunt, grauioribus pœnis mulctarunt. Itaque ipse ornatus splendor hostibus prodidit, & grauius illi tormentum asciuit. Notauit noster Sanctius: *Saulis inuenerunt, & trium filiorum strata cadauera, quæ quidem ab aliis internoscere difficile non fuit propter ornamenta, quæ cum vulgaribus non debuerunt esse communia.* Qui præ aliis in vitâ resplenduit expolitus, præ aliis in morte etiam capite fuit truncatus. Splendor in grauiorem transiuit pœnam, & adauxit probrosissimam ignominiam. Vt nostræ thesis veritas constet, videlicèt post mortem eis ipsis adangeri supplicia, quæ in vita refulserant ornamenta. Isaias Luciferum alloquens sic aiebat:

Isa. 14 v. 12. *Quomodò cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Singularis, vt superbiæ, ambitionique suæ adularetur, resplenduit, ea tamen singularitas specialem adduxit pœnam, & peculiarem præ cæteris ignominiam: *Tu proiectus es de sepulchro tuo quasi stirps inutilis pollutus, & obuolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci quasi cadauer putridum. Non habebis consortium, neque cum eis in sepultura.* Stirps, quæ debuisset ramos protendere, germina inoculare, fructus condire, solum nouit superbia ventosissima inflari, inflata singularitate efferri, vanitate omnibus inuisa extolli. Ergo quæ à cæteris singulari nitore discreta, cum cæteris nullum est consortium sortita, immò duriori præ cæteris ferro extirpata. Luxit Lucifer aliis stellis micantior, sed lux ipsa in ignominiam conuersa est; vndè videbatur fortunatior, probatur miserior. Ad infernum detractus, quia singularis resplenduit, grauiorem pœnam subiuit, cum aliis non habuit in tormentis consortium; quia præ aliis habuit splendoris ornatum. *Cui plus creditur* (inquit Interlinearis) *plus exigitur ab eo.* Consonat Glossa: *Quorum cadauera remanent insepulta, à bestiis, & auibus deuorantur.* Qui singulari colebatur plausu, singulariter volucrum laceratur & morsu, & solùm deseruit ad pœnarum, opprobriorúmque cumulum, antiquum felicitatis augmentum.

§. XXIII.

Triumphatoris imbecillitas auget detrimentum phati ignominiam, & incrementat infamiam.

IN arduis rebus (aiebat Eurypides in Arche) *crescit hominum gloria.* E contrà in facillimis ignominia. Qui victus à fortissimo, strenuóque milite, de victoris valentia inaurat quodammodò casus ignominiam, nec probatur ignauus, cui cum forti, & strenuo congresso contigerit superari, sed eius prodit virtutem congredi. Ille iners, imbellisque habetur, qui ab exigno hoste fugatur. Inualentia triumphantis detriumphati adauget infamiam, vt etiam addit victori elogium subiugati robur eximium. Belus, qui gladium primus produxit, dum inermem aggreditur, de victoria nullatenus celebratur. *Belus ferreum gladium primus produxit* (inquit Cassiodorus 1. *variar.* 30.) *à quo & bellum placuit nominari . . . nam etsi datum illi est prius inermem facilè vincere, tamen crimini applicandum est.* Armatus inermem subiugauit, sed fortis, & strenui elogium non meruit. Goliath deuictum fuisse à puero, & inermi, adauxit infamiam, vt Dauidi vicisse monstrum tot instructum armis, gloriam: itaque de qualitate contrarij aut ignominia crescit, aut fama. Hinc est, quòd Saulis strages luctuosior probatur, cùm eius caput Dagoni vti spolium offertur: *Præciderunt caput Saul, & spoliauerunt eum armis, & miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templo idolorum.* Præcisum caput Dagoni spolium fuisse dicatum, constat ex 1. *Para ip.* 10. quod ad maiorem Saulis ignominiam spectasse tradit Abulensis *quæst.* 14. *Putauerunt Philisthini se habere magnificam victoriam, cùm occiderunt Saulem, ideò ad ostendendam gloriæ magnitudinem miserunt caput Saulis.* Remanserat Dagon capite, manibúsque præcisus solus truncus, ab Arca attritus, & deturbatus, vt patet suprà *cap.* 5. ergo Saulis augebatur ignominia, cùm Dagoni manco, & attrito illa adscribebatur victoria. Victoris fortitudo aliquale esset casus solatium, adauxit imbecillitas probrum. Hinc oritur pro moribus vtile satis documentum. Qui ante Christi Domini aduentum, crucémque à diabolo subiugabantur, aliqualem habebant excusationem, vt qui vincerentur ab hoste fortissimo, & obarmato: hoc tamen solatio carent, qui modò victi, quandoquidem cedunt inermi, illigatóque sacramentorum armis instructi, & auxiliis opportunissimis stipati. Vnicus dæmon miserandum inuaserat, & premebat: *Erat eiiciens dæmonium, & il-* Luc. 11. v. 14.

lud erat mutuum. Expulsus in rabiem actus iterum in certamen descendit, septem spiritibus se nequioribus assumptis pugnam iniuit: *Assumit septem alios spiritus secum nequiores se.* Et cur nequissimus, superbissimúsque hostis de se non præsumat, sed tot suppetiis stipatus in certamen descendat? Iam Textus retulit: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat.* Anteà hostis, & fortis, & armatus, posteà attritus, & armis nudus: ergo, vt victoriam posset reportare, nouit se aliorum viribus indigere, & quamuis tanta stipatus manu reportarit victoriam, deuicti hominis Textus otiosam sugillauit ignauiam: *Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*; hoc est dicere: Homo ille priùs ingemiscebat captiuus, sed ab hoste forti, & armato; posteà se subiecit imbecillibus, & armis nudis: ergo eius creuit ignominia ex victorum inualentia. Notauit Augustin. *serm.* 197. *de Tempore*: *Venit Christus, & alligauit diabolum. Sed dicit aliquis: si alligatus est, quare adhuc tantum prævalet? Verum est, fratres charissimi, quia multum prævalet: sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur.* Nostra ignauia, tepida inertia, arma, & vires hosti ministrat, & aliter de victoria non præsumentem inflammat. Adnectit Augustinus: *Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit.* Qui oculos fœminarum pulchritudine studiosè depascit; qui nimia diuitiarum cupiditate inardescit, qui solicitè corpori indulget, illigato cani mordendus accedit: ergo morsus accedentis eulgat imprudentiam, non audaciam. Caput Saul Dagoni manibus, capitéque orbo spolium suspenditur, quo eius ignominia plus augeatur.

§. XXIV.

Diabolus Dei mimus quidquid intuetur inuida peruersitate æmulatur.

Dæmon. QVas ab exordio impias diabolus cogitationes fouit, nunquam deseruit. Dicebat olim:
Isa. 14. v. 14. *Ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo.* Imitari peruersa via conatus est eum,
Ps. 103. v. 3. de quo Psalmista: *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Quia Christus Dominus nube ad ascendendum vsus, Lucifer, vt ascenderet, nubem etiam desiderat ambitiosus: vt aduletur superbiæ, diuinæ gestit assimilari naturæ, & quod à Deo intuetur laudabiliter perfici, peruersa via adnititur imitari. Philisthini, vbi caput Saul præciderunt, per ciuitates circumferre, & in Dagonis templo dicare moliti sunt: *Præciderunt caput Saul, & spoliauerunt eum armis, & miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templo idolorum.* Omnia hæc à Diabolo excogitata, vt imitaretur, quæ Deus per Dauidis manum in gigante perfecerat, tradit noster Sanctius: *Dauid idem fecisse dicitur cum capite Goliath, ad cuius fortasse exemplum idem fecere Palæsthini cum capite Saulis.* Quod Dauid Philisthinis fecit, imitati sunt, fortè vt vices penderent, & acceptam ignominiam expungerent: Verum etsi hæc à Philisthæis referantur patrata, à Lucifero non dubitantur suggesta. Est enim Diabolus Dei mimus, eius maiestatem affectans, & gesta æmulari desiderans. Dominus, vt mortiferis venenis medelam afferret, serpentis habitum induit: *Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Num. 21. v. 9. Quid iam Diabolus? eundem induit habitum, contrarium fouens studium: *Proiectus est draco ille magnus serpens antiquus.* Apoc. 12. v. 9. Quam ab exordio formam induerat, reassumpsit, & serpentis facie aligeram mulierem conatus est prolectare; sed omnes insidiarum fraudes ingemuit perdidisse. Itaque vt insidiosè meditata absoluat, serpentem induit efferatus, quia serpentis habitum Dominus induerat ad vulnera sananda benignus. Notauit Basilius Seleuciensis *orat.* 3. *Ictus inuidia serpentem efferatum induit.* Adnectit: *Itaque serpentis facie personatus insidiosè meditata aggreditur, curatorem imitans.* Curatorem vulnerum imitatus induit serpentem; sed vt perderet, non sanaret. Hac enim versutia vtitur interpolator, vt liuori suo blandiatur, & ambitioni aduletur. Hanc Diaboli scholam plures frequentauere discipuli, & infeliciter euaserunt edocti, quidquid iusti faciunt, vt Numini placeant, hypocritæ imitantur, vt ambitioni deseruiant; rudi amictu incedunt, à tumultu segregantur, frugalitate vruntur, & hoc totum ob inanem plausum, & verum delirium.

§. XXV.

Eximium dæmonibus gaudium est, si adspiciant subiugatum, quem eximiis triumphis conspexerant redimitum.

PErnicacissimus hostis ille (scribit Tertullianus *de Pœnitentia cap.* 7.) *nunquam malitiæ suæ otium facit. At quin tunc maximè furit, cùm hominem plenè sentit liberatum.* Furit dæmon intimo dolore exæstuans, si hominem viderit plenè liberum, sed altius ingemiscit, si, quem subegerat, florentibus triumphis conspexerit coronatum; tunc enim non solùm dolet tot in homine mortis opera diruta, tot ingenia fraudum frustrata, sed etiam reportata trophæa. Hinc est, quòd, vt dolorem soletur, obsideat, oppugnet, obseruet, si qua possit oculos concupiscentia ferire, aut animum illecebris prolectare: nullus illi infeliciter lætior dies, quàm si triumphis multiplicibus redimitum euertat, & fallat. Ob id Philisthæi dæmonum vmbræ, & imagines Saulis caput triumphis anteà redimitum per cunctas vrbes miserunt, vt adspicerent detruncatum: *Miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templo idolorum, & in populis.* Quàm erat iucundum dæmonibus spectaculum caput illud regio olim diademate cinctum, & modò prorsus sordidum, & dispoliatum! Notauit Abulensis *quæst.* 14. *Mutuum præcipuum Philisthinorum ad mittendum caput Saulis per terram ipsorum fuit, quia consuetudo erat apud antiquos, quòd victores ducerent caput hostis sui præcipui per terram suam ad significandam lætitiam.* Eximia illis lætitia erat videre præcipuum hostem iam vita nudum, & subiugatum. Iniquo dæmones gaudio exultant, si virtutis eximius cultor illecebris irretitus ceciderit, & à virtutis tramite deuiarit. *Candidiores Nazarei eius nive,* Thren. 4. *nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores: denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.* Lætioribus

ribus oculis spectabant dæmones Nazaræorum facies obscura nigredine deturpatas, quas dolebant olim radiare pulchritudine eximias. *Secundùm literam* (scribit Glossa) *pulchritudo Nazaræorum describitur, qui abstinentia candidi, carne nitidi, facie i rubore iucundi: qui per exaggerationem laudantur, vt eorum fœditas major ostendatur.* Antiqua pulchritudo deformitatem exaggerabat, & hostibus gaudium præbebat. Huc voco, quod aiebat Basilius Seleucensis *orat. 3. Ridebat fortè Diabolus, cum dedecore Dei conspurcasset imaginem.* Diaboli risus erat facies anteà pulcherrima, & modò cum dedecore conspurcata.

TEXTVS.

VERS. X. Et posuerunt arma eius in templo Astaroth; corpus verò eius suspenderunt in muro Bethsan.

§. XXVI.

Generosè gratus, si à Deo specialia acceperit beneficia, templis suspendit clarissima testimonia.

Gratus. Templum. Exuuiæ.

SPeciale beneficium speciali debet vulgari elogio, ne oblinio queat delere, quod decet ad immortalitatem transmitti. Ob hanc causam non solùm viri religiosi, sed etiam ethnici in templis suspendebant indubia accepti beneficij argumenta, vt nunquam obliuionis deleret iniuria, sed ad fouendas spes valida adspicientibus existerent incentiua. Vnde Tibullus Elegia prima,

Nunc dea, nunc succurre mihi, nam posce mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Patrata ab aliquo sancto miracula, dum picta templis suspenduntur, pro linguis sunt ad memoriam conseruandam, & spem etiam fouendam. Maro *lib. 7. Æneid.* expressit, hanc veterum fuisse consuetudinem, scilicèt ablata ab hoste arma templis suspendere, quo & suam victor testaretur gratitudinem, & omni tempore depelleret oblivionem.

Multáque præterea sacris in postibus arma:
Captiui pendent currus, curuaque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique ereptaque rostra carinis.

Hunc sequuti morem Philisthæi deuicti Saulis arma in Astaroth templo suspenderunt, & veluti triumphi auctori dicarunt. *Posuerunt arma eius in templo Astaroth.* Vt, quod existimabant ab Astaroth accepisse beneficium, soluerent, Saulis armis eius adornarunt templum. Ita Abulensis *quæst. 26. Philisthini putabant victoriam sibi collatam fuisse à diis suis, ideò volebant ponere in templis ipsorum aliqua insignia victoriæ, vt quando illa viderentur, laudarentur dij, quia dederant victoriam illam.* O quoties beneficiorum auctori grates non penduntur, & non auctori exhibentur? Verus Deus eam Philistinis victoriam dederat, & Philisthæus Astaroth templa muneribus ditissimis exornabat; Astaroth prædam tulit, pugnanti non adfuit. O quot accepta à Deo beneficia appetitus idolo dicantur, & ad eius splendorem profunduntur! Ex hoc tamen errore Ethnicorum vtilis eruditio promanat, scilicèt teneri ad gratitudinis testimonium, qui speciale à Numine acceperit beneficium. Quod fecisse Dauid suprà vidimus, & in Numeris legimus. Nam cùm Hebræi eximia fuissent potiti victoria, victoriæ argumenta per Moysis manus obtulerunt, & Domino consecrarunt: *Offerimus in donariis Domini singuli, quod in præda auri potuimus inuenire: periscelides, & armillas, annulos, & dextralia, ac murænulas.* Num. 31. v. 50. Prodest Oleaster ad mores: *Debent duces, & maiores peculiarem ostendere Domino gratitudinem, & gratias agere.* Fas erat dicare templo, quæ eximio acceperant beneficio.

TEXTVS.

VERS. XI. & XII. Quod cùm audissent habitatores Iabes Galaad, quæcumque fecerant Philisthiim Saul, surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan, venerúntque Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi.

§. XXVII.

Post mortem etiam inueniet gratitudinis obsequium, qui superstes benè collocat beneficium.

Generosus.

VIrtutum pretium in ipsis est, immò & præmium, non solùm cum exercitæ, sed etiam dum fiunt. *Nemo non cùm alteri prodest* (aiebat Seneca *epist. 81.*) *sibi profuit... Virtutum omnium pretium in ipsis est, non enim exercentur ad præmium: rectè facti fecisse merces est.* Verum dixit, sed addere potuisset: si benè collocetur beneficium vltra internam qua fulget, honestatem, post mortem etiam laudabilem demetere gratitudinem. Non negabo plures esse ingratos; vtque vitiosi oculi lucem, reformidare gratitudinis occasionem. Si benefactor è vita excessit, beneficium manet alta eorum obliuione sepultum, & memoria prorsus deletum: Sunt tamen, qui, vt suam gratitudinem erga benefactorem ostendant, defuncto etiam officia exhibeant. Ex horum censu fuerunt Iabeseni, qui, vt Sauli beneficium rependerent, nulli labori pepercerunt & ereptum ex hostium manibus cadauer honorarunt: *Surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan.* Non omiserunt inuitantem occasionem, sed indefessis gressibus ad hostes contenderunt, & benefactoris cadauer ludibrio, & infamia liberarunt. Non exciderat ex eorum memoria Saulem vigilasse, vt ab eorum ceruicibus, antè quàm subirent, Naas excuteret iugum; ergo inuigilarunt etiam, vt auferrent Saulis opprobrium. Notauit Iosephus apud Glossam: *Viri Iabes crudele indicantes Saulem cum filiis insepultos despicere, tota nocte iter agentes, & accedentes ad muros hostium, & deponentes corpora Saul, & filiorum eius, detulerunt ad Iabes.* Consonat Glossa: *Quos Saul ab aduersariis defenderat, rependunt, quod possunt.* Iabeseni fides, & pietas mirè eluxit, dum acceptum beneficium

neficium defunctis persoluit ; & Saul, quia benè collocarat beneficium, inuenit etiam post obitum dignum præmium. Ex tot à Saule beneficiatis Iabesenus suam pietatem, ingenuitatémque commendauit, dum gratitudinem etiam post mortem viuere factis ostendit. Celebrati illi orientales Magi à Christo Domino resplendenti sidere edocti, & à cœcis idololatriæ erroribus ad veritatem translati, mysticas munerum species recens nato obtulerunt : *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Cùm myrrha mortuorum condiantur corpora, ipsis donis testati sunt etiam post mortem manere virtuti præmium, & gratitudinis honestum deberi officium. Parum erat aurum offerre, ni myrrham etiam obtulissent ; nam viuenti gratias reddere non est rarum, sed post mortem insolitum. Ingeniosè Augustinus *in Catena : Aurum soluitur, quasi Regi magno, thus immolatur vt Deo, myrrha præbetur quasi pro salute omnium morituro.* Benè grati contenti non sunt thure diuinitatem testari, auro paupertatem depellere : sed vltra mortem prouido obsequio extenderunt officia, & obtulerunt aromata. Quod ingenuis nobilibus, quæ præstiterat beneficium, myrrha oblata soluitur, & auro, ac thure remuneratur. Quo noueris virtutem viuentibus plausum, & defunctis afferre præmium.

Matth. 2. v. 11.

TEXTVS.

VERS. XIII. Et tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.

§. XXVIII.

Studiosius curandum est animæ refrigerium, quàm superbum corpori humando sepulchrum.

Sepulchrum. Suffragium.

PVerorum similes insanimus circa contemnenda carissimè inepti, superba Mausolea corpori in nigras citò fauillas reducendo construimus, & stultè externis immortalitatem elaboramus. Dum cadaueribus putridis sepulchra operosa fabricamus, quid aliud facimus, nisi tumori nostro adulari, & superbiæ blandiri. *Mentes hominum insaniunt* (aiebat Eurypides in Poly.) *cùm sumptus inutiles pro mortuis expendunt. Nunquam æmulatus sum cadauer sumptuosum, nam spatij non amplius occupat, quàm valdè pauper.* Aliquorum fastuosa superbia in sepulchro post mortem viuit, & adspicientes offendit : Fas esset cadauere nobilitari sepulchrum, & ad nobilitandum cadauer superbis sumptibus extruitur Mausoleum. Benè hanc veritatem calluerat Eliphaz, dum cum Iobo disserens protulit : *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.* Horreum nobilitatur tritici abundantia, non triticum eleganti horrei structura. Ad quæ pulchrè Magnus Gregorius 6. *Moral. cap.* 18. *Dum post afflictionem iusti præmia patriæ cœlestis inuenient, quasi post pressuras ad horreum grana deferuntur, & in alieno quidem tempore percussiones sentiunt, sed in suo à persecutione requiescunt.* Iusti, dum viuunt, alienum arbitrantur tempus, demortui tempore vtuntur suo ; studuerunt benè animam collocare, non cadauer fœtidum sepulchro cælaturis pretioso condere. Hinc est, quòd Iabesseni Saulem, quem tenerè diligebant, nemore sepelierunt, vtque animæ leuamentum quærant, diuturnis se ieiuniis afflictarunt : *Tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.* Cognouerant parum interesse, an corpora illa, etsi regia, humo tegerentur, an marmore, & interesse plurimum, si animæ elutis maculis placidam transirent ad quietem : ergo in nemore cadauera sepeliunt, & ad animarum requiem procurandam austeris se ieiuniis affligunt. Opportunè Beda apud Glossam : *Rectè pro mortuis ieiunauerunt, vt ad requiem peruenire valeant.* Sapienter animarum solicitarunt ieiuniis requiem, nec quæsierunt cadaueribus inutilem insanis substructionibus splendorem. Abrahamus pro defuncta Sara hostias priùs offerre studuit, & posteà de sepultura tractauit : *Cùm surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth.* Illi electa sepultura offerunt, sed Dei Princeps respuit : *Princeps Dei es apud nos, in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum.* Electa, operosáque construxerant sibi sepulchra, & qui polluebantur idololatriæ errore, sepulchrorum eximia superbiebant pulchritudine ; sed Abrahamus sapientiæ, & virtutis cultor eam sepulchrorum auersatus est inutilem pompam, suisque factis ostendit virtute homines reddi conspicuos, non sepulchrorum operositate claros. Notauit Drogo *de sacrament. Dom. pass. Habet mundus electa sepulchra, illos vtique, quos elationis fastigium, vel superstitionis operositas perspicuos reddit ... In talibus sepulchris noluit Abraham mortuum suum sepelire.* Non curabat Abraham sepulchri perspicuitatem, sed religioso funeris officio solicitabat defunctæ requiem ; docens, parum conducere operoso sepulchro tegi, & conducere plurimum pro anima digna altaribus sacrificia litare. Videas aliquos animarum prorsus oblitos, & pompæ, sepulchrorúmque superstitiosè studiosos,

Gen. 23. v. 3.

INDEX
RERVM, ET VERBORVM.

A

Absentia.

LOnga mariti absentia affert vxori pericula c.17.§.25.p.81.
Superioris absentia affert incommoda. cap. 28. §.19.p.392.

Acies.

In acie proprium militis anteferendi, non parui æstimandi. c.29.§.4.p.415.

Actio.

Cum exterior nequit excusari, intentio solet in patrocinium afferri. c.15.§.41.p.22.
Non tam solet taxari ab æquitate, quàm ab auctore. c.16.§.20.p.48.
Pro affectus varietate solet fugillari, aut extolli. c.16.§.57. & c.22.§.36.p.65. & 247.

Admonitio.

Qui patienter sustinet, salutis spem sortitur, non ita qui irascitur. c.16.§.48.p.61.

Aduersarius.

Plus curamus temporalibus aduersarijs occurrere, quàm spiritualibus obuiare. cap. 18. §.5.p.124.

Adulatio, Adulator.

Miraculi adinstar erit, si magnatibus adstantes eorum internas non fouerint ægritudines. c.16.§.47.p.61.
In præsentia laudat, in absentia obmurmurat. c.17.§.8.p.73.
Contra æquitatem affert patrocinium, & detestandum suffragium. c.20.§.43.p.204.
Plus solet adulatio obtinere, quam meritum impetrare. c.22.§.31.p.244.
Magnatibus frequenter gratus, verax inuisus. c.28.§.7.p.386.
Videtur blandiri, & sæpe adnititur insidiari. c.28.§.23.p.394.
Sæpè, dum lambit, adurit. c.30.§.3.p.425.

Æmulatio.

Plus quàm auferre vitam gestit obscurare famam. c.19.§.23.p.168.

Affectus.

Pro eius varietate idem apparet honestum, aut condemnandum. c.16.§.57.p.56.
Si depranatur affectus, corrumpitur etiam oculus. c.18.§.20.p.132.
Aliquando pro eius varietate eadem actio deprimitur, aut extollitur. cap. 22. §. 36. p.247.
Munera commendat, aut obscurat. c.25.§.52. p.328.

Affinitas.

Cum magnatibus exambita, molestijs plena. c.18.§.54.p.149.

Ambitio.

Legi probatur aduersa, & ambienti inimica. c.15.§.17.p.10.
Dum inflammat, naturæ leges ignorat. c.16. §.53.64.
Omnem debet ambitionis suspicionem vitare, qui honestius Principi deliderat inseruire. c.17.§.37.p.86.
Vbi quærit plausum, inuenire solet despectum. c.18.§.15.p.129.
Dum alta appetit, sibi calamitatem adsciscit. c.18.§.56.p.150.
Ignorat sæpè naturam, & parentelam. c.18. §.58.p.151.
Quæ sustinet ob euanida, confundunt sæpè religiosorum austera. c.22.§.2.p.229.
Rarò difficultatibus frangitur, virtus non semel terretur. c.23.§.19.p.266.
Plus attendit famam, minus conscientiam. c.24.§.31.p.294.
Sequi solet Principum voluntatem, proculcando rationem. c.28.§.31.p.398.

Ambitiosus.

Patitur linguam, dum supra cæteros discupit excellentiam. c.16.§.38.p.57.
Facilè à virtute resilit, sceleri incumbit. c.20. §.1.p.182.
Præ ipsis feris extimescendus. c.22.§.47.252.
Dum sitienter humana exambit, nullum virtutis vestigium in se relinquit. cap. 22. §.48. p.253.
Semper inuenit, quod mordeat, ingenuus, quod laudibus efferat. c.30.§.34.p.443.

Amicitia, Amicus.

A virtute exorta, est firma, ab vtilitate, falsata. c.18.§.3.p.123.
Vera vtilitatibus proprijs non studet, nec in aduersa amici fortuna desinit. c.20.§.32.p.198.
Qui contraxit cum probis amicitiam, posteris reliquit tutelam. c.20.§.22.p.193.
Putatur amicus, ad scelera socius. cap.23.§.43. p.250.

Non est eius ciuilitate abutendum, nec ei fastidium ingenerandum. c.21.§.5. p. 215.

Amissum.

Malè amissum est statim recuperandum. c. 30. §.28.p 440.

Amor.

Agnoscitur in operibus, vti pulsibus. cap. 16. §. 55.p.65.
Aut inuenit, aut facit æquales. cap. 18. §.6. p.125.
Nescit quid retinere, sed sitit omnia largiri. c,18. §. 8.p.126.
Amorem parit, & amati beneuolentiam acquirit. c.18.§.42.p.142.
Dilecti priuatur præsentia, vt ei solicitauerit commoda. c.19§.26.p.170.
Dum dilecti caret præsentia, satagit deliniri memoria. c.19.§.27.p.171.
Qui eius patitur phrænesim, depretiat honorem. c.19§31.p.173.
Tunc perfectus, cum nequit deficere, nec recedere. c.20.§. 15. p.189.
Etiam quod videtur inglorium illi non arduum. c 20.§. 36,p.190.
Non quiescit, si amatus quid amarum, & suspicionsum corde fouere præsumit. c.20.§. 24. p.194.
Verus, nec allicitur commodis, nec deterretur periculis. c.20.§.42.p.204.
Nescit dormitare, quia dilecto inuigilat inseruire. c.20.§.47.p.206.
Magnus est, si postponi gaudeat, & sibi alterum præponi anhelat. c.23.§.24.p.268.

Angeli.

Dæmonum vires eneruant, & homines ad certamen inflammant. c.17.§.94.p.113.

Anima.

Eius salus sæpè differtur, corporis solerter curatur. c.16.§.§ 51.p.63.
Eius negliguntur damna, corporis euitantur incommoda. c.18.§.35 139.
Apud aliquos nil vilius, & despicatius. cap.26. § 35 p.372.

Annona.

Sæpè militibus penditur, & ab eis militari despicitur. c.31.§.1.p.449.

Appetitus.

Non est sequendus, sed ratione ductandus. c.30§.30.p.441.

Arma.

Facilè prævalent arma, si desint vitia. c. 17.§.3. p.71.
Triumphus augetur, si proprijs armis hostis deuincitur. c.17§.93.p.113.
Qui pro Deo prensat arma, quodammodò à se commissa inaurat scelera. cap. 22. §. 12. p.234.

Arrogans.

Verbis ventosus, manu frequenter est imbecillus. c.17.§.81.p.107.

Auaritia, Auarus.

Honesto frequenter colore tegitur, & vestitur. c.25.§.26.p.311.
Apud sæculum obscura, apud Deum despecta. c.25.§.38.p.318.
Sæpè vertit in materiam criminis, occasionem virtutis. c.25.§.12.p.303.
Habet contra se pauperum suspiria, & miserorum lamenta. c.25.§.7.p.306.
Qui virtuti auarus, euanidis sæpè prouidus. c.25.§.29.p.313.
Eius casus non lugetur, quia naturæ inimicus putatur. c.25.§.84.p.345.

Audacia.

Pro vitio audacia virtutis assectarum est nota. c.17.§.12.p.75.
Aliquando crescit de aliorum modestia. cap.17. §.19. p.78.

Aulicus.

Apud Principes solent rarò aliorum strenuitatem laudare, defectus frequentissimum est prodere. c.17.§.45.p.89.
Solùm agnoscunt splendidè ornatum, solloce non agnoscunt vestitum. c.17.§.104.p.118.
Sæpè pro veris Principibus referunt falsa, & alijs afferunt detrimenta. c.18.§55.p.149.
Venditare solent Principum gratiam, etiam dum sustinent iram. c.20.§.5.p.184.
Tutius aliquando est cum feris degere, quam cum aulicis habitare. c.22.§.17.p.237.

Aurum.

Est frequenter hominum dementia, & legis iniuria. c.15.§.19.p.11.

Auxilium.

Dei semper est promptum, creaturarum est arduum. c.23.§.1.p.256.

B

Bellum.

INdecorum est, si adurgeat bellum, sectari finc causa otium. c.17§.14.p.76.
Auspicatè init, qui se à licitis etiam abstinet. c.19.§.18.p.165.
Sæpè Deus affert bellum, vt puniat peccatum. c,28.§.1.p.383.
Ineundum est viris omnibus collectis, ne hostis militaueris triumphis. c.29.§.1.p.414.

Beneficiatus.

Contra legem beneficiatus esse solet terribilis inimicus. c.28.§.34.p.400.

Beneficium.

Qui speciale accepit beneficium ad speciale tenetur obsequium. cap. 15. §. 1. p. 2. & c. 22. §. 24. p. 240.
A Deo dilargita, aliorum inueniuntur præsagia. c. 17. §. 63. p. 98.
Plurimis obligatus, spebus inuenitur sæpè corruptus. c. 23. §. 13. p. 262.
Grande est beneficium, si apponas peccaturo impedimentum. c. 25. §. 64. p. 335.
Non est à quolibet accipiendum, sed à quo accipias, pensandum. c. 25. §. 75. p. 341.
Beneficia contra abutentes sunt arma. cap. 28. § 3. p. 384.

Beneficus.

Post mortem etiam fructum demetit, & qui se gratos exhibeant, habet. cap. 31. §. 27. p. 463.

Beneuolentia.

Aliquando quæritur, etiam dum iniuria irrogatur. c. 15. §. 39. p. 21.

Blanditiæ.

Sæpè subiugatur blanditijs, qui restitit telis. c. 18. §. 53. p. 138.

C

Calamitas.

ESt Dei misericordia, si ea impeditur, aut pellitur culpa. c. 24. §. 16. p. 286.
Aliquando reducit ad saniorem mentem, & deducit ad virtutem. capite 25. parag. 90. p. 348.
Plures, vt subueniant calamitati, dicantur crimini. c. 28. §. 25. p. 395.
Inopina maioris doloris est causa. cap. 30. §. 8. p. 428.

Cantus.

Ecclesiasticus cantus, & chorus Reipublicæ salutem, & dæmonibus affert stragem. c. 16. §. 60. p. 67.

Casus.

Posteritatem dehonestat, & triumphus nobilitat. c. 17. §. 11. p. 75.

Causa.

Grande est Reipublicæ beneficium, si citò expediatur, & tormentum dilationis vitetur. c. 15. §. 13. p. 8.
Ea apud aliquos melior, quæ fructuosior. c. 22. §. 28. p. 242.

Cautela.

Peccatum sua proditur lingua, quantumuis defudarit cautela. c. 15. § 30. p. 16.
Difficulter celatur, quod animo geritur. c. 16. §. 43.
Est maior, dum virtus est politior. c. 25. §. 56. p. 330.

Ceremonia.

Sæpè ob vanas honoris ceremonias Reipublicæ negotia differuntur iurgiaque excitantur. c. 28. §. 39. 402.

Charitas.

Nescit somno indulgere, vt prosit proximo subuenire. c. 17. §. 26. p. 81.
Iniuriam patitur, & ne alteri fiat, opponitur. c. 22. §. 30. p. 244.
Ita proximis attendat, vt sibi non noceat. c. 22. §. 4. p. 230.
Subit pœnam, vt à proximo auertat ruinam. c. 25. §. 43. p. 322.

Ciuilitas.

Flectit malitiam, frænat audaciam. cap. 30. §. 38. p. 445.

Clementia.

Principi amanda, sæuitia fugienda. c. 25. §. 63. p. 334.

Cliens.

Clientum damna durius aliquando tolerantur, quàm propria. c. 15. §. 25. p. 13.

Cœlestia.

Parum ambiuntur, terrena viuidius desiderantur. c. 16. §. 36. p. 56.
Qui contemplatur cœlestia, parui pendit humana. c. 28. §. 33. p. 399.

Cognatio, Cognatus.

Cognatus solet apud suos parui haberi, & apud exteros æstimari. c. 16. §. 30. p. 53.
Est deffugiendus, si virtutibus inueniatur contrarius. c. 17. §. 43. p. 88.
Cognatio cum iusto prodest ad vitandum periculum, & detrimentum. c. 25. §. 70. p. 338.
Est officijs fouendus, & confirmandus. c. 30. §. 41. p. 447.

Comitas.

Quod potest comitate impetrari, fas non est violenter obtineri. c. 16. §. 52. p. 63.
Animos sibi conciliat, & furentes incantat. c. 24. §. 11. p. 283.

Comminatio.

Deis sæpè minatur vt periculum euitetur. c. 20. §. 54. p. 210.
Qui pias spernit minas, incrementat sibi pœnas. c. 15. §. 59. p. 30.

Commodum.

Insolitum est, si malum retraxerit commodum, sequi rationis consilium. cap. 24. §. 6. p. 280.

Comparatio.

Semper probatur odiosa. cap. 18. §. 18. p. 131.

Compassio.

Est dolentis delinimentum, & calamitatis solatium. c. 20. §. 56. p. 211.

Concordia.

Si deest concordia, inimicus potitur præda. c. 30. §. 26 p. 438.

Confessio.

Parum iuuat culpam ore proferre, si interius contigerit asseruare. c. 15. §. 48. p. 25.
In eius silentio dæmones figunt contra nos castra. c. 17. §. 1. p. 70.

Confidentia.

Vera in Deum confidentia pericula vincit, persuasiones honestè spernit. cap. 23. §. 5. p. 258.

Coniux.

Coniuges vna reputentur persona, & anima. c. 25. §. 72. p. 339.

Conscientia.

Continuis mala timoribus discruciatur, & deterretur. c. 18. §. 40. p. 141.
Felix est inter calamitatum vortices bona conscientia, infelix inter felicitates est depranata. c. 20. §. 4. p. 184.
Satis esse debet conscientiæ tormentum, vt effugias peccatum. c. 25. §. 62. p. 334.
Bona inter perturbationes tranquilla; mala, inter felicitates anxia. cap. 28. §. 12. p. 388.

Consiliarius.

Malus Dei odiosus, & durè plectendus, c. 26. §. 27. p. 368.
Sit expertus, & prudentia, & virtute excultus c. 28. §. 32. p. 399.

Consilium.

Bonum est salutis tutamentum. c. 19 §. 4. p. 158.
Etiam ab amicis exhibitum non est cæce amplectendum, sed prudenter examinandum. c. 20. §. 7. p. 185.
Aduersariorum prudentia est venari consilia, & frustrare desideria. c. 23. §. 21. p. 267.
Adinstar miraculi est, si in contrarium vrgeant amicorum consilia, æquitatis sequi præcepta. c. 24. §. 6. 280.
Graui Reipublicæ detrimento aliquando habetur non bonum consilium, oraculum. c. 28. §. 8. p. 386.
Per otium examinandum, citò perficiendum. c. 30. §. 13. p. 431.

Consolatio.

Adest cœlestis consolatio, dum iniusta premit persecutio. c. 30. §. 10. p. 429.

Constantia.

Debet fulciri, & contra casus armari. cap. 26. §. 13. p. 360.

Consuetudo.

Non facilè dediscitur, etiam cum periculum adesse probatur. c. 17. §. 74. p. 103

Consultatio.

Ni omnimodè notitiæ aditum præcludatur, citò quod decernitur scitur. c. 16. §. 15. p. 46.
Hi debent consuli, qui ad consulta præ alijs quiuerint respondere. c. 20. §. 37. p. 201.
Repetita lucem parit, & decretum munit. c. 23. §. 7. p. 259.

Continentia.

Qui se à licitis etiam continet, auspicatè certamen init. c. 19. §. 18. p. 165.

Conuersatio.

Cum iustis affert commoda, depellit pericula. c. 25. §. 20. 308.

Conuiuium.

Grauius aliquando quàm in bellis, periculum in conuiuijs. c. 20. §. 9. p. 186.
In eo facilè corde abstrusum proditur, & effunditur. c. 20. §. 10. p. 187.

Cor.

Solet imminentia sibi præsagire, & quodammodò præuidere. c. 21. §. 1. 213.

Corona.

Coronam sibi acquisiuit, qui proximum à crimine amouit. c. 25. §. p. 335.

Corpus.

Eius salus ambitur, & animæ sæpè differtur. c. 16. §. 51. p. 63.
Eius incommoda detrectantur, & animæ negliguntur. c. 18 § 35. p. 39.

Correctio.

Magnates corrigere, est sibi periculum procreare. c. 15. §. 32. p. 17.
Correcti debet dignitatem colere, etiam cum opus est carpere. c. 15. §. 33. p. 8.
Expectandum est tempus opportunum, vt succedat correctionis remedium. cap. 15. §. 65. p. 33.
Sit aliquando lenior, quia culpa grauior. cap. 16. §. 45. 60.
Morbis est applicanda, sed ægrotantium qualitas attendenda. c. 16. §. 58. p. 66.
Corrigat culpam, non lædat famam. c. 24. §. 14. p. 285.
Facilius admittitur, si distare corrigens à pranitate cognoscitur. c. 26. §. 19. p. 364.
Vtatur efficaci medela, & ab omni abstineat iniuria. c. 26. §. 17. p. 362.

Sibi

Sibi amicos parat, dum defectus corrigere tentat. c.26.§.18.363.
Melior fit, si errorem faciat agnosci, quàm supplicijs gemere. c.26.§.32 p.371.

Crux.

Vel Dominicæ crucis vmbra est dæmonibus ardens flamma. c.16.§.59.p.67.
Christi Domini Crux est dæmonibus excidium, & hominis propugnaculum. cap. 17. §. 73. p.103.& §.90. p.111.
Plures, dum Christi crucem fugiunt, quia fugerunt, inueniunt. c.17.§.87. ibid.

Culmen.

Casibus expositum, & metu sæpè perculsum. c.16.§.19.p.48.
Qui videntur culminibus eminere, interius solent vexari. c.16.§.42.p.59.
Timoribus semper concussum præcipitioque vicinum. c.18.§.19.p.131.

Culpa.

Iterata, oneri est Dei misericordia. c. 15. §. 4. p. 3.
Sæpè altera admittitur, vt altera coloretur. c.15.§.18.p.10.
Omni solicitudine peccator est à culpa reuocandus, & ad veram pœnitentiam trahendus. c.15.§.26 p.14.
Dum propria alteri applicatur adaugetur. c. 15. §.31.p.17.
Cum magnatum corrigenda, dignitas est spectanda. c.25.§.33.p.18.
Plus exasperat defensa, quam perpetrata. c.15. §.37.p.20.
Exambitur, pœna detrectatur. c.15.§.61.p.31.
Aliquando, dum grauior, opus est vt medicina sit leuior, c.16.§.45.p.60.
Ea parta, qua perpetratur culpa, inardescere solet pœna. c.17.§.55.p.94.
Ingemè culpam fateri, est furorem refrænare. c.25.§.46.p.324.
Felicitatis est tinea. c.25.§.57.p.330.
Deuitanda esset ob conscientiæ solùm tormentum etsi nullum aliud sequeretur incommodum. c.25.§.62.p.334.
Grande confert beneficium, si lapsuro apponas impedimentum. c.25.§.64.p.335.
Sibi acquisiuit coronam, qui ab altero amouit culpam. c.25.§.65. ibid.
In generali etiam culpa videtur reprehensibilior, qui clarior. c.26.§ 21.p.365.
Potentis præteritur, obscuri carpitur. cap. 28. §. 17.p.391.
Considerandus est eius fructus, cum demulcet. falsis spebus. c.28.§.24.p.395.
Perpetrata culpa non est alterius subleuanda miseria. c.28.§.29.397.
Culpis non affligimur calamitatibus diuexamur. c.28.§.42.p.403.
Pro eius mensura arripienda est pœnitentia. c.30.§.6.p.427.
Miserabilius est ea sordidari, quàm calamitatibus adurgeri. c.31.§.7.452.
Qui eius agnoscit fœditatem, ne incurrat, amplectetur dolorem. c.31.§.8.453.

Cupiditas.

Non poteris tranquillitate frui, si aliena concupiscas, aut cupita ab alijs habeas. cap. 24. §.22.p.289.
Est peruersè prouida & prouidenter auara.p.30. §.33.p.442.

Curia.

A viris religiosis solùm frequentatur, cum proximorum salus ambitur. c.15.§.72.p.36.
In ea plus valent, quàm merita, dona cap. 16. §.53.p.64.
In ea vel sapiens aliquando affectat delirare, vt possit viuere. c.21.§.28.p.226.
In ea rarus est, qui non impellat, sed ab errore, & periculo abducat. c.22.§.21.p.239.
Ex se aptior est criminibus perpetrandis, quàm virtutibus exercendis. c 27 §.7.p.377.
In ea obscuris moribus non fædari, est quodammodo naturam vincere. cap. 29. §. 16. p.422.

D

Debitum.

PAter conetur exoluere, si sciat filium debitis illigari. c.17.§.22.p.80.
Sunt, qui non soluant iure debitum, & ambiant profundendo liberalitatis elogium. cap. c.25.§.15.p.305.

Decreta.

Honestè decreta sunt aduersus fortunæ impedimenta firmanda. c.20.§.31.p.198.

Defectus.

Alienus est celandus, non effundendus. c. 23. §. 15. p.263.

Deiectio.

Honesta persequentem frænat, & mollit. c.24. §.21.p.289.

Deipara.

De originali coronata victoria attulit cunctis salutis auxilia. c.15.§.14. p.8.
Suis precibus Deum placat, peccatoremque liberat. c.25.§.69 p.337.
Pro multis Sanctis valet ad impetrandam veniam, & auertendam Dei iram. cap.25.§.76. p. 341.
Suos dirigit, & insidias hostium repellit. c. 29. §.17. p.422.

Delator.

Non est fides vni præbenda sed delatio examinanda. c.22.§.34. p.246.

Deliciæ.

Qui se à licitis etiam abstinet, auspicatè certamen init. c.19.§.18.p.165.

Desertum.

Contra sæculi vitia est castrum. cap. 23. §. 18. p.265.

Desiderium.

Qui annuunt iniquis magnatum votis, solitant ornari præmijs. c.22.§.44. p. 251.
Diuina est misericordia, ne absoluantur nociua. c.25.§.37.p.318.
Ab aliquibus non putantur peccata, ni actione completa. c.25.§.68.p.337.
Martyrij desiderium est quodammodò martyrium. c.26.§.26.p.368.

Detractio.

Dum sanctis honorem aufert iniqua lingua, culpæ indice punitur pœna. cap. 25. §. 88. p.347.

Detrimentum.

Clientum detrimenta plus aliquando sentiuntur, quàm propria. c.15.§.25.p.13.
Miserum est, si oriantur detrimenta vndè sperabantur auxilia. c.19.§.19.p.66.

Deus.

Dum punit, dolet. c.15.§.23. p.12.
Non solùm suos liberat, sed se eorum tutelarem ostentat. c.19.§.40.p.177.
Sæpè, quam iustis præbet, tutelam inimicorum vertit in medicinam. c.19.§.41.p.178.
Etsi aliquando dissimulet, ad reddendam rationem cogit. c.20.§.35. p.200.
Dolet ab eo recedere, quem sibi beneficijs solicitarat obstringere. c.20.§.52.p.209
Vehementer timendum est in eius manus incidere, cum constat delictis exasperari. c. 20. §.57.p.211.
Laudabili tenacitate contendit, & peccatorem reducere honori ducit. c.24.§.18.p.287.
Ad misericordiam maturat, cum munera acceptat. c. 25 §.54.p. 329.

Diabolus.

Ingerit vanam fiduciam, vt abstulerit pœnitentiam. c.28.§.51,408.
Dei est mimus. c.31.§.24.p.462.

Diffidentia.

Est ius non obtinendi, confidentia impetrandi. c.25.§.48.p.325.

Dignitas.

Est obseruanda, etsi eius culpa sit corrigenda. c.15.§.33.p.18.
Qui adit eam compulsus, vitat inuidiam, qui exambit, sustinere solet querelam. cap. 16. §. 38.p.57.
Quem Deus ad dignitatem elegit, speciali fauore munit. c.16.§.40. p.58.
Infelix est, quem fascinat, & virtus desertat. c.16.§.41. ibid.
Dum possidentem leuat, anxia solicitudine grauat. c.17.§.7.p.73.
Humana est periculis exposita, & amaritudinibus intertexta. c.18.§.38.p.140.
Quæ eminentior, periculosior. cap. 21. §.27. p. 226.
Eius spe labores melliuntur, & deuorantur. c.23.§.23.p.268.
Vel indigno est suspicienda, & reuerenter tractanda. c.24.§.8.p.282.
Qui ea abutitur, sibi infelicitatem architectatur. c.25.§.60.p.332.
Olim ornabatur modestia, nunc grandi immescit pompa. c.25.§.96.p.351.
Legis iniuria acquisita, infamiæ obnoxia. c.25. §.98.p.352.

Dignus.

Frequenter reijcitur, aut loco vltimo collocatur. c.16.§.26.p.51.

Dispositio.

Cœlestis nullis artibus labefactatur, aut impeditur. c.23.§.20.p.266.

Distantia.

Ea distantia contra vitium pugnandum, vt possis euertere, non feriri. c.17.§.88.p.110

Dies.

Occasionem virtutis in materiam aliquando conuertit criminis. c.25.§.12.303.

Diuitiæ.

Eleemosyna acquiruntur, & conseruantur. c.25.§.34.p.316.
Parum prodest diuitias acquirere, si benè non contigerit dispensare. c.25.§.53.p.328.
Inique collectæ sunt contra felicitatem insidiæ. c.30.§.25.438.
Pro Deo sunt homini, homo pro diuitijs Deo. c.30.§.37.p.445.
Malè partæ esse solent posteritatis ruinæ. c. 31. §.3.p.450.

Dæmon.

Non audet impetere, quos videt dignis actionibus occupari. c.17 §.17.p.77.
Veretur charitatis vnionem, certamen discupit singulare. c.17.§.10.74.
Iesu nomine incantatur, & abigitur. cap. 17. §.84. p.108.
Viuidius aggreditur oppugnare, quos videt virtutibus efflorere. c.18.§.30.p.136.
Prauitatem nostram ei adscribimus, & exercitationem quærimus. c.18.§.31.p.137.
Curat ab Eucharistia auertere, vt possit vincere. c.23.§.1.256.
Vt ante certamen vincat, , vires ostentat. c.28. §.10.387.
Dum vincitur, inflammatur. c.30.§1.p.414.
Virtutes euigorat, vt vincat. c.31.§.2.p.450.

Dolor.

Vehemens interrumpit verba, & occludit ora. c.20.§.58.211.

Dominus.

Ne aliqua vtilitate priuetur, aliquando inseruientium incrementis obnititur. c. 16. §. 27. p. 52.
Per se facilè assequitur, quod tardè si ministris iniungitur. c.17.§.105.p.118.
Si Dominus improbus, periculis viuit obnoxius seruus. c.25.§.24.p.310.

Donum.

Plus in curia valet, quàm meritum. c.16.§.53. p. 64.
Facilè inuenit ad palatum ingressum. c.16.§.54. ibidem.
Est medium efficax ad indagandum secretum. c.20.§.53.p.209.

Duritia.

Cordis est graue supplicium, triste præsagium. c.25.§.86.p.346.

Dux.

Milites debet in officio continere, nec prædari permittere. c.22.§.11.p.234.

E

Ecclesiastica.

AD Ecclesiastica manum extendere, est sibi calamitatem adscisceere. cap. 16. §. 58. p.30.

Electio.

Bona Numini adscribenda, sed boni Principis specialiter applicanda. c.16.§ 4.p.41.
Est electi elogium, si interuenit solum meritum. c.16.§.5.p.42.
Quæ à suspicione sit libera, elector incorruptus accedat, & cœlum aspiciat. c.16. §.22. p. 49.

Elector.

Electurus, incorruptus accedat, cœlumque aspiciat. c.16.§.22. ibid.
Vt possit libera fronte eligere, nesciat ambientibus quid debere. c.16.§.25.p.51.
Non erubescit præferre, quem meritis constat ornari. c.29.§.6.p.416.

Electus.

Magna virtute videtur ornatus, qui post improbum electus. c.16.§.6. p.42.
Fausto omine eligitur, qui cunctorum vtilitatibus applicatur. c.16.§.12. p.45.
Laudabilius munus peragit, si quæsitus. c. 16. §.32. p.54.

Eleemosyna.

Est salutis vena, & posteris vita. cap. 15.§.16. p. 9.
Pauperi oblata est aduersus dæmonem dura sagitta. c.17.§.75.p.104.
Si benè impenditur, magnum lucrum largitione ipsa renascitur. c.22.§.15.p.236.
Magnum affert lucrum fouere miserum. c. 25. §.9. p.260.
Quæ accipitur, pauperis benedictione persoluitur. c.25.§.19.p.307.
Diuitias parit, & nutrit. c.25.§.34.p.316.
Quæ Dei seruis exhibetur, ipsi Deo exhibita dicitur. c.25.§.51.p.327.
Contra dæmonis machinamenta eleemosynæ sunt arma. c.30.§.17.p.433.

Elogium.

Exambitur, sed meritum excusatur. c.28.§.13. p.389.

Eloquentia.

Hostes solet mitigare, & bella depellere. c. 25. §.67.p.336.

Episcopus.

Si assistat in aula, oues pati solent detrimenta. c.30.§.2.p.425.

Eucharistia.

Contra voluptates ministrat arma. cap. 15. §.9. p. 6.
Lucem impertitur, qua agenda videas, & feliciter absoluas. c.16.§ 7.p.47.
Qui cupit hoc epulo enutriri, omni debet puritate micare. cap. 16. §. 21. p. 49. & c.21. §.13.p.219.
Solùm admittit eliquatis oculis puros, & virtutum censibus exornatos. c.20.§.34.p.199.
Qui eam discupit frequentare, fas est à licitis etiam voluptatibus abstinere. c. 21. §. 14. p. 219.
Eius frequentia pro virtute est taxanda, & famelicis exhibenda. c.21.§.15.p.220.
Dæmoni infert bellum, immò excidium. c. 32. §.42.p.250.
Ab ea dæmon curat auertere, vt possit vincere. c.23.§.1.p.256.

Examen.

Quæ magni momenti, etsi appareant indubia, perspicaci examine sunt exploranda. c. 16. §.34.p.55.
Eo indigent etiam visa, quia subest aliquando fallacia. c.26.§.4.355.

Excellens.

Apud suos sæpè parui habetur, apud exteros magni æstimatur. c.16.§.30.p.53.
Aliquando solum cum deperditur, noscitur. c.17.§.6.p.72.

Excusatio.

Vt nos excusemus, peccata dæmoni adscribimus. c.18.§.31.137.

Exemplum.

Superioris efficacissimum. c.13.§.22.p.12.
Christi sequitur exempla, qui discupit euasisse pericula. c.20. §.25.p.195.
Ad se trahit, & quodammodo compellit. c. 26. §.28. p.369.

Non

Non sic probum allicit, ac pranum trahit. c.30. §.14.p.431.

Eximius.

Virtute eximius, ab inuidentia remotus. c. 18. §.1.p.123.
Non recusat alios honorare, qui eximijs constat virtutibus effulgere. c.18.§.1. ibid.
Apud aduersarios etiam habetur honoratus suspectus. c.27 §.5.p.377.
Eximius probatur, qui etiam inops apud alios magni habetur. c.27.§.9.378.
Quàm prodesset eius præsentia, sequuta post mortem ostenderunt aliquando infortunia. c.28.§.6.p.385.
Eius casus dæmonibus specialia affert gaudia, & parit oblectamenta. c.31.§.25.p.462.

Exordia.

Sunt futurorum auspicia. c.16.§.7.43.

F

Facinora.

Animos mire alliciunt egregia facinora, si humili decorentur modestia. c.18.§.2.p.123.
Præclara esse probantur facinora, si à diuersis gentibus obtinuerunt elogia. cap. 18. §. 66. p. 155.

Fama.

Iustorum sæpè abroditur ab eo, qui culpis inficitur. c.25.§.26.p.311.
Aliquando emitur culpæ miseria. c. 31. §. 16. p. 457.

Famis.

Postponenda est muneri, non munus fami. c.16.§.31.p.53.

Fauor.

Regis fauor potius impendendus est merito, quam affinitatis titulo. c.20.§.33.199.
Vel mentitus apud magnates fauor acquirit, quod meritum obtinere non potuit. c.21.§.9. p. 217.

Felicitas.

Esse solet virtutis naufragium. c.15.§.34.p.18.
Humana laboribus emitur, & magnis oneribus prægrauatur. c.17.§.20.p.79.
Esse solet prudentiæ fascinum, vt vanitatis exilium. c.25.§.6.p.300.
Citò mutatur, & in contrarium vertitur. c. 30. §.7. p.427.
Peccatori est post mortem durior calamitas. c.31.§.21.p.461.

Fides.

In rebus magnis non est faciliter adhibenda, sed plurium contestatione firmanda. c. 17. §.34.p.85.
A probis semper colitur, nulla occasione violatur. c.20.§.18.p.191.
Qui semel violauit, sibi exinceps ademit. c. 26. §.31.p.370.
Qui violat ambitiosus, gemere solet oppressus. c.28.§.2. p.383.

Fiducia.

Citò, quæ humana, deficit, quæ diuina, vincit. c.17.§.83.p.108.
Quæ solo Deo innixa, euertit inimicorum machinamenta. c.20.§.3.p.183.
Est ius impetrandi, diffidentia, non obtinendi. c.25.§.48.p.325.
Diabolus ingerit stultam fiduciam, vt differaris pœnitentiam. c.28.§.51.p.408.

Filius.

Sæpè legum calcat edicta, vt absoluat à parente desiderata. c.19.§.2.157.
Si pro tua steterit causa, facilè sopietur parentis ira. c.19.§.6.p.159.
Parentibus prouideat, si pericula euadere exoptat. c.22.§.13.p.235.

Fœmina.

Sæpè, quod diaboli nequitia non potuit perficit Fœminæ artibus solet *absolui*. c.18.§.51.p.147.
Sæpè consequuntur blanditijs, quod hostis non potuit telis. c.18.§.53.p.148.
Si amore corripitur, mirandas fraudes architectatur. c.19.§.28.p.171.
Calamitoso, & angusto tempore se expingit, & plausum ambit. c.25.§.32.p.315.
In publicum egressa, honesto satellitio sit contra suspicionem munita. c.25.§.35.p.317.
Frequenter superstitionis sunt rex. c. 28. §.16. p. 391.

Fortuna.

In prospera mirum est adornari modestia. c. 19. §.20. p. 167.
Aduersa in fortuna ferè omnes ab alijs non agnoscuntur, quia quodammodò transformantur. c.21.§.24.p.224.
Prudentem non inflat, quia verti posse facilè spectat. c.25.§.91.p.148.
Est infortunata, si ad delinquendam detorta. c.26.§.2.p.354.
Quamlibet notam innubilat, aut inaurat. c. 28. §.4.p.384.

Fortunatus.

Qui ei plaudunt, frequenter laqueos disponunt. c.17.§.8.p.73.
Plurimis indiget armis, quia plurimis impetitur telis. c.17.§.103.p.117.
Si aulicorum vitauit odia, miranda luxit prudentia. c.1.§.9.p.126.
Omnium deuincit animos, si humanitate, & vrbanitate floret exultus. c.18.§.10.p.127
Qui exterius videtur fortunatus, interius aliquando adurgetur solicitus. c.19.§.29.p.171.
Fortunatum turba circumstat, calamitosum deserat. c.21.§.2.p.215.
Apud sæculum magnus habetur. c.25.§.p.298.
Sciat ex hac ad aliam vitam se transferendum, & omnibus denudandum.c. 25.§.61.p.333.

Frater.

Bonus fratrem à periculo eximit, & eius audaciam corrigit. c.17.§.40.p.87.

Fraus.

In obscuro etiam homine est odiosa, sed in nobilibus execranda. c.18.§.52.p.148.

Fuga.

Prudenter arripitur si fortissimorum casus videtur. c.17.§.97.p.115.
Vrgente periculo est arripienda, nec sarcinis est frustranda. c.17.§.99 ibid.
Prudentia est fuga technas eludere, & prouidenter recedere. c.19.§.3.p.158.
Non est tuta, ni hostis ditionem transgressa. c.21.§.22.223.

G

Gaudium.

HOstis gaudium, durum tormentum. c. 20. §.13.p.188.
Infelix, si à culpis ortum. c.25.§.77.p.342.

Gubernator.

Aliquando Rempublicam præsidio nudat, vt appetitui inseruiat. c.23.§.37.p.275.
Suspectis etiam periculis debet obuiare, & Reipublicæ prouidere. c.19.§.9.p.161.

Gulosus.

Dum palato gestit adulari, solet sibi paupertatem afferre. c.21.§.11.p.218.

H

Homo.

DEo est pro diuitijs, diuitiæ homini sunt pro Deo. c.30.§.37. p.445.

Honor.

Alijs non recusat honorem impertiri, qui nouit virtutibus efflorere. c.18.§.1. p.123.
Sæpè eligitur vitæ periculum, ne honor suspicionibus exponatur. c.19.§.22.p.168.
Insolita pœna solet puniri, qui sanctorum famæ detraxit. c.25.§.88.p.347.
In acie proprijs militibus debet exhiberi, & exteros non anteponi. c.29.§.4.p.415.
Apud malos plus virtute habetur, & æstimatur. c.31.§.12.p.455.

Hospes.

Graniſſima nota dignus, si excipientibus suspiciosus. c.27.§.4.p.376.
Refugiat excipientibus esse oneri, & curet tempus breuiare. c.27.§.6.p.377.
Qui Dei seruos benignè recipit, gratum Numini obsequium facit. c.30.§.43.p.448.

Hostis.

Sæpè, dum depretiatur, triumpho redimitur. c.17.§.80. p.106.
Si proprijs armis vincitur, victoria augetur. c. 17.§.96.p.114.
Solicitè eius oportet consilia præsagire, & frustrare. c.23.§.21.p.267.
Nunquam otiandum, si hostis potentia instructus, & fraude armatus. cap. 23.§. 29. p. 271.
Probitatis æmuli testimonium ab æmulo prolatum est firmum. c.24.§.26.p.291.
Miser est populus hostium incursionibus peruius. c.27.§.10.p.379.

Humana.

Paruipendes humana, si fueris contemplatus cœlestia. c.28.§.33.p.399.

Humilis.

Alta tenet compulsus, humilia exambit expromptus. c.17.§.15.p.76.
Quæ sibi debita existimat dona. cap. 20. §. 14. p.189.

Humilitas.

Est prosperæ fortunæ illicium. cap. 15. §. 34 p. 18.
Animos mirè allicit, dum egregijs factis non turget. c.18.§ §.2.p.123.
Commendat preces, & indignationis eneruat vires. c.25.§.41.p.321.
Nil sibi applicat, sed Dei semper gloriam anhelat. c.25.§.41. p.326.

Hypocritæ.

Vt honores expiscentur, pœnitentium habitum induuntur. c.15.§.62.p.31.

I

Iactantia.

APrudentibus propria vitatur iactantia, vt aliorum etiam nota. cap. 17. §. 44. p. 89.

Ieiunium.

Contra voluptates ministrat arma. cap. 15. §. 11. p.7.

Iesus.

Iesu nomen est dæmonis incantamentum, & ineluctabile excidium. c.17.§.84.p.108.

Ignauia.

Virtutis studiosi damnatur ignauia, audaci pro vitio insolentia. c.12.§.12.
Sitit elogia, non vult imitari gloriosè facta. c.18.§.16. p.130.
Non videtur posse ignauiæ studere, quem magnis constat periculis impeti. cap. 19. §. 30. p.172.

Imago.

Sanctorum imagines salutaria profugia. c. 25. §. 22. p. 309.

Impatientia.

Sustinere solet grauissima, ne patiatur leuia. c. 17. §. 54. p. 93.

Impossibile.

Nonnulli ad speciem impossibilia aggrediuntur, & ipsa difficultate contra suspicionem armentur. c. 21. §. 25. p. 225.

Improbus.

Solet obtinere, quæ à iustis possent ambiri. c. 16. §. 23. p. 53.
Frequenter famam iustorum sugillant. cap. 25. §. 26. p. 311.

Imprudentia.

Imprudentia est perpetrare culpam, vt subleues alterius miseriam. c. 28. §. 29. p. 397.

Indignus.

Crimen est apud Principem commendare, & oculis eius obijcere. c. 21. §. 30. p. 227.

Inedia.

Aliquando sustinetur, vt culpis indulgeatur. c. 28. §. 54. p. 410.

Inexpertus.

Si aggrediatur, magna ascisceat sibi pericula. c. 17. §. 46. 90.

Infamia.

Insania est inurere tibi notam, vt alterius prodas infamiam. c. 20. §. 40. 203.
Iniustè, & publicè illata, publicè est restituenda. c. 24. §. 27. p. 292.

Infausta.

Accidisse existimat sæpè iustus Reipublicæ sua culpa. c. 22. §. 51. p. 254.

Infidus.

Ne in Principem infidus quiueris apparere, fas est periculum deuorare. capite 24. §. 12. p. 284.

Infortunium.

Sequuta post eius mortem infortunia ostenderunt, quàm prodesset eximij viri præsentia. c. 28. §. 6. 385.

Ingenuus.

Proprias iniurias solet remittere, & illatas parentibus vindicare. c. 25. §. 14. p. 304.

Semper inuenit, quod laude efferat, inuidus, quod mordeat. c. 30. §. 34. 443.
Vt potest, gratiam reddit, & benefactori respondet. c. 30. §. 42. p. 447.

Ingratitudo.

Insania est in eum peccare qui subiuit periculum, vt acquireret tibi commodum. cap. 9. §. 10.
Detestabilis adeo est vt fugiat ingratus videri, qui non fugit dæmonibus inseruire. cap. 18. §. 33. p. 138.

Ingratus.

Quem existimabas obstrictum, inuenies sæpè obliuiosum. c. 16. §. 28. p. 52.
Contra se iram accendit, si pro beneficijs iniurias offert. c. 25. §. 39. 319.
Si à quo vitam accepit, lædat, confusionem sibi elaborat. c. 26. §. 7. p. 357.

Inimicus.

Ei benefacere, virtutis est elogium, & felicitatis auspicium. c. 24. §. 28. p. 292.
Aliquando recedere fingit, & incautum premit. c. 24. §. 32. p. 295.
Verti solet in inimicum, qui accepit contra legem obsequium. c. 28. §. 34. p. 400.

Iniuria.

Sæpè irrogatur, & beneuolentia nihilominus quæritur. c. 15. §. 39. p. 21.
Etsi parcat, qui accepit, semper conscientia vrgetur, qui intulit. c. 18. §. 40. p. 141.
Sæpè, qui accepit, offert veniam, & qui intulit, recusat concordiam. c. 19. §. 12. p. 162.
Aliquando sibi illatam ingenuus remittit, & illatam parentibus punit. capite 25. §. 14. p. 304.
Ab homuncione illata, præ illata à magnatibus digna est pœna. c. 26. §. 12. p. 360.

Iniurius.

Sæpè recusat concordiam, cum læsus offerat veniam, c. 19. §. 12. p. 162.

Innocentia.

Non inuenit tutelares, sortitur nobilitas defensores. c. 22. §. 46. p. 252.
Fas est publicitus ostentare, si contingat iniquis suspicionibus adurgeri. cap. 26. §. 24. p. 367.

Insidiæ.

Qui eas iniustè molitur, eis miserabiliter implicatur. c. 24. §. 4. p. 279.

Insolentia.

Vitæ insolentia in morte soluitur magna tristitia. c. 31. §. 15. p. 456.

Inspiratio.

Qui Dei exprompte inspirationibus paruit, sibi prouidit. c. 25. §. 94. p. 350.

Quæ temeritas esset tentare, Dei amici speciali pulsu solent adire. c.26.§.5. p.356.
Qui noluit audire Deum vocantem, inuenire solet sordescentem. c.28.§.43. p.404.

Intentio.

Plures ad intentionem confugiunt, cum exterius delinquunt. c.15.§.41.p.22.

Inualidus.

Diuinitati approximat, qui pro inualido cum magnatibus pugnat. c.17.§.51. p.92.

Inuidia.

Naturam ignorat, cognationem depretiat. c.16. §.37. p.57.
Eam declinat ad dignitatem compulsus, sustinet eminere cupidus. c.16.§.38. ibid.
Sæpè aduritur, & vrgetur. c.17.§.41.
Dum nequit opus fugillare, curat intentionem abrodere. c.17.§.41.p.87.
Non vult veritatem examinare, sed anhelat notam inferre. c.17.§.38.p.86.
Vel euidentiæ refragatur cæca, & prorsus exoculata. c.17.§.95.p.114.
Recusat strenui nomen audire, & dolet plausum videre. c.17.§.110.p.121.
Non vult imitari gloriosè facta, factorum cupit elogia. c.18.16.p.130.
Honestis factis debet frænari, & virtutibus premi. c.18.§.25.p.134.
Vt alterius obscurauerit plausum, proprium etiam contemnet proximum. cap. 18. 37. p.140.
Difficilius est eam flectere, quàm dæmonem fugare. c.24.§.25.p.291.
Qua arte cupit obscuritatem afferre, inuidi solet luem incrementare. cap. 26. §. 16. p.362.
Insectatur, quos apud Principes valere intuetur. c.29.§.5.p.416.

Inuidus.

Sæpè laudat, vt feriat. c.16.§.49.p.62.
Facilius est dæmonem subigere, quàm inuidum refrænare. c.18.§.26.p.135.
Debet à dignitate detrudi, si dignos præmio, diuexauerit odio. c.18.§.29.p.136.
Speciosо colore adnititur à curia amouere, quem videt plausibus celebrari. cap.18.§.39. p.141.
Plus dolere solet ob felicitatem alienam, quàm ob miseriam propriam. c.28.§.46.p.405

Ira.

Si diuina ira sanctorum precibus non sopitur, vehementer incanduisse probatur. cap.15. §.24.p.13.
Facilè patris sopitur ira, si filij accedat tutela. c.19.§.6.p.159.
Est rationis naufragium, & honoris detrimentum. c.20.§.44 p.205.
Laudabilis est, si aduersatur impietati, & patrocinatur rationi. c.20.§.46.p.206.
Surda inuenitur, & cæca. cap. 25.§.45.p.323.
Frequenter cæca, & errori obnoxia. c.25.§.66. p.336.

Iracundus.

Non est regimini opus. c.16.§.24.p.50.

Iratus.

Quousque quiescat, admonitioni inuenitur ineptus. c.25.§.8.p.301.
Eius fugienda præsentia vt vitaris incommoda. c.29.§.13.p.420.

Irreuerentiæ.

Sacerdoti illata, certa ruina. cap. 22.§. 38. p.250.

Iudex.

Sæpè corrumpitur, si à magnatibus dilaudatur. c.15.§.29.p.15.
Non dedignetur rationem reddere, si cogitur insolita pœna punire. c.15.§.35.p.19.
Si auri amator, est iuris corruptor. cap.15.§.36. ibidem.
Prædicatorem solent honorare, vt fecerint obmutescere. c.15.§.52. p.27.
Si degeneri obscuretur affectu, innocentia graui aliquando punitur reatu. cap. 22.§.33. p.245.
Pessimus in alio vera non punit delicta, & in alio punit solummodò colorata. c. 22. §. 35. p. 246.
Si factam sibi suspicatur iniuriam, punire solet reum rigidus, immò & ferus. c.22.§.37. p. 247.
Iniquus morem potenti gerit, & iustitiam corrumpit. c.24.§.24.290.
Accedentis fœminæ non attendat formam, sed causam. c.25.§.73.p.340.

Iudicium.

Dei iudicium acerrimum timorem incutit, & impios etiam ad timendum cogit. c. 24.§.20. p. 288.
Prudentia est proprio non fidere, sed iudicio aliorum cedere. c.29.§.11.p.419

Iugum.

Si sustinendum sit, prudentia est eligere ferre sub proprio, quam sub extraneo. c. 16. §.39. p. 58.

Iuramentum.

Licitum sæpè violatur, & illicitum custoditur. c.19.§.15.p.164.
Imprudenter emissum, non est implendum. c.25.§.44 p.322.
Apud antiquos summa fide cultum, & obseruatum. c.28.§.28.p.397.

Iurgia.

Prudentia est vitare iurgia, etsi aliqualia subeantur incommoda. c.30.§.36.p.444.
Eorum debet superior occasionem vitare, & maturè prouidere. c.30.§.39.p.446.

Iustus.

Laboribus expolitur, quia gloriæ magnæ adsignatus. c.16.§.9.p.43.
In ipsa calamitate pace fruitur, peccator in ipsa felicitate adurgetur. c.18.§.36.p.139.
In eius sæpè vertitur elogium, quod improbitas disponebat scandalum. c.18.§.59.p.152.
Etsi acceperit offensam, redit faciliter ad concordiam. c.19.§.17.p.165.
Qui eum affligere tentat, sibi calamitatem maturat. c.19.§.21.p.167.
Quia Christo coniunctus, à sæculo sæpè afflictatus. c.22.§.5.p.231.
Suis culpis adscribit, quod Rempublicam premit. c.22.§.51.p.254.
Aliquando virtutes suas refert, vt alijs prosit. c.24.§.15.p.286.
Vtilior est etiam exasperatus, quàm iniquus. beneficijs obstrictus. c.24.§.17.p.287.
Cum eo conuersari affert commodum, depellit periculum. c.25.§.20.308.
Viuit cautior, dum fulget virtutibus expolitior. c.25.§.56.p.330.
Cum eo cognatio prodest ad vitanda pericula, eludendaque detrimenta. c.25.§.§.70.p.338.
Qui virtute ornatior, à perfectione remotior. c.26.§.30.p.370.
Etiam dum securus, est panidus. cap. 27.§.1. p.374.
Dum persecutione vrgetur, cœlesti consolatione munitur. c.30.§.10.p.429.

L

Labor.

A Beneuolo impositus, facilius impletur. c.15.§.3.p.3.
Deus laboribus sibi præparat, quos sibi designat. c.16.§.9.p.43.
Mirum non est ob virtutem subire, quem solent plures ob euanida amplecti. c.20.§.48. p.207.

Lachrymæ.

Ob temporalia sunt vacuæ, & iure deflendæ. c.16.§.1.p.40.
Etsi non assequantur à Deo vota, assequuntur solatia. c.16.§.8.p.43.

Lædere.

Qui iustum lædere tentat, calamitatem sibi maturat. c.19.§.21.167.

Laus.

Sæpè iudex corrumpitur, si à magnatibus dilaudatur. c.15.§.29.p.15.
Si necessitas exigat se laudare, est rationi adscribendum, non vanitati adsignandum. c.17.§.48.p.91.
Mirum est in propria laude custodire modestiam, nec excedere veritatis mensuram. c.17.§.50. p.92.
Frequenter est infra meritum, murmuratio supra erratum. c.18.§.17.p.130.
A pulchellis exhibita, periculis inuenitur obnoxia. c.18.§.27.p.135.
Eam partitur cum alijs magnus, partiri recusat exiguus. c.18.§.28.p.136.
Ferè semper minuitur, obmurmuratio adaugetur. c.22.§.50.p.254.

Lex.

Sæpè contemnitur, si supplicium vitatur. c.28. §.30.p.398.

Liberalitas.

Non solùm attendat potentiam dantis, sed statum accipientis. c.16.§.56.p.65.
Aliqui liberalitatis quærunt elogia, cum non soluant iure debita. c.25.§.15.p.305.

Lingua.

Opus est eam frænare, si pace volueris frui. c.24.§.13.p.290.
Qui contra Dei amicos eam armat, sibi calamitatem maturat. c.25.§.85.p.345.

Locus.

Non est repetendus, *vbi tibi accidit casus.* c.29.§.1.p.414.

Lucrum.

Sæpè exiguum affert grande dispendium. c.30. §.4.p.426.

Ludibrium.

Durius ipsa morte est ingenuis, & nobili progenie exortis. c.20.§.13.188.

M

Magia.

VEritati aduersa, supplicijs digna. cap. 28. §. 21.393.

Magistratus.

Eorum gratiam gestiunt omnes muneribus emere, beneuolentiam lucrari. c.30.§.40.446.

Magnates.

Iudicium solent peruertere, & iudices falcinare. c.15.§.29.p.15.
Eos corrigere est sibi periculum procreare. c.15. §.32.p.17.
Magnatum culpa est corrigenda, sed dignitas obseruanda. c.15.§.33.p.18.
Plus eorum timetur ira, quàm Numinis timeatur offensa. c.15.§.63.p.32.
Impunè in vita delinquunt, sed in morte pœnas exoluunt. c.15.§.69.p.35.
Magnatibus inuisum omnes fugiunt, vt pestem infectum. c.16.§.18.p.48.
Non semel à circumstantibus vanis adulationibus corrumpuntur, & eorum internæ ægritudines adaugentur. c.16.§.47.p.61.
Periculo exponitur, qui corrigere eos adnitur. c.16.§.50.p.62.
Prudens politica est eos exasperare, sed beneuolentiam vel munusculis promereri. c.17.§.23. p.80.

Qui cùm eis pro inualidis pugnat, diuinitati quodammodò approximat. c.17.§.51.p.92.
Plus curare solent splendorem, quàm Reipublicæ vtilitatem. c.17.§.108.p.120.
Pœna censetur dignus, qui magnatum studijs inuenitur aduersus. c.20.§.41.p.103.
Plures eorum affectant mereri gratiam, vt obtineant mendacio, quod non obtinerent merito. c.21.§.9.p.217.
Etiam cùm videntur recreari, inueniuntur vrgeri. c.22.§.25.p.241.
Iniquis eorum votis annuentes solent remunerare, & extollere. c.22.§.44.251.
Gestiunt frequenter vitijs inseruire, & à virtute recedere. c.23.§.26.p.269.
Sæpè eorum est infortunata fortuna, quia ad delinquendum detorta. c.26.§.2.p.354.
Plus sæpè eligunt pertinaciam, quàm iniquam retractare sententiam. c.26.§.29. p.369.
Sæpè non instruuntur veritate, sed oblectantur adulatione. c.28.§.18.p.392.
Propria sequuntur arbitria, despiciunt iura. cap. 28.§.27.p.396.
Frequenter aliquid contra ipsos tentant, dumnimis priuatos honorant. c.28.§.26. ibid.
Si dependeant, honorant, si non indigeant, depretiant. c.28.§.38 p.401.
Vel instante morte adulationibus falluntur, & ne resipiant, tenentur. c.31.§.10.p.454.

Maledicta.

Sine ratione iacta, contra iacientem sunt tela. c.17.§.82.p.107.

Maleficium.

Grauissima pœna puniendum. c.15.§.7.p.11.

Maleuolentia.

Si nequeat actionem sugillare, intentionem solet abrodere. c.20.§.36.p.201.

Malitiosus.

Est frequenter stultus. c.25.§.5.p.299.

Mandatum.

Sub generalitate prolatum, lentè complectum. c.22.§.41.p.250.

Manus.

Affectionis est index. c.16.§.55.p.65.

Maria.

Vbi in Matrem deligitur, naturæ lex non attenditur. c.16.§.35.p.56.

Maritus.

Longa absentia affert vxori pericula. c.17.§.25. p.81.
Graue iugum subit, si censu exiguus, ducit pompaticam, & delicatè innutritam. c.18.§.47. p.145.
Est fortunatus, si moratam vxorem sortitus. c.25.§.4. p.298.
Cum bona soleat dilapidare, ægrè fert ab vxore quid pauperi offerri. c.25.§.81.344.
Honori suo insidias parat, si vxorem despiciat. c.25.§.97.p.351.
Durè adurgetur, si quibus vxorem, filiosque alere possit priuatur. c.30.§.35.p.443.

Martyrium.

Martyrij desiderium est quodammodò martyrium, c.26.§.26.p 368.

Matrimonium.

Sæpè est pacis, & concordiæ inter sibi oppositos seminarium. c.18.§ 44.p.144.
Felix est, si charitate, & concordia resplenduerit munitum. c.18.§.62.p.153

Mediator.

Non appareat peculiari affectione moueri, sed ratione solum duci. c.19.§.7.160.

Medicina.

Parum iuuat externa medicina, si animo insideat ægritudinis causa. c.§.46 p.60.
Nescientibus aliquando est applicanda, quia ipsi apponent impedimenta. c.25.§.36.p.317.

Medicus.

Spiritualis medicus sanare procuret medicamentis blandis, non rigidis. c.20.§.30 p.197.

Memoria.

Tenaciter offensam conseruat, facilè officium obliterat. c.17.§.107.p.119.

Mendacium.

Facilè, si perspexeris, lucet. c.15.§.40.p.21.
Non licet vnquam proferre, sed licet animum colore honesto celare. c.16.§.11.p.44.
Opus est cauta industria ad continuanda merita. c.19§.35.p.175.
Non debet colorari mendacium, vt vitetur iurgium. c.20.§.38.p.202.
Ingenuum dedecet, & ignobilem mendacem arguit. c.20.§ 39. ibid.
Aliquando assequitur gratum mendacium, quod non impetrauit meritum. cap. 21. §. 8. p.216.

Meritum.

Minus, quàm dona, valet in curia. c.16.§.53. p.64.
Difficilius, quam donum inuenit aditum ad palatium. c.16.§.54.ibid.
Debet, dum eximiè constat fulgere, priuilegijs nobilitari. c.17.§.32.p.84.
Si à Principe, & ministris ignorentur merita, in occasum verget Respublica. c. 17.§.106. p.119.
Non facilè innenit ad Principes aditum, nisi intersit patrocinium. c.17.§.109.p.120.
Plus debet obtinere meritum, quam consanguinitatis suffragium. c.18.§.14.p.129.
Minus solet impetrare, plus adulatio obtinere. c.22.§.31. p.244.
Præmiantis quodammodò obscurat magnificentiam,

centiam, & exaggerat non præmiantis incuriam. c.25.§.21.p.308.

Miles.

Si indigeat pane, Respublica carebit munimine. c.15.§.16.p.9.
Præmio debet munerari, & contra aduersarios accendi. c.17.§.66.p.99.
Non potitur perfecta victoria, etsi fugere cogat, si hostem non vincat. c.17.§.98.p.115.
Strenuus statim est præmiandus, non differendus. c.18.§.13.p.128.
Aliquando religiosum confundit, dum exactè obedit. c.25.§.11.p.302
Aliquando post accepta multa vulnera sordet, & toga exiguo labore fulget. c.25.§.99.p.352.
Spernunt sæpè conscientiam, fortitudinis ambiunt gloriam. c.28.§.59.p.413.

Militia.

Sæpè detrectatur, & à militibus annona recipitur. c.31.§.1.p.449.

Minister.

Maiora sibi commendari suasit, qui laudabiliter iniuncta peregit. c.17.§.49.p.91.
Aliquando opus est iustitiam violare, aut magnatum inuidentiam subire. c.22.§.29.p.243
Sæpè dormit, ni superior inuigilet. c.26.§.9. p.358.
A Deo aliquando videtur somno illigatus, ne videat Reipublicæ damna cæcus. c.26.§.14. p.361.
Plus curant notam vitare, quàm obligationem implere. c.26.§.20.p.364.
Aliquando vt liberius prædentur, cum maioribus prædas partiuntur. c.27.§.12.p.380.
Aliquando eam sibi auctoritatem vendicant, vt decretis etiam Principis contradicant. c.29. §.8.p.417.

Miraculum.

Non sunt expectanda miracula, ad quæ potest disponere pronidentia. 27.§.4.p.214.
Non sunt expectanda miracula, vt sibi consulat prouidentia. c.27.§.3.p.375.

Miranda.

Ea oportet tacere, ne contigerit arrogantiæ opinionem ingenerare. c.17.§.58.p.95.

Miseria.

Vt alterius subleuetur miseria, non est perpetranda culpa. c.28.§.29.p.397.

Misericordia.

Ea est diuina misericordia, vt peccator cœlesti luce pulsetur, etiam cum impietati auxiliatur. c.19.§.37.p.176.
Dei erga te commendat misericordiam inflicta pœna, expetitaque mulcta. c.28.§.47.p.406.

Modestia.

De aliorum modestia aliorum crescere solet audacia. c.17.§.19.p.78.
Mirum est adornari modestia, si effloruerit fortuna. c.19§.20.p.167.

Mora.

Nulla interponenda est mora, vt animæ euadas pericula. c.23.§.16.p.264.

Mors.

Periculosum est necessaria tunc ad salutem inter angustias requirere, tutissimum prouidere. c.17.§.78.p.105.
In curijs eius necessaria memoria, quia fallit illecebra. c.17.§.101.p.117.
Eius meditatio est morum magistra, & salutis tutela. c.20.§.8.p.186.
Esse solet legitima vitæ consequentia, & morum lingua. c.22.§.45.p.251.
Sanctorum à Deo nobilitatur, & turba ponrè confluente sanctitas proditur. c.25.§.1 p.297.
Sibi infelicem elaborat, qui linguam contra Dei amicos armat. c.25.§.85.p.345
Eius meditatio impedit peccata, dum omnia ostendit citissime peritura. c.26.§.11.p.359.
Post mortem, quàm interesset eximij viri præsentia, sequuta ostenderunt aliquando infortunia. c.28.§.6.p.385
Cuiuis sortem assignat. c.28.§.36.p.400.
Felicior est mors honesta, quam vita sordida. c.31.§.4.p.451.
Aliquando ascisitur, vt euadatur. c.31.§.14. p.456.

Motus.

Non est internis motibus citò credendum, sed matura consideratione quid è re exprandum. c.30.§.12.p.430.

Mulieres.

Dum fundunt pro amisso marito lachrymas, aliquando disponunt futuras nuptias. c.25.§.87. p.346.

Mundus.

Sibi inseruientes aliquomodò remunerat, si inseruire nequeant, desertat. c.30.§.19.p.434.

Munus.

Nunquam ab onere est solutum, nec otio inerti dedecorandum. c.15.§.2.p.3.
Prius satisfaciendum est muneri, posteà fami. c.16.§.31.d.53.
Laudabiliùs peragitur à quæsito, quàm peragatur ab ambitioso. c.16.§.32.p.54.
Quod Deo seruit, homini proficit. c.21.§.19. p.222.
Deo pretiosioribus Deo consecranda, temploque offerenda. c.25§.31.p.315
Ab affectu pretium accipiunt. c.25.§.52.p.328.
Cum à nobis Deus acceptat, ad misericordiam maturat. c.25.§.54.p.319.
Multi plus curant inertiæ notam vitare, quàm munus implere. c.26.§.20.p.364.

Murmuratio.

Est vltra erratum, laus infra meritum. c.18. §.17.p.130.
Aliorum occulta prodit, & pro certis refert. c.18.§.24.p.133.

Qui de alijs obmurmurat, opus est de se murmuratores sustineat. c.25.§.25.p.311.

N

Natura.

EIus lex non attenditur, vbi quis in patrem Christi deligitur. c.16.§.35.p.56.

Negotium.

Si magni momenti, etsi appareat indubium, est explorandum. c.16.§.34.p.55.

Nobilis.

In generali etiam culpa plus videtur reprehensibilis. c.16.§.21.p.365.
Eligit honestè cadere, quàm ingloriè viuere. c.31.§.18.

Nobilitas.

Glorioſa est à parentibus accepta, sed glorioſior actionibus ampliata. c.18.§.65.p.155.
Apud antiquos pluris habetur, minoris æquitas æstimatur. c.22.§.27.p.242.
Sortitur defensores, innocentia non inuenit tutelares. c.22.§.46.p.252.

Nomina.

Sæpè veritate vacua, aut aduersa c.25.§.47. p.324.

Nota.

Princeps bonus mavult sibi deesse, quàm suos desertare. c.28.§.58.p.412.

Nuptiæ.

Inter inæquales pariunt dissidia, & frequenter bella. c.18.§.46.p.145.
Aliquando à fœminis tractantur, dum demortui sponsi funera disponuntur. cap. 25.§.87. p.346.

O

Obediens.

SOlum curat obedire, non occupationum gradus attendere. c.17.§.16.p.77.
Aliquando laudabili obrutescit inscitia, vt expleriț mandata. c.17.§.28.p.82.
Aliquando videtur obtemperare, sed constat obedientiam sibi disponere. c.17.§.35.p.85.
Tutius procedit à superiore iussus, etsi à Deo interne sit motus. c.17.§.36.ibid.
Qui exactè obtemperauit, superioris oculos non erubuit. c.30.§.32.p.442

Obedientia.

Non est obedientiæ contraire, difficultates superiori repræsentare. c.16.§.10.p.44.
Morosè impleta, inuenitur splendoribus denudata. c.17.§.27.p.72.
Coronatur victoria, quia sortitur cœlestia auxilia. c.17.§.72.p.102.
Est laudabiliter cæca, non curioſa. c.20.§.51. p.208.
Honestè cæca, & tutior, & gratior. c.21.§.23. p.224.
Securior viues inter pericula obedientia tectus, quàm in tranquillitate propria voluntate ductus. c.22.§.20.p.239.
Honestè iussis præstanda, in alijs nullatenus exhibenda. c.22.§.39.p.249.
Exacta militum obedientia malè obedientium est nota. c.25.§.11.p.302.

Obligatio.

Eam adimplere, improbis videtur delictum, vndè sæpè confugitur ad mendacium. c.19.§.34. p.174.

Obmurmuratio.

Adaugetur, laus ferè semper minuitur. c.25. §.50.p.326.

Obscœnus.

Non solùm peccatis inficitur, sed omni immodestia oblectatur. c.19.§.33.p.174.

Obsequium.

Ad reddendum tenetur obsequia, qui specialia à Deo acceperit beneficia. c.15.§.1.p.2.
Quæ persuadebant exhibere Numini obsequium, detorquentur ad inanissimum plausum. c.15.§.26.p.14.
Speciale debet exhibere obsequium, qui accepit speciale beneficium. c.22.§.24.p.240.
Numini exhibitum periculi est imminentis obstaculum. c.23.§.14.p.263.
Deo præstitum, securum profugium. c.23.§.38. p.276.

Occasio.

Arduum est occasionem non labi, nec alterius exemplum sequi. c.15.§.22.p.12.
Peccandi labi non permittitur, sed rapitur. c.23.§.30.p.271.
Exercendæ virtutis facilè omittitur, aut differtur. c.23.§.30. ibid.
Peccandi à peruersis exambitur, vt distare virtutis desideratur. c.26.§.34.p.372.
Imprudentia est ea repetere loca, vbi corruisti ruina. c.29.§.1. p.414.

Occupatio.

Honesta seruat honorem, fugat dæmonem. c. 17.§.17.p.77.

Oculus.

Deprauatur, si est deprauatus affectus. c.18. §.20.p.132.
Sæpè fallitur circa visa, nec fides sine examine est adhibenda. c.26.§.4.p.355.

Odium.

Depretiare solet honorem, qui patitur eius phræneſim. c.19.§.31.p.173.
Virtutes damnat, virtutum defensores audire detrectat. c.20.§.12. 188.
Qui Dei amicos odit, propriam fortunam præter opinionem deperdit. c.20.§.23.p.194
Suum contemnit periculum, vt odioso intulerit damnum. c.24.§.3.p.279.

Offensa.

Memoriæ tenaciter hæret, officium facilè è memoria fugit. c.17.§.107.p.119.

Onus.

Abijcienda sunt onera, dum adurgent pericula. c.17.§.99.p.115.

Opera.

Opera.

Sunt amoris pulsus. c.16.§.55.p.65.

Oratio.

Si sanctorum precibus diuina non sopitur ira, vehementer indignationis incanduit flamma. c.15.§.24.p.13.
Orationis arripienda sunt arma contra diabolica bella. c.23.§.3.p.257.

Origo.

Non est obliuioni tradendi, quantumuis aspirarit fortuna & fortuna, & felicitatis creuerit copia. c.20.§.11.p.187.

Ornamentum.

Eneruat ad pugnandum contra vitium. cap. 17. §.67.p.100.

Ornatus.

Nimis expolitus, & ornatus quodammodò à Deo nescitur. c.17.§.68. ibid.
Genus martyrij est eo denudari, & pompa carere. c.18.§.7.p.125.
Opus est eius nimietatem præcidere, cupienti cœlestibus studere. c.19.§.44.p.180.
Nimius in muliere priuata non bona eum aspergit nota. c.28.§.57.p.412.

Otium.

Si adurgeant bella, otiari semper est nota. c.17. §.14.p.76.
Dæmon otio exagitat deditos, non sic honestè occupatos. c.17.§.17.p.77.
Vel in ipso honesto otio Princeps inuigilare debet subditorum incremento. c.20.§.29.p.197.
Numquam otio indulgendum, si sustineas hostem potentia, & fraudibus obarmatum. c.23. §.29.p.271.
In benè constituta Republica proceres non otiantur, sed arma sequuntur. c.29.§.3.p.415.
In bona Republica non permittitur, sed amandatur. c.30.§.31.p.441.

P

Palatium.

Frequenter ad illud patet aditus, facilius donis, quàm meritis. c.16.§.54.p.64.
Solum debet à religiosis adiri, dum causa agnoscitur postulare. c.17.§.18.p.78.

Palma.

Facilè obtinetur, si pugna ob honorem Dei initur. c.17.§.58.p.95.

Parens.

Dum indebitum sitit honorem, inhonoram reliquit posteritatem. c.15.§.47.p.24.
Filijs prouideat, & eorum debita soluat. c. 17. §.22.p.80.
Potius quærat filiabus virtutibus exornatum, quàm alijs dotibus expolitum. c.17.§.33.p.84.
Aliquando, vt filijs consulat, conscientiam vulnerat. c.24.§.30.p.294.
Dum iniquis artibus adnititur extollere, filijs contingit priuari. c.28.§.52.p.409.
Dum malè studet filijs prouidere, inuenitur amittere. c.31.§.3.p.450.
Est calamitosus, si morato filio priuetur, & ignauo superstite diuexatur. c.31.§.17.p.457.

Paruulus.

Cui maior commiseratio debetur, duris oneribus prægrauatur. c.16.§.29.p.52.

Patientia.

Ea est diuina patientia, vt sibi videatur detrahere, dum supplicia constat differre. c.17. §.31.p.84.
Muta saluti auxiliatur, & honestè de iniurio vleiscitur. c.18.§.50.p.147
Affert coronam, dum habet in persecutionibus tolerantiam. c.20.§.20.p.192.
Exacerbatur, si alloquatur blandè, qui persequitur rigidè. c.26.§.23.p.366.
Est grata Numinis hostia. c.26.§.25.p.367

Patrocinium.

Si desit, langueſcere solet meritum. c.17.§.109. p. 120.

Patronus.

Deus se iustorum ostentat patronum, & securum profugium. c.19.§.40.p.177.

Pauper.

Cui maior commiseratio debetur, grandi onere prægrauatur. c.16.§.29.p.52.
Non videtur idem nudus, ac felicitate ornatus. c.19.§.45.p.180.
Quod accipit, benedictione persoluit. c.25.§.18. p. 307.

Paupertas.

Si non suadeat delictum, eximium est virtutis elogium. c.25.§.23.p.310.
Si priuat, quibus malè vteris, est felicitas. c.26. §.33.p.371.
Est durum tormentum, si vxorem, filiosque alendi obligatio vrgeat, & facultas deficiat. c.30.§.35.p.443.

Pax.

Tranquilla acquiritur, si voluptatibus sæculi renuntiatur. c.20.§.27.p.196.

Peccator.

Aliquando est peior sibi derelictus, quàm à diabolo exagitatus. c.15.§.17.p.10.
Dum abutitur Dei patientia, grauiori punitur ira. c.15.§.20.p.11.
Omni solicitudine reuocandus est ad pœnitentiam, ad delendamque culpam. c.15.§.26.p.14.
Dum culpis adnititur vitare periculum, sibi adauget detrimentum. c.15.§.50.p.26.
Eius consortium diffugiendum, sed viris præcipuè spectabilibus deuitandum. c.15.§.56.p.29
Perpetrat culpam, à religiosis persoluì discupit pœnam. c.15.§.51.p.27
Amat culpam, & fugit pœnam. c.15.§.61.p.31.
Est lugendus, etsi ad apicem fortunæ elatus. c.15.§.73.p.37.
Ni arripuerit veram pœnitentiam, nil prodest sanctorum luctus, & gemitus. c.15.§.74.p.38.
Proprijs passibus infaustam sibi quærit fortunam & præbere solet materiam. c.17.§.79.p.106.
Non detrectat culpis sordidari, detrectat coinci. c.18.§.34.p.138.
Despicit animæ incommoda, & corporis sitit lucra. c.18.§.35.p.139.
In ipsa felicitate anxietatibus adurgetur, intus pace ipso in periculo fruitur. c.10.§.36. ibid.

Dæmonia

Dæmonis non respnit consilia, immo addit de suo quodammodò auctaria. c.18.§.43.p.143.
Leuiter incubat pœnitentiæ, obstinatè malitiæ. c.19.§.11.p.162.
Eius verba sunt fraudulenta, iustorum secura. c.19.§.13.p.163.
Non fugit criminibus infici, & fugit circunstantijs ridiculis denigrari. c.19.§.25.p.170.
Grauius punitur, si prærogatiuis cœlestibus ornabatur. c.19.§.42.p.179.
Dum malè fugit vnam, adaggerat multiplicem sibi miseriam. c.25.§.26.p.311.
Inaurat delicta, si pro Deo contra inimicos prensarit arma. c.22.§.12.p.234.
Frequenter erga propria cæcus, erga aliena inoculatus. c.22.§.23.p.240.
Aliquando Deo adscribunt à Diabolo inspirata, & diabolo à Deo accepta. c.23.§.10.p.261.
Expromptus inuenitur ad praua, implicatus ad honesta. c.23.§11. ibid.
Non solùm cõmittere solet culpas, sed offert alijs ad perpetranda delicta opera. c.23.§.27.p.270
Peccandi occasiones labi non permittit, sed rapit. c.23.§.30.p.271.
Deus aliquando honori ducit peccatorem vincere, & à vitijs reuocare. c.24.§.§.18.p.287.
Aliquando se deteriori punitur, & castigatur. c.24.§.19.p.288.
Sæpè surdus, dum periculo proximus. c.25 p.28. p. 313.
Animæ oblitus, euanidis occupatus. c.25.§.28. p.313.
Dum culpa periculum redimit, auget. c.26.§.1. p.354.
Plus dormit, dum periculo plus accedit. c.26. §.8.p.358.
Culpis assuetus aliquando desperat, & vitijs inseruire procurat. c.27.§.15.381.
Sæpè addendo calamitatis causam quærit medelam. c.28.§.41.403.
Miserrimus, si à Numine derelictus. c.28.§.44. p. 404.
Dum iniquis artibus solicitat commoda, inuenire solet excidia. c.28.§.45.p.405
In morte solet acri timore adurgeri, & spebus saluationis nudari. c.28.§.53.p.409.
Dum violat mandata, temporalia etiam sibi adscisit incommoda. c.30.§.5.p.426.
Quia culpa accepit plagam, tentet pœnitentia victoriam. c.30.§.11.p.429.
Dum periculosior, sibi videtur securior. c. 30. §.24.p.437.

Peccatum.

Qui ad peccatum aperuit viam, tulit grauissimam pœnam. c.15.§.6. p.4.
Quantumuis desudet cautela, sua peccatum proditur lingua. c.15.§.30.p.16.
Vel validos humeros grauat, viresque eneruat. c.15.§.54.p.28.
Quodammodo operantur delicta contra delinquentem miracula. c.17.§.91.p.112.
Vt excusemus, dæmoni adscribimus. c.18.§.31. p. 127.
Plus est à peccato proximum liberare, quàm dignitatibus resplendere. c.24.§.9.p.282.

Perfectus.

Vel dum operantur heroica, aliqua inueniunt plangenda. c.24.§.7.p.281.
Non solùm Deo intimè accedit, sed alios trahit c.25.§.95.p.350.

Periculum.

Magnates corrigere, est sibi periculum procreare. c.15.§.32.p.17.
Dum pro reculis pericula subeunt sæculares, confundunt virtutibus inseruientes. cap. 17. §. 53. p.93.
Dum vrget, arripienda est fuga, & abijcienda sunt onera. c.17.§.99.p.115.
Dum vrget graue periculum, incredibile videtur fouere somnum. c.19.§.30.p.172.
Qui discupit euadere periculum, Christi sequatur exemplum. c.20.§.25.p.195.
Pluris æstimandus est, qui docet periculum fugere, quàm qui studet muneribus exornare. c.20.§.55.p.210.
Quod ob virtutem despicitur, ipso despectu frustratur. c.22.§.40. p.249.
Fugatur præstito Numini obsequio. c. 23.§.14. p. 263.
Facilè eludit, qui humana non ambit. c. 23. §.17. p.264.
Animæ nulla mora interposita est deuitandum. c.23.§.16. ibid.
Facile non vincit, qui non recedit. c.23.§.34. p.274.
Qui ob virtutem subit, Deum tutelarem habet. c.23.§.36.p.275.
Quoduis fas est deuorare, ne possis infidus apud Principem apparere. c.24.§.12. p.284.
Quo periculum proximius, peccator sæpè obsurdescit grauius. c.25.§.27.p.322.
Dum culpa redimitur, augetur. cap. 26. §. 1. p. 354.
Dum culpæ repetitur, gaudium dæmoni procurator. c.26.§.3. p.355.
Dum approxima somno peccatorem ligat. c.26. §.8. p.358.
A suis prouidentia cæca auertit pericula. c. 28. §.5.385.
Quæ vrgent iustos cæca pericula, speciali sæpè auertuntur prouidentia. c.28.§.5. ibid.
Ab inimicis structa sæpè à Deo in suorum vertuntur. c.29.§.7.p.417.
Etiam dubium est obuiandum, & Reipublicæ prouidendum. c.29.§.9.p.418.
Emigrandum est ad tuta, vt vitaris pericula. c.31.§.20.459.

Periurium.

Est grauis culpa, & grani mulctandum pœna. c.19.§.16.p.164.

Persecutio.

Qui persecutionem patitur, ad sanctorum patrocinia inuolare conetur. c.19.§.36.p.175.
In eius honesta tolerantia præuidetur corona. c.20.§.20.p.192.
Qui in sanctos persecutionem mouet, sibi ipsi inuidet. c.20.§.23.p.194.
Ob virtutem magni æstimanda, pacique præferenda. c.22.§.18.p.238.
Studiosius virtutibus illigetur, qui persecutionibus impugnatur. c.25.§.59.p.332.
Qui iniustè persequitur, aliquando persequuti manibus traditur. c.26.§.10. p.359.
Dum iniusta vrget persecutio adest cœlestis consolatio. c.30.§.10.p.429.

Peruersus.

Iustè, riteque supplicijs affectus, est Deo & Reipublicæ commodus. c.15.§.71.p.36.
Peccandi occasiones quærit, virtutes distare exambit. c.26.§.34.p.374.

Petitio.

Aliquando non bono modo offendit, & negari sibi cogit. c.25.§.9.p.301.

Plausus.

Quæ persuadebant exhibere Numini obsequium

detorquentur ad inaniſſimum plauſum. c. 15. §.27.p.14.
Acquiritur prudẽtia,& fortuna.c.18.§.11.p.127

Pœna.

Rigida punitur pœna,qui molitur ſcandala.c.15. §.5.p.4.
Pœna fugitur, culpa amatur. c.15.§.61.p.31.
Ea parte inardeſcit pœna, qua viguit culpa. c.17.§.55.p.94.
A charitate ſubitur, vt ruina, proximi deuitetur. c.25.§.43.p.322.
Eadem ſolet puniri, qui exhibet auxilium, & qui perpetrauit peccatum. c.28.§.50.p.408.
Satius eſt pœnis vrgeri, quàm piaculis ſordidari. c.31.§.7.p.452.

Pœnitentia.

Omni ſolicitudine peccator ad veram pœnitentiam trahendus, & à culpis reuocandus.c.15. §.26.14.
Leuiter aditur, culpa obſtinatiùs proſequitur. c.19.§.11.p.162.
Vera pœnitentia affert gaudium, & Deum ſortitur patronum. c.22§.9.233.
Non differt pœnitentiæ remedium, qui Deum præſumit iratum. c.25.§.33.p.316.
Aliquando in pœnitentiæ morula magna attulit detrimenta. c.25.§.71.p.338.
Vt differatur pœnitentia, ingeritur à dæmone ſtulta fiducia. c.28.§.51.p.408.
Eſſe debet pro culpæ menſura. c.30.§.6.p.427.
Quæ vera, horret vel relapſus pericula. c. 30. §.23.p.436.
Propellit imminentia pericula. cap. 30. §. 27. p.439.

Politicus.

Ad honorem Principis conſecrat, quidquid inuidiam conciliat. c.17.§.102.p.117.
Ne cogantur decreta detrectare, fugiunt ſuſpiciendos viros conſulere. c.20.§.6.p.185.
Plus aliquando attendit, quàm rationis pondus, nobilitatis decus. c.22.§.27.p.242.
Aliquando non ſe attemperat religioni, ſed religionem vtilitati. c.28.§.14.p.389.
Attendere ſolent commoda, & deſpicere iura. c.28.§.22.p.394.
Aliquando, dum laudat, obſcurat. c. 29.§.10. p.419.

Pompa.

Splendens pompa grauiſſima ſarcina c.22.§.10. p.233.

Populus.

Miſer eſt populus hoſtium incurſionibus peruius. c.27.§.10.p.379.
Vel contra bonum Principem inſanit, ſi nimis preſſus, ingemiſcit. c.30.§.9.p.428.

Poteſtas.

Contra abutentes vertitur, & præliatur. c. 31. 4.13.p.455.

Præceptum.

Dura ſunt extenuanda, & mellienda. c.29.§.12. p.420.

Prædicator.

Fugiat inaurare magnatum delicta, & cohoneſtare damnanda. c.15§.55.28.
Solet à magnatibus honorari, ne eos quiuerit referire. c.15.§.52.p.27.
Sibi debet attendere, & vt vires ſibi colligat, contemplationi vacare, c.17.§.2.p.70.
Lingua, & opere debet militare, vt vitia poſſit abſcindere. c.17.§.92.p.112.

Præſumptio.

Qui de ſe præſumit,facilè cadit.c.23.§.35.p.274

Prætextati.

Aliquando commodis adangentur, cum milites poſt effuſum ſanguinem deſpiciuntur. c. 25. §.99.p.352.

Princeps.

Eſt quodammodò perſonatus, ſi alterius voluntati ſubiectus. c.15.§.46.p.24.
Dum Eccleſiaſtica violant ſtatuta, ſibi acquirunt detrimenta. c.15.§.57.p.29.
Vel abſentium videt officia, vt reddiderit præmia. c.16.§.3.p.41.
Dum milites honorant, Rempublicam incrementant. c.17.§.66.p.99.
Si ignoret infernientium merita, in occaſum vergit Reſpublica. c.17.§.106.p.119.
Plus attendat Reipublicæ augmenta, quam propria commoda. c.18.§4.p.124
Plus obtinet ſubiectis gratus, quàm poteſtate munitus. c.18.§.41.p.142
Quæ Principi placita, habentur ab aulicis legum iura. c.19.§.1.p.157.
Inſernientium merita memoria retineat fixa. c.19.§.9.p.161.
Fortuna eſt Principem naſci, ſed maior communi conſenſu deligi. c.20.§.19 p.192.
Etiam dum oblectationi *honeſtæ* indulget, Reipublicæ commodis conſulit.c.20.§.29.p.197.
Sibi adiungat meritorum ſuffragio dignos potius, quàm cognatione nobilitatos. cap. 20. §.33.p.199.
Inuenire ſolet ad iniuſtitiam ſuffragium, & contra æquitatem auxilium. cap. 20. §.43. p.204.
Nobilibus ſenibus prouideat, ſuoque patrocinio foueat. c.22.§.14.p.235.
Si veritatem cupit audire, ab alia regione curet veracem afferre. c.22.§.22.p.239.
Nunquam putat ſatis remuneratum ſuis apperitionibus opportunum. c.23.§.28.p.270.
Infelix eſt, ſi nudatur, nec ab eo attenditur. c.14.§.5.p.280.
Sic corrigatur, vt corrrectione non denigretur. c.24.§14.p.285.
Fugiat ſæuitiam, amet clementiam. c. 25. §.63. p. 334.
Aliquando cum extraneis generoſi,cum ſuis auari. c.27.§.8.p.378.
Ei veritas ſæpè aut minuitur, aut tegitur. c. 27. §.13.p.380.
Principi pro ſuis decertanti præſtanda ſunt alimenta,exhibendaque officia.c.28.§.55.p.410
Apud Principes gratia diuexari ſolet inuidia. c.29.§.5.p.416.
Diſſimulationem caſtiget, veritatis confeſſionem gratis oculis ſpectet. c.30.§.20.p.435.
Eius gloria eſt ſubiectus à miſerijs laberatus, & pace fruitus. c.30.§.30.p.441.
Plus debet Reipublicæ attendere, quàm ſuis conſulere. c.31.§.5.451.

Proceres.

In benè conſtituta Republica non otiantur, ſed arma ſequuntur. c.29.§.3.p.415.

Prodigus.

Qui euanidis prodigus virtutibus inuenitur auarus. c.25.§.29.p.313.

Præmium.

Militibus conceſſum eſt Reipublicæ commodum. c.17.§.66.p.99.
Militibus ſtrenuis ſtatim dandum, nec differendum. c.18.§.13.p.128.
Diſcruciandi genus eſt dignum præmijs defraudare,& nõ merenti conferre.c.18.§.49.p.146.

Malè

Malè collocatum afferre solet periculum. c. 22. §. 32. p. 245.
Dari solet præmium iniquum laudanti votum. c. 22. §. 44. p. 251.
Principum insanis appetionibus inseruiens semper illis videtur impræmiatus, & maiori præmio dignus. c. 23. §. 28. p. 270.

Profugium.

Maturè est petendum profugium, vt vitaris periculum. c. 31. §. 20. p. 459.

Promissio.

Dedecet accipere obsequia, & non soluere promissa. c. 18. §. 48. p. 146.

Propositum.

Sæpè euanuit irritum, si dilatum. c. 19. §. 32. p. 173.

Prouidentia.

Aliquando tribuit exiguo, quæ disponebantur magno. c. 15. §. 65. p. 99.
Præuenit necessaria, ne vrgeatur angustia. c. 17. §. 78. p. 105.
Non solùm videt præsentia, sed extendit oculos ad futura. c. 20. §. 21. p. 193.
Solerter eos disponit, nec miraculum exambit. c. 21. §. 4. p. 214.
Non expectat vrgeri, sed maturat periculis obuiare. c. 29. §. 18. p. 423.

Proximus.

Ita eis prouidendum, vt virtutis periculum sit tibi vitandum. c. 18. §. 32. p. 137
Qui eius prouidet incolumitati, propriæ deseruit etiam saluti. c. 21. §. 20. p. 222.
Pretiosius est eum à culpis liberare, quàm dignitatibus resplendere. c. 24. §. 9. p. 282

Prudens.

Non obliuiscitur antiquos lares in prospera fortuna, sed retinet semper memoria. c. 20. §. 11. p. 187.
Non solùm videt præsentia, sed extendit oculos ad futura. c. 20. §. 21. p. 193.
Scit insipientium ineptias parupendere, ne cogatur vindicare.. c. 25. §. 47. p. 324.
Fortunæ successibus non inflatur, sed humilitate munitur. c. 25. §. 91. p. 348.
Per otium consulit, & consultum citò perficit. c. 30. §. 13. p. 431.

Prudentia.

Prudentia est facilè non credere, sed fidem plurium contestatione firmare. cap. 17. §. 34. p. 85.
Consulit miranda tacere, ne contingat suspicionem ingenerare. c. 17. §. 59. p. 96.
Aliquando humana prudentia censet deliria, quæ reuerà probantur diuinitus. inspirata. c. 17. §. 62. p. 97.
Non omittit, ex quibus nulla crescit incommoditas, & oriri potest vtilitas. c. 17. §. 74. p. 98
Prudentia est fugam arripere, si fortissimos videas cadere. c. 17. §. 97. p. 115.
Silentio tegit, quæ magnates vulgatum vrit. c. 17. §. 111. p. 121.
Est prosperæ fortunæ mater. c. 18. §. 12. p. 128.
Prudentia est maturè recedere, & technas aduersariorum eludere. c. 19. §. 3. p. 158.
Amicos sibi vrbanitate parat, & beneficiorum catenis ligat. c. 21. §. 6. p. 215.
Prudentia est laudabiliter deijci, ne contingat conculcari. c. 25. §. 42. p. 321
Vt sibi consuluerit prudentia, non sunt expectanda miracula. c. 27. §. 3. p. 375.
Prudentia est nimium proprio non fidere, sed aliorum iudicio cedere. c. 29. §. 11. 419.

Pugna.

Qui diuini honoris zelo init pugnam, jam sibi auguratur palmam. c. 17. §. 58. p. 95.

Q

Querela.

VT iusta aliquando vitetur, cæde impeditur. c. 27. §. 14. p. 381.
Aliquando oportet dare querelas, ne videaris reus aut appareas stultus. c. 29. §. 14. p. 421.
Nonnulli de industria queruntur, vt innocui videantur. c. 29 §. 15. ibid.

R

Rapina.

INfelix est rapina pauperem dispolians, & miserum vexans. c. 25. §. 78. p. 342
Stultus est, à suis rapit, quod extraneis impendat. c. 25. §. 79. p. 343.

Redditus.

Ecclesiastici redditus plus quodammodò sunt pauperis, quam sacerdotis. c. 21. §. 12. p. 218.

Regimen.

Non est regimini aptus, qui inardescit iracundus. *Regna.* c. 16. § 24. p. 50.
Vera religione fundantur, & aliter confunduntur. c. 28. §. 9. p. 387.

Religio.

Firmat regna, & repellit infortunia. c. 28. §. 9. ibidem.
Ab ea deficere, est calamitatem augere. c. 28. §. 40. p. 402.

Religiosus.

Non iuuat Deo dicari, si constet actionibus contraire. c. 5 §. 42. p. 22.
Spectaculis non interfit, nec sua præsentia nobilitet. c. 15. §. 55. p. 28.
Frequentat aulam, si expectet virtutis lucrum, recedit, si virtutis nullum emolumentum. c. 15. §. 72. p. 36.
Amet recessum, nec prodeat sine graui causa in publicum. c. 16. §. 13. p. 44.
Ni grauis causa in publicum prodire suadeat, præbere solet iniquæ suspicioni materiam. c. 16. §. 14 p. 46.
Solùm cum necessitas exigat, regale palatium adeat. c. 17. §. 18. p. 78.

Respublica.

Est calamitosa, si miles indigeat pane, & parasitus splendeat munere. c. 15. §. 16. p. 9.
Vergit in occasum, si ignoretur seruientium meritum. c. 17. §. 106. p. 119.
Plus eius à Principe attendantur augmenta, quàm propria commoda. c. 18. §. 4. p. 124.
Præsidio aliquando nudatur, quia appetitionibus inseruitur. c. 33. §. 37. 275.
Et talia solent contingere, vt à Deo immissum gubernatoribus somnum videantur ostendere. c. 26. § 14. p. 361.
Misera luget, si milites accipiant annonam, fugiant militiam. c. 31. §. 1. p. 449.

Restitutio.

Etiam malo iure possessum, difficulter inuenitur restitutum. c. 15. §. 68. p. 35.

Resurrectio.

Iterum viuet instauratus, qui morte prorsus æstimabatur deperditus. c. 28. § 37. p. 401.

Reuelatio.

A Deo motus tutiùs procedes, si à superiore etiam iussus. c. 17. §. 36. p. 83.

Reuerentia.
Maioribus est exhibenda, vel cum ab eis pronocatur ira. c.17.§.42.p.88.
Ruina.
Vt ruina proximi deuitetur, sæpè pœna à charitate subitur. c.25.§.43.p.322
Rusticus.
Quos vrbanitate posset allicere, rusticitate solet offendere. c.25.§.13.p.304.

S

Sacerdos.
PErit, qui in Dei sacerdotem audet. cap. 17. §.9.p.74.
Sit pauperis subsidium, afflicti solatium. c. 21. §.3. p.214.
Non habeat sumptuosam mensam, nec diuitiarum coaceruet copiam. c.21.§.10.p.217.
Debitos dignitati redditus plus pauperi percipiat, quàm sibi. c.21.§.12.p.218.
Irreuerentia ei illata, non dubia ruina. c. 22. §.38.p.248.
Sit pauperum leuamentum miserorum auxilium. c.30.§.16.p.433.
Sacularis.
Confundit virtutis studiosum, dum pro reculis subit periculum. c.17.§.53.p.93.
Sanitia.
Frequenter sæui voluptuosi. c.13.§.70.p.35.
Principis fugienda, clementia amanda. c. 25. §.63.p.334.
Salus.
Corporis sine dilatione ambitur animæ sæpè differtur. c.16.§.51.p.63.
Miraculosè accepta solicitè est asseruanda. c.24. §.2.p.278.
Sanctus.
Ad eorum confugiat patrocinia, qui patitur bella. c.19.§.36.p.175.
Qui sanctos persequitur, à Deo prorsus eradicatur. c.20.§.23.p.194.
Speciali Dei pulsu solent adire, quæ aliter temeritas esset tentare. c.26.§.5.p.356.
Satelles.
Aliquando solet mandata prodere, & fugam deuinciendum monere. c.19.§.24.p.169.
Scandalum.
Seuera punitur pœna, qui molitur scandala, c.15.§.5.p.
Quod improbitas iustis machinatur scandalum, esse solet felicitatis augmentum. c. 18. §.59. p.152.
Sceleratus.
Ei venia impensa affert Reipublicæ damna. c.28.§.48.p.407.
Secretum.
Sæpè gestit prodere, qui debuisset cautius seruare. c.19.§.5.p.159.
In curijs nil secretum quia rimatur adulationis, aut æmulationis studium. c.20.§.17.p.191.
Ad indagandum secretum quàm plurimum valet donum. c.20.§.53.p.209
Frustratur votum, quia proditur sæpè secretum. c.23.§.12.p.262.
Securitas.
Alia debet securitate muniri, & cautè asseruari. c.26.§.36.p.373.
Senex.
Ei est exhibenda reuerentia, vel eum ab eo inflammatur ira. c.17.§.42.p.88.
Sententia.
Multorum in contrarium sententia ab honestè decretis non debet auertere, sed fas est rem maturius considerare. c.23.§.6.p.258.
Sepultura.
Superbia sumptuosè eam fabricat, virtus inter sanctos habere anhelat. c.25.§.2.p.297.
Seruus.
Qui improbi seruus, periculo obnoxius. c.25. §.24.p.310.
Qui bonus, grande lucrum, qui improbus, domini inuenitur naufragium. c.25.§.30.p.314
Ei non licet, quæ domini, dilargiri pietatis prætextu, aut commiserationis titulo. c.25.§.74. p.340.
Silentium
Prudentia est silentio tegere, quæ possunt magnates exasperare. c.17.§.111.p.121.
Socer.
Sæpè blanditur, & fallacias architectatur. c.18.§.45.144.
Societas.
Improbi periculis pœna. c.15.§.15.p.9.
Eius est fugienda, qui attulisse tibi es expertus incommoda. c.24.§.1.p.278.
Socius.
Plus noceat malus socius, quàm aduersarius. c.17. §.24.p.80.
Ad scelera socius, habetur amicus. c.22.§.43. p.250.
Solicitudo.
Non est omittenda solicita virtutis cura, etsi cœlestis adsit tutela. c.20.§.2.p.183.
Solitudo.
Esse solet tutum castrum, & contra vitia profugium. c.22.§.4.p.230.
Somnus.
A viris sanctis præciditur, vt proximus adimetur. c.17.§.26.p.81.
Sors.
Quæ putabatur infausta, inuenitur sæpè commoda. c.30.§.18.434.
Spectacula.
Fugiat religiosus sua præsentia honestare, & exemplo alios defendere. c.15.§.55.p.28.
Spes.
Spes dignitatis labores emollit, aut mellit. c.23. §.23.p.268.
A quo sperabat magna, recipere solet nulla. c.25.§.8.p.301.
Spiritus.
Dei spiritus docet antiqua non repetere, sed penitus obliuisci. c.19.§.39.p.177.
Qui cœlesti spiritu afflatus, despicit, quæ cupiuerat ambitiosus. c.19.§.43.p.179.
Splendor.
Volaticus in morte transit in solicitudinem. c.15.§.66.p.34.
Spolium.
Sæpè, quia in colligendis spolijs miles detinetur, victoria non consummatur. c.17.§.100.p.116
Sponsus.
Citiùs eligendus est virtutibus exornatus, quàm aliis dotibus expolitus. c.17.13.p.84.
Non tam eligendus opulentus, quàm virtutibus expolitus. c.18.§.57.p.150.
Status.
Qui status leges transgreditur, virtutis causam deseruisse sæpè inuenitur. c.17.§.70.p.101.
Strages.
Magnatum docet delicijs renuntiare sibique consulere. c.31.§.19.p.459.

Stultitia.

Tutior est sapiens stultitia, quàm inflata sapientia. c.21.§ 29 p.227.

Stultus.

Frequenter est malitiosus. c.25.§.5 p.299

Frequenter durus, & consilia honesta auersatus. c.25.§.7.p.300.

Subditus.

Qui non sequitur superioris iussa, dæmonis sectatur mendacia. c.15.§.43.p.23.

Aram construit propriæ voluntati, qui resistit superiori. c.15.§.44.ibid.

Subiectus.

Est Principis gloria à miseria releuatus, & pace fruitus. c.30.§.29.p.440.

Suffragia.

Studiosius animæ curanda suffragia, quàm corpori paranda sepulchra. c.31.§.28.p.464.

Superbia.

Dum sibi Numini adscribenda, applicat, cœlestem indignationem exulcerat. c.15.§.60.p.31

De ipsis aliquando virtutibus oritur, & augetur. c.17.§.15.p.76.

Affectat ad cadauer mansolea, virtus eligit cadauerum sanctorũ consortia. c.25.§.2.p.297

Superbus.

Quidquid laudabile, sibi applicat quidquid obscurum alijs assignat. c.15.§.38.p.74.

Non est regimini aptus. c.16.§.24.p.50.

Quæ sibi liberaliter dilargita, arbitratur debita. c.20.§.14.p.189.

Superior.

Suo trahit exemplo efficacius, quàm mandato. c.15.§.22. p.239.

Qui non sequitur eius præcepta, diaboli sectatur consilia. c.15.§.43.p.23.

Non potest benè imperare, si detrectat mandatis cœlestibus obedire. c.15.§.45.p.24.

Nimis blandus sibi, & regimini inuenitur nociuus. c.15.§.51.p.26.

Etsi non mereatur persona, exhibenda est dignitati reuerentia. c.15.§.64.p.33.

Non tentet non assequenda, & in opprobrium dignitatis frustranda. c.15.§.67.34.

Nunquam bonus suo muneri parcit, etiam cùm de fructu diffidit. c.15.§.75.p.38.

Bonus in culpam seuerus erga peccatorem solicitus. c.16.§ 2.p.40.

Vultu non terreat, sed sereno aspectu alliciat. c.16.§.33.p.55.

A Deo electus, speciali lucet auxilio munitus. c.16.§.40.58. & §.44.p.59.

Non debet violenter obtinere, quod potest comitate impetrare. c.16.§.52.p.63.

Debet specialibus priuilegijs nobilitare, quem nouit meritis eximijs fulgere. c.17.§.32.p.84.

Non permittat subiectum se maiora tentare, & vltra vires audere. c.17.§.47.p.90.

Aliquando cœlesti pulsu facit, quod humana prudentia delirio attribuit. c.17.§.62.p.97.

Si potest sanet blandis, non vrgeat subiectos medicamentis asperrimis. c.20.§.30.p.197.

Efficacius imperat factis, quam verbis. c 20. §.49.p.207.

Cum culpa castigat, verbis non lædat. c. 22. §.26. p.241.

In honestis ei obtemperandum, in malè decretis est resistendum. c.22.§.39.p.249.

Expromptè non obeditur, si iners, & ignauus agnoscitur. c.23.§.31.p.272

Bonus blanda efficacitate suos regit, ad honestaque ducit. c.24.§.10.p.283.

Non est linguacitate denigrandus, sed modis debitis corrigendus. c.25.§.18.p.307.

Qui non punit delicta, hostibus præbet contra se arma. c.25.§.40.320.

Ad propriam offensam vindicandam potestate non abutatur. c.25.§.55.p.329.

Ni solerter inuigilet, minister dormit. c. 26. §.9.p.358.

Si delicijs studeat, suorum salutis studium auolat. c.26.§.15.p.361.

Dissimulare cogitur, si dissimulari admittitur. c.26.§.22.p.365.

Subeat incommoda, vt suis vitarit discrimina. c.27.§.2.p.375.

Eius absentia afferre solet incommoda. c. 28. §.29. p.397.

Aspera inungenda & melliat, & molliat. c.29. §.12.p. 420.

Debet iurgiorum occasionem præcidere, & suorum paci studere. c.30.§.39.p.446

Necessaria est ei solicita cautela, quia vndique pugna. c.31.§.9.453.

Supplicium.

Vtile est in hac vita subire, nec in futuram differre. c.15.§.2 .p.11.

Si rigidum, est aperta ratione fulciendum. c.15. §.35.19.

Peruerso inflictum, Numinis est holocaustum. c.15.§ 71.p.36.

Sic aliquando peccatoris differtur, vt Deus dormitare videatur. c.17.§.31.p.84.

Aliquando iustis illatum est felicitatis auspicium, improbis inflictum, vlterioris aliquando præsagium. c.25.§.82.p.344.

Si supplicium culpæ vitatur, culpa contemnitur. c.28.§.30.p.398.

Dei erga te commendat misericordam alijs inflicta pœna expetitaque mulcta. c. 28. §.47. p.406.

Si insolita infligantur supplicia, oportet sciri merita. c.28.§.49.p.407.

De infligentis manu recrudescit, & vrit. c. 31. §.11.p.454.

Suspicio.

Si semel animum contigerit possidere, difficillimum est excutere. c.16.§.16.p.47.

Nonnulli sic adhærent suspicioni, vt possent indubiæ fidei. c.17.§.39.p.86.

Circa honorem accuratè est vitanda, & iniquitatis lingua occludenda. c.19.§.22.p.168

Fas est, vt iniquam possis suspicionem repellere, tuam innocentiam publicitus ostentare. c.26.§.24.p.367.

Susurro.

Est tranquillitatis pestis, & grata magnatibus lues. c.24.§.13.285.

T

Tacere.

IN confessionibus est dæmonibus arma dare. c.17.§.1.p.70.

Templum.

Non semel ad virtutem templo eruditur, qui non bona intentione adesse conatur. c. 19. §.38. p.176.

Temporalia.

Quæ speciosa, improbis etiam probantur concessa. c.16.§.23. 80.

Possessa, non sunt felicitatis præsagia, generosè despecta sunt fausta auspicio. c.24.§.29.p.293.

Solerter ambiuntur, honesta tepidius tractantur. c 25.§.93.p.350.

Tempus.

Vanitatibus ſemper eſt expeditum, virtutibus implicatum. c. 17.§.21.p.79

Malè collocatum recolligatur virtuti addictum. c.30.§.22.p.436.

Tentatio.

Oportet in eius exordio cautiori vti ſolicitudine, & ſolicito certamine. c.18.§.64.p.154.

Facilè vincitur, ſi vincendi impedimentum repellitur. c.23.§.32.p.273.

Facilè tentationem vincit, qui ad ſuperna ſemper aſcendit. c.23.§.33.ibid.

Ab exiguis incipit, vt ad maiora deuenerit. c.30.§.21.p.435.

Terrena.

Auidè deſiderantur, cœleſtia minus auide appetuntur. c.16.§.36.p.56.

Qui ea ſectatur, à vitijs facilè vincitur. c. 17. §.4.p.71.

Generosè debent abijci, ſi cupis vitia ſubigere. c.17.§.76.p.104.

Sæpè, qui quærit, deſpicitur, qui deſpicit, quæritur. c.22.§.1.p.229.

Terribilia.

Quæ videntur ad ſpeciem terribilia, inueniuntur ſolùm blanda. c.17.56.p.94.

Teſtimonium.

Virtutis ab hoſte prolatum, firmum. cap. 24. §.26.p. 291.

Timor.

Inani ſæpè deterremur, & frangimur. c. 17. §. 13.p.75.

Qui Deum in vita timere neſciuit, horribili ſolet in morte timore concuti. cap. 25. §.83. p.345.

Qui ei ob virtutem non cedit, elogium ſibi procudit. c.26.§.6.p.357.

Anxius eſt mors producta, vita amara. c. 28. §.11.p.388.

Imprudentia eſt anticipato timore vrgeri, calamitatemque maturare. c.31.§.6.p.451.

Tranquillitas.

Periculoſior eſt incauta tranquillitas, quàm cauta aduerſitas. c.22.§.19.p.238.

Tribulatio.

Ob virtutem prædicit felicitatem. cap. 22. §. 3. p. 230.

Tributum.

Plurima tributa ſoluit, qui vitio inſeruit. c. 22. §. 7. p. 232.

Si nimia, malorum cauſa. c.30.§.9.p.428.

Triumphus.

Poſteritatem nobilitat, vt caſus infamat. c. 17. §.11.p.75.

Non ſuadeat otium, ſed inflammet ad alios animum. c.17.§.57.p.95.

Vt de vitiis reportetur, quidquid terrenum generosè abijciatur. c.17.§.76. p.104.

Trophæa.

A prudentibus Deo dicantur, & ad eius honorem templis ſuſpenduntur. c.31.§.26.p.463.

Turba.

Non attendendum quid faciat, ſed quid ratio iubeat. c.17.§.60.96.

Accedit fortunatis, recedit à miſeris. c.21.§.2. p.213.

Tutela.

Etſi cœleſtis adſit tutela, non eſt omittenda ſolicita cura. c.20.§.2.p.183

V

Vanitas.

PLuris habetur vanitas, quàm virtutis ſoliditas. c.15.§.28.p.15.

Semper inuenit tempus expeditum, vt tempus difficultatibus implicatum. c.17.§.21.p.79.

Suadet validius inire certamina, quàm ſuadeat gloria diuina. c.17.§.30.p.84.

Venia.

Sceleratis impenſa affert Reipublicæ ingentiſſima damna. c.28.§.48.p.407.

Venuſtas.

Eſt virtutis faſcinum, & periculum. c.15.3.18. p. 10.

Verax.

Non ſuſpicatur alios mentiri, quia neſcit fallere. c.21.§.7.216.

Magnatibus frequenter inuiſus, adulator gratus. c.28.§.7. p.386.

Verbum.

Sanctorum verba ſic efficacia, vt cedat vel obſtinata duritia. c.19.§.14.p.163

Iuſtorum pro ſacramento ſunt, iniquorum ſacramenta ſunt verba. c.19.§.13. ibid.

Aliquando alteri verba proferimus, & ad alterum dirigimus. c.20.§.50.p.208.

Exacerbant exterius mellita, ſi ab hoſte virulento prolata. c.26.§.23.p.366.

Veritas.

Ab amico nimis grauanter auditur. c.15.§.3.p.3.

Parum iuuat agnoſcere, ſi ſpreueris adimplere. c.13.§.8.p.259.

Veritatem ingenuè fateri, eſt iracundiam frænare. c.25.§. 46.p.324.

Principibus ſæpè tegitur, aut minuitur. c. 27. §.13. p. 380.

Solet quæri, vbi nequit inueniri. c. 28.§.15. p. 390.

Veſtis.

Qui induſtria demutat, contra ſe ſuſpicionem generat. c.28.§.20.393.

Victoria.

Curandum eſt, ne denigretur ſuperbia de vitijs reportata victoria. c.17.§.5.p.72.

Sæpè non conſummatur, quia ſpolium ambitur. c.17.§.100. p.116.

Ab imbecillo parta, victi miſeria. c.31.§.23. p. 461.

Vigilia.

Faciliùs tolerantur ob vtilitates, quàm ob virtutes. c.31.§.21.p. 460.

Vindicta.

Qui ob Deum ab ea abſtinet, Deum quodammodò, vt eum vindicauerit, cogit. cap. 25. §.50.p.326.

Qui adminiſtrat publicam diſciplinam, non vindicet propriam offenſam. c.25.§.55.p.329.

Vir.

Magnus tunc ſolum ſolet agnoſci, cum acciderit deperdi. c.17.§.6. p.72.

Virtus.

Non proficit exte[illegible] culta, ſi intus impugnata. c.15.§.12.p.7.

Pluris habetur vanitas, quàm virtutis ſoliditas. c. 15.§.28. p.15.

Exterius aliquando colitur, vt vtilitas augeatur. c.15.§.49. p.25.

Tranſit in morte in tranquillam pacem, & requiem. c.15.§.66.p.34.

Ei ſemper tempus eſt implicatum, vanitatibus expeditum.

expeditum. c.17.§.21.p.79.
Ne contigerit tumulari, prouidentia cogente causa disponit prodi. c.17.§.52.p.92.
Ad triumphos de vitijs reportandos iuuat propria, non ita aliena. c.17.§.69.p.101.
Etsi aliqua contra vitium specialiter ineat bellum, à reliquis est expetendum auxilium. c.17. §. 77.p.105.
Si aliqua pars virtute sit nuda, reliquæ discrimini inueniuntur expositæ. c.17.§.93.p.113.
Dæmon quos videt virtutibus efflorere, viuidius aggreditur oppugnare. c.18.§.30.p.136.
Eximia probatur, quæ nequit ignorari, aut ab inuido imminui. c.18.§.60.p.152.
Quæ eximior, acrius à dæmone impetita, & machinamentis pulsata. c.18.§.63.p.154.
Cordis depellit amaritudinem, & affert tranquillitatem. c.22.§.6.p.231.
Non adeò laborioſa, prauitas laboribus plena. c.22.§.8.p.232.
Propellit periculum, quod ob ipsam fuerat despectum. c.22.§.40.p.249.
Est vitæ vena, & periculorum repulsa. cap. 22. §.49.p.253.
Non semel terretur, ambitio rarò difficultatibus frangitur. c.23.§.19. p.266.
Persecutionibus afflictatur, sed consolatione cœlesti fruitur. c.23.§.22.p.167.
Qui eam colit, sæpè deridetur, sed votis fruitur. c.23.§.25.p.269.
Suas iustus aliquando refert, vt alijs prosit. c.24.§.15.p.286.
Satius est emendicato viuere, quàm virtutem violare. c.25.§.10.p.302
Imprudentia est post longum virtuti tempus impensum abrumpere filum. c.25.§.58.p.331.
Solerter non quæritur, solicitè temporale lucrum ambitur. c.25.§.93.p.350
Eximia se ipsam publicat, & vel cæcis oculis manifestat. c.28.§.35.p.400.

Vitium.

Vitio rege euerso, facilè de cæteris obtinetur victoria, & floret palma. c.15.§.10.p.6.
Qui terrena sectatur, à vitijs facilè vincitur. c.17.§.4.p.71.
Vbi destruuntur vitia, facilè prævalent arma. c.17.§.3. ibid.
Nonnulli tardè eis ingerunt bellum, & citissime relinquunt campum. c.17.§.29.p.83.
Ea distantia est oppugnandum, vt possis euertere, non feriri. c.17.§.88.p.110.
Non vincuntur virtute aliena, sed propria. c.17.§.69.p.101.
Alterum parit, & nutrit. c.18.§.21.p.132.
Quo passu augescit, & premit. cap. 18. §. 22. p. 133.
Fascinat prudentiam, parit insaniam. c.18. §.23. ibidem.
Qui ei inservit, plurima tributa soluit. c.22.§.7. p.232.
Dum laboribus premitur, virtuti auxiliatur. c.30.§.15.p.432.

Vnio.

Eam dæmon fugit, & singulare certamen ambit. c.17.§.10 p.74.

Voluptas.

Si aliquomodò permittatur, in incendium adaugetur. c.15.§.8.p.5.
Expugnatur sitis, & inediæ armis. c. 15. §. 11. p. 7.
Voluptuosi frequenter sæui. c.15.§.70.p.35.
Quia voluptatibus renuntiat, tranquillam pacem sibi elaborat. c.20.§.27.p.196.
Idem est aliquibus ac vita priuari, voluptatibus interdici. c.27.§.11.p.379.

Votum.

Quia proditur sæpè secretum, frustratur votum. c.23.§.12.p.262.
Facilè ab eo assequuntur, pro quo subijsti pericula. c.28.§.56.p.411.

Vrbanitas.

Omnium animos allicit, & deuincit. c.18.§.10. c.19.p.127.

Vtilitas.

Sæpè vtilitate frænatur qui ratione non regitur. c.19.§.8.p.160.

Vxor.

Oneri est viro, si pompatica, & cultui nimis addicta. c.18.§.47.p.145.
Fidelis respondet, si à marito agnoscat diligi, magnique haberi. c.18.§.61.p.153.
Moribus expolita, fortuna magna. c. 25. §. 4. p. 298.
Viri honori insidias solet parare, si experiatur se despici. c.25.§.97.p.351.

Z

Zelus.

SIc consulat alienæ saluti, vt propriæ non deficiat obligationi. c.17.§.71.p.102.
Dum suspirat Dei honorem, elucratur sibi laudem. c.17.§.75. p.109.
Non quiescit, sed Dei gloriam vsque ad extrema terræ extendere sitit. c.17.§.86.ibid.
Dum Dei causam agit, victoriam acquirit. c.17. §.87. 110.
Ita aliorum saluti prouideat, vt virtutis periculum ipse non adeat. c.18.§.32.p.137.
Ipso, quo Dei tuetur honorem, acquirit sibi salutem. c.20.§.26.p.195
Ita proximo prouideat, vt propriæ saluti non noceat. c. 20.§.28.p.196.
Dei iniurias dolet, proprias deglutit. c.20.§.45. p. 205.
Sibi consulit, cum honori diuino attendit. c.21. §.20.p.222.
Eligit laboribus afflictari, vt possit proximis subuenire. c.22.§.16.p.236.
Nullum laborem recusat, vt animas Deo afferat c.25.§.89.p.347.
Dum alienas maculas abstergit, Dei amorem mereri prodit. c.25.§.92.p.349.

FINIS.

MANERA
LIB. I.
15

MAXERA
I. Lib. I.
Regum.
C. IV
15

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HAXERA
1. Lib. I.
Regum.
C. IV
15

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

NAN[illegible]RA
in lib. Plegum

Th
858a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


NAXERA
In Lib. I.
Regum.
C. IV
15